Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/tractatusdesacra0000unse

DE SACRAMENTIS IN GENERE.
DE BAPTISMO. — DE CONFIRMATIONE.
DE EUCHARISTIA.

Brugis, typis Houdmont-Boivin et Filiorum.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTIS

DE SACRAMENTIS IN GENERE.
DE BAPTISMO. -- DE CONFIRMATIONE. -- DE EUCHARISTIA.

AUCTORE

GUSTAVO LAHOUSSE, S. J.

IN COLLEGIO MAXIMO LOVANIENSI S. J., THEOLOGIAE DOGMATICAE PROFESSORE.

BRUGIS

Apud Carolum BEYAERT, Bibliopolam.

ROMAE & RATISBONAE
APUD P. PUSTET.

LUTETIAE PARISIORUM
APUD P. LETHIELLEUX.

1899

40792

Ego AUGUSTUS PETIT, Praepositus Provincialis Societatis Jesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre LUDOVICO MARTIN, ejusdem Societatis Praeposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus **Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de Eucharistia,** a GUSTAVO LAHOUSSE, S. J. conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 20 Julii 1899.

A. PETIT, S. J.

IMPRIMATUR.

Brugis, 27 Augusti 1899.

† GUSTAVUS-JOSEPHUS, Episc. Brugen.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Prooemium.

1. — Objectum tractatus. 1. Protoparentes donis supernaturalibus et praeternaturalibus ditati fuerant a Deo, Adamus autem constitutus fuerat a Deo caput morale generis humani ut dona sanctitatis, integritatis, immunitatisque a morte et a malis, sibi divinitus concessa, ad omnes posteros propagaret; verum per grande peccatum ea a se et ab universa familia abjudicavit. — Ideo omnes pure homines, excepta B. V. quae speciali Dei privilegio a lege communi est excepta, nascuntur intrinsecus infecti reatu peccati veri et proprie dicti, cujus essentia probabilius est reponenda in privatione justitiae, inducta per peccatum actuale Adae. In hujus peccati paenam privantur supernaturali beatitudine et donis praeternaturalibus.

2. Deus statuit se gratiam sanctificantem et jus ad visionem intuitivam essentiae divinae non esse redditurum generi humano collapso, nisi prius exhiberetur sibi satisfactio condigna et ex rigore justitiae, h. e. nisi sibi a filio aliquo gentis peccatricis supernaturalis honor, laus, gloria praestaretur, qua compensaretur injuria per peccatum sibi irrogata.

3. Ideo necesse fuit Verbum assumere naturam humanam. Ideo etiam Christus, sacerdos N. L., mortem in ara crucis obeundo, seipsum in sacrificium obtulit, quo subiit paenas hominibus ob peccata luendas, pro ipsis satisfecit, eos a servitute cui obnoxii erant, redemit gratiamque meruit qua iterum fiant justi, sancti, filii Dei, heredes regni coelorum, adeoque mundum Deo reconciliavit.

4. Ita vero Christus factus est causa meritoria justificationis et salutis hominum, ut gratia sanctificans a Deo non infundatur actu cordibus, nisi consequenter ad elicitionem actuum supernaturalium cum auxilio gratiae Christi et ad usum nonnullorum mediorum a Jesu Christo institutorum.

5. Porro inter hujusmodi media eminent *sacramenta*. Sunt enim, juxta Tridentinum, ea « per quae omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur » (1). Quapropter a scriptoribus ecclesiasticis vocantur reliquiae dominicae incarnationis, vasa pretiosa in quibus Christi sanguis et merita continentur, canales per quos beneficia divina defluunt, fontes aquarum salientium in vitam aeternam.

6. Septem vero sacramenta a D. N. J. C. fuerunt instituta. De eorum singulis totidem tractatibus est agendum. Insuper alio tractatu, eoque ad ceteros praevio, considerantur ea quae sacramentis sunt communia. Idcirco nomen ei est impositum *tractatus sacramentorum in genere*.

7. Non sola lex evangelica sacramentis est instructa tanquam instrumentis salutis ; sub lege enim naturae et sub lege mosaica non defuit omne sacramentum. Ratio cur sub triplici oeconomia naturae lapsae convenientissimum fuerit sacramenta a Deo institui, traditur a s. Thoma: « Sic igitur per sacramentorum institutionem homo convenienter suae naturae eruditur per sensibilia, humiliatur, se corporalibus subjectum cognoscens, dum sibi per corporalia subvenitur ; praeservatur etiam a noxiis actionibus per salubria exercitia sacramentorum » (2). Ideo s. Augustinus : « In nullum, inquit, nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo sacramentorum visibilium consortio colligentur ; quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum et ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas » (3).

2. — Divisio. Post statutam definitionem sacramenti generice considerati, quaerendum est ex ordine 1° *an sint* sacramenta proprie dicta in lege naturae, in lege scripta et in nova lege ; 2° *quot sint ;* demum 3° *quid sint*. Quaerere quid sit sacramentum est inquirere de ejus *causis intrinsecis et extrinsecis :*

Causae *intrinsecae* sunt *elementa constitutiva* et ea quae ad essentiam consequuntur tanquam proprietates. Proprietas autem entis est ejus *virtus agendi*. Examen istius potentiae absolvitur duobus : a) examine effectus qui producitur ; b) examine modi quo hic effectus attingitur. — Causae *extrinsecae* sacramentorum intelliguntur causa *instituens* seu causa remota, et causa *ministerialis*, seu causa proxima.

Ex quibus liquet tractatum de sacramentis in genere convenienter partiri in capita septem.

---

(1) Sess. VII, Prooem. — (2) S. Th. III, q. LXI, a. 1. — (3) Aug. *Contra Faustum*, l. XIX, c. XI. Migne P. L. t. XLII, col. 355.

Caput I^m de exsistentia et de numero sacramentorum tractabit.
Caput II^m de causis intrinsecis sacramentorum N. L.
Caput III^m de effectu sacramentorum.
Caput IV^m de efficacia sacramentorum N. L. ex opere operato.
Caput V^m aget de modo istius efficaciae seu inquiret num sacramentum N. L. sit causa gratiae et qualis causalitas ei sit adscribenda.
Caput VI^m de causa instituenti sacramenta N. L. disseret.
Caput VII^m de ministro sacramentorum N. L.

CAPUT I.

De exsistentia Sacramentorum.

ARTICULUS I.

Status quaestionis.

3. — **Definitio nominalis sacramenti** (1). Antequam ostenditur exstitisse sacramenta in aliis oeconomiis et adhuc exstare in oeconomia christiana, aperiendum est quid hoc vocabulo significetur. — Postea inquiretur definitio essentialis, seu investigabitur essentia ritus sacramentalis.

Sacramentum derivatur a sacro, quod est a profanis secretum. Tum apud auctores profanos, tum apud ecclesiasticos occurit :

A. « In profanis negotiis, ait card. Franzelin (2), sacramentum dicebatur pignus a litigantibus depositum in loco sacro vel apud pontificem ; tum jusjurandum, maxime illud quo milites obstringuntur reipublicae ». Litigantes pecuniam deponere solebant ea lege ut qui causa caderet, pecunia mulctaretur. Altera istius pecuniae pars victori cedebat, altera aerario. Sacramentum vocabatur ratione loci in quo deposita erat, aut personae cui credita fuerat. Ita Varro (3) et Cicero (4). — T. Livius (5), J. Caesar, Cicero, Tacitus, aliique sacramentum vocabant jusjurandum quo milites se obligabant ad obediendum imperatori

(1) Cfr. s. Th. III, q. lx, a. 1 ; Suar. Disp. *in III^m part. s. Th.* t. III qui est XVIII edit. Mogunt., Praef. ad disp. I^m. — (2) *Tract. de sacram. in gen.* c. 1, Th. I. — (3) *De ling. lat.* l. IV, c. xxxvi. — (4) *Epist.* cx. — (5) L. XXII, c. xxxviii.

in bello. Eodem ferme sensu Hier. (1) et Tert. (2), sacramentum vocant promissiones quas christianus baptismum suscipiens Deo facit.

A juramento a militibus facto, translata est haec vox tum ad significandum omne id quod juramento a quibuslibet praestito firmatur, tum ad significandos milites qui juramento se erga rem publicam obstrinxerant.

B. Usu ecclesiastico, sacramentum est idem ac *μυστήριον*, quae vox derivatur a *μύειν*, claudi, adeoque significat *secretum*, *occultum*. Cum omnis res sacra, a qua denominatur sacramentum, sit per se occulta ac secreta, inde idem significant sacramentum et mysterium. Utrique vocabulo varia subest significatio. « Omnia, ait Aquinas l. c., quae habent ordinem ad unum aliquid, licet diversimode, ab illo denominari possunt: sicut a sanitate, quae est in animali, denominatur sanum, non solum animal quod est sanitatis subjectum, sed dicitur medicina sana in quantum est sanitatis effectiva; diaeta vero in quantum est conservativa ejusdem; et urina in quantum est significativa ipsius. » Quare varia appellata sunt, usu ecclesiastico, sacramenta, mysteria, propter ordinem quem, licet diversimode, habent ad rem hac voce proprie significatam. Aliquid nempe appellari potest *μυστήριον* quia est subjectum secreti seu res secreta, vel quia est effectivum secreti, vel quia est significativum hujus. Porro sacramenta, *μυστήρια*, dicuntur tum certae *res*, tum harum rerum *signa*, quorum nonnulla exstant causae eorum quae significant.

1. De rebus : Sacramentum dicitur a) *res quaelibet secreta*. Hoc sensu legitur Apoc. xvii, 3-7 : « Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiae, habentem capita septem et cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura et coccino, et inaurata auro et lapide pretioso et margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione et immunditia fornicationis : et in fronte ejus nomen scriptum : *Mysterium*... Et miratus sum, cum vidissem illam, admiratione magna. Et dixit mihi Angelus : Quare miraris? Ego dicam tibi *sacramentum* mulieris et bestiae quae portat eam, quae habet capita septem et cornua decem. »

b) *Res supernaturalis* hominibus occulta, eorum cognitioni impervia : sacramenta vocantur veritates sola revelatione notae, testimonia amoris Dei in homines; potissimum objecta religionis christianae, puta Incarnatio et bona quae ad eam sunt consecuta. Omnibus enim impervia est eorum ratio intrinseca; insuper exsistentia nonnullorum ex his erat

(1) *Epist.* xiv ad Heliod. n. 2. M. XXII, 348. — (2) *Ad Mart.* c. iii; *De corona militis*, c. iii. M. II, 93.

ignota non initiatis. Hoc sensu legitur in Sap. II, 22: « Nescierunt sacramenta Dei; » in ep. ad Eph. I, 9: « Elegit nos in ipso (Christo)... ut notum faceret sacramentum voluntatis suae; » in I Tim. III, 16: « Magnum est pietatis sacramentum » (sc. Incarnatio). — Eodem sensu accipitur mysterium Matth. XIII, 11: « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei; » I Cor. XIII, 2: « Si noverim mysteria omnia; » I Cor. XV, 51: « Ecce mysterium vobis dico; » Col. IV, 3: « Ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi; » Eph. III, 3, 4: « Secundum revelationem notum factum mihi est sacramentum: sicut supra scripsi in brevi, prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in *mysterio* Christi. »

c) *Secretum regis vel amici.* Hoc sensu legitur Tob. XII, 7: « Sacramentum regis abscondere bonum est; » Prov. XX, 19: « Ei qui revelat mysteria et ambulat fraudulenter et dilatat labia sua, ne commiscearis. »

2. De signis rerum: Sacramentum dicitur a) *Signum rei divinae et occultae.* Signi nomine intelligitur figura, similitudo, ritus, caerimonia etc., uno verbo omne id quod est natum significare aliud. Vocatur sacramentum quia mysteria in se quasi continet et occultat. — Eo ferme sensu somnium Nabuchodonosoris a Daniele explicatum vocatur sacramentum; erat enim signum rei obscurae quam Deus notam fieri volebat. Sic etiam Apoc. I, 20: « Sacramentum, ait, septem stellarum quas vidisti in dextera mea et septem candelabra aurea: septem stellae, angeli sunt septem ecclesiarum; et candelabra septem, septem ecclesiae sunt. » — Eodem sensu auctor librorum de sacramentis (1) transitum Judaeorum per mare rubrum, manna et alia similia, vocat sacramenta. Tertullianus omnes typos V. L. appellat sacramenta (2). Eodem sensu sacramenta accipiunt Cypr. (3), Tertull. (4), Lact. (5), Aug. (6).

b) *Signum sacrum rei sacrae et occultae.* Quae significatio est restrictior praecedenti. – Hoc sensu matrimonium a Paulo vocatur sacramentum, quia significat unionem Christi et Ecclesiae. Eodem sensu Augustinus sacramenta vocat tum sacrificium (7), tum sacras caerimonias cultus externi (8). Per sacrificium enim homo testatur se agnoscere supremum

(1) *De sacram.* l. I, c. IV. — (2) Tert. *Adv. Marc.* V, 4. — (3) Cypr. *Epist.* LXIII. — (4) Tert. *De praescript.* adv. haeret. c. XL. — (5) Lact. *De div. nom.* l. IV, c. XVII. — (6) Aug. *Cont. advers. leg. et proph.* l. II, c. IX; *De Gen. ad litt.* l. VIII, cc. IV, V; l. II, *de pecc. mer. et remiss.* c. XXVI; M. XXXIV, 375 sq., XLII, 657. — (7) Aug. « Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est *sacrum signum* est. » *De civ. Dei*, l. X, c. V.

(8) Aug. « In nullum nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur, quorum sacramentorum vis inenarabiliter valet plurimum, et ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas. » *Cont Faust.* l. XIX, c. XI.

Dei dominium supra omnia creata et debitum suum mortis ob peccata sustinendae; per caerimonias cultus in genere agnoscitur Dei excellentia et bonitas.

Hinc definit Magister sacramentum « *sacrum signatum et sacrum signans.* »

3. Verum vox « sacramentum » speciali et pressiori significatu restringitur ad significandos ritus quosdam tum V. L. tum N. L., qui ostendentur concludi quidem genere signorum sacrorum, a ceteris autem signis sacris sua propria, eaque insigniori, differentia discerni. Itaque nomen generis factum est proprium principaliori specici.

Porro praescindentes a quaestione in quonam sita sit essentia sacramenti, nomine sacramenti in sequentibus intelligitur *ritus sacer, a Deo institutus, gratiam sanctificantem significans et sanctitatem conferens suscipienti ipsum.* — Circa quam notionem duo sunt advertenda :

a) Sanctitas est duplex : altera *externa*, legalis, imperfecta; altera vero *interna*, supernaturalis, perfecta. Utraque superat nudum ordinem naturalem, siquidem sacramentum, vi nominis. dicitur de re arcana.

α) *Sanctitas legalis* est ea qua aliquid, citra interiorem mutationem, specialiter Deo consecratur ejusque famulatui singulari modo deputatur. — Hac sanctitate insigniuntur homo et res inanimatae, puta templum, vasa, vestes. — Per se est denominatio extrinseca rei sanctae, desumpta ex caerimonia sacra qua Deo deputatur, ex usu sacro, ex fine sacro. — Sanctitas legalis nonnumquam etiam dicitur jus cohabitandi populo Dei, communicandi in sacris et caerimoniis religiosis istius populi.

β) *Sanctitas interna* stat in gratia sanctificante, quae est habitus a solo Deo eductus ex potentia animae, qua homo aut angelus fit sanctus, justus, amicus Dei, ejusque filius adoptivus et quo instruitur jure ad regnum coelorum et ad certum gloriae gradum.

b) Cum sacramentum sit signum et quadamtenus causa sanctitatis a se collatae, hanc sanctitatem minister sacramenti subjecto ejusdem quasi ob oculos ponit. Quamobrem tum administratio tum susceptio sacramenti est exercitium virtutis religionis, actus cultus latriae. Speciatim ejus susceptio est professio fidei et protestatio subjectionis Deo.

4. — **QUAESTIO** est de exsistentia sacramentorum stricto sensu. Quaeritur nempe utrum quidam ritus sacri a Deo fuerint instituti ad eos sanctificandos qui ipsos suscipiunt. — Quaestio respicit : *a* statum naturae *innocentis; b*) statum *legis naturae; c*) statum *legis mosaicae; d*) statum *legis christianae.* — Quaere praesens caput quadripartito dividetur.

Postea inquiretur quaenam sit essentia metaphysica horum rituum,

seu quonam genere et qua differentia specifica constent ; inquiretur etiam quaenam sit essentia physica sacramentorum N. L., seu utrum ritus sacramentales N. L. constent partibus realiter ab invicem distinctis ; demum inquiretur de natura nexus qui inter sacramentum et collationem sanctitatis intercedat.

ARTICULUS II.

In statu naturae innocentis nulla fuisse sacramenta ostenditur.

D. Th. III, q. LXI, a. 2. — Suar. *De sacramentis*, d. III. — Lugo, *De sacram.* d. III, s. 1.

Ex ordine quaeremus 1° utrum in hoc statu naturae *necessaria* fuerint sacramenta ; — 2° utrum *potuisset* Deus ea instituere ; — 3° utrum *de facto* quaedam sacramenta fuerint instituta ; 4° utrum instituta fuissent, hypothesi facta quod hic status *perseverasset* sine peccato.

5. — I^a^ **QUAESTIO** negative a s. Th. solvitur l. c. : « Respondeo dicendum, quod in statu innocentiae ante peccatum sacramenta necessaria non fuerunt. Cujus ratio accipi potest ex rectitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur, et nullo modo dependebant ab eis : sicut enim mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores animae vires, et ipsi animae corpus. Contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam, per aliquid corporale quod fit in sacramentis. Et ideo in statu innocentiae homo sacramentis non indigebat, non solum in quantum sacramenta ordinantur ad remedium peccati, sed etiam in quantum ipsa ordinantur ad animae perfectionem. »

6. — II^a^ **QUAESTIO.** Deus *potuisset* instituere sacramenta in statu naturae innocentis. Etenim sacramenta secundum significatum pressiorem non modo sunt signa demonstrativa rerum sacrarum, sed adhuc sunt signa practica sanctificationis, seu usu suo conferunt suscipientibus sanctificationem. Atqui :

1. Deus potuisset instituere signa demonstrativa rerum sacrarum, nempe signa quae a) fuissent exterior professio fidei interioris ; b) excitassent memoriam Dei et affectum ; c) faciliorem reddidissent apprehensionem mysteriorum ; d) facilius homines congregassent in unum coetum religiosum. — Etenim a) in statu innocentiae homines non cognovissent mysteria per revelationem immediatam, neque per species infusas ; sed cognitionem eorum acquisivissent auctoritate et proprio

labore. Deinde cognitio harum rerum non fuisset propria sed analogica, seu secundum habitudinem earum ad res sensibiles (1). Ergo homines per signa sensibilia facilius acquisivissent cognitionem, conceptus et affectus significassent. b) Patet homines usu eorumdem signorum demonstrativorum facilius coadunatos fuisse in coetum religiosum.

2. Si sacramenta considerantur tanquam *causae gratiae,* dicendum est minus congruam futuram fuisse eorum exsistentiam, uti dicetur circa quaestionem sequentem. Attamen non defuisset omnis ratio congrua : Nam a) Deus annectendo gratiam usui signi sensibilis manifestat potentiam suam et bonitatem ; b) si congruum fuit prohibere usum ligni scientiae boni et mali, cur congruum non fuisset praecipere usum signorum sanctitatem augentium ? Ex utroque praecepto enascebatur obedientia hominis, et humilis ejus subjectio Deo supremo numini.

7. — III^a QUAESTIO. — ASSERTUM. In statu naturae innocentis exstitisse sacramenta nulli rationi innititur.

Prob. 1. Ex una parte, necessaria non fuerunt sacramenta in statu innocenti ; ex alia parte neque in Scripturis neque in Traditione mentio fit alicujus sacramenti a Deo in hoc statu naturae instituti. Sacramenta non fuisse necessaria, seu protoparentes non indiguisse sacramentis, id est manifestum quia perfecta erat eorum scientia, perfecta erat rectitudo voluntatis, eximium erat donum justitiae ipsis collatae, actibus suis gratiam facillime augebant et incrementum gloriae merebant. — Ergo admittenda non est exsistentia sacramentorum. Quod enim pendet a solo arbitrio Dei, ejus exsistentia admittenda non est, nisi constet ex revelatione, vel nisi aliunde constaret de ejus necessitate.

2. Status hic futurus erat brevissimus, ita ut vix locus futurus esset usui sacramentorum ; Deus vero hanc brevitatem praescivit. Ergo.

Dices 1° : Juxta Apostolum matrimonium Adae et Evae est sacramentum. Ait enim : « Sacramentum hoc magnum est ; ego autem dico in Christo et in Ecclesia. » (Eph. v, 32). Ergo.

(1) De solis protoparentibus haec habet Aquinas : « Utilitas sacramentorem est eruditio et curatio. Quantum autem ad curationem, omnibus patet quod non erant necessaria sacramenta in statu innocentiae, cum tunc morbus non esset. Sed quidam dicunt quod erant necessaria quantum ad eruditionem : quia homo in statu etiam illo sensibilibus utebatur, et ita ex sensibilibus spiritualia significari congruebat. Sed hoc non videtur conveniens : quia significatio est ad acquirendam cognitionem de eo quod significatur. Quamvis autem in primo statu sensibilia cognosceret, et in eis etiam spiritualium similitudines inspiceret, non tamen ex sensibilibus spiritualium cognitionem accepit, sed magis ex influentia divini luminis ; et ideo sacramentis ad eruditionem non indigebat ». (In 4 d. 1, q. 1, a. 2, sol. 11).

Resp. *Dist. ant.* Juxta Apostolum matrimonium Adae et Evae fuit sacramentum *sensu lato*, seu signum demonstrativum rei sacrae, *Conc.;* fuit sacramentum *sensu presso*, seu signum practicum sanctificationis, *Neg.* — Plerique enim Patres ex verbis Pauli colligunt formationem Evae ex costa Adae et conjugium utriusque assumpta fuisse a Deo in signum Incarnationis Verbi et unionis Christi cum Ecclesia. Insuper asserunt illud mysterium jam tunc fuisse revelatum protoparentibus, divo Thoma hoc tamen negante (1) et asserente Adamum revelatione quidem cognovisse mysterium Incarnationis, verum beneficio *scientiae infusae*, cognovisse analogiam inter matrimonium et hoc mysterium. Igitur matrimonium in statu innocentiae fuit sacramentum lato sensu, seu signum unionis Verbi cum natura humana, Christi cum Ecclesia. — At in hoc statu contractus matrimonii non ordinatus est a Deo in aliquam sanctificationem. Igitur non fuit sacramentum sensu stricto.

Dices 2° : S. Augustinus affirmat lignum vitae fuisse sacramentum ; insuper dicit sapientiam fuisse significatam hac arbore ; denique asserit corpus hominis fuisse hoc ligno firmatum stabili sanitate, per nonnullam inspirationem occultam salubritatis (2). — Unde sic : Juxta Augustinum lignum vitae erat signum demonstrativum et practicum rei quae naturalis non erat. Atque tale est sacramentum. Ergo.

Resp. Juxta s. Augustinum lignum vitae erat quidem signum demonstrativum Christi, qui sapientia est Dei, non tamen signum practicum sanctificationis. Etenim a) haec habet : « Erat ergo et lignum vitae, quemadmodum petra Christus, nec sine mysteriis rerum spiritualium. » Jamvero petra non fuit sacramentum stricto sensu seu practicum sanctificationis. — b) Lignum vitae, mente Augustini, non operabatur nisi firmitatem corporis. Eamdem enim virtutem tribuit pani subcinericio quo sustentatus Elias quadraginta dierum iter instituens, ad montem Horeb pervenit. — Quare *Conc. maj. Neg. min.*

8. — IV^a QUAESTIO. Circa quaestionem num Deus instituturus fuisset sacramenta, si status innocens perdurasset, variae sunt sententiae :

---

(1) Cfr. 4 d. 1, q. 1, a. 2, sol. II, ad 3^m. — (2) AUGUST. « Nec sine mysteriis rerum spiritualium corporaliter praesentatis voluit hominem Deus in paradiso vivere. Erat ei ergo in lignis ceteris alimentum, in illo autem sacramentum. » (*De Gen. ad litt.* l. VIII, c. IV, n. 8). — « Potuisse per lignum, id est, per corpoream creaturam, tanquam sacramento quodam, significari sapientiam in paradiso corporali. » (Ib. c. V, n. 10). — « Quamquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem praestitisse, quo corpus hominis sanitate stabili formaretur, non sicut ex alio cibo sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta. » (Ib. n. 11). Vid. Migne, P. L. t. XXXIV, col. 375 et sq.

a) Censet Soto sacramenta repugnare cum statu innocenti, cujus sententiae falsitas jam fuit ostensa.

b) Thomistae ducunt sacramentorum institutionem aliquam oppositionem habere cum statu innocentiae, non secundum potentiam absolutam, sed secundum suavem et connaturalem providentiam.

c) Toletus existimat probabile esse ut tunc futura fuissent aliqua sacramenta perfectionem conferentia.

d) Lugo contendit non tantum vi praesentis decreti nulla futura fuisse sacramenta, — rationem nempe adaequatam cur nunc instituta fuerint sacramenta repeti ex homine lapso, videlicet ut homo lapsus erigatur, ut robur ei adjiciatur, — sed, uti conjicere saltem sit his quae de facto Deus operatus est, aliud decretum non fuisse ferendum de sacramentis instituendis.

e) Suarezius haec statuit: 1. Nihil cum certitudine hac in re dici potest. Revelatione enim solum constat homines generandos fuisse in statu justitiae et perfectae integritatis naturae, si Adam non peccasset; non constat utrum media specialis perseverantiae instituta fuissent a Dei Providentia; praesertim non constat utrum sacramenta in hunc finem instituta fuissent.

2. Supposito solam redemptionem esse finem Incarnationis, proindeque Verbum non fuisse assumpturum humanitatem, si genus humanum lapsum non esset, probabilius sacramenta nulla instituta fuissent. Ratio petitur ex eo quod multo magis congruum erat ut Deus fieret homo, licet homo a lapsu non esset erigendus (cum Incarnatione insignia sapientiae, bonitatis, potentiae, documenta tradantur), quam ut signis sensibilibus annecteretur gratia; igitur si nihilo minus natura humana non fuisset assumpta, a fortiori sacramenta non fuissent instituta.

3. Supposito Verbum, etiam sine lapsu hominis, factum fuisse hominem:

a) Probabilius ante Incarnationem non instituta fuissent sacramenta: Etenim α) non fuissent instituta tanquam *causa gratiae:* Gratia enim in hac hypothesi ex meritis Christi derivata esset; unde sacramenta virtutem causandi haberent ex iisdem meritis: jamvero dignitati Christi et naturis rerum consentaneum est ut virtus instrumentalis ad gratiam efficiendam non conferatur instrumentis separatis, nisi per conjunctum organum divinitatis. — β) Neque fuissent instituta tanquam *signa gratiae:* Homines enim in hoc statu non indiguissent talibus signis. Usus enim signi non practici gratiae et vacui, est imperfectio quaedam pertinens ad legalem servitutem et puerilem paedagogiam (Cfr. ep. ad

Gal.). Jamvero in statu innocenti, propter vitam innocentissimam ac pacatissimam, propter perfectam parentum traditionem, homines fuissent in rebus fidei satis instructi, harum contemplationi perpetuo vacassent. Igitur non indiguissent sacramentis in hunc finem.

b) Probabiliter post Incarnationem quaedam instituta fuissent sacramenta. — α) Probabile est quod instituta fuisset *Eucharistia:* Seclusa enim significatione passionis, ceteri fructus ex ea colligi potuissent, potissimum intima unio cum Christo et cum Deo per gratiam ex mysterio haustam. β) Probabiliter *Matrimonium* in sacramenti dignitatem fuisset elevatum; aptum enim est ut significet mysterium Christi, et gratiae augmentum conferre potuisset. Attamen caruisset eo fine et effectu qui nunc ei est proprius; in hoc statu contractum fuisset sine libidine et concupiscentia inordinata, difficultatum expers fuisset homo in sustinendis oneribus matrimonii. γ) Probabiliter institutus fuisset *Ordo*, cum habitudinem habeat ad Eucharistiam. — At instituta non fuissent Baptismus, Paenitentia, extrema Unctio. Haec enim supponunt peccatum, aegritudinem et corporis mortalitatem, quae abfuissent. Probabile etiam est Confirmationem non fuisse instituendam. Licet enim abundans effusio Spiritus Sancti semper sit maxime optabilis, attamen cum praecipue ordinetur ad profitendam fidem, superando difficultates et pericula, quae in hoc statu locum non habuissent, et cum homines aliis mediis in gratia perficiendi fuissent, videtur id sacramentum jam non habiturum fuisse rationem sufficientem.

9. — Scholion 1m. In statu innocenti Deum cultu externo honorandum fuisse probatur iisdem argumentis quibus philosophia moralis demonstrat necessitatem cultus externi. — Hic autem cultus externus non tantum fuisset privatus, sed *publicus*. Nam a) naturale est hominibus in rempublicam coadunari. Sed ubi unum corpus politicum, ibi per se cultus sit publicus; sive ubi homines congregantur in unum regnum, ibi per se congregantur in unum nomen religionis, mediante cultu publico. — b) In omni republica bene instituta, praecipua cura esse debet de religione: cetera enim subordinantur cultui divino. Deinde nisi princeps locus sit cultui divino, honestas morum neque instituitur neque servatur; jamvero id munus circa religionem postulat ut Deo praestetur cultus publicus. — c) Sicut homo tenetur colere Deum corpore et anima, actionibus privatis, sic tota respublica, prout est unum corpus politicum, tenetur offerre Deo unum cultum (1).

(1) Cfr. Suar. *De sacramentis*, d. III, s. 1.

Scholion 2^m. Quaeres num in statu innocentiae oblata fuissent Deo sacrificia? — Sensus quaestionis est utrum cultus externus et publicus repositus fuisset in solis actionibus corporis, solo membrorum usu, nempe voce Deum orando et laudando, genua flectendo etc., an constitisset insuper rerum externarum oblatione Deo et sacrificatione, puta cereos accendendo, thus adolendo, animalia immolando etc.

Negat Soto. — Affirmare videtur s. Th. Illud enim clare insinuat, dum rationem, cur in lege naturae offerenda fuissent sacrificia, repetit ex eo quod « ex naturali ratione procedit quod homo quibusdam rebus sensibilibus utatur (2) » ut per earum oblationem subjectionem ad Deum significet et divinum dominium recognoscat. Haec autem ratio valet pro omni statu naturae ; non supponit enim statum peccati, sed sumitur ex relatione essentiali qua homo ad Deum devincitur. — Eadem sententia ex eo suadetur quod Deus est dominus supremus rerum sensibilium quas homini elargitus est ut eis uteretur ad corporis conservationem, ad animi profectum, oblectationem etc. Ergo homo debet Deum colere non tantum anima et corpore a Deo acceptis, sed etiam rebus externis, protestando earum oblatione, consumptione et usu, Deum esse omnium dominum.

Dices cum Soto : In statu innocentiae omnis finis et ratio sacrificiorum cessaret. Ergo non essent sacrificia. — *Prob. ant.* Finis sacrificii est aut satisfacere pro peccatis, aut memoriam colere beneficiorum Dei, aut grates persolvere de donis acceptis. Atqui a) non essent sacrificia *satisfactoria:* Tunc enim non essent peccata. Insuper omnibus esset notum omnes esse justos. — b) Non essent sacrificia *rememorativa* beneficiorum Dei : Homines enim aliis modis essent sufficienter instructi de divinis rebus et beneficiis. — c) Non essent sacrificia *eucharistica :* Omnes enim simplici corde et ore Deum laudarent.

Resp. a) Posteri Adae non fuissent in gratia confirmati : si enim Adam peccavit, posteri ejus peccare potuissent, licet ab innocente orti ; hoc autem habito, possent sacrificia fieri satisfactoria. — b) Etiam secluso peccato, institui potuissent sacrificia ut Deo honor praestaretur, gratiae agerentur et dona impetrarentur.

(2) II^a II^ae, q. LXXXV, a. 1. Cfr. ib. a. 4.

ARTICULUS III.

De sacramentis legis naturae.

D. Th. III, q. LXI, a. 3. — Suar. d. IV. — Lugo d. III, s. 2.

§ 1. NOTIONES. — QUAESTIONES.

10. — *Lex naturae* accipitur theologice et philosophice.

a) *Philosophice* idem est ac complexus praeceptorum quae insculpta sunt in cordibus hominum, seu quae manant ex nuda hominis natura.

Numquam hominum genus *soli* huic legi subditum fuit. Numquam enim desiit ordinatum esse ad finem supernaturalem, instructum mediis quibus hic finis attingatur, et astrictum praeceptis quibus in eum dirigatur. — At haec praecepta alia fuerunt alio tempore. Distinguitur autem triplex tempus : a) tempus legis *naturae ;* b) tempus legis *mosaicae*, quae etiam vocatur *scripta, vetus ;* c) tempus legis *christianae* quae dicitur *lex gratiae.* — Tempus legis *naturae* se extendit : α) *pro gentibus* a tempore lapsus Adae ad tempus promulgatae legis christianae et institutae Ecclesiae ; β) *pro Judaeis* ab eodem lapsu usque ad Moysem, per quem lex scripta fuit data, vel usque ad institutam circumcisionem, diebus Abrahae.

b) *Theologice* lex naturae idem audit ac lex divina quae *homines temporis legis naturae obstrictos habuit.* Continet praeter legem naturalem praecepta quae connaturaliter consequuntur ad elevationem stirpis humanae ad finem supernaturalem. Talia sunt praecepta fidei, spei, caritatis, paenitentiae, quorum observatio ex se est necessaria ut vita in finem supernaturalem ordinetur. Alia etiam esse possent, Deo volente, praecepta determinati cultus Deo praestandi, determinatorum rituum observandorum ut venia de peccatis obtineatur.

Porro ex praejactis liquet quaenam habitudo vigeat inter legem naturae et legem scriptam. a) Lex vetus quaedam praecepta addidit praeceptis legis naturae. Hinc distinguitur uti totum a parte. — b) Lex vetus obligabat solum populum Israeliticum a tempore Abrahae et Moysis. Lex naturae obligabat Judaeos usque ad tempus Abrahae vel Moysis; obligabat gentes usque ad tempus promulgationis legis christianae. Hinc lex vetus et lex naturae se habent ut inclusum et includens.

Quaeritur utrum tempore legis naturae aliquot sacramenta a Deo

fuerint instituta, h. e. utrum Deus revelaverit hominibus, ad finem supernaturalem assequendum, necessarium esse usum nonnullarum rerum sensibilium, quae signa forent demonstrativa gratiae et practica alicujus sanctificationis. — Imprimis inquiremus num institutum sit sacramentum tanquam remedium quo deleretur peccatum originale. — Deinde num adhuc alia fuerint instituta sacramenta.

§ 2. DE INSTITUTIONE REMEDII NATURAE.

D. Th. in 4 d. 1, q. II, a. 6. — Suar. d. IV, sect. 1, 2, 3. — Lugo d. III, s. 2.

11. — Uti adulti potuerunt justificari per fidem et caritatem, sic iis qui usum rationis nondum erant adepti dispositum est a Deo medium aliquod quo reatus culpae originis auferretur. — Circa hoc medium de variis conveniunt theologi.

1. Omnes concedunt remedium *a parvulis ipsis non potuisse sibi applicari*. Ratio duplex affertur : a) Incapaces sunt infantuli actionis humanae; actio autem naturalis non videtur medium aptum ad praedictum effectum. b) Si sufficiens fuisset actio naturalis, sequeretur infantulos omnes justificatos fuisse in statu naturae, vel Deum pro arbitrio suo alios justificasse, alios vero dereliquisse; neutrum autem admitti potest.

2. Applicandum est remedium *ab aliis*, et quidem *actione humana* vel *parentum*, vel eorum quibus *cura parvulorum gerenda erat*.

a) Requisitam esse *actionem humanam* ostenditur quia ex una parte non sufficiebat actio naturalis, uti modo dictum est ; ex altera parte neque requirebatur neque etiam sufficiebat gratia habitualis in parente. Non erat sufficiens : Gratia et fides parentis non obstabat quin filius in peccato conciperetur ; ergo non poterat esse remedium sufficiens quo tolleretur peccatum. — Non erat requisita : Non soli enim filii parentum justorum, sed etiam ceterorum potuerunt justificari. — Hanc actionem a parentibus profecturam fuisse, aut ab iis qui parentum locum tenebant, colligitur ex eo quod quandiu filius se ipsum regere non potest, regendus est a parente.

b) Haec autem acto fuit *professio fidei* in Deum et in futurum Redemptorem, atque *actus cultus religiosi*, quo parvulus dicaretur Deo et cultui ejus manciparetur ex fide et intentione parentis vel ejus per quem remedium applicabatur.

At abeunt auctores in duas sententias circa quaestionem utrum sufficeret *professio interior*, an exigeretur *professio exterior*.

A. Juxta s. Bonav. ([1]), Rich. ([2]), Vasq. ([3]), requirebatur et sufficiebat *actus internus fidei*, sive potius actus moralis ex fide profectus, quo parens filium suum Deo offerret, vel salutem spiritualem ipsius deprecaretur vel aliquid simile.

B. Juxta Hugonem Victorinum ([4]), Alex. Alens., Scot., Palud., Gabr., Maj. etc. remedium parvulorum in lege naturae non fuit positum in solo actu interiori, sed debuit applicari per *actum externum*, qui erat *externa professio actus interni*. Hanc sententiam profiteri videtur s. Th. ([5]). — Hugo Victorinus a ceteris dissentit eo quod censet remedium naturae non fuisse necessitatis, sed *devotionis*.

Qui huic sententiae adhaerent, trifariam dividuntur circa quaestiones a) utrum *determinata* professio seu certa caerimonia instituta fuerit in remedium peccati originalis, an modus fidem exterius profitendi determinatus fuerit parentum arbitrio; — b) utrum haec caerimonia habuerit *rationem sacramenti*.

1 Juxta Scotum ([6]) a Deo institutum est *determinatum signum sensibile sub determinata caerimonia sensibili*, ea lege ut, his signis positis, Deus remitteret peccatum originale. Illud autem signum erat sacramentum proprie dictum.

2. Juxta Durandum ([7]) remedium parvulorum *non erat caerimonia a Deo determinata*, neque erat instituta ad significandam gratiam, sed erat quaedam actio meritoria de congruo, ratione cujus Deus dabat gratiam. Quare illa actio non erat sacramentum, haud secus ac ceterae actiones gratiam de congruo merentes.

3. Juxta s. Th. ([8]), Alex. Alens. ([9]), Palud. ([10]), Cano ([11]), in lege naturae *aliquod sacramentum fuit a Deo institutum*, attamen ex institutione divina *non fuerunt in specie determinata* neque caerimonia, neque modus exterius profitendi fidem; sed haec, in genere a Deo determinata, hominum arbitrio definienda erant quoad speciem. Professio fidei ab aliis fiebat precatione, ab aliis benedictione, ab aliis oblatione etc. Porro exterior haec parentum fidei professio ex Dei institutione significabat gratiam, consecrabatque prolem Deo; quare erat *sacramentum* proprie dictum. At ex se non operabatur gratiam neque physice neque moraliter; sed erat *conditio* sine qua non remissionis peccati originalis.

([1]) In d. 1, a. 2, q. 1 et 2. — ([2]) Art. 5, q. 1 et 2. — ([3]) In III, d. CXXX, c. IV, a. 3, n. 36 et d. CLXV. — ([4]) *De sacr.* l. I, p. XI, c. 1; ib. c. IV, V, VI. — ([5]) III, q. LXI, a. 3; III, q. LXX, a. 4, ad 2[m]. — ([6]) In 4 d. 1, q. VI et VII. — ([7]) In 4 d. 1, q. VIII. — ([8]) III, q. LX, a. 5, ad 3[m]; ib. q. LXI, a. 3, ad 2[m]; ib. LXX, a. 4, ad 2[m]. — ([9]) IV p., q. 1, memb. 3; ib. q. V, memb. 1. — ([10]) In 4 d. 1, q. V, a. 5. — ([11]) *De sacr. in gen.* p. III.

Si autem quaeritur qua ratione Deus huic fidei professioni annexuerit vim significandi gratiam, qua ratione promiserit se infallibiliter collaturum esse gratiam infantulis, quotiescumque rite poneretur signum sacramentale, reponitur hoc non contigisse revelatione aliqua quae vulgo *scripta* dicitur, verum revelatione primaeva, seu *inspiratione Adamo facta*. Praeceptum divinum ab Adamo filiis suis fuit promulgatum. — Juxta nonnullos ut aliquid dicatur a Deo institutum, sufficit ut fuerint quidam viri pietate et animo conspicui, qui, Deo movente, induxerint certum aliquem modum colendi Deum, qui interno cultui convenit et congruit ad Redemptoris mysteria significanda.

THESIS I[a]. — Sub lege naturae, infantibus, usum rationis nondum adeptis, non defuit remedium quo a reatu peccati originalis liberarentur. Illud vero remedium fuit sacramentum a Deo institutum, quod probabilius continebatur tum externa fidei parentum professione in Deum et in futurum Redemptorem, tum actu cultus religiosi quo parvulus Deo mancipabatur. Porro modus, quo haec peragerentur, non fuit ab ipsomet Deo in specie determinatus, sed hominum arbitrio definitus.

12. — **Prima pars.** NON DEFUIT REMEDIUM QUO P. O. INFANTULIS REMITERETUR.

Probatur. Arg. I[m]. Petitur *ex ratione theologica*. Deus vult, voluntate antecedente quidem, sed seria et operosa, ut omnes homines, etiam infantuli usum rationis non adepti, consequantur salutem aeternam quae reponitur in visione intuitiva Dei. Atqui in tantum Deus gerit hujus modi voluntatem, in quantum in lege naturae infantulis, usum rationis non adeptis, haud defuerit remedium quo a reatu peccati originalis liberarentur. Ergo.

Ad minorem. Cum nullus salutis supernaturalis fiat particeps, nisi a reatu peccati originalis fuerit liberatus, ideo Christus, volens salutem omnium, etiam parvulorum ante aetatem adultam morientium, instituit ut in lege christiana reatus originis deleretur sacramento baptismi. Si nullum remedium fuisset institutum ad succurrendum parvulis, nullus diceret Deum velle serio et actuose horum parvulorum salutem, siquidem ex una parte excluderet e regno coelorum quoscumque infectos peccato originali, ex altera parte nullo medio hoc peccatum e parvulis deleri posset. Ergo a pari si non institutum fuisset remedium naturae pro infantulis gentilium ante adventum Christi, dicendum foret Deum nullam gessisse voluntatem seriam salvandi eosdem parvulos.

Arg. II^m. Petitur *ex ss. Patribus.* Asserunt exstitisse remedium naturae : Augustinus (1), auctor libri *de vocatione gentium* (2), auctor libri *de operibus cardinalibus Christi* quod diu s. Cypriano est adscriptum, estque Arnaldi Bonaevallis abbatis in dioecesi carnutensi (3).

Arg. III^m. Petitur *ex Romanis Pontificibus.* Innocentius III, cap. *Majores,* de Baptismo et ejus effectu, postquam asseruit originale peccatum in veteri lege per circumcisionem, in nova autem per baptismum deletum esse, hanc generalem adducit causam et rationem : « Absit ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, *aliquod remedium* procuraverit ad salutem ? » (Denz. n. 341).

Arg. IV^m. Petitur *ex auctoritate theologorum.* « Omnino affirmandum est, ait Suarez, in ea lege fuisse aliquod remedium ad infantium salutem a Deo institutum. Ita docent omnes theologi absque ulla controversia aut opinionum varietate, quod est signum dogma hoc certum ac indubitatum apud illos fuisse » (4). « Quae Patrum opinio, ait Vasquez, usque adeo in schola jam diu inveteravit et invaluit, ut nullus asserere audeat parvulos eo tempore omni remedio suae salutis caruisse » (5).

Conf. 1. In lege mosaica masculi quidem circumcisione immunes fiebant a peccato originali octavo die post nativitatem ; pro feminis autem non legitur institutum esse remedium. At si masculi a P. O. liberati sunt in statu legis scriptae, certe erat feminis aliquod remedium; sed quodnam fuit illud remedium, nisi remedium generale quod post lapsum protoparentum institutum est pro gentibus ?

2. Confirmatur auctoritate Angelici, quod constat locis postea afferendis.

---

(1) S. Augustin. « Nec credendum est et ante circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis ; quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura sacra latere voluerit. Nam et sacrificia eorum legimus, quibus utique sanguis ille figurabatur qui solus tollit peccata mundi. Apertius etiam legis jam tempore nascentibus offerebantur sacrificia pro peccatis ». *Adv. Julian.* l. V, c. XI, n. 45. M. P. L. t. XLIV, col. 809. — Alibi : « Eadem fides Mediatoris salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis. » *De nupt. et concup.* l. II, c. XI, n. 24. M. XLIV, 450.

(2) Auct. l. De voc. gent. « Non irreligiose credi, ait, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiae partem, quae semper universis est impensa nationibus ; qua utique, si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eos juvarentur » Cap. XXIII. M. P. L. t. LI, col. 702.

(3) « Sane originale peccatum quod a primis parentibus in totam generis humani successionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari ; licet vim plenam significandi non habuerint, donec ad rem ipsam ventum est, quae figurarum operiebatur velamine. Et licet sacramentorum arcana omnibus non paterent, virtus tamen et effectus eorum ignorari non poterat. » Cfr. Migne, P. L. t. IV, col. 174.

(4) Suar. d. IV, sect. 1, n. 5. — (5) Vasq. d. CLXV, cap. 1, n. 7.

13. — **Secunda pars.** REQUIREBATUR PROFESSIO EXTERIOR FIDEI IN DEUM ET IN MESSIAM.

A. *Requirebatur fides et parvuli oblatio Deo facta.*

1. Requisita fuit fides in administrante remedium.

Arg. I^m. Petitur *ex ss. Patribus.* Requisitam fuisse fidem testantur Gregorius Magnus (1), ven. Beda (2), Bernardus (3). Idem asserunt inter scriptores ecclesiasticos Tertullianus (4), inter doctores scholasticos s. Thomas (5).

Arg. II^m. Fides est fundamentum et radix justificationis. Atqui talis non foret respectu justificationis parvulorum, nisi requisita fuerit fides in administrante parvulis remedium naturae. — Et re quidem vera in lege christiana sacramentum est moraliter actio Christi, auctoris fidei; inde intelligitur validum esse sacramentum et fidem esse fundamentum justificationis, etiamsi minister sacramenti fide caret, dummodo intendat facere quod facit Ecclesia. Verum in lege naturae deerat sacramento ista dignitas; quare si fides posset deesse administranti remedium, et si nihilominus conferretur gratia, dicendum esset fidem non esse radicem justificationis parvuli.

2. Probatur requisitam fuisse oblationem parvuli Deo.

Remedium naturae erat actio moralis adeoque voluntaria parentum, quae informabatur fide, et per modum conditionis coaptabat parvulum populo Dei, eum faciebat filium adoptivum Dei. Ergo ista actio erat formalis aut virtualis oblatio parvuli. Ergo.

B. *Requirebatur, saltem implicite, fides in Redemptorem.*

Prob. Arg. I^m. Petitur *ex Script.* « Nec aliud nomen est sub coelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri. » Act. IV, 12. — « Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes, qui credunt in eum; non enim est distinctio. Omnes (Judaei et Gentiles) enim peccaverunt et egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam

(1) GREG. M. « Quod vero apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abrahae stirpe prodierant, mysterium circumcisionis. » *Mor.* l. IV, c. III. M.P.L. t. LXXV, col. 635.

(2) VEN. BEDA : « Qui vel ante tempora circumcisionis, vel etiam post datam circumcisionem de exteris gentibus exstitere fideles, ut exemplar patientiae Job et amici liberique illius, sive victimis hostiarum se suosque ab originali peccato, seu certe sola fide salvabant, quia justus ex fide vivit, et sine fide impossibile est placere Deo. » Edit. Basil. t. V, p. 211, n. 37. M. P. L. t. XCII, 337. *In Luc.* l. I, c. III.

(3) BERN. « In naticnibus vero quotquot inventi sunt fideles, adultos quidem fide et sacrificiis credimus expiatos, parvulis autem solam profuisse immo et suffecisse parentum fidem. » *Ep.* LXXVII ad Hug. seu *tract. de bapt.* M. t. CLXXXII, col. 1034.

(4) *De bapt.* c. XIII. M. P. L. t. I, col. 1215. — (5) S. THOMAS. In 4 d. 1, q. 1, a. 2, solut. III, ad 2^m; ib. q. II, a. 6, solut. 1; III, q. LXX, a. 4, ad 2^m.

ipsius, per redemptionem quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiae ejus in hoc tempore ; ut sit ipse justus, et *justificans eum qui est ex fide Jesu Christi.* » Rom. III, 22 sq. — Porro ex his dupliciter arguitur.

a) Nemo salvus fit nisi in nomine Christi, h. e. juxta alios *nisi profiteatur nomen* Christi, seu in eum credat; juxta alios *nisi in virtute* Christi. *Si primum* admittitur, explicite praecipitur fides in Christum, ut quis salutem adipiscatur. *Si alterum* admittitur, implicite praecipitur idem : Si enim salus obtinetur per sola merita Christi, postulare videtur Deus ut haec virtus Christi agnoscatur per fidem saltem implicitam in eumdem Christum.

b) Nemo, sive Judaeus sive Gentilis, justitiam et salutem consequitur nisi per gratiam Christi, per redemptionem ejus, *per fidem in sanguine ejus,* ex fide Jesu Christi. Ergo sicut adulti justitiam non recipiunt, nisi credant in J. C., ita parvulis non infunditur, nisi eorum loco parentes fidem in Redemptorem habeant.

Arg. II^m^. Petitur *ex Patribus et Doctoribus.* Fidem in Messiam fuisse requisitam testantur s. Augustinus (1) et s. Thomas (2).

C. *Requirebatur exterior fidei professio.*

Prob. Arg. I^m^. *Auctoritate PP. et DD.* 1. S. Augustinus interdum hanc quaestionem attingit, neque solvit (3). Attamen adversus Julia-

(1) S. AUGUSTINUS : « Illa sit fides salva, qua credimus nullum hominem sive majoris, sive parvulae quamlibet et recentis aetatis, liberari a contagione mortis antiquae et obligatione peccati, quod prima nativitate contraxit, nisi per unum Mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum. » M. P. L. t. XXXIII, col. 858. *Epist.* CXC, al. CLVII, *ad Optat.*, c. II, n. 5.

« Superioribus temporibus omni modo latuit Sacramentum justificationis ex fide. Eadem tamen fides Mediatoris salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis... Quia sicut credimus nos Christum in carne venisse, sic illi venturum; sicut nos mortuum, sic illi moriturum. » M. P. L. t. XLIV, col. 450. *De nupt. et concup.* l. II, c. XI.

(2) S. THOMAS : « Sicut ante institutionem circumcisionis, sola fides Christi futuri justificabat tam pueros, quam adultos ; ita etiam et circumcisione data. Sed antea non requirebatur aliquod signum protestativum hujus fidei (intellige: in specie determinatum a Deo), quia nondum homines fideles seorsim ab infidelibus coeperant adunari ad cultum unius Dei. » III, q. LXX, a. 4, ad 2^m^.

« Peccatum originale est peccatum naturae : natura autem reparari non poterat nisi per Christum ; et ideo numquam poterat remitti peccatum originale alicujus, nisi facta relatione, et quadam continuatione illius qui curari debebat ad Christum, quod per fidem fiebat ; et ideo fides Mediatoris semper fuit efficax ad curandum ab originali : in illis quidem qui usum liberi arbitrii habebant, propria ; in aliis vero aliena, ut nec eis omnino deesset divinum remedium. » In 4 d. 1, q. II, a. 6, sol. 1. Cfr. III, q. LXX, a. 4, ad 2^m^.

(3) Sic *de Civ.* l. XV, c. XVI, n. 3. M. P. L. t. XLI, col. 459; *De gr. Chr.* l. II, c. XXX. M. P. L. t. XLIV, col. 402.

num dicit parentes sacramento opitulatos esse parvulis (1). Unde sic : Augustinus asserit ex una parte fidem parentum necessariam fuisse parvulorum justificationi ; ex alia parte asserit parentes infantibus opitulatos esse *sacramento* h. e. *signo sacro sensibili*. Ergo Augustini judicio non sufficiebat fides interna, sed requirebatur exterior fidei professio.

2. Juxta auctorem libri de cardinalibus Christi operibus peccatum originale omni tempore aliquibus remediis expiandum fuit ; ante Christum haec remedia non habuerunt significandi vim plenam, sed praefigurabant Christi mortem et sententiam divinam ab initio prolatam ; quare haec remedia *externis actionibus* fiebant.

3. Divus Thomas quaerit « utrum post peccatum ante Christum sacramenta debuerint esse ». Nulla distinctione facta inter varia tempora, respondet ad salutem necessaria esse sacramenta, seu signa gratiae ; ante adventum Christi necessaria fuisse *signa visibilia quibus homo protestaretur fidem suam de adventu salvatoris* (2).

Arg. II^m. *Ratione theologica.* 1. Infantuli Deo consecrabantur eo cultus religiosi actu qui magis est accommodatus naturae hominis et Deo debitus. Sed talis actus est exterior professio fidei. Ergo.

2. Adulti tenentur exterius profiteri fidem internam. Sed parentes locum tenebant prolis, et faciebant id ad quod infantuli astricti fuissent, si adulta fuissent aetate. Ergo.

3. Hoc remedio infantuli fiebant membra Ecclesiae ; Ecclesia autem est corpus visibile. Sed corpori visibili membrum inseritur sensibiliter. — Ulterius debebat Ecclesiae innotescere posse membrum novum sibi advenisse ; sed hoc requirebat ut consecratio foret sensibilis. Ergo.

Quibus rationibus quartam addit Card. de Lugo, ex inconvenienti : « Me maxime movet, ait, quod si sufficeret fides interna, non video cur non posset illud remedium applicari parvulis absentibus, cum actio interna non indigeat propinquitate sui objecti, ut feratur in illud ; unde posset unus homo quotidie applicare suam fidem omnibus parvulis totius orbis et eos omnes justificare, quia, ut postea videbimus, non soli parentes hoc remedium poterant valide adhibere, saltem in casu necessitatis ; quare potuisset quilibet applicare suam fidem pro omnibus parvulis exsistentibus in casu necessitatis, et illos omnes liberare ab

(1) L. V, c. XI, n. 45. Cfr. 1^ae partis 2^m arg.

(2) III, q. LXI, a. 3. Cfr. III, q. LXX, a. 4, ad 2^m ; in 4 d. 1, q. 1, a. 2, solut. III, ad 2^m ; cfr. etiam loca inter solutionem difficultatum afferenda.

originali, ita ut nullus unquam periret ex defectu remedii : immo nec video cur non posset prodesse exsistentibus in utero, nam sicut distantia vel interpositio parietis non impediret efficaciam illius remedii mere intentionalis, sic nec interpositio uteri materni. Haec autem omnia videntur manifeste absurda, nec ab auctoribus contrariae sententiae conceduntur » ([1]).

14. — Tertia pars. MODUS ET CAERIMONIA PROBABILIUS NON DETERMINATA SUNT IN SPECIE AB IPSO DEO.

Prob. Arg. I^m. *Ratione theologica.* a) Neque in Scripturis, neque in Patribus, neque alibi legitur Deum in specie determinasse caerimoniam aut professionem fidei. - b) Aliunde non erat requisita hujuscemodi determinatio ut certa fieret justificatio : si enim Deus promittit se remissurum esse P. O. per fidem parentum, quocumque actu externo parentum demonstratam, justificatio fit certa, secura, facilis, nedum incerta sit. Aeque enim infallibilis est Dei promissio ; non aegre autem ponitur conditio. — Demum c) valde congruum erat statui legis naturae ut remedium non specificaretur ab ipsomet Deo. Etenim imperfecta valde erat connexio fidelium in uno corpore ; imperfectus valde fuit cultus Dei ; obscura valde fuit fides in Christo. Ergo non fuit perfecte determinatus a Deo ritus quo P. O. remittebatur parvulis, siquidem eo imperfectiora sunt media et signa gratiae, quo imperfectior est status gratiae.

Conf. 1. Difficillimum erat hoc tempore servari apud omnes gentes traditionem certi alicujus signi : Gentes enim inter se vix aliquo commercio devinciebantur, neque scriptis consignabant statuta et leges. Ergo magis expediebat ut determinatio specifica remedii naturae permitteretur parentum arbitrio.

2. Auctoritate s. Thomae. Aperte asserit Aquinas non determinata fuisse signa a Deo ([2]).

15. — Quarta pars. REMEDIUM NATURAE ERAT SACRAMENTUM.

Prob. Arg. I^m. *Ratione theologica.* Illud est sacramentum proprie dictum quod a) est sensibile ; b) significat gratiam sanctificantem Deo

---

([1]. LUG. *De Sacram.* d. III, s. 2, n. 30. — ([2]) S. THOMAS ; « Comparantur ad sacramenta quae fuerunt ante legem, sicut determinatum ad indeterminatum, quia scilicet *ante legem non fuit determinate praefixum* homini quibus sacramentis uteretur, sicut fuit per legem. » III, q. LXI, a. 3, ad 2^m. — « Immediate post peccatum primi parentis, propter doctrinam ipsius Adae, qui plene instructus fuerat de divinis, adhuc fides et ratio naturalis in tantum vigebat in homine. quod non *oportebat determinari hominibus aliqua signa fidei et salutis ; sed unusquisque pro suo libito fidem suam aliquibus signis protestabatur.* » III, q. LXX, a. 2, ad 1^m. Cfr. in 4 d. 1, q. 1, a. 2, solut. III, ad 2^m.

conferendam ; c) consecrat Deo ; d) est institutum a Deo. Atqui tres priores partes ex dictis constant ; quarta probatur : Deus volebat infantulos salvos adeoque justos fieri. Atqui solius Dei est per se vel per alios condere media, quibus positis, infallibiliter confertur gratia. Ergo ex rei natura eruitur Deum, cum restauravit ordinem supernaturalem post lapsum Adae, instituisse aliquod remedium pro parvulis. Porro ex probatis constat peccatum originale non fuisse remissum parvulis, nisi parentes fidem profiterentur, et infantulum Deo offerrent ; praeter hoc nihil aliud noscitur quod adhibendum fuerit. Ergo Deus remedium naturae, ea ratione quae exposita fuit, instituit ut significaret gratiam elargiendam, et ut consecraret prolem Deo.

Arg. II^{m}. *Auctoritate,* ex variis locis supra allatis ubi remedium dicitur fuisse sacramentum, hac voce adhibita secundum sensum strictiorem.

Scholion. Quaeres quisnam fuerit nexus inter fidem parentum et gratiam infantulo infusam a Deo ?

Resp. a) Nullus fuit nexus causalitatis. Causalitas enim gratiae est proprietas sacramentorum novae legis. Hinc remedium naturae neque physice producebat gratiam, neque ob intrinsecam dignitatem movebat Deum infallibiliter ut gratiam infunderet. — b) Neque proprie ex opere operato conferebat gratiam, eo nempe modo quo Sacramenta N. L. gratiam conferunt. — c) Neque etiam ex opere operantis. — d) Hinc remedium naturae erat *conditio sine qua non.* — Deus autem movebatur *per merita Christi,* quae remedio isto significabantur.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

16. — Contra I^{m} part. Obj. 1°. In tota antiquitate, tum in Scriptura sive veteri sive nova, tum apud Patres, nulla fit mentio, ante Augustinum, de remedio naturae. Ipse Augustinus dubitative loquitur de eo. Atqui, hoc habito, nefas est propugnare exsistentiam istius remedii. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Nulla fit mentio *explicita, Conc.* ; *implicita,* in eo quod explicite propugnatur universalitas voluntatis divinae, *Neg. Cdt. min.* — Ad Augustinum : *Dist.* Dubitat utrum *aliquod* remedium fuerit institutum, *Neg. ; quodnam* remedium, *Conc.* (Cfr. 2^{m} arg. 1^{ae} partis).

Inst. Atqui universalitas voluntatis salvificae non includit exsistentiam alicujus remedii, quo infantuli a P. O. liberarentur.

Obj. 2°. Instantia modo facta probatur dupliciter :

a) Ut salvetur voluntas Dei salvifica, sufficit ut defectus salutis unice repetendus sit ab hominum culpa. Atqui etiamsi nullum remedium naturae fuisset institutum pro parvulis, adhuc maneret quod defectus salutis parvulorum unice sit repetendus ab hominum culpa. Hoc enim posito, dicendum foret ideo infantulos deficere a salute, quia non pervenerunt ad adultam aetatem. Atqui hujus rei ratio repetenda est, saltem plerumque, ex parentibus aut majoribus, scilicet ex defectibus naturalibus generatione contractis et ex vitiis originem trahentibus, aut ex neglectu diligentiae et curae parentibus in filios exercendae.

b) Deus vult salutem parvulorum in uteris matrum morientium. Atqui nullum est pro eisdem institutum remedium naturae. Ergo a pari dici potest Deus velle salutem parvulorum ex matrum uteris egressorum, etiamsi nullum remedium pro eisdem fuit institutum.

Resp. Consequenter ad peccatum originale ejusdemque sequelas — puta concupiscentiam, vitia, defectus corporales etc. — voluit Deus conditionate ut omnes homines salvi fiant ; neque tantummodo vult ut adulti conditionate salvi fiant, sed etiam vult salutem parvulorum uti sunt distincti ab adultis, neque tantum eorum parvulorum vult salutem qui sunt nati, sed etiam eorum qui moriuntur in uteris matrum. — Porro conditio cujus adimpletioni annectitur salus *adultorum* est observatio legis divinae, fides etc. Ad infantulos quod attinet, nequit dici Deum velle eorum salutem sub ea conditione quod ad adultam aetatem perveniant legemque divinam observent ; hoc enim perinde foret ac voluntatem salvificam Dei restringi ad solos adultos. — Quamobrem exigitur ut Deus instituerit remedium aliquod quo deleatur peccatum originale parvulorum. Tunc conditio, cujus adimpletioni annectitur salus parvulorum, est ut parentes curent hoc remedium applicari filiis suis.

Si sermo sit de parvulis in uteris matrum decedentium, probabilius esse ducimus horum salutem lege aliqua mysteriosa fuisse alligatam, veluti conditioni, bonis actionibus parentum, majorum, aliorumque fortassis hominum, ita nempe ut, si ponantur hae actiones bonae, parvuli sint nascituri et recepturi remedium naturae, si vero omittantur, e vivis sint eripiendi in uteris matrum. Proxime enim pendet quidem filiorum nativitas a legibus physicis ; verum ipsae leges physicae a Deo fuerunt attemperatae actionibus moralibus, adeoque absolute non sunt decretae a Deo nisi consequenter ad actiones morales hominum conditionate praescitas.

Quamobrem ad primam probationem respondetur *negando suppositum.* Supponitur enim hoc modo arguendi voluntatem Dei salvificam non ferri supra infantulos veluti supra terminum distinctum ab adultis ; supponitur etiam Dei voluntatem non consequi ad praevisas sequelas peccati originalis : his enim sequelis attribuitur in objectione quod parvuli non perveniunt ad aetatem adultam.

Ad alteram probationem respondetur *concedendo majorem* et *distinguendo* minorem : Pro parvulis in uteris matrum morientibus nullum est institutum remedium *absolute loquendo* applicabile, *Conc.;* remedium *conditionate* applicabile eisdem, *Neg.* Est nempe institutum a Deo remedium quod applicabile est his infantulis, dummodo in lucem edantur ; ab hominibus ultimo pendet quod verificetur conditio.

Inst. 1°. Deus vult salutem parvulorum licet plerumque non cognoscatur exsistentia hujus remedii. Atqui remedium non cognosci perinde est ac idipsum non dari. Ergo potest dici Deus serio velle salutem parvulorum, etiamsi nullum remedium instituit.

Resp. *Dist. maj.* Deus vult salutem parvulorum licet remedium *apud nullas gentes* cognoscatur, *Neg.;* apud multas gentes, *Subd.* licet non cognoscatur *ob culpam Dei, Neg.;* ob culpam hominum, *Conc.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui apud omnes gentes ignorabatur citra culpam hominum. Ut enim cognosceretur, exigebatur notititia Redemptoris venturi. Atqui citra hominum culpam ignorabatur adventus Messiae. Ergo.

Resp. *Negatur minor subsumpta.* Ad ejus probationem *distinguitur major :* Ut cognosceretur remedium naturae, exigebatur notitia Redemptoris sive *explicita sive implicita, Conc.;* exigebatur notitia *explicita, Neg.* — *Cdt. min.* — Ut parentes applicarent remedium naturae exigebatur fides in duos hos articulos : Deum esse, eumque esse remuneratorem ; fides in hos articulos implicitam habebat fidem in Messiam. — Ut fides daretur in hos articulos, qui credendi sunt necessitate medii, sufficiebat notitia revelationis primitivae ; haec autem notitia apud multas gentes deprehendebatur, ubi autem perierat, id tribuendum erat soli malitiae hominum.

Inst. 2°. Sub lege christiana nullum exsistit remedium salutis pro parvulis negative infidelium ; salva tamen est voluntas Dei salvifica ad hos infantulos extensa. Nullum iis esse medium ad salutem, est manifestum quod unicum medium in praesenti oeconomia est baptismus. Atqui baptismo nullum continetur medium salutis pro parvulis negative infidelium, siquidem a negative infidelibus invincibiliter ignoratur institutio baptismi. Ergo.

Resp. Negative infideles possunt se disponere negative ad fidem christianam et sic devenire in notitiam baptismi ad salutem parvulorum requisiti. Quod itaque ignorant institutionem baptismi, id tribuendum est malae eorumdem voluntati legem divinam secundum vires suas cum auxilio gratiae mere medicinalis observare renuentium. Quamobrem *negatur antecedens* et ad ejus probationem, *concessa majore* et *negata minore, distinguitur ratio addita :* invincibiliter ignoratur institutio baptismi a parentibus negative infidelibus *ob eorumdem culpam, Conc.;* ignoratur ob culpam Dei, *Neg.*

17. — Contra II^m part. Obj. 3°. Remedium naturae *sola fide interna* continetur. Etenim fides interna parentum, etiam informis, meretur de congruo filii justificationem. Atqui nihil requirendum est ultra id quod infusionem gratiae meretur de congruo. Ergo.

Resp. a) Fides informis meretur de congruo graitam actualem, et juxta nonnullos gratiam sanctificantem *propriam;* at non meretur de congruo *alii* justitiam. — b) Etiam dato fidem mereri aliquatenus gratiam aliis, certe ex se eam non meretur in actu secundo, sed tantum *in actu primo.* Ut enim habeatur meritum in actu secundo, requiritur acceptatio illius in cujus obsequium ordinatur actio. Non probant autem adversarii Deum revelasse se acceptaturum esse fidem mere internam, adeo ut in praemium illius justitiam infusurus sit infantulis. Argumenta autem thesi proposita eo vergunt, ut demonstretur Deum annexuisse justificationem prolis professioni fidei. — Hinc respondetur : a) *Neg. maj. Transm. min.* b) *Dist. maj.* Fides parentum *in actu primo* meretur de congruo parvulorum justificationem, *Transm.; in actu secundo, Neg. Cdt. min.*

Obj. 4°. Secundum s. Thomam probabilius parvulis sufficiebat sola fides sine ullo exteriori signo ([1]). — Eodem modo loquuntur Tertullianus, Greg. M., Bern., ven. Beda ([2]).

Resp. Aquinas nullibi dicit fidem *mere internam* sufficere ad justificationem ; contra aperte oppositum asserit. Nam a) nulla restrictione facta, dicit ante adventum Christi necessaria fuisse *signa visibilia* quibus

---

([1]) In 4 d. 1, q. II, a. 6, solut. II, III ; III, q. LXX, a. 4, ad 2^m.

([2]) GREG. M. *Mor.* l. IV, c. II et III. Cfr. 1^m arg. 2um partis. — BERN. *Epist.* LXXVII. — BEDA, *In Luc.* l. II, c. VIII. — TERTULL. « Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem et resurrectionem : at ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem et resurrectionem ejus, addita est ampliatio sacramento, obsignatio Baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quae retro erat nuda. » *De bapt.* c. XIII. M. P. L. t. I, col. 1213.

homo protestaretur fidem de adventu Salvatoris (1). b) Alibi haec habet: « Remedium, quod praecessit circumcisionem, computatur simpliciter inter *sacramenta* legis naturae, quae non habebant tantam determinationem secundum Hugonem de s. Victore, quantam habent sacramenta legis scriptae, ad quam quodammodo pertinet circumcisio. » (2). c) Denique affirmat « Quod ante legem scriptam erant quaedam sacramenta necessitatis, sicut illud *fidei sacramentum,* quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati ; et similiter paenitentia, quae ordinabatur ad deletionem actualis ; et similiter matrimonium, quod ordinabatur ad multiplicationem generis humani ; sed sacrificia et oblationes, et hujusmodi erant necessitatis in communi, ut scilicet aliquid facerent in protestationem fidei suae, qua Deo per latriae religionem subjecti erant ; sed in speciali erant voluntatis, utrum scilicet deberent sacrificia exhibere, vel oblationes vel aliquid hujusmodi. » (3).

Quocirca, cum s. Th. asserit in lege naturae sufficere fidem, sensus non est sufficere fidem *mere internam,* haec enim sensibilis non est, et proinde non est sacramentum ; sed sensus est Deum statuisse fidem, *quocumque modo sensibiliter expressam,* esse sacramentum peccati originalis deletivum, nullum modum determinatum fidem profitendi a Deo fuisse praeceptum, seu sacramentum non esse a Deo *determinatum quoad speciem.* Quoad hoc autem habetur oppositio inter sacramenta legis naturæ et sacramenta legis scriptae et legis gratiae.

Ad rationem ex ss. Patribus desumptam : Cum Patres loquuntur de nuda fide, loquuntur de ea fide quam postulat humana natura, adeoque de fide quae signo sensibili manifestatur. Eam opponunt fidei legis scriptae, et sacramentis determinatis a Deo quoad speciem. Ergo eorum judicio sola fides, *quocumque modo significata,* valuit id quod nunc valet baptismus.

Obj. 5°. Si ad remissionem P. O. necessaria est exterior professio fidei, haec professio a Deo praescribi debuit praecepto positivo. Ratio est quia neque imponitur lege naturali, neque eruitur ex sola evectione gentis humanae ad finem supernaturalem. Atqui deest praeceptum Dei positivum exteriorem fidei professionem praecipiens parentibus veluti remedium deletivum P. O. in parvulis. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Professio exterior fidei debet fuisse imposita a Deo sive explicite sive *implicite,* praecepto positivo sive proprie dicto sive

(1) III, q. LXI, a. 3. — (2) In 4 d. 1, q. II, a. 3, solut 1, ad 1m. — (3) In 4 d. 1, q. 1, a. 2, solut. III, ad 2m.

minus proprio, sc. inspiratione naturae, *Conc.;* debet fuisse imposita a Deo *explicite* et praecepto positivo *proprie dicto, Neg. — Cdt. min.* — Responsio est manifesta ex iis quae exposita sunt in statu quaestionis.

18. — Obj. 6°. Contra III^m part. Eo quod remedium naturae quoad solum genus fuisset a Deo determinatum, consequens esset acquisitionem justitiae fuisse faciliorem in lege naturae quam in lege gratiae : Quo minus enim res est determinata, quo generalior, eo facilior est adeptu. Atqui hoc nequit admitti. Ex eo enim consequeretur potiorem fuisse conditionem parvulorum ante Christi adventum quam post ejusdem adventum. Ergo.

Resp. a) Ablutio aquae et invocatio SS. Trin., in lege gratiae requisitae ad remissionem peccati originalis, sunt res adeo obvia, ut dici possint facilius adhiberi quam remedium naturæ. b) Notior est apud homines ritus novae legis, quam antiquitus notum erat remedium naturae. Re quidem vera certius et facilius applicatur ritus ab ipsomet Deo specifice determinatus, quam remedium generice tantummodo determinatum. Tempore enim legis naturae remedium propter ipsam suam indeterminationem facilius oblivioni tradebatur, aut modo incongruo applicabatur. — Hinc respondetur distinguendo : Hoc foret consequens si sacramentum legis gratiae, quoad speciem determinatum, non consisteret *in re valde obvia, facili et nota, Conc.;* secus, *Neg.; Conc. min.; Dist. cons.* — Resp. ad prob. maj. *distinguendo;* Generatim quo generalior est res, eo facilior inventu, *Conc.;* semper, *Neg.*

§ 3. NUM ALIA SACRAMENTA TEMPORE LEGIS NATURAE EXSTITERINT.

D. Th. in 4 d. 1, q. 1, a. 2, solut. III. — Suar. *De Sacram.* d. IV, s. 4.

Affirmat Gonetus ([1]) alia adhuc condita esse sacramenta ; negant Suarez, Vasquez, de Lugo ([2]).

19. — ASSERTUM. Praeter remedium naturae, alia non fuerunt instituta sacramenta sub lege naturae.

Sensus asserti est nullum ritum sacrum, praeter remedium naturae, fuisse a Deo institutum ad significandam et conferendam sanctitatem, eamque sive interiorem sive exteriorem.

([1]) Gonetus, d. II, a. II, s. 2, n. 59. — ([2]) De lugo, d. II, s. 2, n. 6.

Prob. Non modo nullibi in ullo documento revelationis traditur institutio hujuscemodi rituum sacrorum, sed praeterea a) nullus ritus sacer collativus sanctitatis, praeter remedium naturae, erat necessarius, immo b) nullus congruebat statui naturae. Ergo.

Prob. 1m. Nullus alius ritus sacer *debuit institui* a Deo a) ad conferendam *sanctitatem interiorem* peccato actuali amissam. Ratio est quia sub lege christiana redditur sanctitas peccato amissa non modo per sacramentum paenitentiae susceptum cum attritione, sed adhuc extra sacramentum per contritionem perfectam cum solo voto sacramenti, sub lege mosaica reddebatur gratia sanctificans et remittebatur peccatum per solam contritionem perfectam. Ergo sub lege naturae potuerunt remitti peccata per contritionem perfectam. — Neque necessarius erat ritus sacer b) ad conferendam *sanctitatem exteriorem*. Etenim α) fideles exterius Deo consecrabantur per remedium naturae, siquidem eo inserebantur populo Dei. β) Sacerdotes vero, ut munere sacrificandi fungerentur, exterius non erant Deo consecrandi. Vel enim primogeniti jure hereditario sacerdotes erant, vel extrinseca deputatione ad hoc munus deputabantur.

Prob. 2m. Nullum alium ritum sacrum a Deo institutum ad conferendam sanctitatem *congruisse statui naturae* eruitur ex eo quod hic status erat imperfectissimus.

Dices 1° : In lege naturae fuit cultus Dei externus. Atqui ad cultum Dei perfectum requiruntur quatuor : sacrificia, sacra, observantiae et sacramenta.

Resp. *Dist. maj. Fuit cultus perfectus. Neg. ;* fuit cultus *imperfectus, Conc. — Conc. min.*

Dices 2° : In lege naturae fuerunt plura sacrificia. Cur ergo non fuissent plura sacramenta ?

Resp. De ratione sacrificii per se est tantum significatio moralis cultus divini interni. Cum homines teneantur Deum colere, possunt instituere sacrificia in hunc finem. Insuper postquam edocti fuerunt sacrificium crucis, potuerunt sacrificiis annectere significationem mysticam ; at sacrificium, loquendo per se, hac significatione caret. — De ratione sacramenti est ut ex divina institutione significet gratiam et ut necessario sit adhibendum, lege a Deo lata. Hinc respondetur *negando consequentiam*. Ex eo nempe quod homines, suadente aut imperante lege naturali, plura instituerunt sacrificia, nefas est concludere Deum instituisse plura sacramenta.

Observa. In lege naturae viguit constanter cultus Dei externus per

sacrificia ; obtulisse leguntur sacrificia sancti viri ab Adam ad Noe et ad Abraham. Inveniuntur non tantum apud Judaeos, sed et apud Gentes. In Gen. XLI, XLVII, fit mentio sacerdotum Aegypti et terrae sacerdotalis ; pariter Ex. II et III, Madian legitur fuisse sacerdos. — Inquirunt auctores de necessitate sacrificiorum in ordine ad salutem consequendam. — Juxta alios haec necessario erant adhibenda ad salutem ; juxta alios libere. Probabile est aliquem cultum lege naturali imponi, etiam per sacrificia, eorum tamen specificationem esse liberam. Jus naturae non tantum praecipere aliquem cultum externum, sed postulare insuper ut hic sacrificia comprehendat, suadetur constanti generis humani usu (1).

Scholion. Asserit Suarez ex singulari Dei beneficio et revelatione interdum fuisse in lege naturae, in aliqua familia vel gente, usum alicujus sacramenti proprie dicti, praeter illud quod commune erat omnibus in remedium originalis peccati. — Quod sic ostendit : a) Oblatio panis et vini facta a Melchisedech non tantum habuit rationem sacrificii, sed etiam sacramenti. E quo fluere autumat illud sacramentum speciali instinctu et revelatione fuisse datum regi Salem, ut ritu solemni et publico celebraretur. — b) Deus interdum ab aliquibus postulavit determinata sacrificia, uti legitur de Abraha (Gen. XXII), et de amicis Job. (Job. c. ult.). Eodem modo determinata sacramenta instituere potuit Deus. — c) Credi potest per singularem divinum instinctum Abraham obtulisse decimas sacerdoti Melchisedech (Gen. XIV et XXVII). Ergo a pari de sacramentis. — d) Hujuscemodi sacramenta, licet non fuerint necessaria, tamen potuerunt esse utilia, non tantum ad bonum privatum, sed et ad honorem Christi, ad praefiguranda certa mysteria quae in lege gratiae consummanda erant. — Nonnullis etiam videtur sacerdotium Melchisedech fuisse sacramentum. Rationem petunt ex eo quod juxta Paulum superabat, prae excellentia sua, sacramenta V. L. Haec tamen ratio aliis non videtur suadere rem (2).

---

(1) Cf. S. TH. II^{a} II^{ae}, q. LXXXV, a. 1 ; in 4 d. 1, q. 1, a. 2, solut. III.
(2) Cf. LUG. *De sacram.* d. III, s. 3, n. 68.

ARTICULUS IV.

De Sacramentis legis scriptae.

D. Th. Ia IIae, q. ci, a. 4, cii. a. 5; III, q. lxx. — Suar. d. v.

20. — Praecepta legis scriptae dividuntur in moralia, caerimonialia et judicialia. — *Moralia* agunt de his quae secundum se ad bonos mores pertinent. Alia Deus immediate populo proposuit, suntque praecepta decalogi, alia per Moysem (1). — *Caerimonialia* praecipiunt ea quae non ex solo jure naturae, sed ex institutione, pertinent ad cultum Dei; seu determinant praecepta moralia in ordine ad Deum. Dividuntur in sacrificia, sacramenta, sacra, et observantias. In cultu enim divino, ait Aquinas, « considerari possunt et ipse cultus, et colentes, et instrumenta colendi. Ipse autem cultus specialiter consistit in sacrificiis, quae in Dei reverentiam offeruntur. Instrumenta autem colendi pertinent ad sacra sicut est tabernaculum, et vasa, et alia hujusmodi. Ex parte autem colentium duo possunt considerari: scilicet eorum institutio ad cultum divinum, quod fit per quamdam consecrationem vel populi, vel ministrorum; et ad hoc pertinent sacramenta: et iterum eorum singularis conversatio, per quam distinguuntur ab his qui Deum non colunt; et ad hoc pertinent observantiae puta in cibis, et vestimentis, et aliis hujusmodi » (2). — *Judicialia* praecipiunt ea quae pertinent ad ordinationem hominum ad invicem et non ex sola ratione sed ex institutione vim obligandi habent (3).

Impraesentiarum inquiremus ex ordine: a) Num aliquod sacramentum sit institutum in lege mosaica. — b) Num circumcisio fuerit sacramentum, et quisnam fuerit ejus effectus; — c) Num praeter circumcisionem, alia sacramenta exstiterint tempore hujus legis.

§ 1. DE CIRCUMCISIONE.

D. Th. III, q. lxx. — Suar. d. v.

21. — De circumcisione haec leguntur Gen. xvii: « Postquam vero nonaginta et novem annorum esse coeperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: Ego sum Deus omnipotens, ambula coram me et esto

(1) Cfr. s. th. Ia IIae, q. c. — (2) Cf. s. th. ib. q. ci, cii, ciii. — (3) Cf. s. th. ib. q. civ, cv.

perfectus. Ponamque foedus meum inter me et te, et multiplicabo te vehementer nimis... Ego sum, et pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram ; sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te. Faciamque te crescere vehementissime, et ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur. Et statuam pactum meum inter me et te, et semen tuum post te in generationibus suis, foedere sempiterno, ut sim Deus tuus, et seminis tui post te. Daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis tuae, omnem terram Chanaan in possessionem aeternam, eroque Deus eorum.... Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te : circumcidetur ex vobis omne masculinum ; et circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et vos. Infans octo dierum circumcideter in vobis, omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus quam emptitius circumcidetur, et quicumque non fuerit de stirpe vestra.... Masculus, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo; quia pactum meum irritum fecit (1)... Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. Et benedicam ei, et ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum, eritque in nationes, et reges populorum orientur ex eo... Vocabisque nomen ejus Isaac, et constituam pactum meum illi in foedus sempiternum, et semini ejus post eum. Super Ismael quoque exaudivi te; ecce benedicam ei et augebo et multiplicabo eum valde ; duodecim duces generabit, et faciam illum in gentem magnam. Pactum vero meum statuam ad Isaac.... Tulit autem Abra-

(1) Horum verborum : « Masculus cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, *delebitur anima illa de populo suo* quia pactum meum irritum fecit, » non una est expositio : a) Hebraei sic exponunt : Si quis Judaeorum circumcisus non fuerit, *morietur ante annum quinquagesimum et prolem a se natam non derelinquet.* Illud fieri solitum esse tradunt. b) Diodorus et Cajetanus dicunt *adultum juberi per judices occidi,* si renuerit ut ipse vel filii circumcidantur. Agi de solo *adulto* puniendo suadetur, aiunt, ex eo quod hic solus reddit pactum irritum illud violando. Agi de *sola morte corporali,* suadetur tum eo quod pro « delebitur », hebraice habetur « nichreta » h. e. exscindetur ; exscindi autem de populo, perinde esse dicunt atque occidi a judicibus ; tum ex Num. xv, 30, 31 : « Anima vero quae per superbiam aliquid commiserit.... peribit de populo suo. Verbum enim Domini contempsit et praeceptum illius irritum fecit : idcirco delebitur (nichreta), et portabit iniquitatem suam ». c) Corluy ita intelligit : *Incircumcisus excommunicabitur* h. e. non habebitur ut membrum populi electi. — d) Vatablus, Aug. et Rup. sic exponunt : Incircumcisus *abscindetur a populo electo,* non censebitur filius Abrahae, nec heres Chanaan et aliarum promissionum, non erit particeps passionis Christi, *non nanciscetur circumcisionem spiritualem animae, seu remissionem reatus originis.* Huic sententiae adhaeret Ill. Lamy (*Comment in Gen.* t. II, p. 76). — Quoad id ultimum censemus ex ipsis verbis non posse a nobis erui quod circumcisio deleverit P. O. Cum autem aliunde hoc constet, hic sensus verbis citatis tribui jam posse videtur.

ham Ismael filium suum.... cunctos mares ex omnibus viris domus suae ; et circumcidit carnem praeputii eorum. »

Lev. XII, 1-3. « Locutusque est Dominus ad Moysem, dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruae. Et die octavo circumdetur infantulus. »

22. — QUAESTIONES. De circumcisione quaeritur 1° quodnam fuerit ejus subjectum ; quaeritur 2° quisnam ejus finis et effectus ; demum quaeritur 3° quamnam relationem ex Dei institutione habuerit ad Baptismum N. L.

I^a **QUAESTIO** in duas alias dividi potest : Inquiritur nimirum 1° quinam *ex Abraha orti* circumcidendi essent ; 2° quinam *praeter filios Abrahae ?*

A. QUINAM EX ABRAHA ORTI fuerunt circumcidendi ?

I^a sent. Tenet non solum Isaac, Jacob et posteros, sed et *Ismaelem Ismaelitasque, Esau Idumaeosque praecepto divino comprehendi*

II^a sent. Tenet praecepto *non comprehendi Ismaelem, Esau,* eorumque posteros. Sic s. Th. (1). Attamen Abraham tenebatur circumcidere Ismaelem tanquam vernaculum et domesticum. Ratio praecipua est quia semen Abrahae et Isaac in Script. non comprehendit omnes eos qui descendunt ab iis carnali generatione; sed semen Abrahae dicuntur hi qui sunt semen Isaac et ipse Isaac, semen Isaac sunt Jacob, duodecim filii et eorum tribus. Semen enim Abrahae dicuntur hi qui heredes facti sunt promissionum Dei Abrahae factarum.

III^a sent., quae est Vasquezii, tenet *posteros Ismaelis et Esau* non quidem obligatos fuisse ut circumciderentur, nihilominus eos, *post legem in Sinai latam, servasse consuetudinem circumcisionis,* tanquam inventum divinum, ut imitarentur majores suos Ismaelem et Esau.

Notasse juverit Judaeos in deserto circumcisos non fuisse. Postea Josue eos circumcidi jussit. In eodem castrorum loco manserunt tunc Judaei donec omnes circumcisi sanarentur. Deus circumcidi parvulos hoc tempore vetuit ob incredulitatem parentum, uti vult Vasq. (2), vel quia non poterant sine gravi incommodo circumcidi, cum quotidie iter agerent, uti vult Suarez (3).

B. PRAETER FILIOS ABRAHAE quinam fuerunt circumcidendi ? — Triplex enata est sententia :

(1) In 4 d. 1, q. II, a. 2, solut. 1, ad 3m. — (2) *In III^m partem d. Th.* d. CLXIV, c. II. — (3) *De sacram.* d. V, s 1.

a) Censet Cajet. (1) praecepto circumcisionis comprehendi *omnes qui de familia essent*, non solum servos sed et liberos, proinde non tantum filios ex servis natos et ex famulis liberis (puta procuratoribus negotiorum, pastoribus), sed omnes quoquo modo domesticos.

b) Censent Alex. Alensis (2) et Sotus (3) praecepto obligatos fuisse *solos patres familias* ex semine Abrahae ut, quoad fieri posset, omnes circumciderent qui *in domo suo manere vellent,* ne discreparent ab aliis in ritu; eos autem, qui de stirpe non erant, obligatos haud fuisse.

c) Censent Abulens. (4) et Vasq. (5) *Abrahamum et reliquos de semine non solum obligatos* fuisse ad circumcidendum *seipsos,* sed etiam *omnes servos suos* quacumque ratione servi essent, et filios eorum, quos *domi* et in sua familia haberent ; non tamen ullum famulum liberum, aut mercenarium; ut autem Abraham et posteri praecepto adstringerentur, exspectandum non fuisse consensum servorum ; *peregrinos et alienigenas qui in coloniam* Judaeorum transire vellent, eodem praecepto atque posteros Abrahae adstrictos fuisse.

II^a QUAESTIO. Circa finem circumcisionis tres praecipuae sunt sententiae :

I^a sent. quae adscribitur Patribus ante Augustinum, sequentia tenet : a) Finis ob quem instituta est circumcisio, fuit ut *consignaretur periculiaris Dei populus qui a ceteris gentibus discerneretur, proinde ut conferretur sanctificatio mere legalis et externa,* qua circumcisi Deo dedicabantur. b) Ex institutione Dei *significabat baptismum et circumcisionem spiritualem* per Christum conferendam. Hinc c) fuit *sacramentum verum ac proprium.*

II^a sent. tenet circumcisionem fuisse institutam *in remedium peccati originalis.* Itaque remedium naturae, in primaeva Dei institutione generice tantum determinatum, fuit ab ipso Deo specifice determinatum pro posteris Abrahae. Circumcisione infundebatur gratia per fidem in Messiam venturum, cujus fidei signum et protestatio continebantur circumcisione. Praeterea ex Dei institutione circumcisio praefigurabat gratiam per baptismum conferendam. — Hanc sententiam primo professus est Augustinus (6) quem secuti sunt multi Patres et omnes scholastici.

III^a sent. utramque praejactam sic conjungit : a) Finis *primarius* est *congregatio populi Dei et segregatio ejus a gentibus* per expressiorem fidei professionem in verum Deum et in Christum venturum, quae fides

(1) *In Gen.* XVII, 22. — (2) In IV part. q. III, membr., a. 2, § 1. — (3) In 4 d. 2, q. 1, a. 2. — (4) *In Gen. et Ex.* — (5) *In III part. s. Th.* d. CLXII, c. III-V. — (6) AUG. *Adversus Julianum* l. III.

hoc tempore videtur fuisse valde imperfecta. b) Finis *secundarius*, qui consequens erat ad primarium finem et ad institutum remedium naturae, fuit ut circumcisio esset *remedium in quo P. O. remitteretur.* c) Denique non tantum demonstrativum fuit gratiae praesentis, sed et *praefigurativum, seu prognosticon, gratiae futurae baptismo conferendae.* — Proinde est *sacramentum* verum ac proprium. — Hanc sententiam propugnat Suarez l. c.

In sequenti thesi adhaeremus tertiae huic sententiae. Quare eos censemus fuisse fines institutionis circumcisionis :

Finis primarius : Circumcisio instituta est in *signum pacti inter Deum et Abrahamum posterosque ejus.* Hac pacto posteri Abrahae promittebant se Jehovah adoraturos esse veluti unum verum Deum, atque observaturos esse ejus legem ; Deus autem triplicem promissionem faciebat : a) de multiplicatione seminis et posteritatis Abrahae ; b) de possessione et dominio terrae Chanaan posteris Abrahae tradendae ; c) de Messia qui ex semine Abrahae erat oriturus, et de gentibus in hoc semine benedicendis. — Circumcisio fuit signum istius pacti, adeoque Deus eam instituendo exterius manifestari voluit e qua gente nasciturus erat Messias et oritura erat benedictio gentium. Ideo circumcidebatur membrum genitale virorum resectione praeputii, seu pelliculae, quo involvitur glans membri virilis.

Finis secundarius : Eo quod circumcisio fuit signum pacti quo Judaei quidem spondebant Deo cultum unius Dei et observationem legis, Deus vero spondebat Judaeis, praeter bona terrae, ortum Messiae ex gente sua et benedictionem omnium populorum per Messiam, consequitur circumcisionem, ex parte illius qui eum fieri postulabat, fuisse *protestationem fidei in Deum et in Messiam venturum, necnon coaptationem in populum electum ;* proindeque eam fuisse *determinationem remedii naturae,* adeoque eam habuisse *vim remittendi P. O.,* siquidem remedium naturae hac vi pollebat.

Nihil impedit quin, praeter duos istos fines, per circumcisionem dicantur intenta esse alia nonnulla bona, de quibus dicetur in scholiis.

THESIS II. — Sub lege mosaica a Deo instituta est circumcisio, primario quidem ut congregaretur populus electus et a gentibus segregaretur ; secundario autem et consequenter ad finem primarium et ad institutum remedium naturae, ut, ratione expressioris fidei in Deum et in Messiam, peccatum originale deleretur. Porro circumcisio est verum et proprium sacramentum, figurativum baptismi novae legis.

22. — **Prima pars.** FINIS PRIMARIUS CIRCUMCISIONIS FUIT QUIDEM CONGREGATIO POPULI ELECTI ET EJUS SEPARATIO A GENTIBUS, NULLATENUS VERO DELETIO P. O.

Prob. I : *Ex Scripturis.* A. Ex V. L. Ille solus est finis primarius legis, quem legislator ipse clare determinat. Atqui Deus in V. L. legem circumcisionis ferens perspicue quidem tradit finem esse ut exteriori signo notetur, a reliquis gentibus separatur, ipsimet Deo consecretur, illa gens a Deo electa ut per eam benedictio afferatur mundo et ex ea oriatur Messias ; nullam vero disertam mentionem facit peccati originalis circumcisione delendi. Ergo finis primarius circumcisionis fuit quidem congregatio populi electi et ejus separatio a gentibus, nullatenus vero deletio P. O.

Prob. min. Deus triplicem promissionem supra expositam saepius fecit Abrahae : a) Gen. XII, *1-3.* « Dixit autem Dominus ad Abram : Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi. Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi et maledicam maledicentibus, atque in te benedicentur universae cognationes terrae. » Haec autem promissio facta est ante nativitatem Isaac. — Capite XV° narratur Deus promississe Abrahae semen, qui non sit vernaculus, et heres fiat promissionum.

b) Capite XVII° repetitur prima promissio gentium oriturarum e filio quem Abraham ex Sara concepturus erat, et fertur lex circumcisionis.

c) Capite XXII° jubetur Abraham immolare filium. In praemium obedientiae iterum repetuntur promissa : « Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi et multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli et velut arenam quae est in littore maris ; possidebit semen tuum portas inimicorum suorum ; et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae » (16-18).

Ex capite XVII° Genesis supra citato clare liquet circumcisionem esse institutam in signum triplicis promissionis adeoque in efformationem novae gentis.

B. Ex N. T. In ep. ad Rom. legitur : « Circumcisio quidem prodest, si legem observas ; si autem praevaricator legis sis, circumcisio tua praeputium facta est. Si igitur praeputium justitias legis custodiat, nonne praeputium illius in circumcisionem reputabitur ? Et judicabit id quod ex natura est praeputium, legem consummans, te qui per litte-

ram et circumcisionem praevaricator legis es?... Quid ergo amplius Judaeo est? aut quae utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum; primum quia credita sunt illis eloquia Dei. » (II, 25 - III, 2). — Quorum verborum haec traditur paraphrasis : « Circumcisio, inquam, prodest quidem utilisque tibi est ad salutem animi, sed sub ea conditione ut facias quae sunt praecepta; quod si legem violes, non plus utilitatis ex circumcisione capies, quam si omnino non esses circumcisus. Si igitur praeputiatus quispiam ea praestet, quae lege mandata sunt, nonne in extremo judicio perinde habebitur a Deo ac si esset circumcisus? Immo, condemnabit ille natura praeputiatus qui legem servabat, condemnabit, inquam, sui comparatione, te, qui violator legis eras, quamquam scriptam legem habens, et circumcisionem, qua professus fueras te legem esse servaturum... Si ita res habet, ut dictum est, quaenam ergo sunt Israeliticae Gentis in re religiosa praerogativae? aut quaenam tandem est circumcisionis utilitas? Multae sunt sub quovis respectu Israeliticae Gentis praerogativae. Nam primum quidem, praerogativa est quod Judaeis concredita fuere divina de Messia venturo Salvatore oracula. » ([1]) — Ad hunc locum notat Theodoretus Paulum potuisse multa enarrare beneficia quibus Deus Judaeos affecit : a servitute Aegyptiorum esse liberatos, multa patrata esse in eorum gratiam miracula, legem in auxilium esse latam, prophetas esse constitutos; ea vero omnia silentio praeteriri, solum legislationem, eloquia, promissiones commemorari. — Ex his sic arguitur: Ille est finis primarius circumcisionis in quo reponitur ejus utilitas praecipua ac propria. Atqui Paulus eam reponit a) in eo quod per eam concredita Judaeis sunt promissa de Messia, proindeque quod per eam notata est gens e qua oriturus erat Messias; b) in eo etiam quod circumcisio est signum promissionis Judaeorum circa legem divinam servandam; nihil vero de deletione P. O. occurrit. Ergo.

II. *Ex Patribus.* Non pauci Patres non tantum dicunt circumcisionem fuisse Judaeis datam in signum foederis, ne contaminaretur populus cum gentibus, sed insuper negant eam datam esse ut justitia interna animis gigneretur.

1. Inter Patres graecos sic loquuntur Justinus martyr ([2]), Irenaeus ([3]),

([1]) Cfr. Beelen, *Comment. in epist. s. Pauli ad Rom.*

([2]) Justinus, *Dial. adv. Triph.* nn. 14-16. Migne, P. G. t. VI, col. 503 sq.

([3]) Iren. « Circumcisionem non quasi consummatricem justitiae, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahae, ex ipsa Scriptura discimus. Dixit enim Deus ad Abraham : *Circumcidetur omne masculinum vestrum, et circumcidetis carnem*

Chrysostomus (1), Epiphanius, Origenes, Theodoretus, Damascenus (2).

2. Inter latinos a) Cyprianus probat circumcisionem non dedisse justitiam, eo quod priores patres sancti fuerint incircumcisi et quod feminae hoc praecepto non tenebantur. — b) Ambrosius distinguit circumcisionem carnalem a spirituali eo quod illa corpus, haec peccatum amputat (3). — c) Tertullianus adversus Judaeos scribens eodem modo loquitur. — d) Auctor libri *de altercat. Eccles. et Synog.* asserit circumcisionem non esse datam Judaeis ut ad aeternitatem per illam proficerent ; hoc probat ex eo quod omnia media saluti utilia sunt viris et feminis communia. Ergo hi Patres tenent unicum finem circumcisionis fuisse ut esset signum pacti inter posteros Abrahae et Deum.

Alii Patres circumcisioni assignant finem esse signum foederis, de alio fine prorsus tacent. Sic Hieronymus (4).

---

praeputii vestri et erit signum testamenti inter me et vos (Gen. XVII). Hoc idem de Sabbatis Ezechiel propheta ait : *Sabbata mea dedi eis ut sint in signum inter me et ipsos*. Et in Ex. XXI Deus ait ad Moysen : *Sabbata mea observabitis, eritque signum vobis apud me in generationes vestras*. » Ex quibus exemplis colligere vult circumcisionem solum fuisse caerimoniam quamdam ad congregandum populum Dei, eumque distinguendum ab aliis. Postea vero subdit : « In signo ergo data sunt haec : non autem sine symbolo erant signa, id est sine argumento, neque otiosa, tanquam quae a sapiente artifice darentur, sed secundum carnem circumcisio circumcisionem praefigurabat spiritualem : etenim nos, ait Apostolus ad Coloss. II, circumcidimus circumcisione non manu facta. » *Adv. haer.* l. IV, c. XII. M. VII, 1015.

(1) CHRYS. « Voluit circumcisionem lege sanciri non quod ad salutem animi haec proficere aliquid possit, sed ut hoc gratitudinis indicium, quasi signum et sigillum circumferrent Judaeorum pueri et ne eis liceret contaminari gentium commistionibus. Hinc b. Paulus (ad Rom. IV) circumcisionem vocat signum dicens : *et signum dedit circumcisionis sigillum*. Nam ad justitiam nihil ipsa conducit, ecce et hic justus, nondum statuta circumcisione, ad eamdem pervenit virtutem. » *Hom.* XXVII. « Nulla alia ex circumcisione fuit utilitas quam haec sola, quod ex hoc signo essent cognoscibiles, et ab aliis gentibus sequestrarentur (Judaei) ; nostra autem circumcisio, vel baptismatis, inquam, gratia medicinam habet citra dolorem, innumeraque nobis bona affert, Spiritus Sancti gratia nos implet. » Hom. XL *in Gen.* M. LIII, 242, 373.

(2) EPIPH. *Haer.* VIII, n. 4 sq. M. P. G. XLI, 210 sq. ; *Haer.* XXX, n. 27 sq. M. ib. 451 sq. — ORIG. Hom. III *in Gen.* n. 4. M. P. G. XII, 178. — THEODORET., *in Gen.* q. LXVII. — DAMASC. L. IV, c. XXV. M. XCIV, 1214.

(3) CYPR. *Ad. Quir.* l. I, c. VIII. M. P. L. IV, 684. — AMBR. *De Abr.* l. I et *epist.* I.

(4) HIER. Ad illa verba ad Gal. *Cognoscitis ergo quia qui ex fide sunt, hi filii sunt Abrahae* (III, 7), scribit : « Circumcisionem non ob meritum operum, sed in signum fidei prioris accepit : quia enim ex semine ejus erat Christus oriundus (in quo universarum gentium fuerat benedictio repromissa, et ab Abraham aevo ad Christum multa erant tempora transitura) providens Deus, ne sobolis dilecti Abrahae exteris nationibus misceretur et paulatim familia ejus fieret incerta, gregem Israeliticum quodam circumcisionis cauterio denotavit (*In ep. ad Gal.* l. I). — Ad verba illa : *Neque circumcisio aliquid valet* (V, 6), ostendi hoc intelligendum esse de tempore post Christum Jesum ; subjungit quomodo antea utilis fuerit : « Ideo utilem Judaeis fuisse...., quia illis credita sunt eloquia Dei, quae in opera vertentes, a salute extranei non fuerunt. » Et infra dicit : « Etiam valuisse ad obtinendas benedictiones carnales, quae legem servantibus spondebantur. » Ib. l. II in fine. Migne, P. L. XXVI, 352, 398.

III. *Ex Doctoribus.* Congregationem populi ejusque a ceteris populis segregationem tanquam finem principalem circumcisionis assignant Hugo a s. Victore, Alexander Alensis, s. Thomas (1).

IV. *Ex Hebraeis.* Philo (2), qui testis fuit fidei Judaeorum, explicans quem ob finem existimet circumcisionem esse institutam, de remissione peccati originalis prorsus tacet. Ergo juxta Judaeos finis primarius fuit congregatio et separatio populi electi.

24. — **Secunda pars.** A. ALIQUIS FINIS CIRCUMCISIONIS FUIT DELETIO PECCATI ORIGINALIS.

Arg. I^m. Affirmant Patres circumcisionem fuisse remedium peccati originalis : Sic Arnoldus Bonavallensis qui auctor est sermonum XII de cardinalibus Christi operibus (3), Augustinus (4), Prosper, Isidorus, ven. Beda, Gregorius Magnus, Bernardus, Ruppertus (5).

Arg. II^m. Petitur *ex Romanis Pontificibus.* Innocentius P. III, in cap.

---

(1) HUGO VICT. *De sacram.* l. I, p. XII, c. II. — ALEX. ALENS. IV p. q. VII, memb. 2. — S. TH. I^a II^ae, q. CII, a. 5, ad 1^m.

(2) PHILO, *De Circumcis.* t. II.

(3) ARNOLD, capite *de Circumcisione* Christi ait : « Hoc cum octava die justum sit celebrari, et nomen circumciso aptari intimatum est his, qui digni sanctorum consortio censebantur, quod eorum nomina scriberentur in coelis, et aeterna beatudinis heredes fierent et consortes. » — Et infra, cum dixisset originale peccatum omni tempore esse expiatum nonnullis remediis, addit : « Propter hoc, cum jam fidei tempora appropinquarent, imperata est circumcisio. »

(4) AUGUST. *Adv. Julian.* l. II, c. VI, n. 18. M. P. L. t. XLIV, col. 686 ; ib. l. III, c. XVIII ; ib. l. V, c. XI ; *De gr. Chr. et pecc. orig.* l. II, cc. XXX, XXXII, M. P. L. t. XLIV, col. 402 sqq. ; *De bapt.* l. IV, c. XXIV, M. t. XLIII, col. 174 ; l. II *contra litt. Petilia.* c. LXXII, M. t. XLIII, col. 309 ; *De civ. Dei* l. XV, c. XVI, n. 3, M. P. L. t. XLI, col. 459 ; ib. l. XVI, c. XXVII ; tract. XX *in Joan.* M. P. L. t. XXXVI ; *De nupt. et conc.* l. II, cc. XI et XII, M. t. XLIV, col. 449 sqq. — Citasse sufficiat pauca verba :

« Responde, si potes, cur ipse Isaac, ni baptismatis Christi signo circumcisus octavo die fuisset, periisset anima ejus de populo suo ? Explica, si potes, cur merito tanta paena plecteretur, nisi ab hac tanto sacramento liberaretur ? » *Adv. Julian.* l. III, c. XVIII.

« Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quae erat tunc signaculum justitiae fidei, ad significationem purgationis valebat magnis et parvulis originalis veterisque peccati, sicut et baptismus ex illo valere coepit ad innovationem hominis, ex quo institutus est. Non quod ante circumcisionem justitia fidei nulla erat : nam, cum adhuc esset in praeputio, ex fide justificatus est ipse Abraham, pater gentium quae fidem ipsius fuerant sectaturae ; sed superioribus temporibus omnino latuit sacramentum justificationis ex fide. Eadem tamen fides mediatoris salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis ; non vetus testamentum quod in servitutem generat, non lex quae non sic est data quae posset vivificare, sed gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Quia sicut credimus nos Christum in carne venisse, sic illi venturum : sicut nos mortuum, ita illi moriturum ; sicut nos resurrexisse, ita illi resurrecturum. » *De nupt. et concup.* l. II, c. XI.

(5) GREG. M. *Mor.* l. IV, cc. II et III, M. P. L. t. LXXV, 634. — PROSP. aut auctor l. *de promiss. Dei* p. I, c. XIV, M. P. L. LI, 744. — ISID. *In Gen.* c. XIII, M. LXXXIII, 242. — V. BEDA, *In Luc.* l. II, c. VIII, *hom. de circumcis.* — BERN. Serm. III *de circumcis.* M. P. L. t. CLXXXIII, col. 138 ; serm. II *de Assumpt.* B. V. n. 8, M. ib. col. 420 ; *ep.* LXXVII ad Hug., n. 4, M. CLXXXII, col. 1034. — RUPP. l. V *de op. Trin. ; in Gen.* c. XXXIII.

Majores dicit baptismum successisse circumcisioni ; comparat verba Genesis : « Masculus cujus praeputii caro circumcisa non fuerit delebitur anima illa de populo suo, » cum verbis Joh. III : « Nisi quis renatus fuerit » ; tandem *expresse affirmat per mysterium circumcisionis deleri culpam originalem* additque eo solo circumcisionem baptismo inferiorem fuisse, quod vi circumcisionis non perveniebatur ad regnum coelorum, quippe quod a Christo ad coelum ascendente aperiendum erat ([1]).

Arg. III^m^. Petitur *ex scholasticis*. Omnes ad unum professi sunt peccatum originale in circumcisione fuisse remissum. Sic Hugo a s. Victore, Magister in IV° libro sententiarum, distinctione 1ª et in hunc locum s. Thomas, Scotus, Durandus, Bonaventura, Richardus, Paludanus, Gabriel ; in aliis libris suis s. Thomas, Alex. Alens., Bonav. ([2]).

Arg. IV^m^. Praeter argumentum rationis theologicae quod exponetur sub littera B, dantur nonnullae rationes congruae :

1. Finis primarius circumcisionis erat congregare populum electum, eum segregare a ceteris populis, ei tradere signum foederis, quo Deus promiserat fore ut peculiari ipsum cura esset gubernaturus et ut Messias nasceretur ex gente ipsorum. Atqui huic fini valde consentaneum est ut in circumcisione peccatum originale fuerit deletum. In N. L. ritus quo quis fit membrum corporis mystici Christi, quo homines congregantur et constituunt gentem electam, quo consecrantur Deo, hic, inquam, ritus est deletivus peccati originalis. Ergo decebat ut ritus, quo Judaei coaptabantur in populum Dei, fuerit remissivus istius peccati.

2. Si circumcisio non esset deletiva peccati, non videtur quare infantuli circumcidendi fuerint potius quam adulti. Seposito enim hoc motivo, videtur adultis potius imponenda, iis enim solis cedebat in meritum, obedientiam et dolorem ; ipsi etiam soli intelligebant significationem mysterii.

3. Circumcisio fundamentaliter est apta ut significet remissionem peccati. Uti enim advertit Suarez, « Quia peccatum originale per seminalem generationem communicatur, et vires suas in concupiscentia carnis potissimum exserit, cui malo sola divina gratia potens est subvenire,

([1]) INNOC. III « Quoniam etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium et damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum coelorum quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum ; sed per sacramentum baptismi culpa remittitur et ad regnum coelorum pervenitur. » *Corpus juris Canonici*, t. II, Decr. Greg. IX, l. III, tit. XLII, c. III, col. 521.

([2]) S. TH. III, q. LXI, a. 3 ; ib. q. LXII, a. 6, ad 3 ; ib. q. LXX, a. 4. — ALEX. ALENS. IV p., q. VII, membr. 7, a. 2. — BONAV. in 4 d. 1, p. II, a. 2, q. II. — HUG. VICT. l. I, p. XI, c. VI.

ideo per circumcisionem carnis apte significatur effectus qui fit in anima, cum ab illa tollitur originale peccatum. »

B. Deletio P. O. nonnisi finis secundarius erat circumcisionis, consequens ad finem principalem et ad institutum remedium naturae.

Prob. In statu legis naturae, Deus instituit ut originale peccatum auferretur per externam professionem internae fidei in Deum et in Messiam venturum, et ut quisque libere sibi determinaret modum fidei profitendae. — Pro posteris Abrahae Deus ipse determinavit aliquem ritum in signum promissionum suarum, nempe peculiaris suae titulae erga populum electum, ortus Messiae ex stirpe Abrahae et benedictionis omnium gentium. Qui illud signaculum sibi vel aliis imponebant, eo ipso exterius profitebantur fidem suam in has divinas promissiones et consequenter in Deum et in Messiam venturum ; eo etiam ipso se coaptabant populo Dei, seque consecrabant Deo. Ergo consequenter ad hoc quod Deus instituerat primitus remedium naturae, et quod postea primario circumcisionem instituit in signum foederis et quod ea signari voluit infantulos masculos ; statuit illam protestationem fidei futuram esse deletivam peccati originalis, licet nihil explicite de hoc statuisse legatur.

Conf. 1. Si Deus statuisset fore ut per quodlibet sacrificium peccata remitterentur, et si postea pro aliquo populo determinasset aliquem ritum sacrificalem ; vi primae institutionis actio sacrificalis, specifice a Deo determinata, valuisset in remissionem peccatorum. Ergo a pari.

2. Secus dicendum foret parentes adstrictos fuisse ut duobus modis fidem in Deum et in Messiam protestarentur pro infantulis, altero specifice per Deum determinato, altero generice tantum determinato. Sed non videtur admittenda necessitas duplicis hujusmodi protestationis fidei.

25. — Tertia pars. Circumcisio fuit verum sacramentum, Baptismi N. L. figurativum.

A. *Fuit figura baptismi,* seu *signum gratiae internae per baptismum novae legis conferendae.*

Prob. Arg. I^m. *Ex Script.* « In quo (Christo) et circumcisi estis circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi consepulti ei in baptismo. » Ad Coloss. II, 11, 12. — Unde sic : Paulus baptismum vocat circumcisionem. Ergo eam habet tanquam figuram baptismi. — Patet consequentia ex modo loquendi consueto Paulo : ubi enim nomen ritus veteris legis attribuit rei novae

legis, solet insinuare ritum veteris legis fuisse typum et figuram ritus novae legis.

Arg. II^{m}. *Ex Patribus* et *scholast.* Circumcisionem dicunt esse figuram circumcisionis spiritualis, gratiae, baptismi : Justinus martyr (1), Cyrillus Alexandrinus (2), Damascenus (3), Optatus Milevitanus, Isidorus, Augustinus, Epiphanius, s. Thomas (4).

Arg. III^{m}. *Ratione theol.* In baptismo fit professio fidei, per eum aggregatur homo congregationi fidelium. Sed in circumcisione eadem, licet imperfectius, habentur. Ergo.

B. *Verum sacramentum.* — Illud enim est verum sacramentum quod a) est institutum a Deo ; b) est sensibile ; c) est sacrum et consecrat Deo ; d) significat gratiam sanctificantem. Atqui a) circumcisionem esse institutam a Deo patet ex Gen. XVII. b) Eam esse sensibilem constat. c) Eam esse sacram et consecrare subjectum Deo patet α) quia legitur a Deo esse instituta in signum quod ipse sit Deus Abrahae et Deus seminis ejus ; β) quodque finis primarius est efformatio populi electi et ejus separatio a gentibus. Denique d) eam significare gratiam futuram manifestum est ex eo quod est figura baptismi.

Insuper circumcisionem figurasse gratiam praesentem colligitur ex Rom. IV, 3 sqq. « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam... Quomodo ergo reputata est ? In circumcisione, an in praeputio ? Non in circumcisione, sed in praeputio. Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiae fidei.... ut sit pater omnium cre-

---

(1) JUSTIN. « Praeceptum illud circumcisionis, ut infantes octava die omnino circumcidantur, figura erat verae circumcisionis quae ab errore et nequitia, per eum, qui a mortuis resurrexit una sabbatorum die, Jesum Christum Dominum nostrum circumcisi sumus. » *Dial. cum Triph.* n. 41. M. P. G. t. VI, col. 563.

(2) CYR. ALEX. « Quid autem hic lateat arcani denuo dispiciamus. Beatus ait Paulus : *Circumcisio nihil est et praeputium nihil est* (I Cor. VII, 19). Ergone rem, quae nulla est, observare omnium Deus per sapientissimum Moysen mandavit, paena transgressoribus simul indicta ? Aio enimvero. Nam circumcisio, si rei ipsius natura spectetur, nihil omnino est ; sed mysterii typum continet. Namque octava hebdomadae die et resurrexit Christus a mortuis, et spiritualem nobis fecit circumcisionem. Praecepit enim sanctis Apostolis, *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (Matth. XXVIII, 19). Fieri vero dicimus spiritualem circumcisionem tempore potissimum sancti baptismi, quo nimirum participes nos effecit Christus Sancti Spiritus. » *In Luc.* II, 22. M. LXXII, 498.

(3) DAMASC. « Circumcisio baptismi figura erat : quemadmodum enim circumcisio non utile aliquod ac necessarium corpori membrum, sed supervacaneum excrementum abscindit, ita per sanctum baptismum peccatum nobis amputatur, quod cupiditatis excrementum est, non utilis cupiditas. » L. IV, c. XXV. M. XCIV, 1214.

(4) OPTAT. MILEVIT. *De schism. Donat.* l. V, c. 1. — ISID. *In Gen.* c. XIII. — EPIPH. *Adv. haer.* l. I, t. III, *Haer.* XLII, refut. 8. M. P. G. XL, 778. — AUG. *Adv. Cresc.* l. I, c. XXXI, M. P. L. XLIII, 464 ; *Adv. Julian.* l. III, c. XVIII, M. XLIV, 719 sq. ; ib. l. VI, c. III. — S. TH. I^{a} II^{ae}, q. CII, a. 5, ad 1^{m}.

dentium... ut reputetur et illis ad justitiam. » — Ergo juxta Paulum Abraham justificatur ob fidem ; circumcisio est signum illius justitiae ; posteri justificantur per protestationem fidei quae circumcisione continetur ; circumcisio hanc justificationem significat.

Coroll. Ex his, quae in secunda parte sunt exposita, eruitur per circumcisionem non uberiorem gratiam fuisse collatam, neque modo perfectiori quam per remedium naturae. — Eadem imperfectione sub hoc respectu laborabat utraque lex. Causa erat eadem : Christi merita non erant praesentia, sed sperabantur, in iis credebatur.

26. — Scholion 1m. Circumcisio antequam instituta est a Deo pro Judaeis, jam exsistebat inter Aegyptios et Aethiopes. Quaedam tamen discrimina notantur : Apud illos enim vulgus pro libitu, non vero ex lege, circumcidebat non modo mares sed et feminas, neque aliquot diebus post nativitatem, sed ubi pubertas advenerat. Apud Aegyptios nonnisi sacerdotes, magi, astronomi et sapientes ad circumcisionem obligabantur.

Abraham in Aegypto commoratus modum quidem circumcidendi edoceri potuit, consuetudinem tamen eam celebrandi non adduxit secum. Etenim circiter viginti annis ex Aegypto egressus erat, ipseque nonaginta novem annos erat natus, cum, jubente Deo, se et liberos et familiam circumcidit. Cfr. Gen. XVII, 23.

Circumcisio adhuc celebratur in Arabia, in Perside, in Aethiopia, in Aegypto, non tantum apud Judaeos et Moslemos, sed adhuc apud Jacobitas et Coptos. Viget etiam in regione congolensi Africae et in America apud certas tribus sylvestres.

Scholion 2m. Nonnulli auctores alias etiam causas enumerant, ob quas institutam esse volunt circumcisionem.

Philo has quatuor profert : a) Quo facilius caveretur morbus qui carbunculus dicitur et facilius praeputiatos quam circumcisos afficit. b) Ut totum corpus esset purius, neque impediret officia sacerdotalia. c) Ut minuerentur voluptates quae mentem fascinant. Inter voluptatum enim illecebras principatum tenent illae quae hanc partem corporis titillant et afficiunt ; quare legislatores illam partem resecari voluerunt. d) Ut major sit fecunditas (1). — Rabbi Moyses, causam fuisse dicit ut in eo membro concupiscentia debilitaretur. — S. Thomas (2),

(1) PHILO in libro *de circumcis.*
(2) S. TH. Ia IIae, q. CII, a. 5, ad 1m.

aliam quoque rationem affert, nempe ut in odium et in abominationem traderetur pessima consuetudo ab Aegyptiis orta, et postea ad Judaeos sub rege Asa (1) et ad Romanos (2) derivata, qua nempe Aegyptii simulacrum membri virilis solemniter circumferebant et venerabantur. — Diodorus narrat obscoenae hujus superstitionis auctorem fuisse Isidem, uxorem Osidiris. — Itaque Deus voluit ut id membrum in quo concupiscentia magis se manifestabat et quod ideo a flagitiosis hominibus adorabatur, a nativitate deformaretur, injuria afficeretur et purificaretur. « Viatores, ait cl. Lamy, ut Niebuhr, Ludof, narrant Arabes et Aethiopes sanitatis causa, ad praecavendos certos quosdam morbos tropicis regionibus proprios, adhibere circumcisionem, praesertim ut vitetur illa infirmitas *Phimosis* dicta, qua in his regionibus homines plurimi ad generandum inhabiles sunt nisi resecetur praeputium quod nimis angustum est vel nimium excrescit. » (3).

Scholion 3m. Feminae offerebantur Deo in templo, die octogesimo. Hac oblatione remittebatur peccatum, si antea femina nondum consecrata fuerat Deo. — Sunt qui existimant masculos potuisse ante diem octavum offerri Deo, ita ut hac oblatione peccatum originis remissum fuisset. In quo casu circumcisioni non fuisset necessitas *medii*. — Plerique tamen hoc negant, innixi Lev. « Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus,... et die octavo circumcidetur infantulus. » XII, 2, 3.

Scholion 4m. *Quaeres quare Deus exspectaverit usque ad tempus Abrahae, donec circumcisionem in remedium peccati instituerit ?*

Resp. D. Thomas : « Dicendum quod immediate post peccatum primi parentis, propter doctrinam ipsius Adae qui plene instructus fuerat de divinis, adhuc fides et ratio naturalis in tantum vigebat in homine, quod non oportebat determinari hominibus aliqua signa fidei et salutis ; sed unusquisque pro suo libitu fidem suam aliquibus signis protestabatur. Sed circa tempus Abrahae diminuta erat fides, plurimis ad idololatriam declinantibus : obscurata etiam erat ratio naturalis per augmentum carnalis concupiscentiae, usque ad peccatum contra naturam. Et ideo convenienter tunc et non ante, fuit instituta circumcisio ad profitendam fidem, et ad minuendam carnalem concupiscentiam. » (4).

Scholion 5m. *Quaeres quare octava die praecepta sit circumcisio ?*

---

(1) Cfr. III Reg. XV. — (2) Cfr. S. Aug. *De civ. Dei*, l. VIII, c. XXI. — (3) Lamy, *Comm. in l. Gen.* t. II, p. 72. Cfr. etiam Epiph. *Haer.* XXX, n. 38. M. P. G. XLI, 454. — (4) D. Th. III, q. LXX, a. 2, ad 1m.

Resp. Juxta s. Thomam voluit quidem Deus ut quamprimum Abrahae posteri in populum suum hac nota coaptarentur ; exspectari tamen voluit octavum diem, quia antea proles ob dolorem in discrimen vitae adduci potuisset (1). — Alia ratio, eaque mystica, affertur a s. Aug., s. Thoma, Hugone a s. Victore, Magistro, Paludano, nempe ut significaretur circumcisio spiritualis non tantum hujus vitae, sed etiam aeternae beatitudinis ; haec autem figuratur per octavum diem, qua Christus e mortuis surrexit (2).

Juxta s. Th. (l. c. ad 3m), Hugonem a s. Victore, Bonaventuram, Alensem nunquam licebat infantes ante octavum diem circumcidere. Si in vitae discrimine adducerentur, per remedium naturae a peccato originali liberari poterant.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

27. — **Obj. 1°. Contra IIm part.** Genesis XVII refert institutionem circumcisionis ; nihil dicit de remisso peccato originali. — Juxta Paulum (ad Rom. III, ad Gal. V et VI, I Cor. VII) nihil valet, nihil est, nullius est utilitatis. — Juxta multos Patres, in prima parte citatos, instituta est eo tantum fine ut novus populus efformaretur et a ceteris separaretur. Atqui, his stantibus, nequit admitti circumcisionem secundario fuisse institutam ut foret remedium peccati originalis. Ergo.

Resp. a) *Trans. maj. Dist. min.* His stantibus, nequit dici circumcisionem secundario remittere peccatum originale, nisi in lege naturae exstiterit sacramentum, cujus locum, ex natura rei, occupatura erat circumcisio pro masculis Judaeorum, *Conc.* ; *secus, Neg.* — b) *Dist. 2 pars maj.* Juxta Paulum circumcisio nihil est *in praesenti oeconomia Conc.; in veteri oeconomia, Subdist.* nihil est ratione circumcisionis *formaliter* sumptae, *Conc.;* nihil est *prout protestabatur fidem, Subdist.* nihil superaddit ei quod remedium naturae gentibus afferebat, et proinde non est cur Judaei ob eam se efferant supra gentes, *Conc.;* hac posita, *non infundebatur gratia, Neg.*

OBSERVA. 1. Finis principalis circumcisionis, cum esset novus, aperiendus erat Genesi XVII, ubi narratur institutio hujus ritus. Verum necesse non erat ut Genesis narrans institutionem circumcisionis de fine secundario sermonem faceret. Eo enim ipso quod ex una parte

(1) III, q. LXX, a. 3, ad 3m. — (2) AUG. *De civ. Dei*, l. XVI, c. XXVI. HUGO VICT. *De sacram.* l. I, p. XII, c. II. MAGIST. 4 d. 1. PALUD. q. V, a. 3, n. 15.

circumcisio erat protestatio fidei a Deo specificata, quod ex altera parte in lege naturae quaelibet fidei professio erat remissiva peccati originis; eo, inquam, ipso annectebatur circumcisioni ea virtus, quae remedio naturae inerat. Finis autem principalis, cum esset novus, aperiendus erat.

2. Cum Paulus dicit circumcisionem nihil valere, vel propugnat ejus inutilitatem *sub lege nova*, vel contendit eam *ex se*, in quantum est circumcisio, nullum fructum justitiae afferre, omnem justitiam conferri *per fidem*. Circumcisio autem erat externa professio fidei.

3. Ad Patres quod attinet, denegari non potest nonnullos negasse circumcisionem fuisse remedium peccati. Eorum mente finis primarius, quem solum Scripturae explicite assignant, est congregatio populi novi; dabantur alia media remissiva peccati originalis. — Verum cum Patres inter se dissentiant, invalidum petitur argumentum ex dissensu nonnullorum.

Obj. 2°. Si circumcisio fuisset remedium peccati, communis fuisset masculis et feminis, uti recte arguunt Patres. Omnes enim indigebant remissione peccati. Atqui communis non fuit. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Communis fuisset, si praeter eam non fuisset *aliud remedium* pro feminis, nempe *remedium naturae*, *Conc.*; secus, *Neg.* — Gens essentialiter constituebatur viris. Feminae ad gentem uxoris transibant. Hinc ratio fuit circumcidendi solos viros, ob finem primarium. Pro puellis Judaeorum et pro masculis ante octavum diem morientibus perseverasse sacramentum legis naturae tenent s. Thomas, Domin. Sotus, Suarez ([1]).

Obj. 3°. Circumcisio differenda erat in diem octavum. Atqui remedium peccati differri non potest. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* Remedium peccati differri nequit sine ratione, et si in casu necessitatis non habetur aliud remedium, *Conc.*; *secus*, *Neg.* Responsio fluit ex dictis in scholiis.

Obj. 4°. Per quadraginta annos populus hebraeus non est circumcisus in deserto. Atqui quam obvie hoc explicatur, si admittitur solum finem esse ut congregetur populus et discernatur a ceteris, tam difficile hujusce ratio redditur, si admittitur circumcisione fuisse remissum reatum originis. Ergo.

Resp. Cessante fine primario, cessat convenienter res. Unde cum in

---

([1]) S. Th. III, q. LXX, a. 4, ad 3m. — D. Sotus, in 4 d. 2, q. 1, a. 3. — Suarez, d. V, s. 1, n. 16.

deserto populus eo ipso congregabatur et segregabatur, necesse non fuit ut circumcideretur. Eo autem temporis spatio peccatum remittebatur remedio naturae.

Obj. 5^a. Remissio peccati non est secundarius finis et consequens ad alia. Hoc enim admisso, posset quis aequo jure contendere baptismum esse primario institutum ad protestandam fidem et consecrandos homines Deo, consequenter habuisse ut tollat peccatum originale. Atqui hoc est falsum. Ergo.

Resp. a) Baptismi effectus sunt perfectiores effectibus circumcisionis et remedii naturae, et perfectius eos producit baptismus. Hinc requiritur ut explicite fuerit institutus in finem producendi hos effectus. — b) Ex verbis institutionis liquet finem primarium esse ut conferatur interna sanctificatio: « Nisi quis renatus fuerit etc. » Renasci autem ex Sp. S. est interne sanctificari. — Hinc respondetur distinguendo majorem: Nisi contrarium constet ex perfectione baptismi et ex verbis institutionis, *Conc.; secus, Neg.*

§ 2. DE CETERIS SACRAMENTIS V. L.

D. Th. Ia IIae, q. CII, a. 5. — Suar. d. V, s. 2.

28. — Sub V. L. ritus sacramentales spectabant alii ad populum, alii ad solos sacerdotes.

1. Ad populum spectabant: a) *circumcisio* sine qua nemo ad legalia admittebatur. Erat initiatio in statu colendi Deum (Cfr. Gen. XVII, 10-14; Lev. XII, 3). — b) *Esus agni paschalis* (Ex. XII). — c) *Purificationes ab exterioribus immunditiis et expiationes a peccatis.* Per has removebantur ea quibus quis a cultu divino prohibebatur (Lev. XII-XV; Num. XIX). — Addere juvat non deesse qui existiment esum agni paschalis non fuisse sacramentum, sed sacrificium. Probabile est hunc ritum fuisse simul sacramentum et sacrificium, haud secus atque Eucharistiam N. L., cujus erat figura. In quantum mactabatur agnus, hic ritus erat sacrificium; in quantum agnus erat cibus sacer Deo dicatus et comedebatur certo ritu qui lege erat praescriptus, hic ritus erat sacramentum.

2. Ad solos sacerdotes spectabant: a) *consecratio* qua Dei cultui mancipabantur (Ex. XXIX, XXX; Lev. VIII). — b) *Oblatio victimarum, esus panum propositionis* et aliorum donorum sacerdotibus a Deo concessorum (Lev. XXIV, 9). — c) *Ablutio manuum et pedum et rasio pilorum.*

THESIS III'. — **Praeter circumcisionem alia nonnulla sunt condita a Deo sacramenta, quae, pro indole veteris legis, significabant gratiam quondam per Christum conferendam, hominibusque, rite ipsa suscipientibus, sanctitatem legalem usu suo conferebant. Inter haec vero sacramenta alia ad populum alia ad solos sacerdotes spectabant.**

29. — **Prima pars.** In V. L. INSTITUTA SUNT A DEO DIVERSA SACRAMENTA.

Prob. Ex decreto Concilii Florentini pro instructione Armenorum: « Novae legis septem sunt sacramenta.... Quae multum a sacramentis differunt antiquae legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero nostra et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt. » (1) — Unde sic arguitur: In ratione sacramenti Concilia et Patres comparant quasdam caerimonias V. L. cum solis sacramentis proprie dictis N. L., in quo inter se similia sunt observando. Atqui talem comparationem non fecissent Concilia, nisi suo judicio hae caerimoniae V. L. fuissent sacramenta proprie dicta, sive signa practica sanctificationis. Ergo.

Prob. min. Secus dicendum est has caerimonias V. L. comparari a Patribus cum sacramentis N. L., vel prout erant signa sacra rei sacrae; vel prout erant signa gratiae sanctificantis in posterum conferendae. Atqui neutrum admitti potest. — Admitti nequit *primum:* Eo quod caerimonia V. L., quia sunt signa sacra rei sacrae, compararentur cum sacramentis N. L. et vocarentur sacramenta, consequens foret omnes caerimonias N. L. vocandas esse sacramenta, haud secus atque hos ritus V. L., sunt enim sacrae et significant rem sacram; consequens etiam foret comparationem inepte fieri cum septem tantum sacramentis. Atqui alienum est a mente Concilii ceteras caerimonias N. L. appellandas esse sacramenta, alienum etiam est ritus hos speciales secundum omnia elementa posse comparari cum hisce caerimoniis N. L. — Admitti nequit *secundum:* Eo quod caerimoniae V. L. forent appellandae sacramenta, quia sunt signa gratiae sanctificantis in posterum conferendae, consequens esset sacrificia N. L., in quantum sunt sacrificia, esse sacramenta. Sacrificia enim, ratione oblationis Deo factae, significant gratiam in posterum conferendam. Atqui id iterum est alienum a mente Patrum. Ergo.

30. — **Secunda pars.** SACRAMENTA VETERIS LEGIS SUNT SIGNA GRATIAE A CHRISTO CONFERENDAE ET SANCTITATEM LEGALEM CONFERUNT.

(1) Cfr. DENZINGER, *Enchiridion symbolorum* etc. n. 590. — Cfr. S. TH. Ia IaeI, q. CII, a. 5.

Prob. Ex eis quae in prima parte fuerunt probata, constat in V. L. exstitisse nonnulla sacramenta proprie dicta, nempe signa demonstrativa gratiae et practica sanctitatis. Itaque aut fuerunt signa gratiae praesentis aut gratiae futurae; contulerunt sanctitatem aut internam aut externam. Atqui sacramenta V. L., si excipitur circumcisio, non fuerunt signa gratiae praesentis, neque contulerunt sanctitatem internam. Ergo manet ut sacramenta V. L. dicantur fuisse signa gratiae futurae et contulisse sanctitatem externam. Ergo.

Prob. min. Ex indole utriusque legis : a) Vi indolis novae legis sacramenta N. L. sunt signa demonstrativa gratiae *in praesenti conferendae.* Vi indolis legis veteris, sacramentis V. L. proprium esse debet esse signa gratiae *quondam per Christum conferendae.* b) Vi N. L. indolis proprium est sacramentis N. L. ut causent gratiam *internam.* Vi V. L. indolis proprium esse debet sacramentis V. L. causare sanctitatem *legalem.*

1. Character distinctivus N. L. reponitur in eo quod Christus attulit a) *gratiam et veritatem :* « Lex per Moysen data est, gratia et veritas per J. C. facta est » (Joh. I, 17) ; — b) *legem scriptam in cordibus :* « Hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos... : Dando leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas ; et ero eis in Deum et ipsi erunt mihi in populum » (Hebr. VIII, 10); — c) *circumcisionem cordis in spiritu :* Rom. II, 29; — d) *spiritum adoptionis filiorum :* « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore ; sed accepistis spiritum filiorum in quo clamamus Abba (Pater). » (Rom. VIII, 15). Ergo sacramenta V. L. nequeunt significare gratiam in praesenti conferendam, neque eam conferre ; cum tamen sint sacramenta proprie dicta, cum proinde sint signa gratiae et aliquam sanctitatem conferant, restat ut significent gratiam postea per Christum conferendam et tribuant sanctitatem legalem.

2. Lex vetus in Scriptura opponitur legi novae quod a) fuerit *lex servitutis et timoris* (Rom. VIII, 15) ; — b) quod ejus *elementa fuerint egena et vacua :* « Nunc autem cum cognoveritis Deum, immo cogniti sitis a Deo, quomodo convertimini ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis » ? (Gal. IV, 9) ; — c) quod fuerit *infirma et inutilis ad sanctitatem :* « Reprobatio quidem fit praecedentis mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem » (Hebr. VII, 18) ; — d) *quod ejus justitiae fuerint omnes justitiae carnis* quae conscientiam non possunt purgare (Hebr. IX, 9 sqq.). — Ergo sacramenta V. L., si excipitur circumcisio, non contulerunt gratiam internam neque significaverunt hanc gratiam in praesenti conferendam aliis mediis.

31. — Tertia pars. ALIA EX HIS SACRAMENTIS AD POPULUM, ALIA AD SOLOS SACERDOTES SPECTABANT.

A. *Instituti sunt a Deo ritus quorum alii sanctitatem legalem contulerunt populo, alii sacerdotibus et levitis.*

Observa. Uti notat Aquinas l. c. cultus Dei generali aliquo modo ad totum populum sed speciali modo ad sacerdotes et levitas, qui erant ministri cultus divini, spectat.

Prob. Illud sanctitatem legalem et externam confert, quo quis initiatur cultui a Deo instituto, aut quo quis praestat Deo cultum ab ipso institutum, aut quo removentur ea quibus quis impeditur a cultu divino. Atqui instituti sunt a Deo, tum pro populo, tum pro sacerdotibus, ritus quibus triplex praefatus finis obtineretur. Ergo.

Prob. min. 1. Instituta est *initiatio* in statu colendi Deum : a) Omnes masculi *circumcisione,* feminae *remedio naturae* inserebantur populo Dei, uti in superioribus ostensum est.

b) Sacerdotes initiabantur statui suo per *consecrationem.* Hunc ritum a Deo fuisse institutum ad consecrandum sacerdotes Deo, eruitur ex Exodo : « Sed et hoc facies ut mihi in sacerdotio consecrentur (filii Aaron) : Tolle vitulum etc. » (XXIX, 1) ; « Aaron et filios ejus unges, sanctificabisque eos ut sacerdotio fungantur mihi » (XXX, 30). — Advertendum tamen est quaestionem inter eruditos agitari utrum nonnisi Aaron et filii ejus consecrati fuerint Deo, an praeterea posteriores sacerdotes debuerint eodem ritu consecrari, ita ut hic ritus fuerit perenniter a Deo institutus. Negat Schegg ; affirmat Scholz (1). Manifestum est ritum non perenniter institutum decidere a ratione sacramenti.

2. Institutus a Deo est *usus* eorum quae pertinent ad cultum divinum :

a) Toti populo imponebatur *esus paschalis convivii* in commemorationem beneficii redemptionis ex Aegypto (Ex. XII, 27) et ad separandos Judaeos a ceteris populis (Ib. 24, 43). Hunc ritum esse institutum a Deo, liquet ex Exodo : « Tollat unusquisque agnum per familias et domos suas..... Habebitis autem hunc diem in monumentum ; et celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno » (XII, 3-14). Nonnulli theologi dubitant an hic ritus fuerit sacramentum, plerique tamen id docent ; hoc ritu dicunt perfectiorem factam esse consecrationem Deo, quod eruunt ex solemnitate ejus et determinatione minutorum a Deo.

(1) SCHEGG, *Bibl. Archaeol.* p. 550. — P. SCHOLZ, *Die hl. Alterthüm. d. Volkes Israel* 1, 52.

b) Sacerdotibus imponebatur oblatio victimarum et *esus panum propositionis.* Legitur enim in Levitico : « Per singula sabbata mutabuntur (panes propositionis) coram Domino, suscepti a filiis Israel foedere sempiterno ; eruntque Aaron et filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto, quia sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini jure perpetuo » (XXIV, 8, 9). — Ritum hunc sanctificasse Deo suadetur uti modo.

3. Instituti sunt ritus quibus *removerentur ea quae impediebant a cultu divino :*

a) Toti populo praescribebantur *purificationes* a certis exterioribus immunditiis et *expiationes* a peccatis. Exponuntur in Levitico cap. XII-XV et in libro Numerorum cap. XIX. — Levitici capite XII exponitur puerperae immunditia et mundatio cum oblatione ; c. XIII lex et cognitio leprae sacerdotibus commissa ; c. XIV leprae mundatio ; c. XV expiatio ac purificatio seminiflui viri, concubantium, menstruosae mulieris et haemorrhoissae. — Num. XIX traditur ritus parandi aquam lustrationis ; ostenditur quomodo variae immunditiae abluerentur aqua expiationis, quae fiebat ex cinere vaccae rufae ; denique exponuntur aliae causae immunditiae et expiationes. — Porro purificationibus a Deo institutis reddebatur idoneitas ad cultum divinum, sanctitas legalis.

b) Sacerdotibus praescribebatur *ablutio manuum et pedum, rasio pilorum* et aliae caerimoniae : « Et locutus est Dominus ad Moysen dicens : Tolle levitas de medio filiorum Israel et purificabis eos juxta hunc ritum : Aspergantur aqua lustrationis et radant omnes pilos carnis suae » (Num. VIII, 5-7).

B. *Hi ritus, Deo instituente, significabant gratiam N. L.*

Prob. 1. In genere : Ex I Cor. X, 11. « Omnia in figura contingebant illis ; » et Hebr. X, 1 : « Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. » — Et re quidem vera ex comparatis utriusque legis sacramentis constat circumcisionem fuisse figuram Baptismi ; esum agni paschalis et panum propositionis, Eucharistiae ; purificationes et expiationes, Paenitentiae ; consecrationem sacerdotalem, Ordinis.

2. In specie : a) *De esu agni paschalis.* Immolatione agni paschalis significatam esse immolationem Christi, colligitur ex I Cor. V, 7 ratione habita modi loquendi Paulo familiaris : « Pascha nostrum immolatus est Christus. » — Esu agni significatum esse esum corporis Christi in sacramento, eruitur ex Paulo dicente I Cor. V, 8 : « Epulemur... in azymis sinceritatis et veritatis. » Ad quem locum Pauli et Exodi, haec cum divo Thoma (1) notasse juverit : α) sanguis agni liberans ab extermina-

(1) S. TH. Ia IIae, q. CII, a. 5, ad 2m.

tione, linitis superliminaribus domorum, significat fidem passionis Christi in corde et ore fidelium ; β) in comestione agni adhibitae sunt assae igni, ad significandam passionem vel caritatem Christi ; γ) agnus est comestus cum azymis panibus, ad significandam puram conversationem fidelium sumentium corpus Christi ; δ) lactucae agrestes addebantur in signum paenitentiae peccatorum ; ε) renes accingendi cingulo castitatis; ζ) calceamenta pedum sunt exempla mortuorum patrum ; η) baculi habendi in manibus significant pastoralem custodiam.

b) *De sacerdotali consecratione et de expiationibus*, agitur in libro Levitici cc. VIII-X.

Scholion. Quaeres quare reliqua sacramenta N. L. non habuerint sui figuram inter sacramenta V. L. ?

Resp. D. Th. l. c. ad 3m. « Sacramento... confirmationis, quod est sacramentum plenitudinis gratiae, non potest respondere in veteri lege aliquod sacramentum, quia nondum advenerat tempus plenitudinis, eo quod *neminem ad perfectum adduxit lex* (Hebr. VII, 19). Similiter autem et sacramento extremae unctionis, quod est quaedam immediata praeparatio ad introitum gloriae, cujus aditus nondum patebat in veteri lege, pretio nondum soluto. Matrimonium autem fuit quidem in veteri lege, prout erat in officium naturae, non autem prout est sacramentum conjunctionis Christi et Ecclesiae, quae nondum erat facta. Unde et in veteri lege dabatur libellus repudii, quod est contra sacramenti rationem. »

ARTICULUS V.

De exsistentia sacramentorum. N. L.

D. TH. III, q. LXV. — SUAR. COMM. IN IIIm p. q. LXV. — Vasq. in IIIm, q. LXV, d. CXXXIX. — Lugo d. III, s. 3.

Inquiremus a) an septem, nec plura nec pauciora sacramenta in N. L. fuerint instituta, b) cur conveniens fuerit tot praecise sacramenta condi. — Per modum scholion pauca subjiciemus de ordine sacramentorum et de excellentia sacramentorum N. L. supra sacramenta vetera.

§ 1. DE NUMERO SEPTENARIO SACRAMENTORUM. N. L.

BELLARM. DE CONTROV. T. II. DE SACR. L. II, CC. XXIII-XXVII. — VASQ. l. c. — FRANZELIN, DE SACRAM. IN GEN. Theses XVIII-XX.

32. — SENTENTIA CATHOLICA est a) *septem,* nec plura nec pauciora, in Ecclesia esse sacramenta ; b) haec sacramenta *ex opere operato,* in eo

qui rite ipsa suscepit, gratiam sanctificantem primo conferre aut amplificare. — Utrumque fide certum esse definitum est Concilio Tridentino (1). Idem jam declaratum erat a° 1439 decreto Eugenii IV in Concilio Florentino (2).

Itaque sacramentum N. L. recte definitur *signum demonstrativum et practicum gratiae,* aut *ritus sensibilis debito modo suscipienti conferens gratiam ex opere operato.*

Nihil obstat quin in hac quaestione de numero septenario praesupponantur ea quae postea demonstrabuntur, scilicet sacramentis N. L. conferri gratiam sanctificantem seu sanctitatem internam, eamque conferri ex opere operato. — Potest tamen etiam praescindi a disputandis postea et nomine sacramenti intelligi « ritus sacer a Deo, aut vi potestatis a Deo collatae, stabiliter institutus, gratiam sanctificantem significans et sanctitatem homini bene ipsum suscipienti conferens. »

Ex postea demonstrandis elucescet sacramenta dividi a) in imprimentia et non imprimentia, seu non iterabilia et iterabilia; b) in sacramenta mortuorum et vivorum; c) in sacramenta consistentia in usu et permanentia.

Sententia Protestantium. Utrique asserto refragantur Protestantes:

1. Sacramenta, aiunt, ex usu suo, sive ex opere operato, nullam gratiam habitualem causant, sed tantum *ex opere operantis,* nempe excitando in subjecto sacramentorum fidem (seu fiduciam) specialem in promissiones divinas ad se factas de remissione peccatorum et de aeterna salute per hanc fidem obtinendis. — Haec pars doctrinae protestantium uberius explicabitur et refutabitur, ubi agetur de efficacia sacramentorum *ex opere operato.*

2. Quoad numerum sacramentorum hujuscemodi, conveniunt Protes-

(1) Conc. Trid. « Si quis dixerit sacramenta novae Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem: videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Paenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, anathema sit. » Sess. VII, can. 1. — « Si quis dixerit sacramenta novae Legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel justitiae, et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit. » Ib. can. 6. — « Si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, anathema sit. » Ib. can. 7.

(2) Conc. Florent. « Novae legis septem sunt sacramenta: videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Paenitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium: quae multum a sacramentis differunt antiquae legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. » Denz. *Enchiridion,* n. 590.

tantes in affirmando *ea non esse numero septem.* In assignando numero non tantum diversi auctores dissentiunt inter se, sed insuper idem auctor in aliis locis aliud opinatur.

Prima Lutheranorum sententia est, *unum* tantum esse sacramentum, nempe *Baptismum,* quamvis plura sint sacramentalia signa. Ita Lutherus (1).

Secunda tenet *duo* esse sacramenta, *Baptismum* et *Eucharistiam.* Ita Lutherus, Melanchton, Illyricus, Selneccerus, Kemnitius (2).

Tertia ponit *tria* esse sacramenta. Qui ternario numero adhaerent, in aliis dissentiunt.

a) Juxta alios haec sacramenta sunt Bapt., Euch., Paenit. — Est sententia communior apud Protest. — Eam tradit Lutherus (3). Haec sententia Lutheri non prorsus adversatur secundae sententiae: rigide loquendo, ait, baptismus et panis sunt sola sacramenta, utpote constantes ex signis *visibilibus ;* paenitentia enim constat ex signo *audibili.* — Eamdem sententiam proponunt fere omnes catechismi Lutheranorum, ut catechismus Philippi (a° 1530), Brentii et aliorum, libri rituales, Apologia Confessionis August. art. 13. — Cum apud Lutheranos quicumque ad gradus aut ad pastoratum promovetur, juret in verba Confessionis et Apologiae, dicendum est his contineri veram Protestantium doctrinam de sacramentis.

b) Juxta Zwinglium (4) sacramenta sunt Baptismus, Coena, Matrim. Notare juvat Zwinglium (Op. cit. c. de sacr.) duo tantum tradere sacramenta, baptismum et coenam ; at capite de matrimonio tertium addit ; illud tamen vocare sacramentum metuit, ob dignitatem suam ; vocabulum enim matrimonii multo illustrius ducit quam sacramenti.

c) Juxta Calvinum sacramenta sunt Baptismus, Coena, Ordinatio (5).

Quarta recipit *quatuor* sacramenta : Bapt., Coenam, Paenitentiam, Ordinationem. Sic Philippus in locis editis annis 1536°, 1552° et 1558° ; sic etiam Lucas Lossius (6). Haec sententia est composita ex Lutheranismo et Calvinismo.

Quinta est Philippi in locis ultimo editis, a° 155[illegible]° ; aperte profitetur quatuor sacramenta, propendet tamen ad addendum *matrimonium* cum

(1) Luth. in l° *De Captivitate Babylonica,* initio. — (2) Melanchton, In locis anni 1521 et 1522, cap. de signis; Illyricus, *Conf. Antverp.* c. xi, de sacr., et c. xviii de absolut. Nic. Selneccerus, in 2 p. *Paedagogiae,* c. de sacr.; Kemnitius, in IIa p. *Examinis,* c. de num. sacram. — (3) In l. *De capt. Bab.,* et in l. ad Prag. *De instit. ministris* a° 23; l. *De missa priv.* a° 24; *Assert. contra Lovan.* a° 45 qui fuit penultimus vitae. — (4) Zwinglius, *De vera et falsa religione.* — (5) L. IV *Inst.* c. xviii, §§ 19, 20; c. xix, § 31; *Antidot. Conc. Trid.* sess. VII, can. 1. — (6) *Catech.* ed. a° 57°.

Zwinglio. Asserit matrimonium esse signum rei sacrae, habere mandatum divinum, et habere annexam promissionem. Deest ei institutio a Christo, cum fuerit ante Christum. At haec non potest esse Philippo ratio cur e censu sacramentorum repellatur, cum existimet baptismum Johannis fuisse sacramentum.

Sexta docet *sex* esse sacramenta. Lindanus (1) eam adscribit Gulielmo Postello (2). Hic tamen postea catholice obiit.

Duobus annis post obitum Lutheri, a° 1548, in quodam Lipsensi conciliabulo, declaratum est *septem* esse sacramenta. Interfuere Philippus, theologi multi Wittenbergenses et Lipsenses (3). Mox qui huic conciliabulo adhaeserunt, vocari coeperunt *molles Lutherani*. Matthias Illyricus queritur quod in *Interim Lipsensi* septem Papistarum sacramenta restituantur (4). Principes mollium appellantur ab eodem *haeresiarchae* (5).

33. — Demonstratio sententiae catholicae duobus modis fieri potest.

A. Priori modo argumentum desumitur *ex Scriptura prouti subjacet interpretationi Patrum*. Ostenditur Scripturam, si minus expressis verbis asserit sacramenta esse numero septem, immo si per se solam et nude sumptam non clare, distincte, determinate describit, tanquam signa demonstrativa et practica gratiae, omnes hos ritus quos Tridentinum docet esse sacramenta ; attamen eam omnes hos ritus, alios quidem clare, alios autem obscure, exhibere uti demonstrativos et practicos gratiae, ita ut sensus Scripturae ope traditionalis interpretationis de posterioribus ritibus clarus et determinatus evadat. — Porro in tali argumentatione recurrendum esset ad Patrum testimonia, et ostendendum foret nullum esse ex his ritibus qui multorum Patrum diserta doctrina, et usu omnium fidelium, cujus testes sunt Patres, habitus non fuerit tanquam verum sacramentum. Fatendum tamen esset tum Patres expressis verbis non loqui de numero septenario sacramentorum, tum etiam *singulos* Patres non describere tanquam gratiam significantes et conferentes, *singulos* ex ritibus quos Tridentinum sacramenta vocat. — Porro nemo non videt quanti foret laboris in limine tractationis de sacramentis N. L., talem argumentationem adornare. — Hanc viam inire tentavit Bellarminus (6). — Suppetit alia via :

B. Posteriori modo argumentum accipitur *ex traditione viva,* seu ex

(1) *Tab. analyt.* — (2) In *Panthenosia.* — (3) Joh. Sleidanus. *Hist.* l. XX. — (4) *Adhort. ad const. in agnita J. C. relig.* et *August. Confess.* — (5) In praefatione VII^ae *centuriae.* — (6) *De Sacr. in gen.* l. II, Controv. V, c. XXIII-XXVII.

eo quod diutissime antequam Protestantes ea de re litem moverent, doctrina de numero septenario, tanquam a majoribus jamdudum accepta, viguit tum in praedicatione ecclesiastica, tum in quotidiano usu omnium fidelium. Illud argumentum vocatur *praescriptionis*.

Itaque ut intentum assequamur, duo sunt probanda : a) Antequam litem moverint, in Ecclesia habita est *diuturna et tranquilla possessio* hujus dogmatis ; tranquilla, inquam, h. e. nullo reclamante. b) Talis possessio dogmatis est signum apostolicitatis hujusce dogmatis; sive aliter, impossibile est ut dogma quod diutissime fideles profitentur, nullo reclamante, fuerit introductum post aevum apostolicum.

Observa. 1. Praescriptio intelligitur : a) acquisitio legitima rei per diuturnam et tranquillam illius possessionem ; b) exceptio quae, contra eum qui de legitima rei possessione litem movet, petitur ab eo, in quem lis movetur, ex eo quod res fuerit possessa quiete per certum tempus lege definitum.

2. Duplex est praesciptio : *theologica* et *civilis*. — Ad utramque requiritur a) diuturna possessio ; b) tranquilla possessio, seu absentia reclamationis per tempus quod ad praescribendum requiritur. — Discrimen inter utramque habetur penes illud quod per praescriptionem civilem, vi tranquillae et diuturnae possessionis rei, possessio rei evadit legitima, etiamsi res illegitime fuerit acquisita, et proinde quod praescriptio legitimat possessionem ; dum contra per theologicam praescriptionem possessio diuturna et tranquilla dogmatis non efficit ut dogma e falso evadat verum, adeoque praescriptio non est causa legitimans, sed talis possessio est *signum quo dignoscitur veritas dogmatis,* uti ex argumento constabit.

THESIS IV[a]. — Septem esse, neque plura neque pauciora, sacramenta proprie dicta Legis Novae, dogma est ab apostolica traditione derivatum.

34. — Prob. Arg. I[m]. Petitur *ex praescriptione*. Illud est reapse institutum a Christo, quod Apostoli docuerunt a Christo esse institutum ; id vero Apostoli tradiderunt a Christo esse institutum, quod Ecclesia diutissime, nulloque reclamante, theoretice et practice fidelibus proponit fide credendum (1). Atqui universa Ecclesia per plura secula, quotidiano

(1) Ad rem s. Aug. : « Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur » *De Bapt.* l. IV, c. xxiv. Migne, P. L. t. XLIII, col. 174.

usu et solemni doctrina, professa est et fidelibus proposuit tanquam dogma revelatum, septem esse in N. L. sacramenta proprie dicta. Ergo.

I. *Probatio majoris :* Illud reapse esse institutum a Christo, quod Apostoli docuerunt a Christo fuisse institutum, liquido constat tum ex perpetuitate verae Ecclesiae Christi, tum ex infallibilitate personali Apostolorum. — Restat itaque ut demonstretur altera pars majoris.

Si doctrina quam universa Ecclesia, usu et doctrina, diutissime et tranquille profitetur ut revelatam, non derivatur ab Apostolis, sed est novitas aetate sequenti introducta ; consequens est eo tempore quo novitas est invecta et aetate subsequenti : a) vel non fuisse reclamatum — secus enim possessio non foret tranquilla —; b) vel reclamatum quidem fuisse, verum reclamationis nullum permansisse vestigium. Atqui utrumque apparet esse impossibile. Ergo.

Prob. 1ª pars min. a) Ecclesia semper et multis modis fidelibus hanc regulam inculcavit : « tenaciter inhaerendum esse traditionibus apostolorum, nihil in his esse innovandum, » uti constat ex testimoniis Ignatii Martyris, Irenaei, Cypriani, Tertulliani, Origenis, Stephani P., Coelestini P.(1). Ecclesiae particulares juxta hanc normam haereses dignoscebant, et a se repellebant. Atqui cum inculcatione istius regulae conciliari nequit quod undique non fuisset reclamatum contra novitatem introductam circa sacramentorum numerum. Ergo.

Regulam in majore traditam exprimit Vincentius Lirinensis dicendo : « Magnopere curandum esse ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. » (2).

---

(1) Regula semper fuit ut « tenaciter inhaereretur traditionibus Apostolorum » (Ign. Mart. ap. Eus. *Hist. Eccl.* l. III, c. xxxvi) ; « ut fideles stabilem custodirent fidem quam bene custoditam ab Ecclesia accepissent » (Iren. *Adv. haeres.* l. V, in praef.) ; « ut in ea regula incederent quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidisset » (Tert. *De praescript.* c. xxxvii) ; « ut ad originem veritatis redirent » (Cypr. *De unit. Eccl.* c. iii) ; « ut tanquam certam lineam, manifestamque regulam tenerent apostolicam traditionem » (Orig. *De princ.* l. I, in praef. n. 2) ; « ut nihil innovarent nisi quod traditum esset » (S. Steph. P., ap. Vinc. Lirinens. in *Commonit.* c. vi) ; « ut desineret incessere novitas vetustatem » (Coelestinus P. ib. c. xxxiii) ; « ut ne ultra quidquam liceret novitati, quia nihil addi convenit vetustati » (Xystus P., ib.).

(2) Vincent. Lirin. « In ipsa item Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est : hoc est etenim vere proprieque catholicum (quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quae omnia vere universaliter comprehendit) sed hoc ita demum fiet : si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem *universitatem* hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia ; *antiquitatem* vero ita si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos Majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est ; *consensionem* quoque itidem, si in ipsa vetustate, omnium vel certe pene omnium sacerdotum pariter et Magistrorum definitiones sententiasque sectemur. » *Pro cath. fid. antiq. adv. prophanas omnium haeret. novat.* c. ii. M. L, 640.

b) Dogma de sacramentis est de re practica, cujus usus in populo fidelium erat quotidianus. Atqui est impossibile ut contra novitatem hujuscemodi rei non fuisset reclamatum. Ergo.

c) Omni aetate grassatae sunt haereses: haeretici valde oculati erant, ut circumspicerent omnia quae apud catholicos gererentur; sedulo notabant quidquid ipsis videbatur deflectere a doctrina vel disciplina antiquitus tradita. Ergo impossibile est ut non magno clamore conclamassent contra novitatem introductam in re sacramentaria.

Prob. 2ª pars min. Ex omni seculo christiano ad nos usque manaverunt testimonia et documenta, in quibus notantur non tantum ea quae notatu digna sunt, sed etiam minutissimae mutationes, quae circa disciplinam ecclesiasticam, ritus cultus divini, caerimonias sacras fiebant. Atqui, sic se re habente, impossibile est ut annotatum non fuisset tempus quo novitas fuisset introducta circa sacramenta, aut ut nulla mentio fieret reclamationis quae contra hanc novitatem esset exorta. Ergo.

II. *Universa Ecclesia diutissime et tranquille professa est, tanquam divinitus revelatum, septem esse sacramenta.* — Seculo XVI° impugnarunt protestantes doctrinam numeri septenarii sacramentorum. Jamvero afferuntur testimonia quatuor seculorum, quibus constat hanc doctrinam ubique, nullo reclamante, creditam esse ut divinitus revelatam. — Probatur, duce card. Franzelin, ex testimoniis Patrum, et testimoniis Doctorum Scholae.

A. *Testimoniis Patrum:* 1. Seculo XII°, a) Otto episcopus Bambergensis et apostolus Pomeranorum, circa annum 1127^m profecturus a fidelibus, quos ipse in fide erudierat, per modum testamenti iis iterum iterumque tradit « quae tradita sunt a Domino, arrham fidei sanctae inter vos et Deum, septem scilicet sacramenta Ecclesiae, quasi septem significativa dona Spiritus Sancti, » quibus dictis, singula sacramenta enumerat et describit (1).

(1) Otto : « Discessurus a vobis trado vobis, quae tradita sunt nobis a Domino, arrham fidei sanctae inter vos et Deum, septem scilicet sacramenta Ecclesiae, quasi septem significativa dona Spiritus Sancti... Videte ergo et tenete, ut sciatis diligenter enumerare, quae tradimus vobis discedentes a vobis. Primum ergo sacramentum est, quo jam imbuti estis, sacrosanctus *Baptismus*... Secundum sacramentum est *Confirmatio*, id est unctio chrismatis in fronte. Hoc sacramentum victuris est necessarium, videlicet ut Spiritus Sancti corroboratione muniantur et armentur .. Tertium sacramentum est *Unctio infirmorum*, quod ideo morituris est necessarium, quia in illa unctione per virtutem Spiritus Sancti remissio datur peccatorum, et ipse qui moriturus est contra spirituales nequitias, i. e. contra malignos spiritus in exitu vitae animabus insidiantes, eadem Spiritus Sancti virtute pugnaturus armatur... Quartum sacramentum est *Eucharistia*, id est corpus et sanguis Domini .. Quod si non potestis, quia carnales estis, huic tam sanctissimae rei per vos ad omnes Missas participari, saltem per mediatorem vestrum, scilicet sacerdotem,

b) Eodem seculo Gregorius Bergamensis (1133-1146) disertis verbis testatur Ecclesiae sacramenta a Christo instituta *numero adimpleri septenario* (1).

c) Magister Rolandus (Bandinellus), postea Alexander III, in *sententiis* quas circa annum 1150 composuit, septem Ecclesiae sacramenta ex ordine enumerat (2).

d) Connumeratio omnium septem sacramentorum, cum statutis specialibus observandis in eorum administratione, vel cum singulorum declaratione, pariter exstat in « Synodicis Constitutionibus » Odonis Episcopi Parisiensis, anno 1197 (3).

2° Seculo XIII°. Eadem connumeratio exstat: a) in professione fidei ab Innocentio III praescripta Waldensibus anno 1210 (4). — b) In « Constitutionibus » Richardi episcopi Sarum in Anglia, et iisdem Concilii Dunelmensis, anno 1217 vel 1223 (5). — c) In « Statutis » editis a Stephano Langton Archiep. Cantuar. anno 1222 « legendis in Concilio Oxoniensi » (6). d) In « Capitulis Concilii Londinensis », praeside legato Apostolicae sedis, anno 1237, cap. II (7); et in Constitutionibus synodalibus anglicis, anno 1237 (8). — e) In confessione fidei Michaelis Palaeologi, ipsi a Clemente IV, anno 1267, proposita et ab ipso in Concilio Lugdunensi II, anno 1274, Gregorio X oblata, ubi asseritur Romanam Ecclesiam tenere septem esse ecclesiastica sacramenta supra citata (9).

---

qui pro vobis communicat, fideliter, reverenter et devote Missas audiendo communicate. Oportet tamen et vos ipsos ter vel quater in anno, si amplius fieri non potest, et confessionem facere atque ipsi sacramento communicare... Quintum sacramentum est *per paenitentiam Reconciliatio lapsorum*... Sextum sacramentum est *Conjugium*... Septimum sacramentum est *Ordinatio* sive consecratio clericorum. Ista ergo *septem sacramenta* quae iterum vestri causa enumerare libet, Baptismum, Confirmationem, infirmorum Unctionem, Eucharistiam, lapsorum Reconciliationem, Conjugium et Ordines, per nos, humiles suos paranymphos, sponsus coelestis in arrham verae dilectionis vobis Ecclesiae suae transmittere dignatus est... Docete ea filios vestros, ut memoriter teneant et diligenter observent in omnes generationes. » *Vita s. Ottonis*, 2ª Julii, apud BOLLAND. T. I Julii, p. 396, 397. — Cfr. M. P. L. t. CLXXIII, 1357-1359. — Cfr. *Monum. Germ. Hist.*, script. 20, 732; cf. 700 sq.

(1) GREG. BERG. « Verum ne quis occasione dictorum existimet tot esse sacramenta, quot sunt quibus congruit sacramenti vocabulum, scire debemus ea solum esse Ecclesiae sacramenta, a servatore nostro Jesu instituta, quae in medicinam nobis tributa fuere, et haec numero adimplentur septenario. » *De veritate corporis Christi*. Opusc. contra Berengarium. Cfr. Zeitschr. für Kath. Theol. Innsbruck 1878, p. 800. — (2) *Die Sentenzen Rolands*. Herausg. v. A. M. Gietl (Freiburg, 1891) p. 154 et sq., cum nota 194 et sq. — (3) MANSI, t. XXII, p. 677 sqq. — (4) BULLAR, t. III, P. I, p. 142. Cfr. Denz. n. 366 sqq. — (5) MANSI, XXII, p. 110, cap. XIII. — (6) Ib. p. 1173. — (7) Ib. t. XXII, p. 448. — (8) Ib. 465. — (9) « Tenet etiam et docet eadem Romana Ecclesia septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet *Baptismum* de quo dictum est supra; aliud est sacramentum *confirmationis*, quod per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos; aliud est *paenitentia*, aliud *eucharistia*, aliud sacramentum *ordinis*, aliud est *matrimonium*, aliud *extrema unctio*, quae secundum doctrinam beati Jacobi infirmantibus adhibetur. » Cfr. Denz. *Enchiridion*, n. 388.

3° Seculo XV. a) Post Concilium Constantiense, ex mandato Martini P. V. (Bulla *Inter cunctos*) qui suspecti erant errorum Wikleff et Huss, de variis interrogandi erant ; speciatim de septem sacramentis agunt articuli 15-22 (1) — b) Denique Concilium Florentinum, a° 1439 celebratum, in decreto pro Armenis, fuse proponit totam doctrinam de sacramentis tanquam in Ecclesia receptam (Denz. n. 590 sqq.).

B. *Testimoniis Scholae.* 1. Seculo XII° a) quo tempore s. Otto apostolus Pomeranorum neophytis doctrinam de re sacramentaria scriptis consignatam reliquit, eodem ferme tempore prodierunt libri » *De caerimoniis, sacramentis et observationibus ecclesiasticis,* » ubi legitur in Ecclesia ministrari *septem principalia sacramenta,* quorum indoles exactissime describitur (2). — b) Paulo post, Petrus Lombardus, Magister Sentent., postquam reliquam theologiam tribus prioribus libris distribuerat, libro denique quarto distinctione I-XLII, doctrinam de sacramentis, ex Scriptura et Patribus haustam, proposuit. Sacramento proprie dicto intelligit id « quod ita signum est gratiae Dei et invisibilis gratiae forma, ut ipsius imaginem gerat et causa exsistat. » Hanc definitionem asserit convenire solis sacramentis N. L. Mox in distinctione II[a] enumerat quaenam sint haec sacramenta N. L. quibus praefata definitio convenit. Sunt autem « Baptismus, Confirmatio, Panis benedictio, i. e. Eucharistia, Paenitentia, Unctio extrema, Ordo, Conjugium. » — c) Non aliter loquitur Petrus Pictaviensis, successor Magistri (3).

Observa. Manifeste falsum est id quod a nonnullis protestantibus asseveratur, septenarium scilicet sacramentorum numerum ex eo trahere

---

(1) Cfr. Denz. nn. 559-566.

(2) « Septem sunt principalia sacramenta, quae in Ecclesia ministrantur; quorum quinque generalia sunt, quia ab eis neuter sexus, nulla aetas, conditio nulla excluditur; videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Paenitentia, Unctio infirmorum. Duo particularia sunt, eo quod non tribuantur omnibus sed quibusdam hominum, Ordines scilicet et Conjugium. » I, XII. — Illud opus quod diu adscriptum est Hugoni a S. Victore (1097-1141), adscribendum videtur Roberto Pullo. (Vid. M. P. L. CLXXVII, col. 382, 388). At certe est antiquioris aetatis ac liber sententiarum Petri Lombardi.

Ad vocem *principalia,* observandum est sumi nomen sacramenti sensu generico : « sacramentum, inquit, aliquando dicitur sacrae rei signum, aliquando quasi sacrum secretum. » Ibid. Hinc « principalia sacramenta » appellat ea, quae nunc nominantur sacramenta specifice et proprie dicta.

(3) PETRUS PICTAV. « Sacramentorum novae Legis alia sunt necessaria vel generalia, alia specialia quae et voluntaria dicuntur. Necessaria sunt sine quibus vix habetur salus, ut baptismus, confirmatio, eucharistia, paenitentia, unctio extrema. Voluntaria sunt sine quibus potest esse salus, ut ordo, conjugium » (In p. V, c. III). — Deinde c. XVII : « De ultimo *septem sacramentorum*, id est extrema unctione, ultimo loco esset agendum nisi quia fere nulla disputabilia circa ipsum audivimus, et si quae sunt, alibi sufficienter scripta continentur ».

originem, quod Petrus Lombardus junxerit et miscuerit ea quae de sacramentis invenit apud Hugonem Victorinum et apud Robertum Pullum (1). Falsitas enim hujus asserti vel ex eo solo est manifestissima, quia numerus septenarius sacramentorum veluti articulus fidei christianae docetur ab Ottone et Gregorio Bergamensi, quorum uterque ante Hugonem et Pullum scripserunt.

2. Seculis sequentibus scholastici universi commentariis suis in Magistrum libere de privatis Magistri opinionibus sententiam suam aperiunt; *septenarium autem numerum sacramentorum nullibi sunt aggressi, cum tanquam dogma fidei habeant.* Magistro duce, prius tradunt ea quae omnibus sacramentis sunt communia, deinde quae singulis sunt propria.

Porro omnes hos theologos habere illud dogma tanquam certo ex apostolica traditione derivatum, non vero tanquam sententiam sub disputatione inter catholicos positam, liquet ex ratione sua agendi. Hanc enim doctrinam non proponunt uti probabilem, aut minus certam, sed omnimodis certam, immo difficultates plerique proponunt nullas. Non pauci insuper non examinant an *de facto* sint septem sacramenta, sed tantum inquirunt de *necessitate* septem sacramentorum.

35. — **Arg. II^{m}.** — Petitur *ex consensu ecclesiarum orientalium, tum schismaticarum tum haereticarum, cum Ecclesia Romana.*

Tum graeci schismatici, tum sectae orientales Nestorianorum et Monophysitarum, doctrinam de septenario sacramentorum numero profitentur haud secus atque Ecclesia Catholica. Atqui hic consensus optime explicatur, admisso istud dogma esse derivatum ab apostolis; secus autem explicari nequit. Ergo admittendum est dogma citatum ab apostolica traditione derivari.

I. *Schismatici et haeretici profitentur septem esse N. L. sacramenta.*

A. *De schismaticis* id probatur 1° *negative.* In Concilio Lugdunensi II (a° 1274) et in Concilio Florentino (a° 1439) tentata est reconciliatio Graecorum et Latinorum, unioque utriusque ecclesiae. Ecclesia Romana profitebatur dogma septenarii numeri. Nullum autem in his Conciliis notatum est discrimen quoad substantiam istius dogmatis inter utramque ecclesiam. Atqui si exstitisset aliquis dissensus, certo notatus fuisset, siquidem notata sunt cetera discrimina in fide, in disciplina, in modo administrandi sacramenta, utramque ecclesiam dividentia.

2. Idem probatur *positive.* a) Anno 1274 in Concilio Lugdunensi

(1) Cf. HARNACK, *Dogmeng.* III, 463, sq.

proposita est Michaeli Palaeologo professio fidei agnoscens septem esse sacramenta proprie dicta. Quae professio a Michaele oblata est Gregorio P. X.

b) Anno 1439, Gregorius Protosyncellus, qui in Concilio Florentino locum tenuit Patriarchae Alexandrini et qui postea fuit Patriarcha Constantinopolitanus, in *Apologia adversus Marcum Ephesinum,* eamdem doctrinam profitetur (1).

c) Anno 1429, Simeon archiepiscopus Thessalonicensis aperte etiam profitetur septem esse sacramenta N. L. quae gratiam causant (2).

d) Seculo XVI° et XVII°, conati sunt protestantes Tubingenses ad castra sua adducere Graecos :

α) Primum id est aggressus Philippus Melanchton. In hunc finem epistolam dedit ad Josaphatam patr. Const., ad quem insuper misit Confessionem Aug. Jamvero Josaphat ne rescribere quidem est dignatus.

β) Post professores quidam Tubingenses, Martinus Crusius et Jacobus Andreae, novum exemplum Confessionis Augustanae ejusque explicationem simul cum pecunia aliisque donis transmiserunt ad Jeremiam patriarcham aliosque Graecos, et ut responsa faceret postulaverunt. — Jeremias, consilio cum sacerdotibus suis habito, anno 1576 responsa dedit et refutavit Confessionem Augustanam ; aperte affirmavit Graecos profiteri septem esse sacramenta eorumque fidem esse haustam asserit ex oecumenicis synodis et ex sententia ss. Doctorum interpretumque sacrae Scripturae (3). Cum insisterent iterum iterumque professores Tubingenses ut Graeci ad novitates se converterent, Jeremias eamdem doctrinam de sacramentis veluti a Christo et ab Apostolis acceptam

(1) Tempore Concilii Florentini, cum Marcus Ephesinus in suo libello « ad omnes ubique terrarum et insularum Christianos » inter ceteras causas separationis objecisset quod Latini baptizant infusione, non vero immersione aquae, et quod cum baptismo non conjungunt chrisma ; respondit Gregorius Protosyncellus in sua *Apologia* : « Unum novit et ipse vir egregius (Marcus) baptisma nostrum et Latinorum. Cum enim nutritus sit in Ecclesia numquam vidit Latinos a nobis rebaptizari... Sed etiam chrismate Latini baptizatos inungunt, et *aeque ac nos docent initiationem chrismatis esse unum ex septem sacramentis Ecclesiae.* Adhibent vero illud cum provectiore aetate sunt homines. » etc. HARDUIN, *Concil.* t. IX, p. 620, 621.

(2) SIMEON : « Septem sunt dona Spiritus Sancti, teste Isaia, septem item Ecclesiae sacramenta, quae ab eodem Spiritu Sancto vim operandi habent, quae nimirum sunt baptisma, chrisma, communio, manus impositio, matrimonium, paenitentia et sanctum oleum. » *De sacramentis.*

(3) « Quae in ea ipsa catholica orthodoxorum christianorum ecclesia tradita sunt nobis sacramenta ritusque, septem sunt : videlicet baptisma, chrisma divini unguenti, sacrosancta communio, manus impositio, matrimonium, paenitentia et sanctum oleum. Septem enim sunt, ut Isaias ait, Sancti Spiritus dona, et Ecclesiae sacramenta septem sunt, quae per ipsum efficacitatem suam sortiuntur. » Cfr. SCHELSTRATE, *Acta orient. eccl.* I, 151, 154, 202, sq. 246 sq., 249.

repetiit et vetuit ne amplius de dogmatibus rescriberent. — Sententiam Jeremiae confirmaverunt Gabriel Philadelphiensis (1), Georg. Coresius (2), Greg. Protosyncellus (3). Scripta Jeremiae prae veneratione in tabulario Ecclesiae Constantinopolitanae sunt recondita.

γ) Anno 1625 Cyrillus Lucaris auro hollandico in sedem Constantinopolitanam intrusus, ut promissis erga Calvinistas Batavos staret, profitetur Graecorum constantem et perpetuam esse doctrinam duo tantum sacramenta, baptismum et eucharistiam, a supremo legislatore Christo esse sancita (Conf. art. XV). At illico populus et clerus restiterunt; Cyrillus a patriarchatu est depositus.

δ) Anno 1638, mortuo Cyrillo, tres patriarchae, viginti unus episcopi, viginti tres officiales, in synodo congregati sub Cyrillo Contaru, qui Lucari successerat, dicunt anathema Cyrillo Lucari profitenti non esse septem sacramenta : « Anathema Cyrillo dogmatizanti et credenti non esse septem sacramenta Ecclesiae, id est baptisma, chrisma, paenitentiam, eucharistiam, ordinem sacerdotum, extremam unctionem et matrimonium, juxta constitutionem Christi, Apostolorum traditionem atque consuetudinem Ecclesiae ; sed mentienti non esse tradita a Christo in Evangelio nisi solum baptisma et eucharistiam, ut videre est in XV ejus capitulo. »

ε) Anno 1642, Parthenus, successor Cyrilli Contaru, prius Calvinismum professus, novum concilium congregat, cui interfuerunt Petrus Mogilas, metropolita russiacus totius Russiae, viginti duo metropolitae et episcopi, viginti et unus archimandritae et praesules. Iterum damnatur doctrina Cyrilli Lucaris de numero et de natura sacramentorum. — Notandum est Parthenum non esse ductum amore erga Ecclesiam Romanam, utpote perpetuo ei infensum (4).

ζ) Anno 1643, patriarchae Const., Alex., Antioch., Hieros., multique episcopi et clerici approbarunt Confessionem orthodoxae fidei editam a Petro Mogila. A quaestione XCVIII^{a} ad quaest. CXIX^{m} ista confessio clarissime profitetur septem esse sacramenta et declarat eorum usum, naturam, sanctitatem et efficaciam (5). — Quae confessio iterum est

(1) Tract. *De sacr.* ed. Venet. a° 1600. — (2) Tr. *De sacr.* l. *De transsubst.* — (3) *Epit. div. myst.* a° 1635. — (4) Cfr. *Quartalschr. Tüb.* 1843, p 541 sq. ubi D. Héfelé rem totam exponit. — (5) Ad 10^{m} articulum, initio tractationis q. XCVIII^{ae} legitur : « Quoniam hic (fidei articulus 10us) baptismatis mentionem facit, locum nobis opportunum praebet, ut explicemus *septem sacramenta Ecclesiae*, quae sunt haec: baptisma, unguentum chrismatis, eucharistia, paenitentia, sacerdotium, honorabile conjugium et sacrum oleum (τὸ εὐχέλαιον). Haec septem sacramenta respondent septem donis Spiritus Sancti, quoniam per ea Spiritus Sanctus dona sua et gratiam suam infundit animis eorum qui, sicut oportet, ea suscipiunt. »

approbata tanquam genuina expressio fidei totius Ecclesiae orientalis.

e) Denique, uti notat card. Franzelin, disertae hae professiones et declarationes, ex recentiori occasione datae, plenissime consentiunt cum doctrina contenta in vetustis euchologiis et libris liturgicis ecclesiae graecae, in quibus ritus illi omnes, quos Ecclesia Catholica docet sacramenta esse novae legis, exhibentur et describuntur quotidiano usu frequentandi cum iis orationibus et caerimoniis, ex quibus collatio gratiae et proinde ratio veri sacramenti intelligatur (1).

B. *Nestoriani et Monophysitae idem dogma profitentur.*

1. Syros, Armenos, Jacobitos, Coptos, Aethiopes, communi consensu agnoscere septem esse sacramenta N. L. probatur a) ex attestationibus episcoporum illarum nationum seculo XVII, ubi primum haeresis Protestantium iis innotuit; — b) ex libris liturgicis diversarum communionum; — c) ex eorum testimoniis, qui inter has nationes de sacramentis scripserunt; — d) ex publico usu (2).

2. De Coptis seu Monophysitis in Aegypto, ad quos pertinent Abyssinii (Aethiopes), exstat praeclara dissertatio Joannis B. Sollerii in qua de Coptorum fide ac disciplina in re sacramentaria agitur ex testimoniis Vanslebii, maxime vero patrum Bichot et Du Bernat, quibus ex diuturna familiaritate cum illis gentibus facultas erat et voluntas sincere indagandi rei veritatem. Sacramenta ex monumentis, praxi et doctrina Coptorum, numerantur ibi hoc ordine: 1° Baptismus (tansir), 2° Confirmatio (tetbit vel meirum), 3° Confessio (eteraf), 4° Oblatio, seu sanctum, seu sacrificium (korban, koddas, seeida), 5° Matrimonium (zanage), 6° Ordo (kahanut), 7° Oleum lampadis, quo nomine apud ceteros etiam orientales designatur Unctio infirmorum (zeitil kandil) (3).

II. *Consensus schismaticorum et haereticorum orientalium cum Ecclesia Romana, in professione dogmatis numeri septenarii sacramentorum, explicari nequit nisi admittatur hoc dogma ab apostolica traditione derivari.*

Si haec doctrina ab Apostolis transmissa non est, introducta est in Ecclesia vel *ante* vel *post* haeresim Nestorianorum et Eutychianorum

---

(1) De his omnibus consuli possunt: ARCADIUS, *De Concordia Ecclesiae occid. et orient.* l. I, c. II; LEO ALLATIUS, *De consensu Ecclesiae or. et occid.* l. II, c. XVI; auctores operis *La Perpétuité de la foi*, t. I, l. III, c. IV; t. III, l. VIII; t. V (RENAUDOT) l. I, c. III-VI; HÉFELÉ in *Quartalschr.* l. c.; SCHELSTRATE op. cit. p. 125, 139, 262, 273 sq.

(2) De Monophysitis id ostendit ASSEMANI, *Biblioth. orient.* t. II, n. 5; de Nestorianis t. III parte II, c. VII, § 8, p. 240 sqq. Coptorum, Syrorum, Armenorum ritus collegit DENZINGER, *Ritus orientalium.* Cfr. *Perpétuité de la foi*, t. III, l. VIII, c. XVIII sq. Migne, III, 639 sq. et II, 1234 sq.

(3) Cfr. BOLLAND. t. V Junii, p. 140 sq.

aut schisma Graecorum. Atqui, quidquid dixeris, explicari nequit praedictus consensus. Ergo.

Probatur minor generatim hac ratione, quod semper exstiterint in omni regione praesules vigilantissimi et sancti qui omni haeresi constanter se opposuerunt.

Probatur speciatim 1ª pars minoris. Explicari nequit quomodo nullus schismaticus aut haeresiarcha exprobraverit orthodoxis quod dogmata ab Apostolis tradita in re sacramentaria corruperint. Quid tamen fuisset aptius ad commovendas gentes, easque a romana fide separandas?

Probatur speciatim 2ª pars minoris. Si dogma septenarii numeri est ortum post haereses orientalium, aut schisma graecorum, dicendum est eorum consensum cum Romana Ecclesia contigisse casu, aut consilio ; si illud alterum affirmatur, vel dogma istud dicetur ortum esse apud Latinos et ex his ad schismaticos et ad haereticos manasse, vel dicetur ortum esse apud hos et ad illos manasse. Atqui a) *consensus non ortus est casu* circa dogma novum. Dogma enim de septem sacramentis est complexum, atque synthesis ex pluribus dogmatibus. Consensissent in hac re communiones diversissimae, quae et ipsae in infinitum fere dividuntur et auctoritate nulla inter se cohaerent. Atqui sane est impossibile ut hoc casu eveniat. — b) Consensus *non transiit a Latinis ad ceteros.* Graeci quidem continuo exprobraverunt Latinis quod recessissent a traditionibus; Latini vero constanter hanc accusationem a se amoverunt. Si revera novum dogma de sacramentis in Ecclesia Romana introductum fuisset, non omisissent Graeci illud crimini ipsis vertere, nedum dogma apud se admisissent. — Idem dici de Nest. et de Eutych. — c) Consensus *non transiit a Monophysitis neque a Graecis ad Latinos.* — Probatur rationibus supra traditis : a) ex continua vigilantia pastorum ne fides corrumperetur, praesertim ne quid a fide alienum ad suos transiret ab infidelibus, ab haereticis et schismaticis ; b) quod nullum vestigium hujuscemodi transitus remanet ; c) quod impossibile est totam Ecclesiam adhaesisse dogmati ab haereticis profecto.

Cum Tertulliano concludendum est : « Ecquid verisimile est ut tot ac tantae (ecclesiae) in unam fidem erraverint ! Nullus inter multos eventus unus est exitus ; variasse debuerat error doctrinae ecclesiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. » (1)

(1) TERTULL. *Praescr.* c. XXVIII, M. II, 40.

Satisfit difficultatibus.

36. — Adversus Arg. Obj. 1°. Perperam ex consensu Scholae petitur valide argumentum ad stabiliendum dogma numeri septenarii. Eatenus enim efficax esset argumentum, quatenus scholastici eamdem essentialiter significationem vocabulo sacramenti annecterent. Atqui hoc non obtinet. Ergo.

Prob. min. a) Juxta Alensem Christus non instituit per seipsum nisi Baptismum et Eucharistiam; quare haec sunt sacramenta principalia(1). Confirmatio divino instinctu est condita in Concilio Meldensi (2). — b) Juxta Bonaventuram Confirmatio fuit instituta a rectoribus Ecclesiae post mortuos Apostolos (3). — c) Juxta Durandum matrimonium ex opere operato non confert gratiam, ideoque non est sacramentum nisi aequivoce. Atqui, his habitis, non conveniunt nobiscum scholastici in definiendo sacramento « signo sensibili, a Christo instituto, efficaci gratiae. » Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Eatenus efficax fóret argumentum ex consensu Scholae, quatenus scholastici unanimitate *morali,* cui non obstat *unius exceptio,* eamdem significationem essentialem termino *sacramenti* attribuerent, *Conc.*; unanimitate *physica, Subdist.* versante circa causas *intrinsecas, Transm.*; versante etiam circa causas *extrinsecas, Neg. Cdt. min.*

Observa. a) Scholastici doctores uno ore professi sunt septem esse sacramenta. Omnes, uno Durando excepto, habuerunt matrimonium tanquam sacramentum ex se efficax gratiae. Singularis opinio Durandi nullatenus infringit unanimitatem scholasticorum. — b) Juxta Alensem Christus non instituit quidem per seipsum nisi Baptismum et Eucharistiam, Confirmatio fuit instituta in Concilio Meldensi; verum institutio sacramentorum non spectat ad eorum essentiam seu ad causas intrinsecas, sed ad causas extrinsecas. Unde Alensis et Bonaventura non dissentiunt a ceteris circa intrinsecam indolem sacramentorum. Insuper notatu dignum est quod Bonaventura sententiam suam de Confirmationis institutione exscripsit ex Alensi, qui in errorem inductus est monumentis antiquitatis.

Obj. 2°. Scholastici septem esse sacramenta probant rationibus futilibus; v. g. quod septem sunt sigilla libri (Apoc. v, 1), septem steliae et

(1) Alens. In *Summae* part. IV, q. v. memb. 3, a. 2, § 3. — (2) Alens. ib. q. ix, memb. 1. — (3) Bonav. In 4 d. 7, a. 1, q. 1; ib. d. 23, a. 1, q. ii.

candelabra (Apoc. I, 20), septem tubae angelorum (Ib. VIII, 2), septem oculi super lapidem (Zach. III, 9), septem lucernae in tabernaculo (Ex. XXXVII, 23). Alii idem probare tentant ex analogia vitae spiritualis cum vita naturali animae, puta quod sunt septem virtutes, septem morbi spirituales. — Demum postea alii scholastici dogma a Tridentino definitum defendunt dicendo singula a nonnullis Patribus vocari sacramenta. — Atqui hae rationes nil evincunt et proinde non tantum auctoritati scholasticorum frustra innitimur, sed ex hoc merito concluditur nulla esse argumenta quibus demonstrari queat origo apostolica dogmatis de numero septenario. Ergo.

Resp. a) Scholastici varias rationes congesserunt quibus ostenderent *congruum* fuisse septem a Christo institui sacramenta. His argumentis *nullo pacto factum institutionis probant.* — b) Scholastici sequioris aevi ostendunt *Scripturas et Patres* habere singula sacramenta tanquam signa demonstrativa et practica gratiae, quod argumentum est primarium in praesenti materia. — c) Nonnulli rem confirmant ex eo quod multi Patres hos ritus vocant *sacramenta.* Fatemur nihil recte concludi ex sola hac appellatione, cum idem nomen saepe a Patribus sit inditum signo rei sacrae, quod non sit efficax gratiae. — Hinc distinguitur *1m et 2m membrum majoris.* Scholastici has rationes afferunt ut ostendant septem esse *de facto instituta* sacramenta, *Neg.;* ut ostendant *congruentiam* istius rei, *Conc.* — *Ad 3m membrum, distinguitur:* Ratio ex appellatione sacramenti est *praecipua* ratio quam afferunt scholastici, *Neg.;* secus, *Conc.*

Obj. 3°. Eatenus ex consensu schismaticorum et haereticorum peteretur validum argumentum, quatenus eosdem ritus haberent pro sacramentis, atque catholici. Atqui hoc non habetur. Etenim a) seculo XIII et XIV Job, monachus graecus, et Damascenus Thessalonicensis, monachus studita, pro sexto sacramento tradunt habitum monasticum; et pro septimo unctionem et paenitentiam jungunt; Ebed-Jesu, nestorianus seculi XIII labentis aut XIV ineuntis, pro sexto sacramento habet sacrum fermentum, pro septimo signum crucis, extremam unctionem vero et matrimonium e censu sacramentorum eliminat; Vartanus Armenus, monophysita seculi XIII, pro septimo sacramento habet funus defunctorum, unit vero extremam unctionem et paenitentiam et in sextum sacramentum traducit [1].

---

(1) Cfr. GALANUS, in *Conciliatione ecclesiae armenae*, t. II, p. 440. — ASSEMANIUS, in *Bibl. Orient.* t. III, P. II, p. 240. — ARCADIUS, *De concord.* l. I, c. II. — LEO ALLAT., *De consensu* etc. l. III, c. XVI, n. 4, p. 1256 sq. — FRANZELIN, *De sacram. in gen.* Th. XX.

Resp. *Dist. maj.* Eatenus efficaciter arguerctur ex consensu schismaticorum et haereticorum, quatenus *septem* ritus haberent pro sacramentis, *Conc.;* quatenus praecise *eosdem* ritus ut sacramenta haberent, *Subd.* quatenus plerique essent communes, *Conc.;* quatenus de *nullo* haberetur discrimen apud paucissimos ob causas quae facile assignantur, *Neg.* — *Cdt. min.* Non conveniunt schismatici et haeretici cum catholicis in *numero septenario* admittendo, *Neg.;* non ponunt *eosdem ritus, Subdist.; plerique* ritus non sunt communes, *Neg.;* quidam ritus non sunt iidem, sed ob causas varias alii alium adducunt, *Conc.*

Ad quae advertenda sunt sequentia:

α) Omnibus haereticis ratum et fixum erat *septem, neque plura neque pauciora, esse sacramenta.* Quia nefas esse ducebant a septenario numero deflectere, ideo nonnulli, novum sacramentum fingentes, duo alia in unum compegerunt. Jamvero iste consensus in professione dogmatis numeri septenarii sacramentarii explicari nequit, nisi ab apostolorum tempore derivetur. Contra dissensus inter eos vigens circa sacramenta superaddita, prodit eos sectari opinamenta privata.

β) Causam generalem ob quam a vero deflexerunt hi auctores seculo XIII° et XIV°, haud operosum est assignare. A quo tempore enim sectae haereticorum et schismaticorum ab Ecclesia Romana se separaverunt, negligentia et abusus in administratione et susceptione sacramentorum irrepserunt; brevi enatae sunt ignorantia, obscuritas, confusio de doctrina circa sacramenta, tum apud populum tum apud sacerdotes. Interim disciplina sacramentaria in libris liturgicis ecclesiarum consignata mansit (1). Hinc facile fieri potuit scriptores nonnullos explicuisse doctrinam sacramentariam harum ecclesiarum juxta sensum alienum a vero. — Causas speciales ob quas singuli in errorem sint inducti, vide, sis, apud Franzelin.

γ) Seculo XVI° consensus cum orthodoxis iterum apparet. — Cum Protestantes dogma numeri *septenarii* negarent, novitate rei commoti, attentius indagarunt haeretici libros liturgicos, traditionem, usum communem. Sic errores correxerunt, et consensum suum cum Ecclesia Romana in plena luce collocarunt.

(1) De Coptis P. Bernatus experientia doctus testatur propter ruditatem illorum hominum non facile posse perveniri ad intelligendam genuinam eorum sententiam de sacramentis, nisi, collatis ecclesiarum ritibus et libris liturgicis, sive laici sive clerici dextere interrogentur, quid de singulis sentiant. Hoc autem si fiat, tum ait apparere eorum consensum quoad rei summam cum doctrina catholica; atque ideo monet, non quorumlibet narrationibus de orientalium erroribus, in re sacramentaria credendum esse (Apud Bollandianos, t. V. Junii, p. 140). Cfr. Franzelin, Th. XX, II.

Directe contra thesim arguitur 1° ex Scripturis; 2° ex ss. Patribus.

37. — **Obj. 4°. Ex Scripturis.** *Ex silentio Scripturae circa numerum septenarium:* Scriptura numquam mentionem facit de septem sacramentis. Attamen loquitur de septem sigillis, septem stellis, etc. (Cfr. Obj. 2°) Atqui hoc est signum septem non esse sacramenta. Ergo.

Resp. a) *Neg. min.* Praeter Scripturam habetur *Traditio:* Ut verum sit dogma, sufficit ut in Traditione radicetur. Radicatur autem eo quod nullus est ritus qui non agnitus sit a populo fidelium et a Patribus tanquam practicus gratiae. — b) *Dist. maj.* Scriptura numquam *una connumerat* sacramenta sub genere communi sacramenti, dicitque ea esse septem numero, *Conc.;* non describit alia in aliis locis tanquam *signa demonstrativa et practica gratiae, Subdist.* de singulis hoc non fit *clare et distincte,* adeoque ex sola Scriptura non elucescit singulorum essentia sacramentalis, *Conc.; alia non describuntur clare et distincte* ut signa causativa gratiae, *alia vero obscure* adeo ut sensus, ex se indeterminatus, per traditionem evadat distinctus et determinatus. *Neg.* — c) *Retorq.* Scriptura numquam mentionem facit numeri binarii aut ternarii sacramentorum. Ergo sententia Protestantium in Scriptura non fundatur.

Obj. 5°. Apud Joh. XIX, 34 legitur : « Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. » Hunc locum exponentes dicunt Patres Graeci modo aqua significari Baptismum, sanguine autem Eucharistiam, modo sacramenta fluxisse ex latere Christi. Patribus consentit s. Th. (1).

Resp. *Dist. maj.* Patres dicunt omnia sacramenta fluxisse e latere Christi, h. e. passionem Christi fuisse *causam meritoriam* omnium gratiarum quae nobis conferuntur per sacramenta, *Conc.;* dicunt Patres hanc passionem non meruisse *alia sacramenta* praeter ea quae per aquam et sanguinem figurabantur, *Neg.* Patet non excludi a Patribus alia sacramenta, quia solum duo posita sunt, utpote communiora, et, uti notat s. Thomas, potissima. — Sic etiam Paulus ad Hebraeos VI ponit duo tantum sacramenta, nempe baptisma et impositionem manuum; e censu tamen sacramentorum non excludit Paulus Eucharistiam quae

(1) S. Th. « Christus liberavit nos a peccatis nostris praecipue per suam passionem, non solum efficienter, et meritorie, sed etiam satisfactorie. Similiter etiam per suam passionem initiavit ritum Christianae religionis, offerens seipsum oblationem et hostiam Deo, ut dicitur Ephes. v. Unde manifestum est, quod sacramenta Ecclesiae specialiter habent virtutem ex passione Christi, cujus virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum. In cujus signum de latere Christi pendentis in cruce, fluxerunt aqua et sanguis, quorum unum pertinet ad baptismum, aliud ad Eucharistiam, quae sunt potissima sacramenta. » III, q. LXII, a. 5. Cfr. III, q. LXIV, a. 2, ad 3m.

administrabatur catechumenis simul cum baptismo et confirmatione.

Ceterum non universalis est ista interpretatio. Etenim a) Cyrillus (1) et Hieronymus (2) per sanguinem et aquam significari dicunt *duo baptismata*, martyrium nempe et baptisma in aqua. — b) Ambrosius (3) et Leo P. (4), Augustinus et Beda (5) per sanguinem intelligunt *redemptionis pretium*, per aquam vero *baptismum*.

Demum ubi agitur de dogmate ex Scripturis demonstrando, exponendus est sensus litteralis Scripturae, non vero sensus mysticus a Patribus passim propositus.

Obj. 6°. *Plura quam septem sacramenta esse admittenda,* probatur ex Joh. XIII, 5-15. Illud est sacramentum verum a) quod est ritus sensibilis, cujus collationi annexa est promissio gratiae ; b) quod institutum est a Christo. Atqui circa lotionem pedum haec duo contingunt. Ergo.

Prob. 1ª pars min. ex verbis *si non lavero te, non habebis partem mecum,* quae verba ad Petrum immediate, ad omnes mediate diriguntur ; et ex verbis *qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet* etc. — Unde sic : Lotio pedum efficiebat ut Petrus acquireret jus regni coelorum ; eadem reddebat animam totaliter mundam. Atqui quod talia praestat, ejus collationi annexa est promissio gratiae. Ergo.

Prob. 2ª pars min. ex verbis : *Exemplum dedi vobis* etc.

Resp. *Conc. maj. Dist. 1ª pars min.* Lotioni pedum annexa est promissio gratiae conferendae *ex opere operato, Neg. ; ex opere operantis, Subdist.* promissio *augmenti* gratiae, *Conc.;* gratiae *primo productae* aut restitutae, *Neg. — Dist. 2ª pars min.* Lotio pedum instituta est a Christo h. e. *praecepit Christus ut perenniter vigeret in Ecclesia et ut ex opere operato causaret gratiam, Neg. ;* hortatus est Christus tum ut lotio pedum materialiter sumpta adhiberetur, tum ut Apostoli humilitate interna et externa praeirent fidelibus, et ut suscipientes Eucharistiam puritate cordis sint insignes, Conc.

Ad prob. 1ae partis minoris, negatur major ob duo : Primo quidem aliter exponendus est textus, uti modo ostendetur. Deinde sola lethalia excludunt a regno coelorum ; jamvero nequit dici Petrum in statu lethali fuisse constitutum ; immo contrarium eruitur ex verbis Christi, stante interpretatione adversariorum, Christus enim innuit Petrum esse *lotum,* esse *mundum,* non tamen *totum.*

Exponitur sensus litteralis probabilis : Probabiliter ea est istius loci

(1) Cyr. *Hier. Cat.* III. — (2) Hieron. *Epist.* LXXXIII ad *Ocean.* — (3) Ambr. *In Lucam,* l. X, c. CXXXV. — (4) Leo P. *Epist.* IV. — (5) Beda, *In Joh.* XIX.

significatio : Respondet ei Jesus : Nisi lavero tibi pedes, non recumbes mecum et proinde non habebis partem in convivio paschali et in Eucharistia. Mos enim videtur fuisse non accumbere mensae, pedibus illotis (1). — Christus autem pedes apostolorum lavit, tum ut iis daret exemplum humilitatis, quare jubet eos ut alter alterius lavet pedes ; tum ut ostendat quanta puritas requiratur in eo qui vescitur carne et sanguine Christi. Igitur activa lotio, seu lavare, est signum internae humilitatis quam Christus commendat ; passiva lotio, seu lavari, est signum puritatis requisitae.

Multis placet *mystica significatio :* « Nisi mundatus fueris a peccatis venialibus quorum veniam ego impetrabo per humilem pedum lotionem, non habebis partem in convivio et in Eucharistia... Qui lotus est, h. e. qui non coinquinatur peccato mortali, non indiget nisi ut abstergantur venialia. Exemplum dedi vobis humilitatis ut idem fiat, adeoque ut sitis mundi a venialibus, ut humili pedum lotione vobis et aliis impetretis venialium remissionem. » — Hinc activa lotio est signum humilitatis cui ex opere operantis annectitur remissio venialium.

Bernardus, et auctor librorum *de sacramentis* aliam adhuc significationem annectunt activae lotioni, uti mox videbitur.

Lotionem pedum non esse sacramentum multis constat. Etenim a) *non fuit a Christo instituta ut perpetuo in Ecclesia maneret.* Patet ex eo quod α) ista praxis non viguit semper neque ubique, sed in nonnullis ecclesiis particularibus, praesertim in Mediolanensi ; immo in Romana Ecclesia non viguit (2). Patet β) ex Augustino dicente multos non recepisse hanc lotionem, ne videretur pertinere ad sacramentum baptismi (3). b) Non instituta est tanquam *causativa gratiae.* Patet tum ex expositione loci supra tradita ; tum ex praxi totius Ecclesiae modo exposita. — Quare lotio pedum tantum ad disciplinam et ad caerimonias pertinet.

38. — Ad difficultates ex ss. Patribus. — Paucitas testimoniorum Patrum, describentium sacramenta ut signa collativa gratiae, expli-

(1) Cfr. Vasquez, In IIIm partem s. Th. d. cxxxix, c. ii. — (2) « Non ignoramus, ait auctor librorum *de sacramentis,* quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur et formam : hanc tamen consuetudinem non habet, ut pedes lavet. » (L. III, c. i, n.5. M. XVI). — Post subdit : « In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam ; sed tamen et nos homines sensum habemus, ideo quod alibi rectius servatur, et nos rectius custodimus. » — (3) August. « Ne ad ipsum sacramentum baptismi videretur pertinere (lotio pedum), multi hoc in consuetudine recipere noluerant. Nonnulli etiam de consuetudine auferri non dubitaverunt. Aliqui autem, ut et hoc sacratiori tempore commendarent, et a baptismi sacramento distinguerent, vel diem tertium octavarum.... vel etiam ipsum octavum, ut hoc facerent elegerunt. » *Epist.* lv *ad Januar.* n. 33. Migne XXXIII.

catur partim quia *multa scripta Patrum interierunt,* partim *disciplina arcani.*

A) *De disciplina arcani.* In primaeva Ecclesia disciplina arcani exigebat ut scriptis libris et publica concione caute diceretur tum de profundioribus dogmatibus, tum imprimis de re sacramentaria, quoties periculum erat ne res ad profanos deferretur. Quare catechumeni ipsi non docebantur nisi sacramenta quae jam suscepturi erant.

1. Istius prudentiae in publicis concionibus adhibitae testes sunt: 1. *De sacramentis generatim:* a) Formula a Patribus usurpari solita: « *Norunt initiati,* » quae apud Chrysostomum quinquagies, nec multo rarius apud Augustinum occurrit; — b) Cyrillus qui testatur se de mysteriis apud catechumenos non palam verba facere (1). — c) Augustinus dicens sacramenta fidelium prodi non posse catechumenis (2). — d) Theodoretus qui obscure loquitur de mysteriis divinis ob non initiatos (3). — 2. *De baptismo:* Chrys. (4). — 3. *De ordine:* a) Chrysostomus qui declarat fas non esse omnia coram non initiatis detegere (5); b) Conc. Laod. can. 2, ubi statutum est ne ordinatio fieret « praesentibus Audientibus » h. e. catechumenis. — 4. *De Eucharistia:* a) Gaudentius Brix. qui nocte Paschatis, amotis catechumenis, incipit claram expositionem istius mysterii ad modo baptizatos (6); — b) *Missa* h. e. dimissio catechumenorum post lectas et explanatas Scripturas; quae missa opponitur ad Missam qua fideles dimittuntur in fine sacrificii.

2. Prudentiae in scriptis libris adhibitae testes sunt: a) Basilius qui a necessitate servandi arcani rationem petit quod pleraque, quae ad sacramenta spectant, non Scriptura sed traditione et usu sunt conservata (7); — b) Cyrillus Hier. qui monet catecheses Illuminatorum catechumenis, et iis qui christiani non sunt, dari non posse, sed tantum his qui fideles jam sunt, vel baptismum sunt suscepturi (8); — c) Dionysius qui idem testatur de sua ecclesia (9); — d) Innocentius P. I, qui, scribens ad Decentium ep. Eugubinum, dicit se verba (formam Chrismatis) dicere non posse, ne magis prodere videatur quam ad consultationem respondere; qui deinde, postquam responsiones quasdam fecerat

(1) Cyr. Hier. *Catech.* VI, n. 29. M. XXXIII, 590. — (2) Aug. *In Joh.* tract. XCVI, n. 3. M. XXXV, 1875. — (3) Theod. *In Num.* interrog. 16. M. LXXX, 367. — (4) Chrys. « Volo quidem aperte hoc dicere, verum non audeo propter non initiatos (διὰ τοὺς ἀμυήτους). Hi enim expositionem nobis reddunt difficiliorem, ut qui nos cogunt vel non aperte dicere vel eis arcana enuntiare. Sed tamen, quantum potero, dicam adumbrate. » In I Cor. *Hom.* XL, n. 1. M. LXI, 347, 2. — (5) Id. In II Cor. *Hom.* XVIII, n. 3. M. LXI, 527. — (6) Gaud. Brix. tract. II, p. 230. — (7) Basil. *De Spiritu Sancto,* c. XXVII, n. 66. M. XXXII, 187. — (8) Cyr. Hier. Post *Procatechesin.* M. XXXIII, 366. — (9) Dion. *Hierarch.* I.

de Euch., Paen., Unct., addit fas non esse reliqua scribere, ideoque se responsurum ei cum adfuerit (1).

3. Arcanum majori rigore est servatum circa sacramenta, quam circa alia dogmata, de quibus, non obstante disciplina arcani, exstant longae disputationes. — Ratio est duplex : a) Cum dogmata de sacramentis essent de re practica, majus erat timendum ne profanarentur ab his qui baptismum non susceperant. — b) Ab initio exortae sunt haereses quibus negata sunt praecipua dogmata speculativa. Hinc necesse fuit ea expolire, fuse exponere, illustrare principiis metaphysicis. — c) Sacramenta, quoad exsistentiam et substantialia, impugnata non sunt ab haereticis. Controversiae tantum exstiterunt de adjunctis et capitibus specialibus, puta de ministro baptismi et ex obliquo aliorum sacramentorum contra Donatistas, de materia Eucharistiae contra Encratitas et Hydraparastatas, de potestate absolvendi omnia peccata contra Montanistas et Novatianos, de ordinum distinctione ordinationisque ministro contra Aerianos, de honestate status matrimonialis contra Encratitas et Manichaeos, de ministro confirmationis, de ministro et subjecto extremae unctionis (2). Quare de his rebus exstant etiam longae expositiones et defensiones.

4. Cum ob necessitatem controversiae, ad repellendas nempe calumnias paganorum, vel extirpandos errores haereticorum, necesse fuit in una provincia palam, fusius et clare exponere mysteria fidei, non ideo suspendebatur nec abrogabatur lex arcani de hisce mysteriis in aliis provinciis, ubi nempe similes controversiae non erant exortae, neque pervenerat fama de disputationibus alibi agitatis.

B. *Cur septem ritus efficaces gratiae non inveniantur apud priscos Patres connumerati sub designatione et vocabuli sacramenti ?*

Primis Ecclesiae seculis conditus non est tractatus de sacramentis in genere ; characteres communes omnibus ritibus practicis gratiae, non fuerunt considerati seorsim a characteribus qui proprii sunt singulis ritibus, idcoque his ritibus impositum non est nomen commune sacramenti proprie dicti, quo significaretur quodcumque « signum sensibile demonstrativum et practicum gratiae. »

Ratio cur defecerit iste tractatus est quadruplex: a) *Prima* petitur ex *disciplina arcani.* Cum disputationes longae de singulis sacramentis factae non fuerint, vix analysis institui potuit qua connumerati sint

(1) Innoc. P. I. *Epist.* xxv, n. 6. M XX, 555, 561. Cfr. Schelstrate, Dissert. apolog. *de disciplina arcani* ; Bona, *Rerum liturg.* l. I, c. xvi. — (2) Cfr. Innoc. I. *Ep. ad Decent.* n. 6, 11.

septem ritus secundum id quo inter se conveniebant. b) *Secunda* petitur *ex defectu haereseos* circa efficaciam horum rituum et numerum eorumdem. Si haereticus aliquis negasset ullum esse ritum quo sanctificentur homines, procul dubio enumerati, declarati et defensi fuissent septem hi ritus, invenissent Patres in quo convenirent hi ritus et nomen commune generis his fuisset impositum. Verum cum nulla haeresis de iis est exorta, nulla fuit necessitas Patribus delineandi tractatum de sacramentis in genere atque connumerandi sacramenta sub uno genere. — c) Licet sacramenta secundum multa inter se conveniant, *secundum multa alia inter se sunt dissimilia,* sive inspiciatur ritus materialiter, sive minister, sive subjectum. — Sic quantum discrimen inter ritum Eucharistiae et Paenitentiae, inter statum subjecti ea suscipientis! Quantum discrimen inter subjectum, ministrum, finem matrimonii et sacerdotii! — Ex alia parte, singula sacramenta constituunt aliquod totum et propriam habent explicationem, speciale dogma vindicant. Porro his facile explicatur non adeo attentas fuisse mentes ut connumerarentur in una categoria. — d) Demum populus christianus non fuit compulsus ad faciendam istam comparationem inter septem ritus et ad deprehendendum genus commune sacramenti. Ratio est quia nullus est status, nullus est homo ad quem spectant omnia sacramenta; populus autem non solet connumerare nisi ea quae proxime ipsum respiciunt.

C. *Quare interdum tria aut quatuor ex ritibus collativis gratiae connumerentur sub conceptu et nomine sacramenti.*

Ratio est duplex. Si interdum Patres per sacramenta intelligunt ritus practicos gratiae, seposita omni alia proprietate, et non connumerant septem sacramenta, ratio potest esse quia scopus eorum non erat completam enumerationem instituere, sed tantum *afferre exemplum* quo mens ipsorum explicaretur.

Altera, eaque praecipua, ratio est quia nonnulla sacramenta conveniunt inter se non tantum secundum ea quae iis sunt communia cum ceteris sacramentis, sed insuper *secundum quaedam alia, quae iis solis conveniunt.* — Sic a) Bapt., Chrisma, Euch., conveniunt in eo quod catechumeni et neophytae admittebantur ad ea suscipienda. — b) Baptismus, Paenitentia, Unctio conveniunt in eo quod per se instituta sunt ad remittenda peccata. — c) Baptisma, Chrisma, Eucharistia, Ordinatio dicuntur specialiter *consecrantia et perficientia;* primo enim consecrant Deo vel consecrationem perficiunt. Paenitentia autem, Unctio et Matrimonium sunt *medicinalia;* duo enim priora ex se reparant jacturam consecrationis Deo, matrimonii finis aliquis est remedium esse adversus

concupiscentiam. — Igitur si quis nomine sacramenti intelligit, non quidem omnem ritum productivum gratiae, sed ea quae specialiter sunt consecrantia et perficientia, asseverabit quatuor esse sacramenta et ita porro.

D. *Quare alii ritus connumerentur cum sacramentis?* — R. Sacramenta quaedam aut omnia possunt secundum nonnulla convenire cum iis quae gratiam ex opere operato non causant : sic in ratione signi sacri conveniunt cum sacramentalibus et ritibus sacris. Hoc sensu largiore affirmari potest plura esse sacramenta quam septem.

39. — **Obj. 7°.** In nullo monumento ecclesiastico ante seculum XII mentio fit septenarii sacramentorum numeri symbolo, signo aut figura. Atqui hoc arguit ista aetate non viguisse fidem in tale dogma. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Nulla fit mentio istius numeri *formaliter* sumpti, h. e. non fit connumeratio horum rituum *sub ratione generica sacramenti, Conc.;* non fit mentio *in aliis locis aliorum rituum* sub alia denominatione, attamen tanquam *practicorum gratiae, Neg. Cdt. min.* Ex eo quod *nulla fieret mentio alicujus ritus,* qui nunc pro sacramento habetur, argumentum efficax peteretur hunc ritum non fuisse habitum tanquam sacramentum, *Conc.;* ex eo quod hi ritus *non connumerentur* sub ratione generica sacramenti, peti valet argumentum, *Neg.* — Ratio cur haec synthesis instituta non sit, exposita est in annotationibus ad difficultates.

Obj. 8°. *Ex. s. Augustino.* Si agnovisset septem esse sacramenta, ea connumerare sub genere sacramenti certo non omisisset. Etenim solet Augustinus plurimum quaerere mysteria in numeris. Immo, inquit Calvinus, in observandis numeris curiosior esse solet quam necesse foret. Atqui nullibi hanc connumerationem instituit. Ergo.

Resp. a) *Retorq.* « Nam si s. Augustinus tantum duo sacramenta esse credidit, et erat curiosior quam oporteret in mysteriis numerorum, cur non indicavit, quae mysteria lateant in binario numero sacramentorum ? » — b) « Praeterea, ait Bellarminus, non est verum, sanctum Augustinum tam curiosum fuisse, ut dicit Calvinus, in mysteriis numerorum. Non enim ignorabat esse duodecim articulos fidei, tres virtutes theologicas, decem praecepta decalogi, et alia id genus multa, de quorum tamen numerorum mysteriis nihil Augustinus scripsit. Sic igitur nil scripsit de mysteriis septenarii numeri sacramentorum, ne Calvinus nimis eum curiosum in his rebus appellaret. » (1).

(1) BELLARM. *De sacram.* l. II, c. XXVII.

Obj. 9°. *Ex eod s. Aug.* Duo tantum citat sacramenta proprie dicta ; quoties enim s. Doctor plura enumerat sacramenta, patet eum accipere hanc vocem sensu largiori (1). Ergo.

Resp. 1. Augustinus nullatenus dicit tantum esse duo sacramenta, sed ponit duo, exempli ergo ; adducit autem ea quae erant notiora et communiora. — Etiamsi assereret duo tantum esse sacramenta, inspiciendum foret utrum hoc nomine intelligat signum practicum gratiae, an strictiori modo sacramenta accipiat pro his ritibus qui a catechumenis usurpabantur, aut pro signis consecrantibus et perficientibus.

2. Falsum est s. Augustinum non agnoscere nisi duo sacramenta, Bapt. et Euch. Etenim a) enumerat omnes materias sacramentorum, exceptis paenitentia et matrimonio. Dicit enim « ad celebrationem sacramentorum utimur de sensibilibus rebus, *aqua, frumento, vino et oleo.* » (2). — b) Affirmat *Ordinem* esse sacramentum proprie dictum. Etenim adversus Petil. et Parmen. scribens, inducit Donatistas contendentes sacerdotem haereticum non amittere quidem Baptismum ipsi collatum, verum eum amittere Ordinem et proinde jus ad Baptismum conferendum. Hoc autem negat Augustinus, ea ratione allata, quod uterque est sacramentum (3). Univoce adhiberi constat quia secus inanis est ratio allata: sacramenta enim distinguerent adversarii in proprie dicta et improprie dicta, impropriaque amitti posse assererent. — c) Contra Donatistas et adversus Petil. asserit *Chrisma, Paenitentiam, Ordinem,* esse sacramenta proprie dicta. Igitur, cum certum sit Augustini judicio *Baptismum* et *Eucharistiam* esse in censu sacramentorum annumeranda, jam constat ejus judicio quinque saltem esse sacramenta (4).

---

(1) Aug. *De doctrina christiana* l. III, c. ix : « Pauca pro multis, eaque factu facillima et intellectu augustissima et observatione castissima ipse Dominus et apostolica tradit disciplina, sicuti est baptismi sacramentum et celebratio corporis et sanguinis Domini. » — *Epist. ad Jan.* cxviii : « Dominus noster J.-C. in Evangelio sacramentis numero paucissimis societatem sui populi colligavit, sicuti est baptismus, Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis et sanguinis ipsius, et si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur. » — In Ps. ciii : « Munus sacramentorum in baptismo, in Eucharistia, in ceteris sanctis sacramentis, quale munus est. » (M. P. L. t. XXXIV, 70). — (2) Aug. *Epist.* cxix, *ad Jan.* c. vii. — (3) Aug. « Illud quod quidam eorum (h. e. Donatistarum) veritate convicti dicere coeperunt, « baptismum quidem non amittit qui recedit ab Ecclesia, sed jus dandi amittit, » multis modis apparet frustra et inaniter dici. Primo, quia nulla ostenditur causa, cur ille qui ipsum baptismum amittere non potest, jus dandi potest amittere. *Utrumque enim sacramentum est,* et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideoque in catholica utrumque non licet iterari. » Cfr. *Adv. Parmen.* II, xiii, 28. M. XLIII, 70. *Adv. Petil.* II, civ, 239. M. ib. 341. — (4) Aug. « Si ad hoc valet quod dictum est in Evangelio : Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem sacramenta non celebrentur : quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur (h. e. qui absolvuntur a peccatis). » *De bapt.* l. V, c. xx. M. XLIII, 190.

— Porro Chrisma, Paenitentiam, Ordinem dici sacramenta eodem significatu quo Baptisma et Eucharistiam, colligitur ex scopo: Donatistae enim negabant validitatem Baptismi ab haeretico sacerdote collati; Augustinus valorem defendit, hac ratione quod sacerdos in lethali constitutus, valide conferat *Ordinem, Paenitentiam, Chrisma.* Jamvero in tantum valet argumentum, in quantum sacramenta, collata a sacerdote injusto, sint sacramenta ejusdem essentiae ac sacramenta collata a sacerdote haeretico. Secus ex valore unius sacramenti non liceret concludere ad valorem alterius.

Obj. 10°. *Ex Bernardo* (1). Illud est sacramentum quod ex opere operato remittit venialia. Atqui lotio pedum est hujusmodi. Ergo.

Prob. min. quadrupl. a) Lotio pedum a Bernardo connumeratur cum

---

(1) Bernardus. « Tanta est vis sacramentorum eorum quae diebus istis recoluntur, ut possint ipsa quoque lapidea scindere pectora... Si possem, sacramenta quae clausa sunt, aperire debueram. Multa quidem sunt sacramenta et scrutandis omnibus hora non sufficit... De tribus itaque sacramentis, quae satis congrua sunt huic tempori, dicendum erit.

Sacramentum dicitur *sacrum signum* sive *sacrum secretum.* Multa siquidem fiunt propter se tantum, alia vero propter alia designanda, et ipsa dicuntur signa et sunt. Ut enim de usualibus sumamus exemplum, datur annulus absolute propter annulum et nulla est significatio: datur ad investiendum de haereditate aliqua et signum est... In hunc itaque modum appropinquans passioni Dominus, *de gratia sua investire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili praestaretur.* Ad hoc instituta sunt omnia sacramenta, *ad hoc Eucharistiae participatio, ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique ipse baptismus,* initium sacramentorum omnium... Sicut enim in exterioribus diversa sunt signa et, ut coepto immoremur exemplo, variae sunt investiturae secundum ea quibus investimur: verbi gratia, investitur canonicus per librum, abbas per baculum,... *sic et divisiones gratiarum diversis sunt traditae sacramentis...*

Sed tamen quid agimus, quod in hoc corpore mortis et in hoc tempore malo non possumus esse sine peccato? Numquid desperabimus? Absit. « Si dixerimus, ait beatus Johannes, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Si autem confiteamur peccata nostra, fidelis Deus est qui remittat peccata, et emundet nos ab omni iniquitate. » Nam ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, *habemus ejus sacramentum pedum ablutionem.* Quaeris forte unde sciam quod sacramentum sit hujus remissionis?... Vis autem nosse quia pro sacramento illud est, non pro solo exemplo factum? Illud attende, quod Petro dictum est: « Si non lavero te, non habebis partem mecum. » *Aliquid igitur latet quod necessarium est ad salutem,* quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi et Dei... Et unde scimus quia *ad diluenda peccata, quae non sunt ad mortem,* et a quibus plane cavere non possumus ante mortem, *ablutio ista pertineat?* Ex eo plane quod offerenti manus et caput pariter ad abluendum responsum est: « Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet... »

Verumtamen haec (peccata venialia) nemo contemnat aut parvi pendat. Impossibile est enim cum eis salvari, impossibile est ea dilui nisi per Christum Jesum et a Christo. Nemo, inquam, perniciosa securitate dormitet, declinans in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis, quoniam, ut audivit Petrus ab ipso, nisi laverit ea Christus, non habebit partem cum eo. Nec ideo tamen pro eis necesse est nimis esse solicitos; ignoscet facile, immo et libenter, si modo nos agnoscamus. In hujusmodi namque quasi inevitabilibus et negligentia culpabilis est et timor immoderatus. Hinc est quod in oratione, quam ipse instituit, quotidie pro peccatis illis voluit nos orare. » *Sermo de coena.* M. P. L. CLXXXIII, 271.

Baptismo et Eucharistia. Atqui Bapt. et Euch. causant gratiam ex opere operato. — b) Lotio pedum dicitur esse aeque ac Bapt. et Euch. signum quo Christus nos gratia sua investit et gratiam praestat. — c) Affirmatur sub lotione pedum latere aliquid necessarium ad salutem. — d) Lotio pedum pertinet ad diluenda peccata quae non sunt ad mortem. Atqui diluere est auferre ex opere operato. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min. — Ad 1m prob. Dist. maj.* Ablutio pedum connumeratur Baptismo et Eucharistiae *sub ratione signi sacri rei sacrae, Conc.;* sub ratione signi *practici, Neg. Cdt. min. — Ad 2m prob. Dist. maj.* Lotio est, haud secus ac Bapt. et Euch., signum *generice* sumptum, prout abstrahit a differentiis esse ex se efficacis aut non gratiae qua eo vestimur, *Conc.;* est signum *specifice* sumptum pro signo *practico* gratiae, *Neg.* — *Ad 3m prob. Dist. maj.* Sub lotione pedum latet aliquid necessarium ad salutem, sicuti *significatum latet sub signo, Conc.; sicuti effectus latet sub causa, Neg. — Ad 4m prob. Dist.* Lotio pertinet ad diluenda peccata *sive impetrative sive ex opere operato, Conc.; ex opere operato, Neg.*

Sequens est sensus Bernardi: In rebus quae gesta sunt triduo sacro, multa sunt sacramenta h. e. signa sacra rerum sacrarum, seu multa sunt quae designant invisibilem gratiam. — Praesertim occurrunt tria, inter quae ablutio pedum. Haec ablutio non indicat pronitatem Dei ad remittenda lethalia, id enim constat ex verbis : « Qui *lotus est* non indiget etc. ; » respicit tamen aliquid necessarium ad salutem, ac proin *pronitatem Dei ad venialia remittenda.*

Porro, judicio Bernardi, *ablutio pedum non est signum practicum remissionis venialium.* Id enim probatur a) *negative.* Nulla ratio habetur cur assereretur oppositum. Etenim Bernardus loquitur de sacramentis sub ea ratione quod sunt *signa sacra* rerum sacrarum. Dicit « *multa* sunt sacramenta ; » « sacramenta possunt frangere pectora. » Ipsa mors Christi videtur vocari sacramentum; est enim signum sacrum rei sacrae valetque pectora frangere. Demum clare definit ipse Bernardus quid sacramento intelligat. — Idem probatur b) *positive.* Scribit enim Bernardus: α) « Ut de remissione quotidianorum non dubitemus, habemus ejus sacramentum, lotionem pedum. » Sensus est : « Ut fiduciam habeamus Deum esse pronum ad remittenda venialia, habemus signum lotionem pedum » — β) In fine sermonis citat remedia varia contra venialia, nempe ut ea agnoscamus, ut oremus. Tacet de lotione pedum. Jamvero si haec esset sacramentum eo fine institutum ut venialia remitteret, imprimis de ea mentio fuisset facienda.

Quocirca si seorsim a ceteris considerantur ea verba quae Bernardus

profert de ablutione pedum et de remissione venialium, indifferenter significant venialia remitti ablutione pedum ex opere operato, aut secus. — Si considerantur verba modo citata sub littera (a), saltem suspicio oboritur ablutionem non remittere ex opere operato. — Denique si haec comparantur cum fine sermonis, certitudo habetur ablutionem judicio s. Bernardi non esse sacramentalem.

Obj. II°. *Ex Ambrosio* (1). Illud est sacramentum verum, quod aufert peccatum originale. Atqui juxta Ambrosium lotio pedum aufert peccatum originale. — *Prob. min.* Peccatum originale aufertur sive per baptismum sive per lotionem pedum. Atqui juxta Ambr. non aufertur per baptismum, siquidem juxta Ambrosium baptismus non aufert nisi peccata propria.

Resp. *Dist. maj.* Quod *ex opere operato* aufert ipsum P. O. est sacramentum, *Conc.;* quod *significat ablutionem peccati* per baptismum, aut quod impetrative, *ex opere operantis*, aufert vel minuit *sequelam* P. O., nempe concupiscentiam, id est sacramentum, *Neg. Cdt. min.* — Ad prob. *Conc. maj. Dist. min.* Juxta Ambrosium *reatus culpae* originalis non aufertur per baptismum, *Neg.;* peccati *sequela* non aufertur baptismo, *Conc.* — Ad rationem additam respondetur mentem Ambrosii esse pedes lavari, non quidem ut aliquid ex propriis peccatis auferatur, haec enim auferuntur per baptismum una cum P. O., sed tantum ut auferantur sequelae P. O., quae peccatum nominari possunt.

Observa 1. In Ecclesia Mediolanensi lavabantur pedes eorum qui e fonte baptismali erant egressi. Hoc ritu distinctius significabantur ea quae per baptismum fuerant collata, nempe remissio peccati proprie dicti seu reatus culpae, sanctificatio et jus ad gratias actuales. Insuper haec oblatio tanquam aliquid sacramentale poterat impetrative, ex opere operantis, conferre auxilium ad vincendam concupiscentiam quae remanet, remisso reatu originis ; vocatur haec peccatum sensu lato, quia originem trahit ex peccato et ad peccatum incitat.

---

(1) Ambr. « Ascendisti de fonte, momento evangelicae lectionis. Etenim Dominus noster Jesus... lavit pedes discipulis suis. Quando venit ad Simonem Petrum, ait Petrus : « Non lavas mihi pedes in aeternum, » *non advertit mysterium*, et *ideo ministerium recusavit...* Mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat ; *habebat enim primi hominis de successione peccatum :* quando eum supplantavit serpens, et persuasit errorem. Ideo planta ejus abluitur, *ut haereditaria peccata tollantur : nostra enim propria per baptismum relaxantur.*

Simul cognosce mysterium in ipso humilitatis consistere ministerio: ait enim : « Si ego lavi vobis pedes Dominus et Magister ; quanto magis et vos debetis lavare pedes invicem vobis. » Cum enim ipse auctor salutis per obedientiam nos redemerit, quanto magis nos servuli ejus humilitatis et obedientiae exhibere debemus obsequium. » *De mysteriis*, c. VI, n. 31. M. XVI, 398.

2. Sententia Ambrosii non est lotione pedem remitti peccatum originale; verum ea conferri subsidium ad vincendam concupiscentiam. Conferebat autem lotio pedum id subsidium, non ex opere operato, sed ex opere operantis. Itaque nomine peccati *proprii* intelligit Ambrosius peccatum originale; nomine peccati *haereditarii* intelligit concupiscentiam.

Judicio Ambrosii *P. O. non remitti lotione pedum*, est manifestum tum quia universalis persuasio in Ecclesia semper fuit P. O. remitti ipso baptismo ; tum quia in ipso hoc loco affirmatur *Petrum esse mundum* : Sed qui foedatur reatu originis, mundus non est. — Idem constat quia alibi clarius dicit Ambrosius pedes lavari ut auferatur *lubricum calcanei, lubricum delinquendi, lubricum haereditatis* (1) : hoc autem lubrico sane intelligenda est concupiscentia. — Idem denique constat quia ignotus auctor librorum *de sacramentis*, praefatam significationem et virtutem attribuit lotioni pedum (2). — Judicio Ambrosii subsidium *ad concupiscentiam vincendam* conferri lotione pedum ex opere operantis, evincitur ex ipsius verbis : « Quanto magis nos servuli ejus humilitatis et obedientiae exhibere debemus obsequium. »

Obj. 12°. *Ex ratione theologica.* Sacramentum *Ordinis* comprehendit sacramenta multa, siquidem dantur quatuor ordines minores et tres ordines majores. Ergo plura sunt quam septem sacramenta.

Resp. Ordines minores non sunt sacramenta; inter majores subdiaconatus nonnisi probabiliter est sacramentum. Unum esse sacramentum sacerdotii colligitur quia presbyteratus tantum perficit et complet sacramentum ordinis in diaconatu aut etiam in subdiaconatu inchoative susceptum. Supposito enim etiam subdiaconatum et non tantum diaconatum esse sacramentum, dicendum est eo imprimi characterem et conferri gratiam habitualem ac jus ad actuales gratias; postea autem presbyteratu perfici hunc eumdem characterem et hanc gratiam sacramentalem. Idem dici oportet de episcopatu.

---

(1) Id. « Reor iniquitatem calcanei magis lubricum delinquendi, quam reatum aliquem nostri esse delicti. Meritoque Dominus qui pro nobis universa suscepit: Lavemus, inquit, et pedes, ut calcanei lubricum possimus auferre ; quo fida statio possit esse virtutum.... ; et non metuat lubricum haereditatis, qui cupit vestigium tenere virtutis. » *In ps.* XLVIII, n. 9. M. XIV, 1159.

(2) « Quare hoc (lotio pedum)? Quia in baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa, sed quia Adam supplantatus est a diabolo et venenum ejus effusum est super pedes, ideo lavas pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. » *De sacramentis*, III, 1, 7. M. XVI, 433.

§ 2. De convenientia institutionis septem sacramentorum.

D. Th. III. q. LXV, a. 1; Suar. d. VI, s. 1; Comm. in III p. q. LXV, a. 1.

THESIS V. — Conveniens fuit in Lege Gratiae institui sacramenta, eaque esse numero septem.

40. — Prima pars. Conveniens fuit sacramenta institui.

E quadruplici fonte petitur probatio:

1. *Ex Deo:* a) Sacramenta manifestant egregie Dei potentiam, et bonitatem, siquidem conferunt dona vere mirabilia, quales sunt remissio peccati et animae sanctificatio, non obstante naturali sua incapacitate. — b) Exigit Deus ut ab hominibus colatur cultu qui non modo internus sit, sed etiam *externus*. Jamvero ad Deum honorandum cultu externo conveniens valde est sacramentorum usus.

2. *Ex Ecclesia:* a) Ecclesia est visibilis et una, adeoque omnia membra Ecclesiae coadunantur in uno corpore visibili. Atqui usus eorumdem sacramentorum apte conducit ad hunc finem: Sunt enim sacramenta nervi et vincula quibus fideles in unum corpus coalescunt (Cfr. Eph. IV, 16). — b) Merito comparantur sacramenta fluvio qui de loco voluptatis egrediebatur ad irrigandum paradisum (Gen. II, 10); irrigant nempe Ecclesiam quam faciunt paradisum omnium virtutum christianarum floribus adornatum.

3. *Ex capite Ecclesiae Christo.* a) Sacramenta imitantur incarnationem Christi. Quemadmodum in Christo dabatur visibilis humanitas et invisibilis divinitas, ita in sacramentis datur visibile signum et invisibilis gratia (1). — b) Imitantur Christi operationes. Uti Christus per vitam suam mortalem sensibiliter loquendo aut tangendo invisibiliter mentes illustrabat, animas sanctificabat, peccata remittebat, Spiritum Sanctum conferebat, ita ritus sacramentales, nomine Christi sensibiliter administrati, invisibiliter mentem illustrant, animas sanctificant, peccata remittunt, Spiritum Sanctum conferunt. — c) Continuant missionem Christi, eamque ad totam catholicitatem extendunt. Jam enim non intra solo fines Judaeae definitur salutifera Christi operatio, sed extenditur ad omnes regiones, gentes ac aetates.

4. *Ex homine lapso.* Sacramentorum institutione foventur virtutes theologicae.

(1) Cfr. S. Th. *Contra gentiles*, IV, LVI.

Fovetur a) *fides:* tum *extensive,* quia plura mysteria de Christo et de divina potentia credenda proponuntur; tum etiam *intensive,* quia per ipsa sacramenta datur majus auxilium ad credendum et perseverandum in fide; tum denique *in exteriori professione,* quae per sacramenta perfectius Deo exhibetur. — Fovetur b) *spes* salutis consequendae ; humana enim infirmitas sacramentorum efficacia juvatur, atque ita multo facilior fit salutis via. — Fovetur denique c) *caritas* in Christum et Deum : Etenim Dei et Christi misericordia, sapientia, potentia et liberalitas in his sacramentis multum ostenduntur, quandoquidem usu rerum facillimarum hominum sanctificatio procuratur et perficitur.

Praeterea institutio sacramentorum, ait s. Bonaventura, « expediens fuit a parte aegroti : quia erat caecus quoad rationalem, ideo data sunt ei sacramenta visibilia ad eruditionem ; erat elatus quoad irascibilem, ideo data sunt ei sacramenta corporalia ad sui humiliationem ; erat fastiditus quoad concupiscibilem, ut non saperent ei spiritualia, ideo sacramenta sunt ei data ad exercitationem, ne forte in unius solius perceptione vel in spiritualium tantum contemplatione sibi posset fastidium generari et taedium » ([1]).

41. — Secunda pars. CONVENIENS FUIT SACRAMENTA NUMERO SEPTEM INSTITUI.

Probatur cum s. Thoma *ex proportione inter vitam corporalem et spiritualem,* quam rationem facit suam Synodus Florentina ([2]). Quemadmodum homines perficiendi sunt in vita corporali, ita sunt perficiendi in vita spirituali et quidem uti sunt *individui* et uti constituunt *societatem.* — Porro 1° si considerantur uti *individui :* a) acquirenda ipsis est vita spiritualis perfecta ; b) removenda sunt ea quae obstant ne retineatur vita ista. — Ut acquiratur vita perfecta, exigitur α) ut generetur; β) ut augeatur ac roboretur ; γ) ut alatur ac conservetur. — Atqui vita spiritualis primo acquiritur *baptismo ;* roboratur *confirmatione;* alitur et conservatur *Eucharistia ;* removentur obstacula *paenitentia* et *extrema unctione* quae aufert specialia obstacula in fine vitae oriri solita. — 2. Si considerantur homines tamquam *societatem constituentes*, exigitur tum ut nonnullis conferatur potestas in ceteros, tum ut perpetuitati societatis invigiletur. Atqui primum fit *ordine,* alterum *matrimonio.* Ergo convenientissime instituta sunt septem sacramenta.

([1]) BONAV. In 4 d. 1, p. 1, a. 1, q. 1. Cf. HUG. VICT. *De Sacram.* l. I, P. IX, c. III. SCHAZLER : *Die Lehre von der Wirksamkeit der Sacr.* § 5. — ([2]) S. TH. III, q. LXV, a. 1 ; *Contra Gentiles,* l. IV, c. LVI, LVIII. — De concilio Florentino, cf. DENZ. *Enchiridion,* n. 590.

Argumentum etiam sic proponitur : Conveniens fuit ut instituerentur remedia quibus succurreretur a) carentiae vitae spiritualis ; b) infirmitati recens natorum ; c) difficultati ad perseverandum ; d) lapsis post baptismum ; e) constitutis in agone et gravatis pondere reliquiarum peccatorum ; f) dissolutioni multitudinis ; g) defectui multitudinis. Atqui succurritur primo *per baptismum ;* secundo per *confirmationem ;* tertio per *Eucharistiam ;* quarto per *paenitentiam ;* quinto per *extremam unctionem ;* sexto per *ordinem ;* septimo per *matrimonium.* Ergo.

42. — **Scholion 1m.** Quaeres utrum sacramenta novae legis, consequenter ad institutionem suam, sint *necessaria :* a) quaenam necessaria sint *corpori ecclesiae,* quaenam singulis *individuis ;* b) utrum necessaria sint necessitate *medii,* an *praecepti.*

Cum discutiatur ista quaestio in tractatibus de sacramentis in specie, sufficit ut dicamus cum Suarezio (1) : a) Baptismum esse necessarium omnibus necessitate medii ; b) paenitentiam, adultis qui peccaverunt post baptismum, necessitate medii ; c) Eucharistiam, adultis necessitate praecepti ; d) de confirmatione et extrema unctione non constare an sint necessaria de necessitate etiam praecepti ; e) denique matrimonium et ordinem esse necessaria Ecclesiae, non vero singulis individuis. — Ratio horum petitur tum ex voluntate Christi instituentis sacramenta, tum ex fine et effectu horum sacramentorum (2).

Scholion 2m. Quaeres quanto prae excellentia sua *sacramentum N. L. superet sacramenta legis naturae et legis veteris ?*

Resp. Affirmaverunt haeretici sacramenta nostra esse aequalia cum veteribus, aut immo iis inferiora. — Florentinum definit nostra sacramenta esse dignitate superiora veteribus. Tridentinum idem asserit, cum sessione VII can. 2 anathema dicit in eum qui dixerit novae legis sacramenta ab antiquae legis sacramentis non differre, nisi quia caerimoniae sunt aliae et alii ritus externi.

Quae sententia probatur 1° *ex Aug.* qui contra Faustum quatuor excellentias enumerat, nimirum « quod sunt *virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora* » (3) et alibi addit quintam excellentiam, quod nempe sunt *significatione praestantissima* (4).

2. *Ratione theologica.* Alia quidem respicit omnia sacramenta generatim sumpta ; alia vero respicit sacramenta singula N. L. comparata cum sacramentis V. L. ipsa typice repraesentantibus.

(1) D. VI, s. 1, Dico secundo. — (2) Cfr. S. Th. III, q. LXV, a. 4. — (3) AUG. *Cont. Faust.* l. XIX, c. XIII. M. XLII, 355. — (4) *Epist.* LIV *ad Jan.* c. 1. M. XXXIII, 200. Cf. *In ps.* LXXIII et in *Ps.* LXXVII, M. XXXVI, 931, 983 ; Auctor operis *de Sacram.* l. I, c. IV et VI, M. XVI, 420 sq.

A. Sacramenta N. L., communiter considerata, esse superiora sacramentis V. L. constat tum si inspiciuntur intrinseca ipsis, tum si inspiciuntur extrinseca.

a) Eo perfectius est sacramentum, quo perfectior est ejusdem virtus; eo perfectior est virtus, quo perfectior est tum finis qui attingitur tum modus secundum quem attingitur finis. Atqui secundum utramque considerationem sacramentis legis veteris aut legis naturae perfectiora sunt sacramenta N. L. — *Prob. 1ª pars min.* Finis omnis sacramenti est Dei cultus et hominis sanctificatio. Atqui per sacramenta N. L. a) praestatur Deo *cultus perfectior,* uti jam sufficienter constat ex doctrina s. Pauli sub n. 30 exposita ; b) confertur homini *nobilior sanctificatio :* Sacramenta enim N. L. hominem *interius* consecrant Deo, imprimendo characterem, infundendo gratiam sanctificantem, tribuendo jus ad gratias actuales ; sacramenta V. L., si excipitur circumcisio, non conferebant per se nisi sanctitatem legalem et externam. Circumcisio quidem et remedium naturae delebant P. O. infusione gratiae, verum etiam sub hoc respectu erant inferiora sacramentis christianis. — *Prob. 2ª pars. min.* Sacramenta N. L. conferunt gratiam ex opere operato, eamque causant moraliter quatenus sunt moraliter actiones Christi infallibiliter moventes Deum ut subjecto sacramentorum infundat gratiam. Haec autem dignitas est omnino propria ipsis.

b) Sacramenta N. L. sunt veluti exemplaria et prototypa veterum sacramentorum ; haec erant figurae et typi nostrorum. — Ista ad tempus sunt instituta ; nostra sunt perduratura cum Ecclesia usque ad consummationem aevi. Ista per Moysen sunt instituta, nostra per Christum. Ergo iterum nostra sunt nobiliora praecedentibus.

B. Si comparantur singula sacramenta nostra cum singulis antiquis, quae nostris respondent, baptismus nempe cum circumcisione, Eucharistia cum esu agni paschalis aut panum propositionis, ordo cum consecratione levitarum, paenitentia cum purificatione ab immunditiis; singula nostra cernuntur superare antiqua. a) Sane maximum ex sacramentis nostris est *Eucharistia,* siquidem continet auctorem gratiae ; jamvero quodnam ex veteribus sacramentis cum ea in comparationem adduci valet? — b) *Paenitentia* mundat hominem internum ; contra purificationes per se nonnisi exteriorem. — c) *Ordo* imprimit characterem intrinsecum et infundit gratiam internam ; contra consecratio levitarum nonnisi extrinsecus deputat Deo. — d) Si eadem videretur esse perfectio baptismi et circumcisionis, ratione praecipui effectus, nempe ratione deletionis peccati originalis ; nihilominus

praestat baptismus circumcisione et remedio naturae tum charactere quem imprimit, tum quia ex virtute sacramenti major conceditur gratia.

Scholion 3m. Quaeres num sacramenta convenienter enumerenter eo ordine quo Tridentinum ea enumerat.

Resp. Alia sacramenta ordinantur ad individua, alia ad societatem Ecclesiae. Individuum autem est multitudine prius. Igitur conveniens fuit prius enumerare sacramenta quae ad individuorum utilitatem sunt instituta. Quocirca ultimo loco ponuntur matrimonium et ordo. Eo autem quod matrimonium minus participat de vita spirituali, postponitur ordini. Inter ea sacramenta quae ordinantur ad individua, alia spectant per se ad sanctitatem producendam et augendam, alia ad removenda ea quae sanctitati nocent, seu ad restituendam sanctitatem. Priora, nempe baptismus, confirmatio et Eucharistia praecedunt posteriora, nempe paenitentiam et extremam unctionem. Ex his paenitentia praecedit, quia inchoat sanationem, quam unctio consummat. — Ex illis, praecedit baptismus, nam spiritualiter generat ; sequitur confirmatio, nam ordinatur ad formalem perfectionem virtutis ; subsequitur Eucharistia, quae ordinatur ad perfectionem finis (1).

CAPUT II.

De causis intrinsecis sacramentorum.

43. — Postquam inquisitum est an sint sacramenta et quot sint, tractanda venit quaestio *quid sint*. Haec autem quaestio duo complectitur : quaenam sit *essentia* sacramentorum ; quaenam *proprietates*. Proprietas autem ad formam entis consequens, est *virtus agendi*. In praesenti capite examinatur quaenam sint *causae intrinsecus constitutivae* sacramentorum. Illud autem perinde est ac inquirere quaenam sit *essentia* sacramentorum, seu quibusnam *partibus essentialibus* constent, seu adhuc quaenam sit eorum *definitio essentialis*.

Porro aliae partes essentiales sunt *metaphysicae*, sola nempe ratione inter se distinctae, aliae vero realiter a se invicem distinctae seu *physicae*.

(1) Cfr. S. Th. III, q. LXV, a. 2.

Quare in articulo *primo* dicetur de definitione sacramentorum secundum partes metaphysicas ; in articulo *secundo* de definitione secundum partes physicas. — Attamen, in *primo* articulo considerabuntur sacramenta V. L. et N. L.; in *secundo* autem articulo et in reliquo tractatu jam unice considerabuntur sacramenta N. L.

ARTICULUS I.

De definitione metaphysica sacramentorum.

Quaerere partes metaphysicas sacramentorum est inquirere quodnam sit genus eorum et quaenam sit differentia specifica. Quare in § 1ª dicemus de genere communi sacramentis N. L. et V. L. ; in §§ 2ª et 3ª trademus integram definitionem utrorumque sacramentorum ; in § 4ª inquiremus utrum, consequenter ad praejacta, notio sacramenti conveniat univoce an analogice sacramentis utriusque legis.

§ 1. Sacramenta N. T. et V. T. esse de genere signi sacri ostenditur.

D. Th. Iª IIªe, q. cii, art. 5; III, q. lx, a. 1. — Suar. *De Sacram.* d. 1, s. 1. — Bellarm. *De Sacram. in gen.* l. I, c. viii. — Lugo, d. 1, s. 1.

44. — **NOTIONES.** Vi vocis, signum est id quod significat; significare autem est aliud notum facere. Signum igitur definitur : Id quod aliud a se repraesentat potentiae cognoscitivae. Id quod per signum repraesentatur, vocatur *signatum.*

In signo considerari possunt duo : a) *res* quae significat : vocatur *materia signi ;* b) *significatio*, seu vis significandi, h. e. deducendi mentem in cognitionem alterius, seu etiam nexus signi cum signato : vocatur *forma signi.*

Signum qua tale refertur ad signatum; est igitur subjectum relationis cujus signatum est terminus, et cujus significatio est fundamentum.

Signum potest esse *sacrum* duobus modis : a) eo quod res significans sit sacra : tunc signum *materialiter* sumptum dicitur sacrum; b) eo quod res significata sit sacra : tunc signum *formaliter* sumptum est sacrum.

45. — Porro sacramenta sunt *in genere signi sacri,* sive consideretur *res significans,* sive consideretur *res significata.*

A. *Ritus sacramentalis est sacer.* Illud enim est sacrum quod vel ipsum est Deo consecratum, vel ex institutione divina aliam rem Deo conse-

crat, vel est caerimonia cultus divini. Atqui unum horum sacramentis convenit. Ergo.

Prob. min. De sacram. V. L. 1. *De circumcisione.* a) Primario instituta est a Deo ut congregaretur populus electus et a gentibus segregaretur. Atqui eatenus segregabatur a gentibus, quatenus Deo speciali modo consecrabatur ut populus ejus. — b) Secundario est instituta ut deleret peccatum originale. Atqui sic circumcisos consecrabat Deo et sanctificabat intrinsecus. Ergo. — 2. Reliqua sacramenta ex Dei institutione contulerunt sanctificationem legalem et externam, uti ostensum est (cf. n. 30, 31). Ergo consecrabant exterius Deo.

De sacramentis N. L. 1. Ex postea demonstrandis patebit ea esse actiones morales Christi, quibus merita in cruce parta rite suscipientibus applicantur, adeoque ritus esse consecratos Deo. — 2. Conferunt gratiam ex opere operato ; ergo homines consecrant Deo. — 3. Sunt caerimoniae cultus. Etenim a) baptismus est prima fidei christianae professio, unica janua Ecclesiae et regni coelorum ; sed quod est hujuscemodi, pertinet ad cultum Dei. — b) De Eucharistia, paenitentia, extrema unctione, ordine, confirmatione, facile patebit hos ritus consideranti. — c) Matrimonium esse caerimoniam sacram, sic a Suar. l. c. ostenditur : Matrimonium « prout a Christo elevatum est et institutum ad dandam conjugibus sanctificationem suo statui necessariam, jam non tantum est civilis contractus, sed sacra caerimonia, quia jam non tantum efficit conjuges, sed, quantum in ipso est, efficit sanctos conjuges, nec solum efficit vinculum mutuae obligationis, sed etiam confert vinculum mutuae caritatis. » — 4. Juxta ss. Patres per sacramenta homines Deo consecrantur, initiantur, sanctificantur, conveniunt in unum nomen religionis, profitentur Deum esse suae sanctificationis auctorem.

B. *Ritus sacramentalis significat rem sacram.*

Prob. A. *De sacram. V. L.* a) *Circumcisio* instituitur a Deo in signum foederis inter Deum et hominem. Ergo significat hoc foedus divinum et ejus objectum quod complectebatur benedictionem gentium. — 2. Agnus paschalis erat typus Christi pro peccatis hominum immolati, adeoque eum significabat. — Esus agni erat typus usus Eucharistiae, quam iterum significabat. — 3. Purificatio ex se maxima apta erat ad significandam puritatem, quam cultus Dei requirebat et haec significatio ei est imposita. — 4. Sacramenta sacerdotum significasse rem sacram patebit ea percurrenti.

B. *De sacramentis N. L.* 1. Ostendetur ea constare duplici elemento, re et verbo, rem obscurius significare gratiam adeoque apte vocari

materiam, verbum autem clarius adeoque merito dici formam. — Insuper Eucharistia est commemoratio passionis dominicae juxta I Cor. XI, 24, 25. — Praeterea matrimonium est signum conjunctionis Christi et Ecclesiae, juxta Eph. V, 22-32 : « Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino ; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae.... sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri diligiti uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea... Sacramentum hoc magnum est ; ego autem dico in Christo et in Ecclesia. »

Dices: Ratio signi non est de essentia sacramenti. Illud enim non est de essentia sacramenti, quod non convenit *omni* ei quod certo est sacramentum. Atqui ratio signi est hujuscemodi. Ergo. *Prob. min.* Contritio est pars sacramenti paenitentiae; Corpus Christi est pars sacramenti Eucharistiae. Atqui neutrum est signum. Ergo. *Prob. min.* Neutrum sensu percipitur; sed tale non valet esse signum pro homine, seu hominem inducere in cognitionem alterius. Ergo.

Resp. Contritio est pars sacramenti, in quantum *exterius* exprimitur et significatur. — Corpus Christi est sacramentum in quantum *verba consecrationis et species eucharisticae ejus praesentiam nobis manifestant.* — Hinc respondetur *negando antecedens.* Ad prob. *Conc. maj. Neg. min.* — Ad prob. *Dist. maj.* Contritio et Corpus Christi, in quantum *notificantur per aliud,* sunt partes sacramenti, *Conc.;* secus, *Neg.* — *Cdt. min.* Contritio quae *interne lateret* neque sensibiliter expressa esset, Corpus Christi cujus praesentia non manifestaretur sensibiliter, non forent signa respectu hominum, *Conc.;* secus, *Neg.*

§ 2. Definitio sacramenti novae legis.

46. — Inquiritur quaenam sit *essentia metaphysica integra* sacramenti N. L. proindeque quaenam differentia specifica addenda sit generi signi, ut habeatur notio quae sit communis omnibus his sacramentis et qua essentialiter differant a ceteris signis sacris. — Pro singulis e septem sacramentis N. L. complenda erit notio communis adjectione notae singulis propriae.

Diversae definitiones sacramenti N. L. tradi queunt : Signum sacrum, sensibile, lege stabili a Deo institutum eo fine ut internam animae sanctitatem significet et usu suo conferat. — Caerimonia religiosa internam animae gratiam significans et causans. — Signum demonstrativum practicumque gratiae internae, rememorativum passionis Christi

et prognosticum gloriae. — Signum internae gratiae, gloriae coelestis et Christi auctoris gratiae. — Invisibilis gratiae visibile signum ad nostram justificationem institutum.

Ostenditur bonitas definitionis : Illa definitio est recta quae convenit omni et soli definito, traditque id quod in re est ratio ceterorum. Atqui hujuscemodi est definitio tradita. Ergo.

Prob. 1ª pars min. Convenit *omni definito.* Ex postea demonstrandis varia elucescent :

a) Sacramenta sunt signa *sensibilia.* Illud non tantum inductione constat, sed insuper ex natura rei. Cum enim sacramenta hominem in cognitionem rei conducere debeant, ab eo perspici debent adeoque esse sensibilia (1).

b) *Dei libera voluntate sunt instituta.* Sacramenta enim non sunt signa naturalia, sed arbitraria. Deus annexuit certam significationem ritibus, qui fundamentaliter quidem apti erant ut hanc vim significativam acciperent, sed formaliter tamen ea ex se carebant. Insuper sola Dei institutione eis competere potest virtus causativa gratiae.

c) Instituta sunt sacramenta *lege stabili* seu *permanenter :* Deus per J. C. statuit sacramenta N. L. perduratura esse quamdiu permansura est Ecclesia Christi, adeoque usque ad consummationem seculi.

d) Sacramenta veram internamque *animae gratiam significant,* sanctitatem, justitiam, *et hanc gratiam usu suo* seu *susceptione, in anima causant.* E quo consequitur sacramenta esse *signa demonstrativa et practica gratiae.*

e) Deinde sacramenta vim suam sanctificandi trahunt ex meritis a Christo in cruce partis. Haec autem sanctificatio animae confert jus et capacitatem assequendi gloriam coelestem, certumque gloriae gradum, gradui gratiae respondentem. Christus autem, sacramenta instituendo, voluit ut utrumque significaretur. Apostolus ait de *baptismo* ad Rom. VI, 2-5 : « Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo ? An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in C. J., in morte ipsius baptizati sumus ? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus. » — De *Eucharistia* autem haec habet : « Quotiescumque enim

(1) Chrys. « Si incorporeus esses, incorporea dedisset ipsi tibi dona, nunc autem, quia conjuncta est corpori anima tua, sub sensibilibus tibi intelligibilia tradidit. » *In Matth.* hom. LXXXII (al. LXXXIII) n. 5. M. LVIII, 743.

manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat » (I Cor. XI, 26). De eadem asserit Johannes cap. VI, significari vitam aeternam dandam manducanti Corpus Christi, qui est panis vitae. — Igitur sacramentum N. L. *est signum commemorativum passionis Christi et signum prognosticum gloriae.*

Prob. 2ª pars min. Convenit *soli :* Etenim 1° non convenit *sacrificio missae :* Est quidem Missa et non raro a ss. Patribus vocatur *sacramentum*, si haec vox sensu *latiori* sumitur pro signo sacro ; verumtamen non est sacramentum sensu *presso.* Ab eo enim differt sacrificium non modo a) quoad *rem significantem,* siquidem sacrificium stat in actione, uti est actio, contra sacramentum stat in ritu sensibili qui ab actione procedit, et cui vis significandi annectitur ; sed adhuc b) quoad *rem significatam :* α) Sacrificium quidem ex se significat Dei excellentiam et dominium, debitum quo astringitur homo ad mortem sustinendam ; sacramentum vero significat gratiam suscipienti conferendam. β) Utrumque significat Christi passionem, sed sub alio respectu : Per sacrificium repraesentatur passio Christi uti placans Deum et supremum honorem ei praestans ; sacramentum repraesentat passionem uti per sanctificationem animae nobis applicatam. Demum differt sacrificium γ) *fine :* Institutum enim est sacrificium primario ut Deo praestetur cultus ex titulo religionis, justitiae etc. ; sacramentum vero est primario institutum ut usu suo homini detur sanctitas.

2. Non convenit *sacramentalibus.* Sacramentalia enim — puta consecratio templorum et altarium et vasorum, impositio manuum catechumenis, signatio crucis, usus aquae lustralis, unctio chrismatica in vertice baptizatorum et applicatio salis et salivae, prima tonsura, ordines minores, professio religiosa, benedictio abbatum, unctio regis, absolutio ab excommunicatione, dispensatio irregularitatis — non significant infallibiter neque ex opere operato producunt gratiam.

3. Pariter e censu sacramentorum excluduntur : descensus columbae in baptismo Christo ; verba Christi ad Magdalenam *Remittuntur tibi peccata ;* lotio pedum in coena Domini ; insufflatio in discipulos. Haec enim non sunt stabili lege instituta ut in Ecclesia adhiberentur et gratiam ex opere operato producerent.

4. Non convenit *martyrio.* Etenim a) si sumitur martyrium *active* et uti est caedes commissa ab hoste rei christianae, est pessima actio, nedum Dei glorificatio ; b) si sumitur *passive,* uti est perpessio et acceptatio mortis, est sane maximum amoris testimonium, at ei deest ratio caerimoniae sacrae a Deo lege stabili institutae.

Dices : Illud non est de essentia sacramenti, quod non convenit omni ei quod est sacramentum. Atqui esse signum practicum gratiae non convenit omni sacramento. *Prob. min.* Saepe suscipitur sacramentum et tamen non recipitur gratia. Ergo omne sacramentum non est signum practicum gratiae.

Resp. Sacramentum confert gratiam ei qui rite illud suscipit. Significat gratiam conferendam ei in quo nullus est obex infusionem gratiae impediens. Per accidens fit ut, obice non remoto, habeatur sacramentum, neque habeatur gratia. — Hinc *Conc. maj. Dist. min.* Esse *per se* signum practicum gratiae non convenit omni sacramento, *Neg.;* non esse *per accidens* practicum gratiae convenit alicui sacramento, *Conc.* Ad probationem minoris, *distinguitur antecedens* eodem modo.

47. — Scholion 1m. Magister (1) definit sacramentum « signum rei sacrae » et paulo inferius « *invisibilis gratiae visibilis forma.* » Quae definitiones a multis carpuntur quod incomplete rem definiant. — Magister ipse eas complet hac altera : « invisibilis gratiae visibilis (h. e. sensibilis) forma (h. e. signum) ut ipsius et similitudinem (h. e. analogiam quamdam) gerat et causa exsistat. »

Hugo Victorinus (2) haec habet: « Sacramentum est corporale vel materiale elementum foris sensibiliter propositum, et ex similitudine repraesentans, et ex institutione significans, et ex sanctificatione continens aliquam invisibilem et spiritualem gratiam. »

Isidorus (3) haec habet: « Sacramentum est res sensibus subjecta, quae, ex Dei institutione, sanctitatis et justitiae tum significandae tum efficiendae vim habet. »

Scholion 2m. Lutherus (4) sacramenta definit « ritus qui habent mandatum Dei (h. e. qui divino praecepto suscipiendi sunt), et quibus addita est promissio gratiae. » — Infra sacramentum definit « caerimoniam vel opus in quo Deus nobis exhibet id quod offert, annexa caerimoniae gratia. » — In libro *de captivitate babylonica* definit sacramentum » promissionem signo externo annexam. »

Calvinus (5) haec habet : « Sacramentum est externum symbolum quo Deus benevolentiae erga nos suae promissiones conscientiis nostris obsignat, ad fidei nostrae imbecillitatem sustinendam, et nos vicissim pietatem erga eum nostram, tam coram eo et angelis quam apud homines testamur » (6).

---

(1) L. IV, sent. d. I. — (2) L. I *de Sacram.* p. IX, c. II. — (3) L. VI *Etymol.* c. XIV. — (4) *Apol. Conf. Augustanae* art. 13. — (5) *Inst.* l. IV, c. XIV, § 1. — (6) Cfr. BELLARM. op. cit. c. XIV-XVI.

Zwinglius et anabaptistae : « Sacramenta, inquiunt, sunt veluti tesserae dumtaxat et professio, qua homo se esse candidatum Ecclesiae aut militem Christi publice declaret, quaeque Ecclesiam potius certiorem facit de tua fide quam te. » Itaque judicio Zwinglii sacramenta sunt tantum signa quae instituta sunt ut populus christianus a ceteris religiosis discerneretur coetibus (1).

Ex his definitionibus ducum protestantium ultro patescit eos sacramentis denegare omnem vim gignendi in animis justitiam et sanctitatem internam. Haec haeresiarcharum sententia fusius exponetur et discutietur, ubi agetur de virtute sacramentorum.

§ 3. Definitio sacramentorum veteris legis.

48. — Sacramentum V. L. definitur : Signum sensibile, sacrum, a Deo permanenter institutum ad significandam gratiam et ad hominibus, qui rite ea suscipiunt, sanctificationem legalem usu suo conferendam. — Illa enim definitio est recta, quae omni et soli definito convenit, traditque id quod in re est primum. Atqui talis est notio tradita :

1. Convenit omni sacramento V. L. a) Omnia enim sacramenta V. L. tamdiu duratura erant quamdiu non abrogabatur lex mosaica. — b) Haec autem sacramenta α) conferebant sanctificationem et munditiem legalem, et proinde subjecta sacramentorum divino cultui consecrabant, uti ostensum est thesi III. β) Significabant gratiam meritis Christi conferendam. γ) Erant figurae sacramentorum N. L. : Circumcisio figurabat Baptismum ; Purificationes et expiationes figurabant Paenitentiam ; Esus agni paschalis et panum propositionis, Eucharistiam ; Consecratio sacerdotum, Ordinem. — c) Insuper Circumcisio erat signum foederis inter Deum et populum electum, professio qua quis se legi subjiciebat et populo electo cooptabatur. Denique erat remedium quo infantulis masculinis remittebatur peccatum originale. — d) Sacramenta reliqua V. L. non habebant virtutem proprie conferendi gratiam. Attamen ob fidem internam, ceterasque animae dispositiones, infundebatur gratia, intuitu meritorum Christi.

2. Per praejactam definitionem ex sacramentorum censu excluduntur plura signa V. L. : a) serpens aeneus in deserto erectus ; b) transitus per mare rubrum ; c) manna ; d) aqua de petra manans. Haec enim non fuerunt lege stabili et permanenti instituta a Deo, neque adhibita sunt ut consecratio tribueretur, sed beneficii temporalis gratia.

(1) Cfr. Bellarm. op. cit. c. xv.

§ 4. Sacramenta novae legis et veteris legis esse analoga ostenditur.

49. — NOTIONES. *De univoco et de analogo.* — 1. Idea universalis *univoca* repraesentat *formam pluribus distributive communem secundum eamdem rationem praecise sumptam,* seu *intrinsecam.* Forma potest duobus modis esse communis pluribus eadem ratione intrinseca: a) *Si in pluribus per nihil perficitur:* Sic eadem forma univoce communis est duobus entibus perfecte similibus. Tale univocem vocatur *reale.* — b) Si pluribus inest *diversa* quidem perfectione, verum in uno perficitur *nota formaliter diversa.* Talis perfectio pluribus inest *secundum diversam rationem extrinsecam,* et secundum eamdem rationem intrinsecam. Sic homini et bruto univoca est animalitas. Animalitas enim hominis perfectior quidem est animalitate bruti; at concipitur perfici rationalitate quae non includit notam animalitatis. Tale univocum vocatur *logicum.*

2. Idea universalis *analoga* repraesentat formam quae pluribus distributive *inest secundum diversam rationem intrinsecam* Ejus itaque objectum pluribus inest diversa quidem perfectione, verum concipitur in pluribus perfici per id quod in conceptu suo includit eamdem notam.

Ipsae formae, ideis universalibus repraesentatae, dicuntur *univocae* aut *analogae* pluribus; univoci etiam et analogi dicuntur termini quibus significantur ideae et formae.

QUAESTIO. Ex definitionibus sacramentorum novae et veteris legis superius traditis liquido constat sacramenta nova, considerata secundum id quod est commune omnibus, longe perfectione sua superare sacramenta vetera. — Conveniunt inter se secundum multa. Utraque enim a Deo instituta sunt tamquam essentialiter connexa cum testamento suo; utraque significant gratiam Christi; utraque suscipientes quodammodo consecrant Deo. — Disparitas est potissimum in eo quod sacramenta N. L. ex opere operato conferunt subjecto gratiam sanctificantem, sacramenta autem legis mosaicae hanc gratiam ex se tantum significant. — Ex his autem est consequens sacramenta duplicis legis *non esse realiter univoca.*

Quaeritur utrum sint *logice univoca* an *analoga.* — Sensus quaestionis propositae est, utrum sacramenta novae legis concipiantur perfici per notam quae non est de conceptu sacramenti veteris legis; an eo tantum quod ipsae hae notae perfectiori modo insint sacramentis novis. *Si primum* affirmari oportet, dicendum erit haberi genus sacramenti, illud genus esse *univoce* commune duabus specibus, et ad utrumque

descendere per additionem notarum quae sunt extra conceptum generis. *Si alterum* affirmari oportet, dicendum est a) eamdem definitionem tradere totam essentiam sacramentorum novae legis et sacramentorum veteris legis ; — b) hanc definitionem excellentiori modo inesse sacramentis novae legis quam veteris, adeoque sacramenta esse *analoga*. — Quaestio sic etiam proponi potest : Quaeritur utrum a sacramentis utriusque legis abstrahatur notio quae conveniat singulis et quae totam essentiam sacramentorum significet, an secus.

SENTENTIAE. *Prima* est Magistri (1), s. Th. (2), Lessii (3). Affirmat sacramentum *analogice* dici de sacramentis duplicis legis. — In hac sententia eadem notio exhibet totam essentiam, at haec essentia perfectius inest sacramentis novae legis. Quare sacramentum secundum essentiam definitur : Signum sensibile, stabili lege a Deo institutum, gratiam Christi significans, sanctitatem etiam significans et eam usu suo causans ; sive brevius : *signum demonstrativum gratiae et practicum sanctificationis* (4).

Secunda affirmat sacramenta dici *univoce* de utriusque legis sacramentis, adeoque ab utrisque abstrahi genus sacramenti, quod ad utramque speciem descendit per additionem differentiarum proprie dictarum seu notarum formaliter diversarum a genere. Juxta alios aliud est id genus, seu alia est definitio communis utrique speciei : a) Juxta Sotum, Ledesma et Vasquez sacramentum generice consideratum definitur : « Signum sacrum gratiae sanctificantis. » Duplex differentia vero haec est : pro V. L. quidem, *mere demonstrativum ;* pro N. L. autem, *demonstrativum et practicum.* — b) Juxta Melch. Canum et Bellarm., definitur : « *Id quod significat et causat eam, quam conferre potest, sanctitatem, sive perfectam sive legalem et imperfectam.* »

---

(1) L. IV *sent.* dist. 1. — (2) In 4 d. 1, q. 1, a. 1, solut. III, ad 5m. — (3) *De sacr. in gen.* ad q. LX, a. 4.

(4) SUAREZ (d. 1, s. 2) et LUGO (d. 1, s. 3, n. 43 sqq.), verbo magis quam re, a prima sententia differunt :

1. Suarez enim asserit haec tria esse de ratione sacramenti ut sic : a) Ut materia, seu res imposita ad significandum, sit caerimonia *instituta ad conferendam homini aliquam sanctitatem ;* b) ut sacramentum *conferat* aliquam sanctificationem ; c) ut conferendo aliquam sanctitatem, *significet sacram animae sanctitatem.* — Quibus positis, contendit sacramentum *univoce* convenire ritibus duplicis legis, ex his quatuor : a) Diverso ritu externo et in diversis actionibus instituta sunt sacramenta. Status legis gratiae perfectior est ; proin actus sacramentorum est etiam perfectior faciliorque, et ad expressiorem significationem magis accommodatus. — b) Sacramenta N. L. sunt demonstrativa gratiae praesentis, vetera autem erant promissiva in futurum. — c) Nostra sacramenta clarius et apertius significant, ideoque in eorum ritu adjunguntur verba. — d) Significatio gloriae magis propria et immediata est in nostris sacramentis.

Jamvero haec discrimina in medio relinquere videntur quaestionem. Ulterius enim

ASSERTUM. Sacramentum dicitur analogice de sacramentis novae et veteris legis.

50. — **Prob. Arg. I^m.** *Directum.* Illud analogice convenit duobus, quod a) in his est inaequali perfectione, b) totam utriusque essentiam significat, proinde c) in utroque perficitur per id quod concipitur eadem nota. Atqui a) ex sacramentis N. L. et V. L. abstrahi potest *notio quae significat essentiam totam* utrorumque sacramentorum: Etenim sacramentum N. L., uti antea ostensum est, definitur « Signum demonstrativum, practicumque gratiae internae. » — Sacramentum V. L.: « Signum demonstrativum gratiae internae, demonstrativum ac practicum sanctitatis legalis. » — Ex utraque abstrahitur notio communis: « Signum demonstrativum gratiae et practicum sanctitatis. » Jamvero illa notio tradit totam essentiam sacramentorum utriusque legis. Cetera enim elementa, sc. esse signa memorativa passionis Christi, signa prognostica gloriae, sunt proprietates sacramentorum, potius quam partes essentiales. — b) Haec essentia *secundum inaequalem perfectionem* inest in utrisque sacramentis. Nam sanctitas sacramentis N. L. causata, est interna et vera animae sublimatio ad ordinem quasi divinum ; contra sanctitas V. L. est quaedam deputatio ad cultum legalem, adeoque

---

quaeritur utrum sacramenta novae legis clarius significent gratiam et gloriam ratione alicujus quod est extra conceptum sacramentorum veteris legis, an secus; deinde utrum gratia collata sacramentis N. L. sit extra conceptum sanctificationis collatae sacramentis N. L. — Quaeritur etiam utrum notio temporis quo gratia significata conferatur, ingredi debeat in definitione essentiae sacramenti, an secus. Praeterea notandum est gratiam de praesenti conferri per circumcisionem; quare omnibus sacramentis V. L. commune non est quod promissiva sint gratiae in futurum.

2. Lugo affirmat « requiri ad rationem sacramenti, quod in suo usu afferat subjecto aliquam sanctitatem. Nam quamvis sanctitas dicatur analogice de sanctitate gratiae habitualis, et sanctitate legali, possumus tamen ab utrisque sacramentis abstrahere conceptum univocum et communem; quem quidem non explicemus per nomen *sanctitatis*, sed per nomen *consecrationis*, aut dedicationis, et conjunctionis peculiaris cum Deo, ita ut omne sacramentum sit caerimonia sacra in suo usu consecrans, dedicans, conjungens subjectum peculiariter cum Deo: Et quidem licet sacramenta antiqua non afferrent veram et propriam sanctitatem recipienti; negari tamen non potest, quod proprie et vere illud subjectum dicarent Deo, et conjungerent cum Deo: nam ille, qui consecrabatur, sacerdos v. g., licet non acciperet gratiam sanctificantem, vere tamen consecrabatur et dedicabatur Deo et conjungebatur peculiariter Deo; et licet sit nobilior ac excellentior conjunctio hominis cum Deo per gratiam sanctificantem, hoc tamen non tollit quod illa etiam esset vera conjunctio, licet inferior et ignobilior. Hanc autem conjunctionem cum Deo significamus in definitione sacramenti in communi, quando dicimus esse caerimoniam sacram sanctificantem subjectum, sumpto nimirum nomine *sanctificationis* in latiori significatione, prout significat conjungere cum Deo, aut consecrare aliquid Deo; quae ratio communis est omnibus sacramentis, ut vidimus. » (*De sacr.* d. 1, s. 3, n. 47). — Contra quam explicationem notamus synonyma esse « sanctitatem, consecrationem Deo, conjunctionem cum Deo. » Sane alia consecratio est alia perfectior; at concipitur perfici per id quod tamquam consecratio, conjunctio, sanctitas concipitur.

denominatio extrinseca. Atqui perfectior est prior sanctitas, uti ex se patet. — c) Haec essentia *perficitur per id quod concipitur per eamdem notam.* Sanctitas quidem collata per sacramenta N. L. est perfectior ; at id quo redditur perfectior, concipitur tamquam sanctitas. Quid enim est sublimari gratia ad ordinem divinum ? Nonne est esse sanctum, consecratum Deo, speciali modo ad eum pertinere ?

Arg. II^{m}. *Indirectum.* Falsificantur sententiae adversae.

A. *Falsa est sententia Soti* etc. Ex eo quod sacramentum, uti abstrahit ab utraque lege, definiendum foret *signum sacrum gratiae sanctificantis*, consequens foret omnia sacrificia veteris legis esse sacramenta. Sed consequens est falsum. Ergo falsum est antecedens. — Patet illatio majoris eo quod res, quae immolabatur, erat sacra, Deo enim consecrabatur ; immolatio significabat tum sacrificium crucis, tum gratiam hominum generi conferendam per sacrificium. — Insuper consequens foret sacrificium missae, qua sacrificium, esse sacramentum.

B. *Falsa est sententia Cani et Bellarm.* 1. Ex sententia hac consequens foret primam tonsuram, absolutionem ab excommunicatione, professionem religiosam, caerimonias administrationi sacramentorum annexas et sacramentalia omnia esse sacramenta. — Causant enim aliquam sanctitatem.

2. Ex argumento allato non sequitur sacramentum univoce dici de utraque lege, immo contrarium eruitur. Sanctitas enim collata sacramentis N. L. est perfectior secundum rationem ipsius sanctitatis.

ARTICULUS II.

De definitione physica sacramentorum N. L.

D. Th. III, q. LX, a. 4 et 6. — Suar. in III, d. II, sect. 1 et 2. — Lugo d. II, sect. 1 et 2. — Vasq. in III, q. LX, d. CXXIX, cap. I, II, III. — Bellarm. l. I, controv. III, cap. XVIII.

§ 1. Status quaestionis.

In hoc articulo, praemissis notionibus et expositis sententiis, ostendetur signa sacramentalia N. L. essentialiter constare ex rebus et ex verbis, quorum aliis competit ratio materiae, aliis vero ratio formae. Deinde, speciatim examinando indolem verborum seu formae, ostendetur ea non esse primo concionalia sed consecratoria. — Quare praesens articulus in tres partes distribuetur.

51. — NOTIONES. A. *De signo.* 1. Signum arbitrarium habet vim significandi ex institutione Dei aut hominum. — Potest ex se esse fundamentaliter aptum ad hoc ut significatio ei indatur; *formaliter* et *actu* haec vis ex sola institutione tunc ei competit.

2. Significatio annecti potest tum vocabulo tum rei, sive naturali sive artificiali; rei aequiparatur actio, puta lotio, unctio, quilibet motus corporis. a) *Vocabula* ex institutione hominum significant immediate conceptus mentis: formantur enim ad hos conceptus manifestandos; mediate significant res de quibus cogitatur et pro his rebus supponunt; quare sunt signa manifestativa conceptuum, rerum vero tum manifestativa tum suppositiva. In sequentibus considerantur tamquam signa manifestativa rerum. — Porro vocabulum ex se est fundamentaliter aptum ut assumatur indifferenter in plurium significationem. At in unaquaque lingua, apud quamlibet gentem, termino annectitur certa aliqua et una significatio. — b) *Res* significat immediate aliam rem; eam autem significat aut ex se sola (sic risus, gemitus), aut ex sola institutione (sic vexillum), aut fundamentaliter quidem ex se, formaliter vero et actu ex institutione, cum nempe ex se est tantum apta ad significandum aliud. — Porro rei inest ex se significatio alius rei, vel aptitudo ad recipiendam vim significandi, ob aliquam convenientiam cum hac alia re, puta ab similitudinem, vel ob proportionalitatem (sic ablutio significat animam ablui gratia, uti corpus aqua).

B. *De materia et forma.* In rebus artificialibus, puta in statua marmorea, duplex datur elementum: a) id ex quo statua facta est: vocatur *materia;* b) id quo marmor est statua: illud autem est *figura* seu *forma.* — Marmor (materia) per se indifferens erat ad esse statuam vel aliquid aliud; erat in potentia ad varia eratque determinabile ad unum ex diversis; tandem permanet idem sub diversis figuris, quae successive induci possunt. — *Figura* (forma) autem marmori superaddita, ipsique unita intrinsecus, est *determinans*, seu est id quo marmor ad unum determinatur.

2. Haec significatio materiae et formae ab artefactis est translata ad composita physica, metaphysica et moralia. Ubicumque scholastici invenerunt compositum constans ex duobus elementis, quorum unum quidem ex suapte natura sit indifferens ad plura, in potentia, determinabile, alterum vero ex se determinans, actuans ad unum; primum vocaverunt *materiam,* alterum *formam.* Composita quae ex materia et forma coalescunt, modo sunt metaphysica, modo physica, modo moralia, prout materia et forma sunt inter se realiter aut nonnisi

ratione distinctae vel prout intrinsecus aut extrinsecus inter se uniuntur.

C. *De ritu sacramentali.* 1. In sacramento sequentia reperiuntur: a) In *baptismo:* α) actio: ablutio aquae; β) formula: « Ego te baptizo etc.; » γ) effectus seu donum sacramento significatum et collatum, est autem deletio peccati originalis per infusam gratiam sanctificantem, et character. — b) In *confirmatione:* α) actio: unctio chrismatis per manus impositionem; β) formula: « Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris » etc. γ) effectus: augmentum gratiae sanctificantis, speciale robur ad fidem profitendam, character. — c) In *Eucharistia:* α) res: Christus praesens sub panis et vini speciebus; β) formula: verba consecrationis: « Hoc est enim corpus meum; hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti; » γ) effectus: augmentum gratiae sanctificantis, robur voluntati additum. — d) In *paenitentia:* α) confessio dolorosa; β) verba absolutionis; γ) effectus: deletio peccati, productio gratiae primae aut secundae h. e. productio gratiae peccato amissae aut ejus augmentum. — e) In *extrema unctione:* α) actio: unctio olei; β) formula: « Indulgeat tibi Dominus quidquid per visum... deliquisti; » γ) effectus: gratia sanctificans per se secunda, per accidens prima. Extrema unctio est plenius sanativa quam paenitentia. — f) In *ordine:* α) actio: traditio instrumentorum et impositio manuum; β) verba: formulae variae; γ) effectus: gratia secunda et character, jus ad auxilia statui sacerdotali congrua. — g) In *matrimonio:* α) formula qua contrahentes mutuo tradunt et accipiunt jus in corpus; insuper formula benedictionis; β) effectus: gratia habitualis secunda, jus ad auxilia specialia requisita ad sanctificandam unionem matrimonialem.

2. In his ritibus distingueret quis, pro variis sententiis exponendis, a) id quo continetur essentia sacramenti, cui proinde annexa est vis significandi et causandi gratiam; b) id quod paerequiritur essentialiter ad esse sacramenti, puta ejus causam efficientem, aut rem circa quam versatur sacramentum; c) demum id quod necessario concomitatur sacramentum tamquam ejus proprietas etc.

52.—QUAESTIO. Quaeritur 1° num in omni sacramento inveniantur *res* et *verba;* quaeritur 2° num res apte vocentur *materia,* verba autem *forma;* quaeritur 3° num res et verba, materia et forma, sint *partes constitutivae* illius ipsius ritus cui annexa est vis significandi et causandi gratiam; sive aliter num id, quod significat et causat gratiam, constet essentialiter ex duobus elementis, quorum unum sit res et materia, alterum verba et forma.

Ut rite intelligatur tertia quaestio heic discutienda, sedulo sunt advertenda duo :

1. Cum forma omnis signi, seu id quo signum est praecise signum, sit significatio, cumque sacramenta sint signa gratiae, vis significandi gratiam erit forma, ritus cui imponitur haec significatio, erit materia. — Verum de tali materia et forma signi sacramentalis non inquiritur. Inspicitur materia et forma in ipso *ritu sacramentali.*

2. Ritus sacramentalis ex se est *fundamentaliter* aptus ad significandam infallibiliter gratiam eamque usu suo conferendam. A Christi institutione habet virtutem *actualem* non modo infallibiliter gratiam significandi sed adhuc, per se loquendo, eamdem usu suo conferendam. De hac autem efficacia sacramentorum N. L. quaeruntur duo : a) quibusnam elementis ritus hujusce sacramentalis competat essentialiter virtus gratiam significandi et conferendi; utrum videlicet unum horum elementorum habeat rationem *rei* et *materiae,* alterum vero rationem *verbi* et *formae.* b) Quomodo Christus voluerit hoc compositum ex materia et forma causare gratiam, utrum nempe beneficio elevationis intrinsecae, an beneficio elevationis extrinsecae. — Prior quaestio heic agitatur; posterior solvetur ubi de causalitate sacramentorum fiet sermo.

SENTENTIAE. *Circa 1m quaestionem* scholastici communiter conveniunt *in omni sacramento inveniri res et verba.* Res tamen et verba in omnibus sacramentis reperiri negat Durandus.

Circa 2m quaestionem duae sunt sententiae :

A. Juxta Dom. Sotum (1) materia et forma in sacramentis non sunt res et verba ; *ritus sensibilis* totus quantus, sive sit sola res, sive solum verbum, sive utrumque, *est materia ; significatio est forma.* — Idem videtur asserere Cajetanus (2). Addit significationem sacramenti esse unam et simplicem, resultantem ex composito sensibili rerum et verborum. — Attamen dicit Vasquez (3) se in Soto et Cajetano hanc sententiam non invenisse.

B. Juxta s. Th. (4) et veteres theologos communiter sacramentis inest duplex forma. Si enim totus ritus consideratur, hic constituitur in genere signi per significationem, seu per vim significandi quam ex se habet fundamentaliter, formaliter autem et infallibiliter ex institutione Christi. Quare significatio est forma istius ritus. — Verum iste ritus constat ex duplici parte, ex re et verbo ; si autem utraque pars conside-

(1) In IV d. 1, q. 1, a. 1 et 2. — (2) In III p. q. LX, a. 6. — (3) D. CXXIX, c. II. — (4) III, q. LX, a. 6, ad 2m.

ratur uti se habet ad alteram partem et ad gratiam significandam, *rei convenit nomen materiae, verbo nomen formae.* — In sacramentis quorum partes constitutivae sunt res et verba, hoc explicatur dicendo *rem ex se esse in potentia ad significandam gratiam,* eamque non clare nec distincte istam gratiam significare ; contra *verba ex se determinare rem ut distincte et clare significetur gratia per compositum* (1).

Porro jam a seculo XIII res designari coeperunt nomine materiae, verba autem nomine formae ; hae enim appellationes videntur fuisse invectae a Gul. Altissidoriensi et postea fuerunt sancitae Florentino decreto pro Armenis, in quo legitur omnia sacramenta tribus perfici, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, denique persona ministri conficientis sacramenta.

Circa 3m quaest. num res et verba, materia et forma, non tantum inveniantur in ritu sacramentali inspecto adaequate secundum partes integrantes et essentiales, sed num etiam sint *partes intrinsecus constitutivae illius ritus sensibilis qui significat et causat gratiam,* abeunt scholastici in sententias tres :

Prima sententia est Soti (2). *Negat formam esse partem constitutivam sacramenti,* adeoque asserit significationem gratiae annexam esse *solis rebus* seu *materiae.* Illius judicio tota significatio in baptismo inest ablutioni ; in Eucharistia inest pani et vino, forma vero Eucharistiae est tantum aliquid sacramentale. — Iterum existimat Gabriel Vasquez (3) sententiam Soti non recitari fideliter.

Secunda sententia est Scoti (4). a) In *baptismo,* in *confirmatione,* in *extrema unctione, materia et forma sunt partes constitutivae,* seu significatio et causatio gratiae tributa est composito ex rebus et ex verbis. — b) In *paenitentia* tota essentia sacramenti reponitur in *sola forma* seu *absolu-*

(1) SUAREZIUS excogitavit alium modum explicandi res esse materiam, verba autem formam. Juxta ipsum gratia sacramentalis, quae significatur per ritum, quasi coalescit ex duabus gratiis partialibus, vel habet duos effectus distinctos, materia ritus sacramentalis significat et causat unum effectum, forma alterum. Materia tamen non producit effectum independenter a forma, neque haec independenter ab illa ; nam ut effectus aliquis producatur, oportet ut sacramentum sit perfectum. Sic verba Eucharistiae significant praesentiam Christi, species vero animae nutritionem et unionem fidelium inter se et cum Christo.

Opinamur cum VASQUEZIO probabilius esse materiam significare id quod forma significat, discrimen reponi penes id quod materia obscure et indeterminate, forma vero clare et determinate significat.... a) Quod enim significatur aliqua parte sacramentali, id hac parte causatur. Sed nil causatur per materiam, quod non causatur per formam (sive physica admittatur causalitas, sive moralis dumtaxat) neque vicissim. b) Dein si vera esset haec sententia, quodlibet sacramentum complecteretur duo sacramenta, quorum unum seorsim ab altero esse non posset ; duplex enim gratia significaretur (vel una bis), et causaretur. (In IIIm part. d. CXXIX, c. II, n. 19 sq.). — (2) In IV d. 3, q. 1 et 2 d. 14, q. IV. — (3) Disp. CXXIX, c. III. — (4) In IV, d. 3, q. 1 ; d. 8, q. 1 ; 2 d. 14, q. IV.

tione, haec itaque sola significat et causat gratiam. Peccata paenitentis sunt *materia circa quam ;* actus, seu dispositiones paenitentis, concurrunt ad esse sacramenti tamquam aliquid praerequisitum. — c) In *Eucharistia* totum sacramentum est in *materia* seu in *speciebus consecratis* panis et vini ; forma pertinet ad sacramentum tamquam ejus *causa efficiens.* — Quoad Eucharistiam Scoto assentitur Vasquez (1).

Tertia sententia tenet omnem ritum sacramentalem essentialiter constare *ex rebus et ex verbis, ex materia et ex forma ;* sive aliter vim significandi et causandi gratiam fuisse a Deo annexam ritui constanti ex duobus elementis. Alterum, aiunt, quod rebus continetur, obscure et indeterminate significat ; determinandum est per verba ut cum iis effectum sacramenti clare et determinate significet. Cum sacramenta causent in quantum significant, dicendum est compositum causare gratiam principalius ratione formae, materiam determinari per formam ad causandam hanc gratiam potius quam illam.

Explicandum est quid secundum hanc sententiam in sacramento matrimonii, paenitentiae et Eucharistiae sit materia et res, quid forma.

Quoad *paenitentiam,* actus paenitentis sunt materia sacramenti, sc. aut interna contritio, ejus exterior significatio et confessio, aut soli actus externi, praesupposita interna contritione.

Quoad *Eucharistiam,* gratiae auctorem et gratiam sanctificantem significat obscurius species panis et vini, clarius verba consecrationis. Praesentiam Christi et gratiam sanctificantem causant verba in quantum uniuntur materiae.

De matrimonio varia explicatio affertur ; haec pro vera admittitur : contractus matrimonialis christianorum identificatur cum sacramento ; itaque quibus verbis significatur et causatur contractus, iisdem significatur et causatur gratia sacramentalis. Jamvero in verbis quibus significatur contractus distinguere est duas sententias, quarum altera est indifferens, in potentia, determinabilis, ad hoc ut fiat contractus, altera autem determinans seu actuans priorem ad fieri contractus. Etenim verba ab unoquoque conjuge prolata, enuntiant duplicem hanc sententiam : *Trado tibi jus in corpus proprium. Accipio traditionem corporis tui.* Contractus autem formaliter perficitur et significatur perfici per *acceptationem ;* rei *traditio* est in potentia ut ex ea fiat contractus. Igitur uterque conjux, dum significat traditionem corporis proprii, ponit materiam sacramenti ab ipso suscipiendi ; dum significat

(1) D. CXXIX, c. III, n. 39.

acceptationem corporis alterius, ponit formam sacramenti ab altero suscepti. Quare contrahentes sunt sibi mutuo ministri sacramenti; qui enim ponit formam, censetur administrare sacramentum (1). — Sic, ad summam rei quod attinet, Sotus, Bellarminus, Sanchez (2), Suarez (3), Lugo (4). Quam explicationem multis impugnat Vasquez (5).

§ 2. Sacramenta N. L. essentialiter constant verbis tanquam materia et rebus tanquam forma.

THESIS VI[a]. — Sacramenta Novae Legis intrinsecus constituuntur rebus tamquam materia, et verbis tamquam forma.

Thesis tria includit: 1° In quolibet sacramento inveniuntur res et verba. — 2° Res aptissime vocantur materia, verba autem forma. —

(1) Circa materiam et formam matrimonii dantur tres aliae sententiae.

1. Juxta Alex. de Nevo, Silvestrem, Navarrum, Humada, Capr., Deza, et alios quos citat Sanchez (tr. *de matr.* d. v, n. 2) *consensus* contrahentium est *res* et materia, *verba* quibus consensum exprimunt sunt *forma*.

Sunt qui hanc sententiam refutant dicendo materiam non posse esse adaequate ex se insensibilem et inde concludendo consensum internum non posse esse adaequatam matrimonii materiam (sic Sanchez). Ad quam responsionem advertatur multorum judicio contritionem internam esse partialiter materiam paenitentiae, alteram partem esse confessionem et externam significationem contritionis. — Alii admittunt actum internum ne partialiter quidem esse materiam sacramenti, at esse praerequisitum ad hoc ut confessio et exterior agnitio contritionis sit reapse materia. Utrique habent sententiam praejactam pro falsa. — Attamen solutio Sanchezii carpitur a Vasquezio quia supponit id quod est probandum, nempe materiam saltem partialiter debere esse sensibilem. Ideo ipse sententiam propositam aliter falsificat (in III p. t. IV, d. III, c. II, n. 24).

Rectius sic refutatur: a) Id non est materia in composito, quod non est magis quam forma indifferens, in potentia, determinabile. Atqui talis est consensus internus respectu verborum quibus significatur. Ergo. — b Si consensus internus esset materia in matrimonio, eodem jure contenderet quis intentionem conficiendi ritum sacramentalem esse partem cujuslibet sacramenti. Consensus enim internus nihil aliud videtur esse nisi intentio vere contrahendi et proinde conficiendi sacramentum. Atqui intentio est tantum essentialiter praerequisita ad hoc ut ritus externus sit infallibiliter significativus gratiae, quod patet ex Eugenio IV distinguente in sacramentis tria: res, verba et ministrum.

2. Juxta Palud., P. de Soto, Adr., Ant., Covarr. et Vasq. (c. v.), materia matrimonii sunt *corpora* contrahentium quae traduntur invicem, forma sunt *verba* quibus traduntur.

Falsificatur: a) Id non est pars sacramenti matrimonii, quod non est pars contractus; sed corpora contrahentium non sunt pars contractus matrimonialis, haud secus ac domus quae venditur non est pars contractus; sed sunt ea circa quae fit contractus. — b) Hi qui admittunt materiam ordinis contineri traditione instrumentorum, dicunt actionem tradendi instrumenta, non autem instrumenta ipsa, esse materiam. A pari, aiunt, corpora non sunt materia matrimonii, sed haec reponitur in actione mutuo corpora tradendi. (Alia resp. vide, sis, Lug. d. II, s. 1, nn. 7 sqq.).

3. Juxta Ric., Ang., Vict., Henriq., Barth. a Ledesma, Vega et alios quos citant Sanch. (l. c n. 5) et Vasq. (l. c. c. II, n. 8), *verba prioris conjugis sunt materia, posterioris autem forma.*

Falsif. Contingere potest ut simul tempore pronuntientur verba ab utroque conjuge; in hoc casu nulla foret materia, nullaque forma, cum ratio materiae et formae desumatur ex ordine temporis.

(2) D. v, n. 6. — (3) D. II, s. 1. — (4) D. II, s. 1, n. 29. — (5) In III p. divi Th. t. IV tract. *de matr.* d. III, c. II, n. 17.

3° Res et verba, seu materia et forma, sunt constitutivae sacramentorum N. L.

53. — **Prima pars.** SACRAMENTA N. L. INCLUDUNT RES ET VERBA, seu Christus instituit septem ritus significativos et collativos gratiae, in quorum singulis dantur res et verba.

Prob. Arg. 1m. A. *Baptismus, Eucharistia, Confirmatio, Extrema Unctio, ex Christi explicita institutione verba continent et res.*

1. In *Baptismo* ex institutione Christi habetur aquae ablutio, haec autem est res ; habentur verba : « *In nomine Patris* » etc. Id enim constat ex. a) Matth. XXVIII, 19. « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. » — b) Eph. V, 25-27. « Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet sibi ipsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. » Unde sic : Jubet Christus gentes baptizari in nomine Patris etc. ; dicitur a Paulo mundari homines Ecclesiae lavacro aquae, in verbo vitae, eosque sic reddi sanctos.

2. In *Eucharistia* ex institutione Christi habetur species panis et vini et corpus Christi, his continetur res ; dantur verba : *Hoc est corpus meum ; hic est sanguis meus* etc. Constat ex Luc. XXII, 19, 20. « Et accepto pane gratias egit... et dedit eis, dicens : hoc est corpus meum, quod pro vobis datur ; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens : hic est calix novum testamentum in sanguine meo qui pro vobis fundetur. »

3. In *Confirmatione* habetur manuum impositio, quae est actio, et oratio quae verbis continetur. — Colligitur ex Act. VIII, 14 sqq. « Cum autem audissent Apostoli qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Johannem, qui, cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum : nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum. »

4. *De Extrema Unctione.* Continet *unctionem* et *orationem.* — Colligitur ex Jac. V, 14, 15. « Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae et *orent* super eum, *ungentes* eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus : et si in peccatis sit, remittentur ei. »

B. *Paenitentia, Ordo, Matrimonium* vi institutionis a Christo factae *includunt res et verba :*

1. Sacramentum *paenitentiae* fuit a Christo institutum per modum judicii. Atqui in judicio dantur res et verba, sc. actus de quibus fertur sententia, et sententia judicialis. Ergo.

2. *Ordo* conficitur per impositionem manuum ; eadem impositio habetur in confirmatione ; ex se itaque est indifferens ad utrumque ; quare in utroque adjicienda sunt verba quibus determinetur ad unum.

3. Sacramentum *matrimonii* est contractus. Atqui in omni contractu datur traditio, quae se habet per modum rei, et acceptatio quae se habet per modum verbi. Ergo.

Arg. II^{m}. *Rationibus congruis.* 1. Rationes tres petitae ex fine, quae est *sanctificatio*, afferuntur a s. Th. l. c. « Sacramenta adhibentur ad hominum sanctificationem... Tripliciter ergo considerari possunt... *Primo* enim possunt considerari ex parte *causae sanctificantis,* quae est Verbum incarnatum, cui sacramentum quodammodo conformatur, in hoc quod rei sensibili verbum adhibetur, sicut in mysterio Incarnationis carni sensibili est Verbum Dei unitum. *Secundo* possunt considerari sacramenta *ex parte hominis* qui sanctificatur, qui componitur ex anima et corpore, cui proportionatur sacramentalis medicina quae per rem visibilem corpus tangit et per verbum ab anima creditur.... *Tertio* possunt considerari sacramenta *ex parte ipsius significationis sacramentalis.* Dicit autem Augustinus quod verba inter homines obtinuerunt principatum significandi... Et ideo ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur. »

2. Alia ratio congrua peti potest ex fine, qui est *cultus divinus.* Res externae, seu actiones sensibiles, sunt valde accommodatae ad exteriorem cultum divinum, verba autem conferunt ut significatio sit certior et expressior, qualis esse debet in lege gratiae propter hujus status perfectionem.

3. Demum alia ratio petitur ex alio fine sacramentorum, qui est per sensibilia *manuducere hominem ad intelligibilia cognoscenda.* Visus et auditus maxime inserviunt intellectui ad notitias acquirendas. Visu ipse invenit, auditu discit ab aliis. Hinc si in sacramentis habentur res et verba, intellectus rebus visis invenit rem significatam ; verbis auditis eam addiscit et perfectius novit.

54. — Secunda pars. RES APTE VOCANTUR MATERIA SACRAMENTORUM, VERBA AUTEM FORMA.

In hac parte abstrahimus a quaestione utrum res et verba sint partes *essentiales* omnium sacramentorum, an, uti volunt Scotistae, tota

essentia sacramenti paenitentiae reponatur in forma absolutionis, Eucharistiae vero in corpore Christi et speciebus, reliquorum autem quinque in rebus et verbis.

Prob. Arg. I^{m}. Illud apte vocatur *materia* sacramenti, quod est vel id circa quod versatur essentia sacramenti (tunc enim est *materia circa quam)*, vel obscurius significat gratiam (tum fundamentaliter, ex se, tum infallibiliter ex Christi institutione) et proinde determinandum est formaliter altera parte ad determinate gratiam significandam ; illud autem apte vocatur *forma,* quod vel est tota essentia sacramenti (tunc enim est forma metaphysica), vel ex se formaliter determinat alterum ad constituendum secum signum gratiae. Atqui primum verificatur de rebus, alterum de verbis. Ergo.

Prob. min. a) Ablutio aquae, impositio manuum, unctio, quae sunt res sacramentorum baptismi, confirmationis, ordinis, extremae unctionis, ex se sunt indifferentes ad significanda varia supernaturalia : habent enim fundamentaliter convenientiam proportionalitatis ad varia ; ergo determinanda sunt ; determinantur autem verbis. — Confirmatur de impositione manuum, quia est res duplicis sacramenti, sc. confirmationis et ordinis ; ergo ex se est indifferens et determinatione indiget. Secundum non paucos auctores, quorum tamen sententiam pro falsa habemus, unctio est res confirmationis, proindeque est etiam res duorum sacramentorum siquidem juxta omnes est res extremae unctionis. — b) Traditio corporum in matrimonio determinanda est acceptatione ad esse contractus ; sed traditio censetur esse res, acceptatio autem verba. — c) Si actus paenitentis non sunt materia circa quam, sed pars essentialis signi sacramentalis, patet eos esse ex se indifferentes ad significandam gratiam sacramentalem, et determinari verbis absolutionis. — d) Si verba consecrationis sunt pars sacramenti, nobis clarius significant praesentiam Christi et gratiam sacramentalem, quam res, siquidem res nos non inducunt in notitiam gratiae nisi ratione conjunctionis cum verbis.

Arg. II^{m}. *Auctoritate:* a) Auctoritate *Florentini:* « Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur : videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia » (Denz. n. 590).

b) Auctoritate *Augustini* ([1]) aientis : « Accedit verbum ad elementum

([1] Aug. « Jam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis. » Quare non ait « mundi estis propter baptismum quo loti estis », sed ait, « propter verbum quod locutus

et fit sacramentum ». Unde sic: Quod determinat alterum ad speciem, recte dicitur forma, quod determinatur, apte vocatur materia. Atqui juxta Augustinum verbum determinat, elementum determinatur, ex his fit sacramentum. Ergo.

55. — Tertia pars. RES ET VERBA SUNT PARTES CONSTITUTIVAE SACRAMENTORUM.

Prob. Arg. I^m. Juxta modum loquendi Florentini et Tridentini, in sacramentis res sunt materia, verba autem sunt forma. De Florentino id est perspicuum ex verbis modo allatis; de Tridentino constat quia Patres Tridentini, agentes de discrimine paenitentiam inter et baptismum, de sacramento universaliter dicunt: « materia et forma *quibus sacramenti essentia perficitur* longissime dissidet » (1). — Atqui ex usu loquendi communiter recepto, ubicumque unum asseritur esse materia, alterum vero forma, intelliguntur haec duo esse partes constitutivae compositi. Ergo in sacramentis res et verba sunt partes constitutivae.

Arg. II^m. Ex Aug. l. c. Quae se quadamtenus uniunt et quorum unum determinat alterum non quidem efficienter sed formaliter, ita ut exsurgat tertium quid, hae sunt partes constitutivae istius tertii. Atqui juxta Augustinum elementum (materia) et verbum (forma) se quadamtenus uniunt; unum determinat alterum; fit tertium, nempe sacramentum. Ergo.

Arg. III^m. *Ratione theologica.* Illud est pars essentialis sacramenti, quo dempto, reliquum jam a ratione sacramenti deficit. Sive aliter: illud est intrinsecus constitutivum sacramenti, quo ablato, reliquum jam non est signum demonstrativum gratiae, sive non valet excitare conceptum determinatae gratiae. — Atqui, dempta sive materia sive forma, reliqua pars jam a ratione sacramenti deflectit. Ergo.

Prob. 1^a pars min. Dempta forma, materia deflectit a ratione sacramenti. Ablutioni in *baptismo*, impositioni manuum in *confirmatione* et in *ordine*, accusationi in *paenitentia*, traditioni corporis in *matrimonio*, nequit inesse determinate significatio gratiae. Pariter in *Eucharistia*, uti uberius ostendetur agendo de hoc mysterio, res non ducit in cognitionem gratiae, nisi prout unitur seu substat verbis. Ergo.

---

sum vobis, » nisi quia et in aqua verbum mundat? *Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, etiam ipsum tamquam visibile verbum.* Nam et hoc utique dixerat, quando pedes discipulis lavit: « Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. » *Unde ista tanta virtus aquae ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo: non quia dicitur, sed quia creditur?* Nam et in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. » *Tract. in Joh.* LXXX, n. 3. M. XXXV, 1840.

(1) TRID. Sess. XIV, c. II.

Prob. 2ª pars min. Dempta materia, forma deflectit a ratione sacramenti.

a) Pleraeque formae indicant significationem materiae: « Ego te baptizo; ungo te; hoc est corpus meum. » Ergo forma non indicat gratiam, nisi in quantum conjungatur materiae. Ergo dempta materia, forma jam non demonstrat gratiam et proinde desinit esse sacramentalis.

b) Quoad *matrimonium*, forma, quae stat in verbis significantibus acceptationem juris in corpus alterius conjugis, supponit traditionem, eique conjungitur; dempta traditione, acceptatio jam non significat contractum, et proinde non significat unionem Christi cum Ecclesia nec gratiam.

c) Quoad *paenitentiam*: α) Forma est essentialiter sententia judicialis, jamvero non habetur judicium nisi habeatur accusatio; hac dempta, decidit sententia a ratione judiciali et proin sacramentali. β) Forma non sufficienter indicat de quo quis absolvitur, quare hoc determinandum est accusatione; per se enim confitens absolvitur a peccatis accusatis. Ergo, dempta materia, forma non sufficienter indicat restitutionem gratiae.

Confirmatur auctoritate Angelici. « Verba autem et res, ait, sunt de essentia sacramenti; » rationem dat quia sacramenta N. L. « ab ipsa passione Christi fluxerunt; et ideo... habent suae causae imaginem... ut scilicet ex rebus et verbis consistant, sicut Christus ex Verbo et carne (2). » — c) In Summa Theologica dicit quodlibet sacramentum distingui in materiam et formam, sicut in partes essentiae (3).

56. — **Scholion 1m.** Ex dictis ultro colligitur distingui materiam ex qua *remotam* et *proximam*. Materia ex qua in genere est id e quo, per accessum formae, fit sacramentum. Erit proxima si immediate ei unitur forma; secus erit remota. Sic aqua est materia remota baptismi, ablutio est materia proxima. — In paenitentia et in matrimonio distinguitur materia *circa quam* et materia *ex qua*. Peccata, et corpus in ordine ad procreandam prolem, sunt materia circa quam; confessio dolorosa peccatorum et traditio juris in corpus sunt materia ex qua.

Scholion 2m. Sacramenta V. L. non constabant materia et forma, sed sola materia continebantur. — Etenim a) ex Gen. XVII constat ritum circumcisionis in sola actione fuisse institutum sine verborum prolatione. — De esu agni paschalis idem eruitur ex Exod. XII et de ordinatione sacerdotis ex Lev. VIII. — De sacrificio pro peccato dicitur quidem Lev. XII, 8: « Orabitque pro ea sacerdos; » verum non constat hanc orationem fuisse sacramentalem. — b) Ratio a priori est quod

(1) D. Th. in 4 d. 1, q. 1, a. 3, ad 2m. — (2) Id. Ib. in corp. — (3) Id. III, q. XC, a. 2.

status veteris legis erat imperfectus ; in eo fides erat magis obscura et implicita potius quam explicita. Igitur non necesse fuit ut adderentur verba ad expressius gratiam et fidem significandam.

57. — **Scholion 3m.** *Quaeres quaenam sit auctoritas decreti pro Armenis?* (1)

Resp. 1. Cum unio inter Graecos et Romanos modo facta esset (6a julii anno 1439), legati, quos Patriarcha Armenorum anno 1438 Florentiam miserat ut unionem Ecclesiae suae cum Romana expostularent, huc advenerunt. — Eugenius P. IV decretum condidit ut fides orthodoxa Ecclesiae Romanae exponeretur. Inter varias vero decreti partes, quinta agebat de sacramentis. — In hac decreti parte prius exponuntur ea quae omnibus sacramentis sunt communia ; deinde singulatim examinantur sacramenta, exponitur quaenam sint singulorum materia et forma, quinam minister. Die 22a novembris anno 1439, Armeni decreto Eugenii subscripserunt.

2. Decretum istud propositum est Armenis non a solo Eugenio IV, sed a *Concilio Florentino*. Finis enim impositus non est Concilio immediate post unionem cum Graecis et discessum Imperatoris ; sed Concilium, quod prius sedecim sessiones Ferraris celebraverat (jun. 1438-jan. 1439), et deinde translatum Florentiae unionem cum Graecis absolverat, postea alias quaestiones Florentiae tractavit. Etenim Constitutionem *Moyses* edidit contra *Veritates* XXXIIIae sessionis Concilii Basileensis, de unione Armenorum egit et antipapam Felicem declaravit haereticum. His denique peractis, translatum est Romam, ubi facta est unio Jacobitarum etc. cum Ecclesia orthodoxa. — Ceterum decretum pro Armenis conditum esse a Concilio, constat ex verbis quibus utitur Eugenius : *Sacro hoc approbante concilio....* Datum *Florentiae in publica sessione synodali solemniter in Ecclesia majore celebrata.*

3. Attamen Patres Florentini *non intenderunt definire fide esse tenenda*, seu ad depositum fidei pertinere, quaecumque in hoc decreto enuntiantur, adeoque decretum pro Armenis *non est definitio dogmatica ;* sed scopus Eugenii et Patrum fuit exponere *quaenam esset doctrina in scholis tunc tradita et quaenam praxis Ecclesiae*. Inter ea autem quae in scholis tradi solent, alia sunt de fide, alia theologice certa, alia autem mera opinamenta theologorum.

Porro Patres noluisse condere definitionem dogmaticam dupliciter constat : a) Transscripserunt suo decreto opusculum s. Thomae de

(1) Cfr. Labbé, *Sacrosancta Concilia*, t. XIII, col. 1047. Héfelé, *Hist. des Conciles*, t. XI, p. 463, 511 sqq.

articulis fidei et sacramentis Ecclesiae (1). Jamvero hac agendi ratione sufficienter declarat Synodus non fieri definitionem dogmaticam. Numquam enim Ecclesia doctrinam Doctorum fide certam esse definit transcribendo longas rerum tractationes. — b) Illud diserte significant ipsi Patres Florentini. Nam α) in fine totius decreti distinguunt inter *capitula, declarationes, definitiones, traditiones, praecepta, statuta* et *doctrinam*, quae in ipso continentur. — β) Quintam decreti partem sic incipiunt : « Quinto, ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum tum praesentium quam futurorum *faciliori doctrina*, sub hac brevissima redigimus formula. »

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

58. — Contra I^m partem, Obj. 1°. Paenitentia continet tantum verba : confessionem, contritionis expressionem et absolutionem. Ergo falsum est omnia sacramenta continere res.

Resp. *Dist. ant.* a) cum *Scoto* : Paenitentia non continet nisi verba, quorum nonnulla habent *rationem materiae circa quam* essentialiter requisitae, alia autem rationem totius essentiae sacramenti, *Conc. ;* secus *Neg.* — b) Cum *Thomistis :* Non continet nisi verba, quorum nonnulla, quia ex se *non significant determinate gratiam*, metaphorice vocari possunt res, *Conc.;* non continent nisi verba quae omnia *determinate* significant gratiam, *Neg.*

Observa. 1. Res potest accipi sensu proprio et accipi potest sensu metaphorico. Proprie dicitur de *corpore* sive artificiali sive naturali. Talis res ex se est indifferenter apta ut significet plura. Hinc metaphorice vocatur res, id quod proprie res non est, sed quod et ipsum indifferens est ad significandum hoc vel illud, et quod determinari ab alio debet ad unum significandum. Jamvero hujusmodi sunt verba quibus traditio corporis proprii significatur in matrimonio.

2. Qui dicunt cum Scoto totam essentiam sacramenti paenitentiae absolutione contineri, tenent confessionem ex Dei institutione non significare gratiam sacramentalem. Admittunt tamen in sacramento paenitentiae haberi *rem*. Contendunt hanc rem, a verbo distinctam, esse vel peccata cordis et operis quae sunt *materia circa quam*, vel actus internos et externos contritionis, vel confessionem, sive fiat verbis, sive nutu, sive litteris scriptis aliisve signis.

(1) S. Th. Opusc. IV^m.

Obj. 2°. In sacramento matrimonii, solis verbis contenti, impossibile est invenire verba quorum alia quidem indeterminate et confuse, alia vero determinate et distincte gratiam significant. Ergo nulla est solutio modo tradita.

Resp. *Dist. ant.* Hoc est impossibile, si verba utriusque conjugis dicuntur habere vim rei et confuse gratiam significare, in quantum significant *traditionem corporis;* si eadem verba dicuntur habere vim verborum et determinate significare contractum, unionem Christi cum Ecclesia et gratiam habitualem, in quantum manifestant *acceptari traditionem* corporis ab altero conjuge factam, *Neg.* Hoc est impossibile, si consensus internus vocatur unum elementum ; vel si consensus qui prius exprimitur dicitur indeterminate significare et esse materia, si consensus alter dicitur determinate significare, *Conc.*

59. — Contra II^m^ partem, Obj. 3°. Verba non sunt sacramentorum forma, sed sunt pars materiae. Etenim sacramenta sunt signa. Atqui forma signi est significatio; materia autem est id omne cui imponitur significatio. Omne enim signum formaliter sumptum componitur ex re significante ut ex subjecto, et ex significatione tamquam ex forma. — Ergo forma illius compositi, quod sacramentum dicitur, est significatio ei annexa per voluntatem, verba autem sunt pars materiae.

Resp. *Dist. maj.* Sacramenta sunt signa *quae materialiter considerata constant ex duplici elemento,* quorum unum ex se significat *indeterminate* et *generice,* alterum *determinate et specifice, Conc.* Sacramenta sunt signa in quorum materia non est distinguere duplex elementum, *Neg. Cdt. min.*

Obj. 4°. Materia et forma exsistunt simultanee, uniuntur intrinsecus. Atqui res et verba non exsistunt simultanee in omni sacramento, in nullo uniuntur intrinsecus. Ergo rebus et verbis non conveniunt rationes materiae et formae.

Resp. *Dist. maj.* Simultaneitas et unio physica *sunt de ratione formali* materiae et formae, adeo ut ubi haec desunt, pariter desint materia et forma, *Neg.;* materia et forma *in compositis naturalibus* coexsistunt et uniuntur intrinsecus, *Conc.* — Ut res et verba dici possint materia et forma sacramenti aut ejus partes constitutivae, non exigitur ut in omni sacramento simultanee exsistant, neque ut uniantur intrinsecus et physice ; sed sufficit unio extrinseca et moralis, possuntque in certis sacramentis separari a se mutuo tum loco tum tempore. — Exigitur vero a) ut rei et verbo insit significatio essentialis materiae et formae seu elementi determinabilis et elementi determinantis ; b) ut detur ea unio extrinseca qua valeant significare unam gratiam ; c) ut detur ea

unio in loco et in tempore quae indicatur verbis formae. — Quare si haec verificantur in rebus et verbis longe a se dissitis et nonnisi successive exsistentibus, non destruitur ratio materiae et formae, nec ratio partis constitutivae. — Non exigi unionem intrinsecam vel eo solo patet quia multi auctores dicunt auctoritatem esse formam societatis ; est tamen realiter distincta a materia, scilicet a membris. — Porro in omni sacramento res et verba uniuntur *extrinsecus*, nempe in eadem gratia quam significant, et *moraliter*, in significando hanc gratiam. — Modo effectus sacramentalis et verba exigunt quasi-simultaneitatem rerum et verborum, v. g. in baptismo, confirm., extr. unct. ; modo permittunt separationem, v. g. in paenitentia et matrimonio.

60. — **Contra III^m^ partem, Obj. 5°.** Sacramentum est aliquid artefactum. Atqui in artefactis tota essentia reponitur in materia ; forma enim est aliquid accidentale superveniens materiae. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* In artefactis tota essentia h. e. substantia, est in materia, *Conc. ;* h. e. omne *constitutivum*, *Subd.* si artefactum sumitur *materialiter*, *Conc. ;* si sumitur *formaliter*, uti est artefactum, tota essentia, seu species artefacti qua artefacti, stat in materia, *Neg.* Statua habet esse statuae ex marmore et ex figura ; habet substantiam ex sola materia.

Obj. 6°. Juxta Florentinum sacramentum perficitur ex materia et ex forma. Atqui hic modus loquendi indicat judicio Florentini materiam et formam non esse partes constitutivas totius ; secus enim dixisset Florentinum *constituitur intrinsecus*. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Si Florentinum dicit sacramenta *perfici* materia et forma, non vero eadem constitui intrinsecus, ratio ob quam adhibetur terminus genericus, petitur ex *ministro* quo sacramentum dicitur etiam perfici. Cum minister non sit pars constitutiva, sed causa efficiens sacramenti, ideoque essentialiter requiratur velut natura prior, nequibat dici sacramentum intrinsecus constitui tribus. Res et verba aliter requiri ad sacramentum atque ministrum, nempe ea esse intrinsecus constitutiva, eruitur ex denominatione materiae et formae.

§ 3. Verba sacramentalia non sunt primario concionalia sed consecratoria.

61. — Quaestio de munere verborum sacramentalium ab aliis tractatur post examinatam quaestionem an sacramenta conferant gratiam ex opere operato, ab aliis autem post quaestionem de partibus constitu-

tivis sacramentorum. Et revera cum utraque intime connectitur. Ex modo enim probatis constat signum sacramentale essentialiter constare ex rebus et ex verbis, complexui impositam esse rationem signi gratiae. Ex his quae postea ostendentur et in praejactis sunt praesupposita, elucescet sacramenta non esse tantum signa demonstrativa, sed et practica gratiae, gratiam produci vi positionis materiae et formae sacramentorum. — Heic speciatim quaeritur de verborum munere in hoc complexu; responsione jam tradenda id quod est implicitum in modo dictis, magis explicitum fiet.

SENTENTIAE. I[a] est *protestantium*. Juxta eos verba sacramentorum sunt *unice concionalia*. Illud eorum assertum logice fluit ex reliqua doctrina de re sacramentaria. Eorum enim judicio sola fides in Dei promissa justificationem confert. Sacramenta autem sunt sigilla quibus Deus promissiones suas obsignavit et quae *fidem nostram excitant*. Itaque quodvis sacramentum est praedicatio divinarum promissionum; per quodlibet sacramentum promissiones Christi in Evangelio contentae annuntiantur et applicantur speciali modo ei qui sacramenta suscipit. Hinc verba sacramentalia diriguntur unice ad eum qui suscipit sacramentum, ut eum doceant significationem elementi visibilis et promissionem divinam; nullam vera consecrationem tribuunt neque materiae neque suscipienti ([1]).

Ex hac sua sententia concludunt protestantes verba sacramentalia esse pronuntianda lingua *vernacula*, non vero idiomate cujus populus est ignarus. — Concludunt etiam multi verba non includi in administratione sacramenti, sed praecedere. Attamen non omnes conveniunt de hac sequela posteriori.

A. Juxta Calvinianos *in baptismo* duplex est verbum concionale: a) primum est instructionis et a ministro proponitur ut explicetur promissio divina; b) alterum continetur formula: « Ego te baptizo » et pronuntiatur dum aqua aspergitur. — In *Eucharistia* unum est verbum concionale nempe instructionis. Recitatur populo; deinde explicatur

([1]) Calvinus. « Hoc est quod vulgo dicunt, constare sacramentum verbo et externo signo. Verbum enim intelligere debemus, non quod sine sensu et fide insusurratum, solo strepitu velut magica incantatione consecrandi elementi vim habeat; sed quod praedicatum intelligere nos faciat, quid visibile signum sibi velit. Quod ergo sub Papae tyrannide factitatum est, non caruit ingenti mysteriorum profanatione; putant enim satis esse, si sacerdos, populo sine intelligentia obstupente, consecrationis formulam demurmuraret. » Et infra: « Ergo cum de verbo sacramentali fieri mentionem audimus, promissionem intelligamus, quae, clara voce a ministro praedicata, plebem eo manu ducat, quo signum tendit ac nos dirigit. » *Inst.* l. IV, c. xiv, 4.

institutio Eucharistiae juxta Paulum I Cor. XI; tunc, sine alio verbo aut ullo signo crucis, distribuuntur panis et vinum. Hinc consequens est Calvinistas habere quidem posse baptismum, verum eos non admittere praesentiam realem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia.

B. Plerique Lutherani non tantum in baptismo, sed etiam in Eucharistia adhibent duplex verbum concionale. — Quod attinet ad *verba institutionis*, alii ea recitant mere historice, alii cum intentione consecrandi (1). — Quod attinet *verbum instructionis*, probabilius Lutherani illud non habent tamquam partem essentialem sacramenti, sed uti necessarium ad fructuosam sacramenti receptionem. In hoc itaque differunt a Calvinianis qui ponunt verba instructionis esse de essentia sacramenti: ex una enim parte tenent sacramentum constare ex signo et ex verbo, ex altera vero parte Eucharistiam ut sacramentum habent.

II[a] *sent.* est *catholicorum.* Juxta eos verba, quae ad essentiam sacramenti pertinent, sunt *primario consecratoria,* tum subjecti tum materiae, *secundario sunt quadamtenus concionalia.*

Explic. 1. Sacramentum est signum demonstrativum et practicum gratiae ; inde totum sacramentum est consecratorium, siquidem efficienter consecrat et sanctificat subjectum, estque concionale, siquidem erudit subjectum et ducit in notitiam gratiae. Quare tum materia tum forma sunt consecratoriae subjecti et concionales. — Cum causare gratiam sit major perfectio quam eam docere, inde sacramenta ex primario munere sunt consecratoria, ex secundario concionalia.

2. Insuper verba consecrant rem seu materiam ; cum enim sint forma compositi, dicenda sunt elevare materiam ad esse sacramenti, eam determinare ut secum significent et causent gratiam. Quare materiam revera consecrant.

3. Si quaeris quonam genere causalitatis verba consecrent, haec accipe : a) *Subjectum* consecrant *efficienter* seu per modum causae efficientis. Ratio est quia sacramentum est signum practicum gratiae, eam in subjecto causans causalitate instrumentali. b) *Materiam* consecrant *per modum causae formalis*, siquidem sunt forma signi sacramentalis. Attamen excipitur Eucharistia. Etenim c) *materiam Eucharistiae* (accidentia nempe panis et vini et corpus Christi cum ejus sanguine) consecrant *efficienter,* causalitate instrumentali. Nam verba consecrationis causant transsubstantiationem, qua convertitur substantia panis in

(1) Cfr. KEMNIT. *Exam.* P. II, p 346.

corpus Christi, substantia vini in sanguinem Christi. Hinc α) per haec verba accidentia panis et vini, quae prius continebant et significabant substantiam panis et vini, jam continent et significant corpus et sanguinem Christi. Itaque verba consecrationis sunt consecratoria *accidentium panis et vini* per modum causae efficientis. β) Per eadem verba humanitas Christi est in statu sacramentali sub accidentibus panis et vini, eo fine ut sanctificet homines qui eam suscipient. Hinc verba consecrationis sunt per modum causae efficientis consecratoria *corporis et sanguinis Christi*. γ) Denique sunt per modum causae efficientis consecratoria *sacramenti altaris*. Efficiunt enim ut habeatur signum demonstrativum et practicum gratiae ; illud autem signum est corpus et sanguis Christi praesentia sub speciebus panis et vini.

THESIS VII[a]. — Verba sacramentorum ex primario suo munere sunt consecratoria tum subjecti tum materiae, ex secundario autem munere sunt concionalia. Quamobrem recitanda sunt in ipsa celebratione ritus sacramentalis.

62. — Prima pars. VERBA SACRAMENTALIA PRIMARIO SUNT CONSECRATORIA.

Prob. I. Ratione theologica. Arg. I[m]. A. *Verba sacramentalia consecrant primario subjectum.* Sacramenta non tantum demonstrant gratiam, sed eam usu suo conferunt ; conferre gratiam est munus principale, significatio enim annectitur sacramento in ordine ad ejus collationem. Unde sic arguimus: Finis principalis totius sacramenti est consecrare, sanctificare subjectum sacramenti, verba autem sacramentalia sunt forma totius. Atqui finis extrinsecus primarius sacramenti totius, est etiam finis primarius partis formalis. Re quidem vera, proxime vergunt verba ad hoc ut constituatur signum demonstrativum et practicum gratiae, quod toto sacramento continetur. Remote vergunt, veluti in finem, in sanctificationem subjecti per susceptionem totius.

B. Verba sacramentalia consecrant materiam. Verba sacramentalia, utpote forma, materiam elevant ad dignitatem sacramentalem, ejus indifferentiam determinant ad hoc ut cum ipsis constituat signum practicum et demonstrativum gratiae. Atqui quod est hujusmodi, consecrat materiam. Ergo.

Arg. II[m]. Verba sacramentalia primario non sunt concionalia, sunt itaque consecratoria. Ille enim non est finis primarius verborum, quo saepissime prorsus omisso, totus manet effectus, fructus, et valor sacramenti. Atqui saepissime, penitus omissa omni concione omnique

instructione, totus integerque manet effectus et valor sacramenti. *Prob. min.* Totus integerque est fructus et valor baptismi dati infantulis, et perpetuo amentibus, uti apud ipsos adversarios est in confesso. Atqui nulla fit concio ad infantulos aut amentes. — *Prob. min.* a) Non modo nulla fit infantulis instructio quando baptismum suscipiunt, sed adhuc saepe nulla fit postea, nam multi e medio vivorum tolluntur nondum rationis usum adepti. — b) Augustinus saepe proclamat valorem et necessitatem talis baptismi, additque nullam esse fidem actualem horum infantulorum.

II. Scriptura. Arg. I^{m}. *De Baptismo.* Verba essentialia, ab ipso Christo enuntiata, referuntur apud Matthaeum XXVIII, 19 : « Euntes ergo, docete, baptizantes in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. » Porro verba baptismi « in nomine Patris et Filii etc. » dicenda sunt primario consecratoria, non vero concionalia, si referenda sunt ad vocem « *baptizantes* » non vero ad vocem « *docete* ». Atqui rem sic se habere constat quae eadem verba sensu obvio appellant « *baptizantes* ».

Conf. 1. Distinguit Paulus (I Cor. I, 17) duplex munus distinctum : baptizare et evangelizare ; baptizare erat munus Paulo et Apostolis commissum, evangelizare gentes erat munus ipsi a Deo speciali modo impositum. Ideo dicit : *non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Sed, stante interpretatione adversariorum, dicendum fuisset non misit me Christus evangelizare administratione sacramentorum, sed alia ratione. »

2. Augustinus asserit verba baptismi, Christo ipsis assistente, consecrare aquam [1].

Arg. II^{m}. *De Eucharistia* legitur : « Calix benedictionis, *cui benedicimus,* nonne communicatio sanguinis Christi est? » (I Cor. X, 16). — Calix benedictionis est sacramentum Eucharistiae, verba mysterii non vocantur *concio,* sed *benedictio.* — Unde sic : Verba essentialia Eucharistiae ab apostolo vocantur verba benedictionis. Atqui benedictio sonat consecrationem, non vero instructionem. Ergo.

III. Patribus. 1. Illa verba non sunt mere concionalia, sed primario consecratoria, quae efficiunt praesentiam corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini. Atqui Christi praesentiam effici verbis consecrationis, constat luculenta Patrum doctrina. Sic inter alios Irenaeus, Justinus, Chrysostomus, auctor librorum *de sacramentis* [2].

---

(1) Aug. « Deus adest evangelicis verbis suis, sine quibus baptismus Christi consecrari non potest et ipse sanctificat sacramentum suum. » *De bapt.* VI, XXV. M. XLIII, 214.

(2. Iren. « Quando et mixtus calix et factus panis percipit verbum Dei, et fit Eucharistia corporis et sanguinis Christi... » *Adv. haer.* V, II, M. VII, 1125.

2. De reliquis sacramentis eodem modo loquuntur Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nyssenus, Augustinus (1).

Secunda pars. VERBA SACRAMENTALIA SECUNDARIO SUNT CONCIONALIA.

Ea verba esse concionalia manifestum est ex eo quod sunt pars formalis signi demonstrativi, adeoque instituti ad deducendum in cognitionem rei significatae. — Eadem verba nonnisi *secundario* esse concionalia, constat quia sacramentum pro fine habet sanctificare seu gignere gratiam; et pro medio gignere cognitionem gratiae; jamvero finis praestat medio. Ergo.

63. — Tertia pars. VERBA SACRAMENTALIA RECITANDA SUNT IN CELEBRATIONE IPSA RITUS SACRAMENTALIS.

Prob. Arg. I^m. Pars essentialis totius conficitur cum conficitur totum. Atqui verba sunt pars essentiae, immo praecipua pars, siquidem sacramenta essentialiter constant verbis per modum formae et rebus per modum materiae. Ergo.

Si dicitur cum Scoto totam rationem sacramenti Eucharistiae reponi

---

JUST.: « Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus salvator noster et carnem et sanguinem habuit nostrae salutis causa; sic etiam illam, in qua per precem ipsius verba continentem gratiae actae sunt, alimoniam.... incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus. » *Apol.* I, 66. M. P. G. VI, 427.

CHRYS.: « Adest Christus, et nunc is qui mensam illam apparavit, hic ipse hanc nunc exornat. Non homo est qui facit ut proposita efficiantur corpus et sanguis Christi; sed ipse Christus qui pro nobis crucifixus est. Figuram implens stat sacerdos verba illa proferens: virtus autem et gratia Dei est. Hoc est corpus meum, inquit. Hoc verbum tranformat ea quae proposita sunt. » Hom. I *de prodit. Judae*, n. 6; Hom. II. n. 6, M. XLIX, 380, 389.

AUCT. l. *de Sacram.* « Quomodo potest qui panis est corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est et cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam et reliqua omnia, quae dicuntur in superioribus, a sacerdote dicuntur.... ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. » Et infra: « Et ante verba Christi, calix est vini et aquae plenus: *ubi verba Christi operata fuerint, ubi sanguis Christi efficitur,* qui plebem redemit. » *De Sacram.* IV, IV, 14; V, 23. M. XVI, 440, 444.

(1) CYR. HIER. « Aqua simplex Sancti Spiritus, Christi et Patris invocationem percipiens vim sanctificationis consequitur. » *Cat.* III, n. 3. M. XXXIII, 430.

ID. « Vide ne nudum et vile suspiceris unguentum hoc (chrisma) esse. Nam sicut panis Eucharistiae, *post invocationem Spiritus Sancti* non est communis panis, sed corpus Christi; ita et sanctum istud unguentum non amplius nudum, neque, si quis ita appellare malit, commune unguentum est post invocationem, sed Christi donarium et Spiritus Sancti praesentia divinitatis ejus efficiens factum. » *Catech. mystag.* III, 3. M. ib. 1090.

GREG. NYSS. « Panis est initio communis, sed ubi eum mysterium sacrificaverit, corpus Christi fit et dicitur. Sic mysticum oleum, sic vinum, cum sint res exigui pretii ante benedictionem, post sanctificationem, quae a Spiritu procedit, utrumque eorum excellenter operatur. Eadem item verbi vis etiam sacerdotem augustum et honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum. » *Or. in bapt. Chr.* M. XLVI, 583.

AUG. *In Joh.* tr. LXXX, n. 3. M. XXXV, 1840.

in materia, adhuc verum manet verba in Eucharistia recitari in celebratione sacramenti, cum sint causa efficiens materiae.

Arg. II^m. Verba consecrant subjectum et materiam sacramenti. Sed id, cui competit tale munus, ponitur tunc cum conficitur sacramentum quod pro fine habet consecrationem subjecti. Ergo.

Arg. III^m. Speciatim probatur : A. *De Euch.* ex Luc. XXII, 19 : « Accepto pane, gratias egit et fregit et dedit eis dicens : « Hoc est corpus meum quod pro vobis datur ; hoc facite in meam commemorationem. » Unde sic : Dicendum est verba *Hoc est corpus meum*, pertinere ad celebrationem mysterii Eucharistiae, si mandatum Christi, his verbis expressum *hoc facite in meam commemorationem*, respiciunt non solum actionem sumendi et frangendi panem, sed adhuc prolationem verborum modo citatorum. Atqui sic se rem habere, constat ex narratione Lucae et locorum parallelorum Matthaei, Marci et Pauli, ubi sensus obvius indicat mandatum Christi respicere omne quod Christus modo egerat et dixerat ; constat praeterea ex usu constanti Ecclesiae.

B. *De Baptismo.* Ex Eph. V, 26 : Christus per ministerium sacerdotum dicitur mundare Ecclesiam lavacro aquae *in verbo vitae*. Verba requiri in mysterio quo homo mundatur, liquet tum ex ipsis verbis sensu obvio acceptis, tum ex interpretatione Chrys., Theodoreti, Theophylacti, Anselmi. « Dicunt enim, ait Bellarminus, illud *in verbo vitae* significare *in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti*. Unus est Hieronymus, qui in commentario hujus loci per *verbum vitae* intelligit *doctrinam*. Sed observandum est Hieronymum omisisse litteralem expositionem et solum exposuisse mystice, id est, ut ipse dicit, tropologice. Non enim per lavacrum intelligit Baptismum, sed purgationem quamlibet, quae per doctrinam fieri potest. Omnes autem interpretes, qui ad litteram exponunt, per lavacrum intelligunt Baptismum, et verbum intelligunt invocationem Trinitatis » (1).

C. *De Confirmatione* ex Act. VIII, 15, ubi leguntur Apostoli orasse et manus imposuisse. Patres intellexerunt utrumque requiri ad celebrationem mysterii. Cyprianus : « In impositione manuum, ait, invocatur, et infunditur Spiritus Sanctus super baptizatos. » Idem habet auctor librorum *de Sacramentis* : « Post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur. » Idem etiam habent Hieronymus et Augustinus (2).

(1) Cf. BELLARM. l. I, c. XIX. — (2) CYPR. *Epist. ad Jubaianum*. AUCT. ll. *de Sacramentis*, III, II. HIER. in l. *adversus Luciferanos*. AUG. *De bapt.* III, XVI. M. XLIII, 148.

D. *De Paenitentia*, colligitur ex Joh. xx, 22 sq. « Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis. » Unde sic : Sententia absolutionis pertinet ad celebrationem hujus mysterii. Atqui non fertur sine prolatione verborum. Ergo.

E. *De extrema Unctione*, ex Jac. v, 14. Presbyteri enim Ecclesiae jubentur oleo ungere infirmum et super eum orare. Unde ad ritum a Jacobo descriptum essentialiter pertinet unctio et oratio. Ergo.

F. *De Ordine* a) ex Hieronymo : Dicit ordinationem clericorum fieri ad imprecationem vocis et impositionem manuum. b) Ex Ambrosio : Dicit manus impositionem esse verba mystica quibus confirmatur ad opus electus, accipiens auctoritatem, ut audeat vice Domini sacrificium Deo offere (1). Demum probatur c) ex constanti usu Ecclesiae.

G. *De matrimonio*. Tota essentia ejus stat in ipso contractu. Atqui hic non fit sine verbis formalibus aut virtualibus. Ergo.

Satisfit difficultatibus.

64. — Protestantes objiciunt tum auctoritate Patrum, licet ipsi auctoritatem flocci faciant, quoties sibi adversatur, tum ratione. — Objectio ex Augustino et ex Ambrosio deprompta discutietur inter objectiones motas adversus thesim de efficacitate sacramentorum N. L. ex opere operato. — Praecipuae objectiones ex penu rationis petitae solvuntur his annotationibus.

1. *De modo quo verbum consecrat subjectum*. a) Cum verbum jungitur rei, Deus producit gratiam in anima ; compositum ex utroque adhibetur a Deo tamquam instrumentum. Abstrahimus heic utrum instrumentum attingat actione physica ipsam gratiam, an sit causa *moralis*, eo nempe quod ex dignitate personae principaliter operantis, ad illud dimanat dignitas aliqua quae nata sit movere infallibiliter Deum ad hoc ut suscipienti sacramentum infundat gratiam. — b) Haec efficacia non inest naturaliter sacramentis, sed vi potentiae obedientialis elevantur a Deo, adeo ut jam idonea fiant ad praefatum effectum.

2. Cuicumque ritui sensibili communicari a Deo valet ista virtus. Adhibita sunt verba, praeter rem, ut attingeretur non modo finis principalis, sed adhuc finis secundarius. Cum enim sacramenta secundario sint signa demonstrativa, aptissime assumpta fuerunt verba.

3. Verba sunt per se actu pars signi practici ; sunt etiam actu pars

(1) Hier *In cap.* lviii *Isaiae*. Ambr. *In I Tim.* iv. Cf. Bellarm. I, xix.

signi demonstrativi pro iis qui callent linguam in qua recitantur ; pro ceteris sunt conditionate et potentia pars signi demonstrativi, siquidem a peritis doceri possunt significationem verborum.

Obj. 1° *Verbum non consecrat subjectum sacramenti.* Etenim verbum docet subjectum, nam est signum. Atqui quod docet, non consecrat. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Verbum *tantum* docet et *primario* docet, *Neg. ; etiam* docet et quidem *secundario, Conc. Cdt. Min.*

Inst. Atqui verbum tantum docet ; saltem primario docet. Etenim verbum non est nisi signum, saltem primario est signum, proindeque ducit in cognitionem rei significatae. Atqui quod nonnisi signum est, aut primario est signum, id tantum docet, aut primario docet. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Verbum est tantum aut primario signum *demonstrativum, Neg. ;* est etiam signum demonstrativum, verumtamen primario est signum *practicum* gratiae, *Conc. Cdt. min.*

Inst. Atqui verbum est tantum signum *demonstrativum,* nullatenus practicum. Ut enim sit practicum gratiae, deberet esse capax producendi gratiam. Atqui est incapax, siquidem nulla datur proportio inter signum tamquam causam et gratiam tamquam effectum. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Deberet esse capax, *naturaliter* aut *supernaturaliter* et *obedientialiter,* producendi gratiam, *Conc. ; naturaliter. Neg. Cdt. min.*

Inst. Atqui verbum non est obedientialiter capax gignendi gratiam. Deberet enim gignere gratiam aut per modum causae physicae a Deo elevatae, aut per modum causae moralis. Atqui nequit esse causa physica a Deo elevata, neque causa moralis. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Aut per modum causae physicae aut moralis, sive *principalis* sive *instrumentalis, Conc. ;* secus. *Neg. Cdt. min.* Nequit, etiam supernaturaliter, esse causa *principalis* gratiae, *Conc. : instrumentalis, Subd.* nequit esse instrumentum *physicum, Conc. ; morale, Neg.*

Instantias vide, sis, ad thesim *de causalitate morali* sacramentorum.

Obj. 2°. Rejicienda est sententia qua sacramenta jam non sunt signa. Atqui in sententia catholicorum sacramenta jam non sunt signa. — *Prob. min.* Id non est signum, quo apprehenso, mens non valet devenire in notitiam alterius. Atqui in sententia catholicorum, apprehenso signo, mens plerorumque non valet devenire in notitiam illius pro quo supponere deberet signum. Patet minor quia in sententia catholicorum ponentium signa sacramentalia esse primario practica, haec verba sunt idiomatis non vulgaris sed ignoti plerisque suscipientibus.

Resp. *Dist. maj.* Rejicitur merito sententia qua sacramenta jam non sunt *per se* et *actu signa practica* et *potentia signa demonstrativa, Conc. ;*

qua *actu non sunt signa demonstrativa, Subdist.* qua actu *nulli* sunt signa demonstrativa et qua *ceteris non facili negotio fiunt demonstrativa, Conc.;* qua *actu cuilibet suscipienti* non sunt signa demonstrativa, *Neg. Cdt. min.* — Ad prob. *Dist. maj.* Id non est signum, neque actu neque potentia, quo apprehenso, *nullius* mens valet devenire in notitiam alterius, *Conc.;* Id non est signum, quo apprehenso, *nonnulli tantum in notitiam actu deveniunt,* ceteri vero per priores *edoceri debent ut facile in notitiam signi deveniant, Neg. — Cdt. min.* Ad probationem minoris respondetur eodem modo.

Obj. 3°. Juxta Patres sacramenta causant significando. Atqui hoc falsificatur in sententia catholicorum. *Prob. min.* Sacramenta causare significando, perinde est atque ea causare parendo notitiam. Atqui in sententia catholicorum non causant parendo notitiam. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Juxta Patres sacramenta causant significando, h. e. quatenus ex se *significant actu nonnullis* et quatenus significant *ceteris qui significationem a prioribus edocentur, Conc.;* quatenus ex se significant *omnibus,* quin significationem ab aliis edoceantur, *Neg. Cdt. min.* — Ad probationem respondetur eodem modo.

Obj. 4°. *Verbum non consecrat materiam.* a) Verbum consecrat significando. Atqui non valet consecrare materiam significando. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Verbum consecrat significando *subjecto* sacramenti, *Conc.; materiae, Neg. Cdt. min.* Non valet verbum consecrare materiam significando *ipsi materiae, Conc.;* significando ad *subjectum,* seu illud ducendo in notitiam illius quod significatur materia et forma, *Neg.*

Obj. 5°. b) Eo quod verbis sacramentalibus inesset vis consecrandi materiam, consequens foret haec verba esse instituta a Deo ad colloquendum, non cum hominibus, sed cum rebus. Sed consequens est ineptum et absurda redolet. Ergo.

Resp. *Negatur major.* Cfr. annotationes praevias.

CAPUT III.

De effectu Sacramentorum.

65. — Postquam de essentia sacramentorum N. L. actum est, progrediendum est ad examen proprietatum et quaerendum quaenam sit virtus sacramentorum. — Porro duo sunt elucidanda : 1° Quodnam est

donum quod sacramentis confertur. — 2° Quomodo sacramenta illud donum conferunt, seu quisnam est nexus qui intercedit inter susceptionem sacramenti et infusionem gratiae. — Examen posterioris quaestionis ad caput sequens remittitur. — Heic agitur de donis per sacramenta collatis. Duplex vero distinguitur donum : 1° *gratia sacramentalis* habitusque operativus; 2° *character*. Quare praesens caput duobus articulis absolvetur.

ARTICULUS I.

De Gratia Sacramentali.

§ 1. Status quaestionis.

Gratia sacramentalis dicitur id quod per omne sacramentum confertur ei qui, obice remoto, illud suscipit. Conferuntur autem gratia sanctificans et habitus virtutum et jus ad gratias actuales speciales. Pauca de nonnullis praemittere expedit :

De habitu. — Habitus in genere est id quo subjectum bene vel male, in seipso aut ad operandum, disponitur permanenter : tales sunt scientia, virtus.

Habitus sunt ornativi aut operativi : a) *Ornativi* subjectum *in se* bene vele male disponunt, h. e. modo congruo vel incongruo naturae, quae est finis eorum quae ipsi accidentaliter insunt ; — b) *operativi* subjectum disponunt uti est *operans*.

Praeter habitus *naturales*, dantur habitus *supernaturales* seu *infusi per se;* sunt ii habitus qui transcendunt exigentiam creaturae et per solum Deum e potentia subjecti educuntur, seu naturae infunduntur. — Porro duplex homini infunditur habitus, ornativus nempe et operativus: a) *Ornativus,* quo nempe anima supernaturaliter ornatur, est iterum duplex, *character* scilicet et *gratia sanctificans* qui distinguuntur penes effectum formalem. De effectu formali characteris dicetur seq. art. Gratiae sanctificantis effectus formalis est reddere hominem sanctum, justum, filium adoptivum et amicum Dei. — b) *Operativus,* cujus ope anima elicit actus supernaturales, alius est *theologicus,* inserviens eliciendis actibus theologicis, puta fidei, spei et caritatis, alius *moralis* inserviens eliciendis actibus ex motivo honestatis. Habitus operativus vocatur etiam *virtus*.

66. — Divisio sacramentorum. 1. Ex dicendis hoc articulo patebit

sacramenta dividi in sacramenta mortuorum et sacramenta vivorum.

a) Sacramenta *mortuorum* sunt *Baptismus* et *Paenitentia.* α) *Per se* conferunt *gratiam primam;* sive aliter primario instituuntur ut suscipiantur ab eo qui est *mortuus,* h. e. privatus gratia sanctificante, quae est principium vitae supernaturalis, et ut in eo producant vitam, seu tribuant gratiam primam. β) *Per accidens* conferunt *gratiam secundam,* seu augmentum gratiae; sive aliter secundario sunt instituta ut suscipiantur ab eo qui supernaturaliter jam vivit, et ut ei tribuant augmentum vitae.

b) Sacramenta *vivorum* sunt reliqua quinque: α) *Per se* conferunt gratiam *secundam* et proinde suscipienda sunt ab eo qui supernaturaliter jam vivit seu est in statu gratiae sanctificantis. β) *Per accidens* conferunt *gratiam primam* in eo qui cum *attritione* et *bona fide* eadem suscipit. — Ut autem adsit *bona fides,* requiritur et sufficit vel ut suscipiens sacramenta existimet aliam dispositionem praeter attritionem non requiri, vel ut ignoret se in lethali versari, sive quia immemor est peccati lethalis a se commissi, sive quia id jam esse remissum putat; vel, si agitur de extrema unctione recipienda, ut infirmitate ita detineatur aut sensibus destituatur, ut procurare sibi statum gratiae jam non valeat. — Hic asseruntur varia quae probanda veniunt.

2. Ex dicendis in articulo sequenti elucescet sacramenta dividi in ea quae imprimunt characterem et ea quae non imprimunt.

De obice. Ut sacramentum conferat gratiam, exigitur 1° ut sit *validum,* seu ut exsistat illemet ritus qui institutus est a Christo Domino, seu cui Christus annexuit vim infallibiliter significandi et conferendi gratiam. — Ut vero sit validum, alia exiguntur *ex parte materiae et formae,* ut nempe ea ponatur materia eaque forma quae a Christo sunt determinatae; alia ex parte *ministri,* alia ex parte *subjecti.* — Si unum ex his deest, jam non exsistit ritus a Christo institutus, proindeque nulla est collatio gratiae. — Verum non sufficit ut exsistat sacramentum, ad hoc ut infundatur gratia. — Exigitur 2° ut detur in subjecto dispositio quae requiritur ad hoc ut infundatur a Deo gratia. — Defectus dispositionis requisitae impediens collationem gratiae, vocatur *obex.* — Duplex est : *simpliciter* et *secundum quid.* — Prior impedit omnem gratiam; posterior *abundantiorem* gratiam. — Sacramentum susceptum cum obice simpliciter dicto vocatur *informe,* aut *infructuosum.* — Distinctio inter sacramentum *validum* et *fructuosum* luculenter fuit declarata a ss. Patribus in controversia cum Donatistis. Perspicue nempe docent sacramentum validum impediri posse per indispositionem subjecti

ne effectum operetur ; ex validitate sacramenti petunt rationem cur non desint sacramenta quae reviviscunt, obice remoto.

Porro ut adultus recipiat gratiam per sacramenta *mortuorum,* requiritur, praeter fidem et spem, attritio de peccatis. Defectus attritionis est per se obex simpliciter ; immo, stante sententia Thomistarum, invalidat sacramentum paenitentiae, quia dolor de peccatis sensibiliter expressus est pars intrinsecus constitutiva hujus sacramenti. — b) Ut sacramenta *vivorum* conferant gratiam, requiritur status gratiae. Hinc status lethalis est per se obex simpliciter.

QUAESTIONES. Quaeritur 1° quaenam gratia conferatur *per se* et quaenam *per accidens* sacramentis tum mortuorum tum vivorum susceptis sine obice, aut saltem bona fide. — Quaeritur 2° utrum sacramenta cum obice suscepta reviviscant, obice remoto.

§ 2. De gratia collata sacramentis sine obice receptis.

67. — a) Sacramenta omnia rite ipsa suscipientibus conferunt gratiam. Illud est *de fide definita* secundum Tridentinum: « Si quis dixerit sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem, non conferre... A. S. ([1]) » — b) Baptismus et paenitentia per se conferunt gratiam primam, per accidens secundam. De fide definita est tenendum, ex Tridentino, paenitentia remitti peccata lethalia ([2]), ex Tridentino et Milevitano gratiam primam conferri baptismo ([3]). — Reliqua sacramenta conferunt per se gratiam secundam, per accidens primam. — c) Sacramenta mortuorum per se conferunt eos habitus virtutum quibus subjectum destituitur, per accidens eos adauget. Sacramenta autem vivorum augmentum habituum conferunt. — d) Singula sacramenta conferunt jus ad gratias actuales quibus finis proprius sacramentorum singulorum comparetur. — e) Sacramentali gratia nihil continetur, praeter dona praefata.

Gratiam primam umquam conferri sacramentis vivorum, negant s. Bonaventura, Vasquez, de Lugo ([4]); affirmant s. Thomas, Suarez, Arriaga, Amicus, Viva et alii multi ([5]). Sententia affirmans uti communior est, ita etiam probabilior.

([1]) Trid. sess. VII, can. 6. Cfr. can 7. — ([2]) Id. sess. XIV, can. 3. — ([3]) Trid. sess. VI, cap. VII. — Milevit. can. 2. Denz. n. 65. — ([4]) Bonav. in 4 d. 9, a. II, q. 3. — Vasq. d. CCV, c. IV. — Lug. *de Euch.* d. XII, s. 1. — ([5]) s. Th. III, q. LXXII, a. 7, ad 2[um] ; q. LXXIX, a. 3 ; in 4 d. 9, q. I, a. 3, sol. II ; d. 23, q. I, a. 2, sol. I. — Suar. d. VII, s. 2.

THESIS VIII[a]. — Sacramenta iis qui, obice remoto, ea suscipiunt, conferunt gratiam, eamque aequalem aequaliter dispositis, inaequalem inaequaliter dispositis. Baptismus et Paenitentia per se conferunt gratiam primam, per accidens secundam; reliqua vero sacramenta per se secundam, per accidens primam. Insuper habitus virtutum aut primo infunduntur aut augmentum accipiunt. Denique singula sacramenta tribuunt per se jus ut illud auxilium gratiae actualis suppeditetur, quo finis ipsorum attingatur.

Observa. Manifestum est abstrahi in ista thesi de modo quo sacramenta gratiam conferant, utrum immediate an mediate, utrum ex opere operato an ex opere operantis.

68. — Prima pars. SACRAMENTA GRATIAM RITE SUSCIPIENTI CONFERUNT.

Prob. A. *De sacramentis in genere.* Paulus reprehendit Galatas quia varios ritus V. L. observarent: « O insensati Galatae, quis vos fascinavit non obedire veritati? » (III, 1). Motivum praecipuum, cur insana sit dicenda haec agendi ratio, repetit ex eo quod veteres ritus erant inefficaces ad justificandos homines: « Dico autem: Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt a servo... sed sub tutoribus et actoribus est usque ad praefinitum tempus a patre. Ita et nos, cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum... ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus... Nunc autem cum cognoveritis Deum, immo cogniti sitis a Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis. » Gal. IV, 1-9. « State et nolite iterum jugo servitutis contineri... Vos enim in libertatem vocati estis ». Ib. V, 1, 13. Jamvero hac ratione scribendi ostendit Apostolus in N. L. institutos esse ritus qui sunt efficaces ad justificandos homines.

B. *De Baptismo.* **Arg. I[m].** Joh. III, 3-5. « Respondit Jesus, et dixit ei (Nicodemo): Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suae iterato introire, et renasci? Respondit Jesus: Amen, amen dico tibi, *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei.* » Ex hoc versiculo, qui a Concilio Tridentino definitus est agere de baptismo (1), sic arguitur:

Qui renascitur fit justus: ex constanti enim usu Scripturae, homo

(1) TRID. Sess. VII, can. 2.

obnoxius peccato est mortuus, est autem vivens cum ornatur justitia ; itaque homo, e statu peccati surgens et justitiam iterum acquirens, a morte ad vitam renascitur. Cfr. Joh. I, Rom. VI. — Atqui juxta Johannem, qui suscipit baptismum, is renascitur. Ergo fit justus. — *Prob. min.* Juxta Johannem homo potest renasci ex aqua et Spiritu Sancto. Atqui aqua designat sacramentum baptismi, quo Spiritus Sanctus utitur tamquam instrumento ad generandum spiritualiter, seu ad infundendam gratiam justificantem. Ergo juxta Johannem homo potest renasci per baptismum.

Verbum « *ex aqua* » designare sacramentum *baptismi* probatur tripliciter :

1. *Ex Tridentino*, quod verba Johannis de baptismo intelligit ([1]).

2. *Ex Patribus,* qui constanter et universaliter haec verba de baptismo intellexerunt : sic Justinus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Didymus Alexandrinus, Ambrosius, Hieronymus, Nyssenus ([2]).

3. Nisi *ex aqua* supponat pro « *ex baptismo aquae* », vel supponet metaphorice pro « *ex fide* », ita sc. ut sensus sit « nisi quis renatus fuerit per fidem aqua excitatam, » vel supponet metaphorice pro « *ex Spiritu Sancto* operante interiorem hominis renovationem, seu *lavante hominem*, » uti volunt Protestantes. Atqui duae posteriores significationes rejici debent. Ergo.

Prob. 1ª pars min. Ut enim notat Bellarminus ([3]), « fuisset Christi sermo omnino inintelligibilis. Nam cum nihil dixerit antea de fide, quis divinare posset, eum modo tradere rationem excitandae fidei ? » Contra, si agitur de baptismo, prorsus intelligitur, siquidem exsistebat tunc temporis baptismus Johannis, qui ad paenitentiam excitabat. — Praeterea esset falsa propositio : *Nisi quis renatus fuerit,* etc. « Nam si fides sola justificat, impertinens est ad salutem unde fides excitetur, sive ex aqua, sive ex vino, sive ex alia re. Et constat multis modis fidem excitari posse sine baptismo aquae. »

Prob. 2ª pars min. a) Si verba Johannis intelligenda sunt de sola actione Sp. S. interiorem hominem mundante, jam negandum est baptismum fuisse a Christo institutum ad delendum P. O., quodcumque genus efficaciae adscribatur huic sacramento : ceteri enim textus de baptismo loquentes eamdem interpretationem admittent. — Patet

([1]) Trid. l. c. et Sess. VI, c. IV. — ([2]) Just. *Apol.* I, n. 61. — Tertull. *De Bapt.* c. XII. — Orig. *In ep. ad Rom.* l. V, n. 8. — Cypr. l. III *Ad Quir.* c. XXV. — Didym. Alex. *De Trin.* l. II, c. XII. — Ambros. *De Sp. S.* l. III, c. X. — Hier. In c XVI Ezech. — Nyss. in *Serm. de Bapt.* — ([3]) Bellarm. *Controv.* t. III, l. II, c. III.

quia tunc tantummodo affirmatur impossibile esse ut aliquis e morte peccati resuscitetur et spiritualiter vivat, nisi per operationem Sp. S.— Atqui ipse Calvinus (1) contrarium docet. — b) Si Christus voluisset dicere: « Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu Sancto mundante animam, » non dixisset : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Sp. S.; » regeneratio enim heic adscribitur duplici causae, uti postea declarabitur.

Arg. II^{m}. Petitur ex ceteris testimoniis de baptismo: a) Ex Tit. III, 5 : « Secundum suam misericordiam salvos nos fecit (Deus) *per lavacrum regenerationis et renovationis* Spiritus Sancti. » b) Eph. v, 26 : « Mundans (Christus) Ecclesiam *lavacro aquae* in verbo vitae. » c) Marc. XVI, 16 : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. » d) Act. II, 37, 38 : « His autem auditis, compuncti sunt corde et dixerunt ad Petrum et ad reliquos Apostolos : Quid faciemus, viri fratres ? Petrus vero ad illos : Paenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum. » e) Act. XXII, 16 : « Et nunc quid moraris ? Exsurge, et baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine ipsius. »

Unde sic : Remissio peccatorum et salus aeterna dicuntur connecti cum baptismo. Ergo baptismus confert gratiam. — Non modo enim sensus obvius horum locorum, cui retinendo nil obstat, prae se fert hanc interpretationem, sed adhuc in specie a) apud Titum salus alligatur duobus : lavacro regenerationis et renovationi Spiritus Sancti ; jamvero Spiritus Sanctus confert gratiam et salutem, utpote causa principalis ; ergo baptismus haec dona confert, estque ex natura sua causa instrumentalis. b) Apud Marcum salus aeterna non soli fidei alligatur, sed insuper baptismo; jamvero fides est causa partialis et remota salutis, utpote radix justificationis ; ergo baptismus est aliqua causa ejusdem, nec potest esse causa salutis nisi quatenus confert gratiam. c) Ad quos Petrus in Actis verba faciebat, hi jam credebant, neque de fide fit mentio ; praecipitur paenitentia et receptio baptismi ; sed paenitentia respicit collationem gratiae ; ergo idem est dicendum de baptismo.

Ex comparatione baptismi Johannis et baptismi christiani accipitur aliud argumentum, quod postea expendetur.

C. *De reliquis sacramentis.* Qui suscipit unum ex reliquis sacramentis, dicitur recipere Spiritum Sanctum, manere in Christo seu diligi a Deo, habere remissionem peccatorum, recipere gratiam.

(1) Comm. in h. l. et l. IV *Instit.* XVI, 325.

1. *De Confirmatione,* dicunt Acta Apostolorum VIII, 17 : « Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. »

2. *De Eucharistia,* Joh. VI, 57 : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo » ; mansionem fieri per gratiam sanctificantem, constat ex eodem Johanne aiente : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus » (XIV, 23).

3. *De Paenitentia,* Joh. XX, 22, 23 : « Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. »

4. De *Extrema Unctione,* Jac. V, 14, 15 : « Infirmatur quis in vobis ? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini ; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus ; et si in peccatis sit, remittentur ei. »

5. *De Ordine,* II Tim. I, 6 : « Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum. »

Argumentum ex Traditione tradetur ubi agetur de efficacia sacramentorum ex *opere operato.*

69. — **Secunda pars.** SACRAMENTA CONFERUNT GRATIAM AEQUALEM AEQUALITER DISPOSITIS, INAEQUALEM INAEQUALITER DISPOSITIS.

Adversarii. Paludanus asserit inaequalem gratiam baptismo infundi infantulis ante adeptum rationis usum morituris; rationem petit ex inaequalitate gratiae et gloriae qua donantur angeli. — Scotus censet praeter gratiam aequalem aequaliter dispositis infusam ex opere operato, conferri aut conferri posse uni majorem gratiam quam alteri, sive propter meritum ministri, sive ex benevola voluntate Dei, sive ex speciali applicatione meritorum Christi. Idem ferme tenent Biel et Cajetanus [1]. — Heic defenditur sententia communis.

Prob. 1. Auctoritate *Concilii Tridentini*, secundum quod unusquisque, sacramentis rite susceptis, justitiam recipit *suam secundum mensuram,* quippe quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et *secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem* [2]. Dicendo *prout vult,* significatur Deum instituendo sacramenta libere determinasse mensuram gratiae eisdem conferendae ; addendo *secundum propriam cujusque dispositionem*, significatur inaequalitas hujus mensurae secundum inaequalitatem dispositionum.

---

[1] PALUD. In IV d. 4, q. I. — SCOT. In IV d. 4, q. VII. — BIEL, In IV d. 4, q. II, concl. 7. — CAJET. In III, q. LXIV, a. I. — [2] TRID. Sess. VI, c. VII.

2. Auctoritate *ss. Patrum* et *doctorum*. Inter alios sic de gratia sacramentis collata loquuntur Cyrillus Hier., Damascenus, s. Thomas ([1]).

3. *Ratione theologica*. a) Doctrina heic defensa stimulantur fideles quo melius se disponant ad receptionem sacramenti, proxime quidem per elicitionem actuum variarum virtutum, sc. religionis, fidei, spei, caritatis, remote vero per paenitentiam, opera misericordiae etc. Manifestum est exinde oriri majorem utilitatem pro fidelibus, majorem gloriam pro Deo et Christo Jesu.

4. Confirmatur quia in ordine physico causae naturales eo excellentiorem effectum producere cernuntur, quo melius est disposita materia e cujus potentia educitur forma.

70. — Tertia pars. BAPTISMUS ET PAENITENTIA PER SE GRATIAM PRIMAM CONFERUNT, PER ACCIDENS SECUNDAM.

A. *Primario ea esse instituta ut conferant gratiam primam*, colligitur ex Joh. III et Joh. XX. Dicuntur nempe a Christo institui ut homo renascatur, ut peccata remittantur; qui vero renasci indiget, cui peccata sunt condonanda, hic supponitur injustus. Ergo.

B. *Per accidens conferri gratiam secundam*, probatur simul de utroque.

1. Juxta Tridentinum omnia sacramenta Novae Legis gratiam conferunt non ponentibus seu non habentibus obicem. Atqui qui jam justificatus recipit baptismum aut paenitentiam, non habet obicem (obex enim intelligitur esse mala dispositio, defectus bonae dispositionis; numquam autem intelligitur excessus bonae dispositionis); ex altera parte justificato non potest conferri nisi gratia secunda. Ergo.

2. Sacramenta mortuorum inaequalem conferunt gratiam primam,

([1]) CYR. HIER. Alloquens baptizandos ait : « Munda vas tuum ut gratiam capiat abundantiorem : remissio enim peccatorum ex aequo datur omnibus, communicatio vero Spiritus Sancti *secundum proportionem uniuscujusque fidei* conceditur. *Cat.* I, 5. M. XXXIII, 378.

DAMASC. « Quamvis peccatorum remissio omnibus per aquae baptismum detur, Spiritus tamen gratiae *pro fidei et praecedentis purgationis modo ac ratione* comparatur. » *De fide orthod.* IV, IX. M. XCIV, 1122.

S. TH. « Duplex est effectus baptismi, unus per se et alius per accidens. Per se quidem effectus baptismi est id ad quod baptismus est institutus, scilicet ad regenerandum hominem in spiritualem vitam, et hunc effectum aequaliter facit in omnibus, qui aequaliter se habent ad baptismum. Unde quia omnes pueri aequaliter se habent ad baptismum (quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiae baptizantur), omnes aequalem effectum percipiunt in baptismo. Adulti vero quia per propriam fidem ad baptismum accedunt, non aequaliter se habent ad baptismum : quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt, et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt, sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris qui plus ei appropinquat, licet ignis, quantum est ex se, aequaliter ad omnes suum calorem effundat. Effectus autem baptismi per accidens est, ad quem baptismus non est ordinatus, sed divina virtus hoc in baptismo miraculose operatur. » III, q. LXIX, a. 8.

pro diversitate dispositionum, proindeque gratia sacramentaliter recepta in multis subjectis aequivalet gratiae primae et gratiae secundae. Ergo conferunt gratiam secundam iis quorum dispositiones sunt tales, ut supernaturaliter vivant.

Probatur speciatim a) *de Baptismo.* Qui ante baptismum elicit actum caritatis, justificatur; attamen baptismum suscipere tenetur; sed probabilissimum est ei novam gratiam infundi, cum baptismum suscipit; jamvero non recipit gratiam primam, ex supposito; ergo secundam. — b) *De Paenitentia:* Pia et utilis censetur a christianis venialium confessio, et quidem non modo ad exercendam humilitatem, sed etiam ad recipiendam gratiam sacramentalem. Ergo confertur gratia secunda.

71. — Quarta pars. CETERA SACRAMENTA PER SE GRATIAM SECUNDAM CONFERUNT, PER ACCIDENS PRIMAM.

A. *Per se gratiam secundam:* Ex prima enim parte conferunt per se aliquam gratiam. Atqui non conferunt per se gratiam primam. Ergo restat ut per se conferant gratiam secundam. — *Prob. min.* a) Solus baptismus remittit peccatum originale et peccata actualia ante baptismum commissa. — b) Sola paenitentia per se remittit lethalia post baptismum commissa et subjicienda potestati clavium quae sacerdotibus collata est. Ergo haec sola sacramenta per se conferunt gratiam primam.

B. *Per accidens gratiam primam,* saltem probabilius. Sic s. Thomas, Scotus, Alexander Alensis.

Probatur 1° de extrema Unctione. Jac. v, 15: « Si in peccatis sit, remittentur ei. » Quod remittit peccata lethalia, id confert gratiam primam, per se aut saltem per accidens. Atqui extrema Unctio dicitur remittere peccata lethalia. Ergo confert gratiam primam; non tamen per se ex modo dictis; ergo per accidens. — *Prob. min.* Peccatum simpliciter et proprie dicitur de lethali non vero de veniali neque de paena peccati; nulla est ratio cur apud Jac. non ageretur de peccatis proprie dictis seu de lethalibus, quae nempe per accidens dicuntur remitti sub obligatione ea subjiciendi potestati clavium, ubi fieri potest. — Idem colligitur ex Tridentino : Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, A. S. (1) — Demum confirmatur auctoritate s. Thomae (2).

(1) TRID. Sess. XIV, can. 2. — (2) D. TH. Quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit. Et quia sacramentum efficit quod figurat, ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi ejus

Probatur 2° de Eucharistia (1). Cum in tractatu de Eucharistia fuse agendum sit de effectu sacramenti altaris, unicum heic argumentum adduxisse sufficiat :

Juxta Patres et Doctores Eucharistia tollit peccata, sanat vulnera, abluit sorditiem. Unde eorum judicio tollitur peccatum et infunditur gratia prima, aut per se aut per accidens. Atqui non per se : tenent enim alibi Patres baptismum et paenitentiam esse primario instituta ut deleantur peccata. Ergo juxta Patres Eucharistia per accidens confert gratiam.

Probatur assumptum majoris ex testimoniis Damasceni (2), Cypriani, Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini (3). Demum confirmatur auctoritate Angelici (4).

---

principalis effectus. Adhibetur autem hoc sacramentum secundum modum cujusdam medicationis, sicut baptismus per modum ablutionis. Medicina autem est ad pellendam infirmitatem. Unde principaliter hoc sacramentum est institutum ad sanandum infirmitatem peccati : ut sicut baptismus est quaedam spiritualis regeneratio, et paenitentia quaedam spiritualis suscitatio, ita et extrema unctio sit quaedam spiritualis sanatio, vel medicatio. Sicut autem corporalis medicatio praesupponit corporalem vitam in medicato; ita spiritualis spiritualem. Et ideo hoc sacramentum non datur contra defectus quibus spiritualis vita tollitur, scilicet contra peccatum originale, vel mortale; sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitae, gratiae, vel gloriae. Et hic defectus nihil aliud est quam quaedam debilitas et ineptitudo, quae in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali; et contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum. Sed quia robur gratia facit, quae secum non compatitur peccatum; ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod, vel mortale vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis; sicut etiam de Eucharistia et confirmatione supra dictum est. Et ideo etiam Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens : *si in peccatis sit dimittentur ei*, scilicet quoad culpam ; non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit; sed semper remittit quoad debilitatem praedictam, quam quidam *reliquias peccati* dicunt. » In *Supplem.* q. XXX, a. 1.

(1) Multi auctores sic arguunt ex Tridentino : Juxta Trid., aiunt, sacramenta conferunt gratiam, quoties non *ponitur* obex. Atqui qui suscipit sacramenta vivorum bona fide, non *ponit* obicem. Ergo ei confertur gratia. — Constat minor quia nullum peccatum actuale committit, elicitque eas dispositiones quas necessarias esse existimat. — Verum ista ratio infirma videri potest; praeter mentem Tridentini vim facit in verbo « ponere » : Sensus enim canonis videtur esse gratiam conferri ubi non *habetur* obex, vel ubi obex antea positus non ablatus est.

(2) DAMASC. « Corpus et sanguis Christi est (Eucharistia), in nostri, tum animi, tum corporis, vegetationem cedens,... in substantiam nostram et conservationem, in omnigenae labis propulsationem omnisque spurcitiae detersionem. » *De orthod. fide*, l. IV, c. XIII. M. XCIV, 1151.

(3) CYPRIAN. *Epist.* LXIII, n. 35. M. IV, 371. — CHRYSOST. *In Matth.* Hom. LXXXIII, n. 4 sq. M. LVII, 742. — CYRILL. ALEX. *In Joh.* l. VI, c. LVI, LVII. M. LXXIII, 582 sq.

(4) S. TH. « Potest hoc sacramentum operari remissionem peccati dupliciter : uno modo, non perceptum actu sed voto, sicut cum quis primo justificatur a peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet, forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis, quae contritionem perficiet et remissionem peccati. » III, q. LXXIX, a. 3. — Praeterea in 4 d. 9, q. 1, a. 3, sol. II. « Talis, ait, non peccat, immo magis ex vi sacramenti remissionem consequitur. »

De ceteris sacramentis probatur auctoritate Patrum et Doctorum, quorum testimonia recitantur in tractatibus specialibus.

72. — Quinta pars. HABITUS VIRTUTUM AUT INFUNDUNTUR AUT CRESCUNT.

Prob. Sacramenta conferunt gratiam primam aut secundum. Atqui gratiae primae connectuntur habitus quibus anima erat destituta ; gratiae secundae annectitur augmentum habituum. *Prob. min.* a) Juxta Tridentinum (1) baptismus est causa instrumentalis justificationis. Jamvero « justificatio.... non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et *donorum* » ; dona autem quae ponuntur distingui a gratia, communiter intelliguntur esse virtutes theologicae ; ceterum id diserte affirmatur ab ipso Trid. paulo inferius aiente : « Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul accipit homo per Jesum Christum cui inseritur, fidem, spem, caritatem. » Ergo baptismus primo confert habitus, et paenitentia habitus amissos reddit. — b) Juxta Tridentinum cetera sacramenta conferunt augmentum gratiae ; gratia autem solet pro eodem accipi atque justificatio ; huic autem conjungi dicuntur dona. Ergo haec dona, hi habitus, augmentum accipiunt beneficio sacramentorum vivorum. — c) Habitus virtutum videntur esse proprietates gratiae. Atqui ubi essentia primo ponitur et ubi accidentaliter perficitur, ibi proprietates ponuntur aut augmentum accipiunt. Ergo.

73. — Sexta pars. SACRAMENTA CONFERUNT JUS AD GRATIAS ACTUALES REQUISITAS FINE SACRAMENTORUM OBTINENDO.

Prob. Cuilibet sacramento est finis specialis ; ut autem hic finis a subjecto sacramenti attingatur, requiritur ut intellectus illustretur et ut voluntas roboretur. Atqui qui vult finem, vult media. Ergo Deus volendo ut sacramenta susciperentur, voluit ut suscipiens, suo tempore, ob susceptionem sacramenti, acciperet gratias actuales ad finem assequendum requisitas, adeoque ut sacramenta jus ad has gratias conferrent.

Ad majorem : Finis *Baptismi* est ut homo fiat filius Dei et membrum Ecclesiae, et ut capax reddatur recipiendi reliqua sacramenta. Ut iste finis complete obtineatur, requiruntur gratiae quibus lex divina servari, gratia retineri, reliqua sacramenta digne recipi valeant. — Finis *Con-*

(1) TRIDENT. Sess. VI, c. VII.

firmationis est ut homo roboretur in fide et eam strenue profiteatur. Ad fidem actu profitendam fortiter et constanter, necessariae sunt gratiae. — Finis *Eucharistiae* est ut anima nutriatur et caritas foveatur. Requiruntur iterum gratiae ut actus caritatis eliciantur. — Finis *Paenitentiae* est ut efficaciter odio habeantur peccata et deleantur, ut pro his satisfiat, ut facilius vitentur. Exiguntur ad hoc gratiae, ut patet. — Finis *extremae Unctionis* est ut deleantur vestigia peccatorum, ut resistatur daemoni, ut spes in Deum firma sit, ut superetur languor spiritualis ex morbo oriri solitus. In hunc finem multa auxilia gratiae necessaria sunt. — Finis *Ordinis* est ut cultus divinus digne fiat, speciatim ut digne administrentur sacramenta, et sancte sacrificium offeratur, denique ut apte doceatur populus. Iterum multae requiruntur gratiae. — Tandem finis *Matrimonii* est ut conjuges servent fidem conjugalem, mutuum amorem foveant, prolem suscipiant et christiane educent, ut castitatem modo qui statui suo consentaneus est, colant. Quot autem et quantis indigent ad haec gratiis !

74. — **Scholion.** Quaeres quid intelligatur esse jus ad auxilia actualia quod sacramenta conferunt suscipienti, et quid *gratiae sacramentalis* nomine sit intelligendum?

A. Sacramenta suscepta exigunt ut conferantur habitus virtutum, et auxilia actualia. Haec tamen exigentia est *extrinseca*, potius quam intrinseca. — Extrinseca autem exigentia stat in eo quod Deus decrevit fore ut ei, qui sacramentum susceperit, suppeditentur majora et validiora auxilia quam ceteris. — Exigentiam esse *mere extrinsecam*, colligitur ex eo quod non potest explicari in quonam reponeretur intrinseca exigentia, petita ex natura doni collati ([1]).

([1]) Lugo : « Non potest explicari qualis sit illa specialis exigentia *intrinseca* huic gratiae; nam vel exigit gratia sacramenti, confirmationis ex. gr., quod, adveniente occasione et interrogatione tyranni, hic homo habeat auxilium *efficax* ad confitendam fidem: et hoc non potest dici, quia experientia constat non deberi ex sacramentis talia auxilia efficacia ; multi enim post accepta sacramenta deficiunt. Vel solum exigit quod in illa occasione detur auxilium *sufficiens* ; et hoc est quidem commune omni gratiae habituali; nam eo ipso quod elevat hominem, et constituit in statu supernaturali, exigit quod quoties proponitur sufficienter objectum, et adest occasio operandi, detur illi concursus proportionatus ad hoc ut operetur circa illud per actus supernaturales; et per consequens ut excitentur motiva fidei sufficienter ad movendum, et omnia quae requiruntur in actu primo; ergo illa exigentia auxilii sufficientis non est praedicatum proprium solius gratiae sacramentalis. Vel denique exigit illa gratia auxilia, non quidem determinate efficacia, sed tamen *abundantiora*, et *intensiora*, quam alias deberentur. Et quidem nec hoc potest esse connaturale, et intrinsecum gratiae habituali; quia cum gratia sit quasi prima essentia et natura in ordine supernaturali, a qua fluunt alii habitus quasi ejus passiones, consequens est ut exigat eos in eadem mensura intensionis, in qua est ipsa gratia, non in majori, unde etiam operationes, seu actus supernaturales, non potest exigere ex natura

B. *De gratia sacramentali.* 1. Singula sacramenta gratiam specialem conferunt, seu *singulis sacramentis sua est gratia sacramentalis.* Constat a) *ratione.* Singulis sacramentis suus est finis specialis; gratia sacramentalis vero est medium ad finem assequendum; medium itaque est diversum secundum diversitatem finium. — Constat b) *auctoritate conciliorum.* « Per baptismum, ait Florentinum, spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide; renati autem et roborati, nutrimur divina Eucharistiae alimonia. Quod si per peccatum incurrimus aegritudinem animae, per paenitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam et corporaliter, prout animae expedit, per extremam unctionem; per ordinem vero Ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritualiter; per matrimonium augetur corporaliter. » (Denz. n. 590) — Demum constat c) *auctoritate Patrum.* « Caro, ait Tertull., abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur » ([1]).

2. Si quaeris quomodo gratiae sacramentales inter se differant, haec fit responsio: a) Gratia sacramentalis non differt *entitative* a gratia sanctificante et ab habitibus virtutum. Per haec enim anima ornatur secundum essentiam et secundum potentias suas. Jamvero non videtur quid entitatis gratia sacramentalis superaddere posset his donis. — b) Quamobrem gratia sacramentalis non differt nisi *moraliter* et *connotative* a gratia habituali et a virtutibus, quatenus nempe *superaddit jus* seu *exigentiam extrinsecam ad gratias actuales.* Cum singula sacramenta conferant jus ad gratias actuales diversas, secundum diversitatem finium, inde singulis sacramentis sua est gratia sacramentalis propria, moraliter nempe et connotative diversa a gratia sacramentali ceterorum ([2]).

---

sua in majori intensione, quia cum non ordinetur ad actus, nisi mediis potentiis, seu habitibus infusis, non potest ex natura sua exigere actus intensiores, quam habitus: ergo solum exigit auxilia ejusdem intensionis, et proportionis, atque adeo non intensiora, sed qualia juxta vires et attentionem praesentem possunt elici ab intellectu, et voluntate circa objecta proposita. Non ergo apparet qualis sit illa exigentia physica, et intrinseca gratiae sacramentalis. — Si autem ponatur exigentia *extrinseca* ex decreto divino, potest bene explicari, dicendo quod gratiae sacramenti, confirmationis ex gr., licet ipsa in se sit ut duo, prout tamen collata est per tale sacramentum a Deo, exigit, ex ordinatione divina, quod homini confirmato dentur, occurrente occasione, auxilia abundantiora, et intensiora ad profitendam fidem; nam, licet ex se et intrinsece non habeat talem exigentiam, potest tamen illam habere *extrinsece ex suppositione ordinationis divinae.* » *De sacram.* d. IV, s. 3, n. 26. — ([1]) TERTULL. *De resurr. carnis,* c. VIII. M. II, 806. — ([2]) Cfr. s. TH. III, q. LXII, a. 2. LUGO, d. IV, s. 3.

Satisfit difficultatibus.

75. — **Obj. 1°.** Invalidum est argumentum ex Joh. III, 5 petitum. Etenim vox *ex aqua* non significat *baptismum*. Nam idem significatur in Evangelio secundum Johannem et in Evangelio secundum Matthaeum ubi referuntur verba Johannis Baptistae de Christo Jesu : « Ego quidem baptizo vos in aqua in paenitentiam ; qui autem post me venturus est, fortior me est,... ipse vos baptizabit *in Spiritu Sancto et igni.* » (III, 11). Atqui *ignis* apud Matthaeum non significat sacramentum baptismi. Ergo *aqua* apud Johannem non significat sacramentum baptismi.

Resp. Praxis Ecclesiae et Patres semper intellexerunt textum Johannis sensu obvio, textum vero Matthaei sensu metaphorico ; per eum declarari voluerunt a Johanne Baptista quam intima et profunda sit actio baptismi christiani, quippe quo Spiritus Sanctus, tamquam causa principalis operans et adhibens baptismum christianum velut instrumentum, penetrat animam, uti ignis solet penetrare corpus. — Insuper advertere juvat apud Matthaeum ignem postponi Spiritui Sancto, ideoque convenienter adhiberi posse ad describendam Spiritus Sancti operationem ; apud Johannem vero aquam praeponi Spiritui Sancto, praeponi autem quia ejus munus ex se obscurum explicatur per id quod subjicitur. — Advertere etiam juvat nonnullos intelligere ignis nomine ignem externum qui visibiliter descendit super apostolos ; alios autem purgatorium.

Adversus IV^m^ partem, Obj. 2°. Sacramenta vivorum non conferunt id quod est proprium sacramentis mortuorum. Effectus enim proprius uni causae non confertur alia causa. Atqui conferre gratiam, ubi habetur peccatum mortale, est proprium sacramentis mortuorum. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Sacramenta vivorum non conferunt *per se* id quod proprium est ceteris sacramentis, h. e. quod iis confertur *per se*, *Conc.;* non conferunt *per accidens,* id quod cetera conferunt per se, *Neg.; Conc. min. Dist. cons.* Ad prob. majoris respondetur *distinguendo majorem :* Effectus proprius uni causae *naturaliter* agenti non confertur alia causa *naturaliter* agenti, *Conc.;* effectus proprius causae *cujus causalitas est supernaturalis* et pendet a libera Dei institutione, et debetur actuali influxui Dei ; hic, inquam, effectus non confertur alia causa supernaturaliter agente. *Subdist.* non confertur *per se, Conc.; per accidens, Neg.* Sacramentis *mortuorum* proprium est conferre *per se* gratiam *primam,*

sicut *vivorum* sacramentis proprium est conferre *per se* gratiam *secundam*. Quemnam effectum sacramenta vivorum et mortuorum producant per se, quemnam autem per accidens, dijudicandum est ex libera voluntate Christi, sacramentorum institutoris; haec autem innotescit nobis per Scripturam et per Traditionem seu per Patres et Doctores Ecclesiae. Gravissimae autem auctoritates tenent gratiam primam per accidens conferri sacramentis vivorum; alii tamen contrariam sententiam tenent. Quare neutra sententia est certa.

Obj. 3°. Eo quod sacramenta vivorum per accidens conferrent gratiam primam, consequeretur peccatum originale remitti per sacramenta vivorum, dummodo bona fide recipiantur ab attrito. Sed consequens est falsum. Ergo.

Resp. Sacramenta vivorum non delent, etiam per accidens, peccatum originale. Ratio est duplex: a) Baptismus est necessarius necessitate medii ut deleatur P. O. b) Sacramentum omne aliud est invalidum si suscipitur a non-baptizato; baptismus enim est janua ceterorum sacramentorum. Ergo nonnisi baptismus delet P. O.

Obj. 4°. Ibi nullus est effectus sacramenti, ubi habetur obex. Atqui peccatum mortale est obex respectu sacramentorum vivorum. Ergo ubi tale peccatum, ibi nulla gratia confertur his sacramentis.

Resp. *Dist. maj.* Ibi nullus effectus, ubi habetur obex *cognitus, Conc.;* ubi habetur obex qui *nescitur, Subdist.* ibi *per se* nullus effectus, *Conc.;* ibi *numquam* datur gratia *per accidens*, *Neg. Cdt. min.* Peccatum mortale est obex semper cognitus, *Neg.;* secus, *Conc.* — *Dist. cons.* Ergo ubi peccatum, ibi *per se* non confertur gratia sacramentalis, *Conc.;* etiam *per accidens* non datur gratia, *Neg.*

Obj. 5°. Sacramenta non conferunt id quod non significant. Atqui sacramenta vivorum non significant gratiam primam. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* Sacramenta vivorum non significant *primario* gratiam primam, *Conc.; secundario* et per accidens, *Neg.* — Juxta alios sacramenta significant tantum gratiam quam *per se* conferunt; juxta alios significant etiam gratiam *per accidens* collatam; juxta alios demum *gratiam communiter* talem, addito jure ad auxilia specialia. — Ultima haec sententia videtur verior.

Difficultates ex sacramento Eucharistiae petitae tradentur in tractatu de Eucharistia.

§ 3. De reviviscentia sacramentorum ficte susceptorum.

Sacramentum ficte susceptum est illud quod recipitur non quidem cum intentione simulata, seu cum defectu intentionis seriae ac verae, sed cum simulata dispositione seu *cum obice et sine bona fide.*

Patet hujusmodi sacramentum esse informe, seu nullam conferri gratiam tunc cum suscipitur, quinimmo gravari conscientiam novo peccato. Verum inquiritur utrum, vi sacramenti antea suscepti cum obice, *infundatur postea a Deo gratia, tunc cum obex removetur,* puta cum elicitur actus caritatis aut cum attritus sacramentum Paenitentiae suscipit.

Communis sententia est baptismum reviviscere ; sat communiter etiam docent theologi reviviscere duo reliqua sacramenta characterem imprimentia. — Dividuntur circa matrimonium et extremam unctionem. — Denique communiter negant reviviscere Eucharistiam unctionem et paenitentiam.

THESIS IX[a]. — Sacramenta Baptismi, Confirmationis et Ordinis ficte suscepta reviviscunt, obice remoto. Probabilius reviviscunt etiam extrema Unctio et Matrimonium. Non reviviscunt Eucharistia et Paenitentia.

76. — Prima pars. Reviviscit Baptismus.

Prob. Arg. I[m]. Qui Baptismum cum obice suscepit, et postea obicem removet sive actu caritatis perfectae sive attritione cum sacramento Paenitentiae, recipit justificationem. Atqui haec non recipitur vi caritatis perfectae, neque vi sacramenti Paenitentiae. Ergo recipitur vi sacramenti Baptismi, quod proinde dicendum est reviviscere. — Patet major quia secus dicendum est aut iterandum esse Baptismum, aut numquam justificari eum qui cum obice Baptismum recepit.

Prob. min. a) *Solus Baptismus dicitur delere P. O.* α) « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei » (Joh. III, 5), ubi secundum sensum obvium baptismus est qui delet P. O. β) Tridentinum : « Translatio, ait, ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae... sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est : Nisi quis... » ([1]).

([1]) Trid. Sess. VI, c. IV.

b) *Sacramentum Paenitentiae non delet P. O.* Clavibus enim Ecclesiae non subjiciuntur nisi peccata post baptismum commissa, nam Concilium Tridentinum (1) diserte docet sacramentum Paenitentiae nonnisi pro peccatis post baptismum commissis institutum esse; et conferre gratiam non ad regenerandos homines, sed ad fideles post lapsum reconciliandos.

c) *Contritio perfecta non delet P. O.* Non enim justificat *cum voto Baptismi,* siquidem nequit continere hujusmodi votum, cum baptismus iterari nequeat; neque cum *voto Paenitentiae*, siquidem haec non delet P. O.; neque *sine ullo voto,* siquidem contritio non habet respectu deletionis P. O. efficacitatem quam non habet respectu recuperationis gratiae peccato amissae, hanc autem gratiam non reddit si nullum includit votum.

Arg. II^{m}. Petitur *ex controversia Augustinum inter et Donatistas.* Donatistae sequenti dilemmate Augustinum perstringere conabantur: Vel Baptismus noster dimittit peccata, vel non. Si dimittit; ergo datur apud nos Spiritus Sanctus, ac proinde sumus in vera Ecclesia. Si non dimittit; ergo denuo baptizandi sumus. — Respondebat Augustinus valere Baptismum eorum ad peccati remissionem, non quando culpabiliter extra veram Ecclesiam illum recipiebant, sed quando convertebant se et peccatum in susceptione Baptismi commissum detestabantur (2).

Arg. III^{m}. *Ratione theologica* allata a s. Th. « Baptismus est quaedam spiritualis regeneratio. Cum autem aliquid generatur, simul cum forma recipit effectum formae, nisi sit aliquid impediens, quo remoto, forma rei generatae perficit suum effectum, sicut simul cum corpus grave generatur, movetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens, quo remoto, statim incipit moveri deorsum. Et similiter quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, et consequitur proprium effectum,

(1) Trid. Sess. XIV, c. I, II.

(2) August. « Tunc incipit valere idem baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiae pacem venerint, non ut jam vere dimissa non retineantur, neque ut ille baptismus quasi alienus, aut alius improbetur, ut alter tradatur; sed ut idem ipse qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem. » *De baptismo,* l. III, c. XIII. M. XLIII, 146.

« Ipse (Deus) sanctificat sacramentum suum, ut homini, sive antequam baptizetur, sive cum baptizatur, sive postea quandoque ad se veraciter converso, idipsum valeat ad salutem, quod ad perniciem, nisi converteretur, valeret. » *De bapt.* l. VI, c. XXV. M. 214.

« Non iterum baptizandus est; quia ipsa ei reconciliatione ac pace praestatur, ut ad remissionem peccatorum ejus in unitate jam prodesse incipiat sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat. » *De bapt.* l. I, c. XII. M. 119.

qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Unde oportet quod, remota ea per paenitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum » (1).

77. — Secunda pars. Confirmatio et Ordo reviviscunt.

Prob. Arg. I^m. *Ex ratione theologica:* Haec sacramenta iterari nequeunt. Ergo reviviscunt, remoto obice. — *Prob. conseq.* Secus qui haec sacramenta cum obice recepisset, perpetuo pivatus maneret gratia his sacramentis propria.

Conf. Re quidem vera, ratio ob quam reviviscit Baptismus est ne baptizatus perpetuo privatus maneat gratia quae solo baptismo haud iterabili confertur. Ergo idem obtinet de confirmatione et ordine.

Arg. II^m. Reviviscere Ordinem apud haereticos susceptum sine bona fide adeoque cum obice, tradit Augustinus : « Christiana sane sacramenta in vobis cognosco... Apud vos quidem aliena sunt ; sed cum vos correctos recipit cujus sunt, fiunt ea salubriter vestra, quae perniciose habebatis aliena » (2). Ideo salubria quia utraque reviviscunt et sanctificant illos qui ea susceperant cum peccato.

78. — Tertia pars. Probabilius reviviscunt extrema Unctio et Matrimonium.

Prob. Matrimonium ab uxore iterari nequit, quamdiu vivit maritus, a marito quamdiu vivit uxor. Extrema Unctio, durante eodem gravi morbo, iterari nequit. Ergo reviviscunt, remoto obice, siquidem secus subjectum sacramentorum maneret privatum gratiis sacramentalibus, tum cum maxime his opus habet, nec ullum amplius suppeteret medium comparandi eas.

79. — Quarta pars. Eucharistia et Paenitentia non reviviscunt.

Prob. 1. Haec sacramenta facile iterantur. Ergo deest ratio reviviscentiae. — 2. *Ex sequelis.* Sequeretur quod sacerdos qui per integros annos sacrilege celebrasset, immo qui contra legem Ecclesiae pluries celebrasset singulis diebus, reciperet unica confessione, quam cum remissa attritione faceret in fine vitae cum graviter decumbit, omnes gratias quas per innumera sacra recepisset, si ea bene dispositus celebrasset, adeoque unica hac confessione sanctissimus evaderet. Atqui hoc prorsus adversatur sensui communi fidelium. — Eodem modo argui potest circa sacramentum Paenitentiae.

Observa. Ad sacramentum Paenitentiae quod attinet, non desunt

(1) D. Th. III, q. lxix, a. 10.
(2) Aug. *Cont. Cresc.* l. II, c. x. M. XLIII, 473.

doctores qui tuentur ejusdem reviviscentiam; alii dubitant; alii negant. Rationibus modo traditis accedit alia haec ratio quia probabile omnino videtur sacramentum Paenitentiae numquam esse validum simul ac infructuosum; ex eo enim sequitur quod ne quaestio quidem institui potest de ejusdem reviviscentia.

80. — **Scholion.** Qui tenent baptismum susceptum cum aliquo obice materiali, sc. sine attritione, sed cum bona fide, non remittere per accidens P. O., docent eum reviviscere, ubi adest attritio etiam sine sacramento paenitentiae. Ratio est quia nonnisi defectus attritionis fuit impedimentum gratiae sacramentali; quare, sublato impedimento adaequato, obtinetur effectus.

Si datus est obex formalis, sc. si defuit attritio cum mala fide, non sufficit attritio ad reviviscentiam baptismi, sed exigitur paenitentia aut contritio perfecta. Ratio est duplex: α) Tunc obex est proprie peccatum lethale quod tantum tollitur contritione aut paenitentia; β) tunc etiam peccatum sacrilegii committitur in receptione baptismi; jamvero hujusmodi peccatum subjiciendum est clavibus, siquidem per baptismum validum, licet informe, baptizatus fit membrum Ecclesiae; quare non remittitur baptismo, nisi adsit contritio cum voto paenitentiae (contritio non est causa remissionis sed conditio sine qua non), aut adsit attritio cum paenitentia.

Si datus est obex materialis, et si postea committitur peccatum lethale, non sufficit attritio, sed exigitur contritio aut attritio cum paenitentia. Ratio est quia P. O. deleri nequit, nisi simul deleatur illud peccatum personale; jamvero illud peccatum non deletur, nisi eliciatur contritio, aut cum attritione subjiciatur clavibus (1).

Satisfit difficultatibus.

81. — **Obj. 1°.** Eo quod sacramentum ficte susceptum in statu lethali reviviscet, sequeretur opus mortuum reviviscere. Atqui principium theologicum est opera mortua non reviviscere. Ergo.

Resp. a) *Dist. maj.* Eo quod reviviscet uti est *opus hominis operantis*, sequeretur etc., *Conc.*; eo quod sacramentum reviviscet uti est *opus operatum* seu actio Christi, sequeretur etc., *Neg. Conc. min. Dist. cons.* — b) *Dist. maj.* Sequeretur opus mortuum, *mere humanum*, revivi-

(1) Cf. D. Th. III, q. lxix, art. 10 ad 3m.

scere, *Neg.;* sequeretur opus mortuum, quod est opus hominis ac Christi, reviviscere *uti est Christi, Conc.* — *Cdt. min.*

Opus factum in statu peccati, etiam cum auxilio gratiae actualis, est *mortuum*, ac numquam reviviscit ad meritum gloriae. — Sacramentum cum obice susceptum est mortuum, in quantum est opus hominis, proindeque non reviviscit uti est opus operantis ; verum reviviscit uti est opus operatum, seu uti est actio moralis Christi.

Obj. 2°. Sequeretur eamdem gratiam conferri Baptismo et Paenitentia, ubi lethalia sunt commissa post baptismum. Atqui hoc est impossibile. Ergo. — Constat major quia eadem gratia deleret P. O. et peccata actualia post baptismum commissa ; ex hypothesi, gratia conferretur baptismo uti delet P. O. ; eadem gratia conferretur paenitentia, siquidem baptismus nequit delere peccata post baptismum commissa.

Eadem objectio sic proponitur : Sequeretur in certis adjunctis Baptismum delere peccata actualia post Baptismum commissa. Atqui hoc est impossibile. — *Prob. maj.* Quod infundit gratiam qua delentur peccata, delet ista peccata. Atqui Baptismus conferret gratiam qua delerentur peccata post Baptismum commissa. Ergo.

Resp. *Ad 1m modum arguendi : Dist. maj.* Eadem gratia sub diverso respectu conferretur baptismo et paenitentia, *Conc. ;* sub eodem respectu, *Neg. Cdt. min.*

Ad 2m modum arguendi : Neg. maj. Ad probationem : *Dist. maj.* Quod infundit gratiam *prout haec delet peccata actualia*, *Conc. ;* prout *non delet* gratia peccata actualia, *Neg. Cdt. min.* Baptismus conferret gratiam prout haec delet P. O., *Conc.;* prout delet *peccata actualia* post baptismum commissa, *Neg.* — Si post Baptismum ficte susceptum committitur peccatum lethale et postea acceditur cum attritione ad tribunal Paenitentiae, tunc eadem gratia confertur tum Baptismo reviviscente, tum Paenitentia : Baptismo quidem, uti gratia est deletiva P. O. ; Paenitentia vero, uti est deletiva cujuslibet peccati actualis.

Inst. Ubi Baptismus ficte suscipitur et postea committitur peccatum actuale, impossibile est ut Baptismus conferat gratiam uti haec est deletiva P. O. Etenim impossibile est ut Baptismus conferat gratiam natura posterius quam Paenitentia. Atqui eo quod Baptismus conferret gratiam uti haec est deletiva P. O., sequeretur eum dare gratiam natura posterius quam Paenitentiam, quoties peccata actualia fuerunt commissa post Baptismum ficte susceptum. — *Prob. min.* Baptismus non potest conferre gratiam nisi prius natura tollatur obex. Atqui quoties peccata actualia sunt admissa post Baptismum ficte susceptum,

obex non tollitur nisi sacramento Paenitentiae. — *Prob. min.* Obex tunc est non tantum defectus attritionis in susceptione Baptismi, sed insuper peccatum actuale post Baptismum commissum. Atqui illud peccatum non remittitur nisi Paenitentia. Ergo.

Resp. Ubi peccatum actuale post Baptismum committitur, duo sunt inspicienda, sc. macula et ratio voluntarii; peccatum est obex respectu Baptismi ob secundum elementum, non vero ob primum; jamvero ratio voluntarii tollitur per bonam dispositionem, non vero per sacramentum Paenitentiae. Contra macula peccati actualis nequit tolli sacramento Paenitentiae, nisi natura prius macula P. O. tollatur Baptismo. Itaque falsum est gratiam natura prius conferri sacramento Paenitentiae quam Baptismo; susceptio Paenitentiae non est nisi conditio sine qua non revivisceret Baptismus, ob legem a Christo latam de peccatis subjiciendis potestati clavium. — Quare *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem: *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem minoris: *Dist. maj.* Obex tunc est peccatum uti dicit *maculam animae, Neg.;* ut habet rationem voluntarii, *Conc.* — *Cdt. min.*

ARTICULUS II.

De Charactere Sacramentali.

D. Th. III, q. LXIII. — Suar. d. XI. — Lugo d. VI. — Vasq. In III part. s. Th. d. CXXXIV. Bellarm. *De sacram.* l. II, c. XVIII-XXIII.

Duo quaeremus: a) *an sit* character qui a nonnullis sacramentis imprimatur; b) *quid sit* iste character.

§ 1. Baptismus, Confirmatio et Ordo characterem animae imprimunt.

82. — Character, cujus definitio essentialis postea inquiretur, describitur a Tridentino *signum quoddam spirituale et indelebile unde ea* (Baptismus, Confirmatio, Ordo) *iterari non possunt* [1]. Describitur etiam: « Sigillum aliquod indelebile, quo homo speciali ratione deputatur cultui divino. » Quia illud signaculum, quo obsignatur anima, deleri nequit, ideo fit ut sacramentum, quod characterem impressit, non possit valide iterum suscipi.

[1] Trid. Sess. VII, can. 9.

Circa quaestionem an nonnulla sacramenta characterem animae imprimant, duplex est sententia.

Juxta Protestantes *nulla sacramenta imprimunt characterem.* Sic Johannes Wicleff, Calvinus, Kemnitius, Tilm. Heshusius (1). Inter Protestantes recentiores, Harnack contendit Augustinum esse inventorem characteris (2).

Sententia catholica est *Baptismum, Confirmationem, Ordinem,* praeter gratiam sacramentalem, conferre specialem aliquem effectum, qui merito vocatur *character,* et quo fit *ut iterari non possint.* Quae sententia est de fide definita a Trid. (3). Idem definitum jam erat ab Innocentio III in capite *Majores* de Baptismo, et propositum erat ab Eugenio IV in decreto pro Armenis. — Sententiam catholicam cum aliqua eruditionis specie impugnat Bingham (4).

Admittitur, decurrente aetate christiana, habitum esse profectum in modo proponendi et profitendi dogma de charactere sacramentali; prius nempe propositum esse obscurius, deinde clarius, denique clarissime (5).

THESIS X[a]. — Tria sacramenta, Baptismus nempe, Confirmatio, Ordo, praeter gratiam sacramentalem imprimunt « characterem in anima, h. e. signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt. » (Trid. Sess. VII, can. 9).

83. — Probatio I[a]. *Petitur ex praescriptione.* Illa doctrina ab Apostolis derivatur, quae per tria secula, ante ullam litem motam, tamquam dogma fidei habita est totius Ecclesiae consensu, manifestato sive

(1) Wicleff, *Trial.* l. IV, c. xv. (Cfr. Wald. t. II *De sacr.* c. cix). — Calv. *Antid. Conc.* sess. VII, can. 9. — Kemnit. in II p. *Exam. Conc. Trid.* in can. 9 De sacram. — Tilm. Heshusius, in l. *de err. pontif,* tit. xv.

Non desunt inter protestantes qui non verentur recedere a sententia auctorum reformationis ut ad doctrinam catholicam accedant. Sic Leibnitzius (*System. theol.* p. 204 ed. Mogunt. 1825), Marheinecke (*Christl. Symbolik oder historisch-kritische und dogmatisch-comparative Darstellung des katholischen, lutherischen, reformirten und socianischen Lehrbegriffes,* p. I, l. III, c. iv Das system des katholicismus.)

(2) Harnack, *Dogmengesch.* III, 140 sq.

(3) Nonnulli Patres, dum schema de Baptismo discutiebatur, voluerunt ut exsistentia characteris non definiretur esse certa, sed dumtaxat probabilior. Verum plerique Patres voluerunt ut definiretur tamquam certa; sic autem conditus est canon, annuentibus Patribus qui prius oppositam sententiam defenderant (Cf. Pallav. *Istoria del Concilio di Trento,* l. IX, c. v, n. 3).

(4) Bingham, in *Hist. scholastica baptismi laicorum,* p. II, c. vi; in *originibus seu antiq. eccles.* l. XVII, c. ii, § 5; in dissert. *in concilii nicaeni canone 8.*

(5) Cfr. Gerbert, *De selectu theologico circa effectus sacramentorum,* c. viii sq. — Lorinser, *De sacramentali charactere* commentatio. — Trombelli, *De baptismo,* t.V, d. XV, p. iii, c. 1; *De confirmat.* t. I, diss. IV, s. ii, c. 1. — Hanonik, Kl. III, 65-71.

Conciliis, sive decisionibus Romanorum Pontificum, sive testimoniis Patrum aut Doctorum. Atqui Baptismum, Confirmationem et Ordinem, praeter gratiam sacramentalem, imprimere characterem, per tria secula ante litem primo motam a protestantibus, ab universali Ecclesia agnitum est tamquam dogma fidei. Ergo.

Prob. min. 1. *Ex consensu Scholae.* Controversia fuit in Schola circa quaestionem *quid sit* character, nulla circa quaestionem *an sit.*

a) Hunc consensum testatur sec. XIII s. Thomas: « Characterem in sacramentis quibusdam imprimi, *omnes moderni confitentur;* sed in modo ponendi ipsum in anima, partim differunt et partim conveniunt » ([1]).

b) Magister Sententiarum, qui seculo XII floruit, non adhibet nomen characteris, sed profitetur exsistentiam rei hoc nomine expressae. Etenim docet Baptismum, Confirmationem et Ordinem iterari non posse quia conferuntur *consecratione quadam*, quod probat ex Augustino ([2]). — Petrus Pictaviensis, discipulus Magistri et ejus successor in cathedra theologica Parisiensi, de charactere aperte loquitur; pariter Gulielmus episcopus Parisiensis, qui floruit seculo XIII.

c) Nonnulli scholastici autumarunt quidem exsistentiam characteris non satis demonstrari ex Scriptura et Patribus; at nihilo minus eam in dubium non revocaverunt, propterea quod universa Ecclesia eam profitebatur et quod ab auctoritate Ecclesiae proponebatur. Sic Scotus, Gabriel Biel, Cajetanus ([3]).

2. Gregorius P. IX (1227), archiepiscopo Baranensi scribebat: « Consultationi tuae taliter respondeo quod eos qui extra tempora statuta sacros Ordines receperunt, *characterem* non est dubium recepisse, quos pro transgressione hujusmodi (primo eis paenitentia imposita competenti) sustinere poteris in susceptis Ordinibus ministrare » ([4]).

3. Innocentius III, (a° 1250°), in decreto adversus Petrobrussianos ([5]), archiepiscopo Arelatensi, qui interrogaverat R. P. « utrum dormientibus et amentibus sacramenti saltem character imprimatur, ut excitati a somno aut denuo liberati, non sint denuo baptizandi », reponit: a) eum qui est invitus, non absolute sed secundum quid, eumque qui ficte ad baptismum accedit, *characterem suscipere christianitatis impressum;* b) eum qui numquam consentit, sed semper contradicit, *nec rem nec characterem suscipere;* c) amentes et dormientes *suscipere characterem* si

([1]) D. Th. In 4 d. 4, q. 1, a. 1. — ([2]) Pet. Lomb. In 4 lib. d. 7. — ([3]) Scotus in 4 d. 6. Gabr. Biel, in 4 d. 4, q. II; d. 6, q. II, a. 3, dub. 1. Cajet, in III, q. LXIII, a. 1. — ([4]) Greg. IX, *Decret.* l. I, tit. XI, c. XVI. *Consultationi.* — ([5]) Inn. III, *Decret.* l. III, tit. XLII, c, III. *Majores.*

prius habuerunt propositum recipiendi sacramentum, secus autem characterem non imprimi; d) universaliter concludit *characterem tunc imprimi* sacramentali operatione, cum haec obicem voluntatis contrariae obvium non habebit (Denz. n. 342). — Porro evidens est Innocentium et archiepiscopum Arelatensem supponere exsistentiam characteris baptismi in Ecclesia agnosci. Agitur de casibus particularibus.

4. Eugenius IV et Concilium Florentinum (a° 1439-1445): « Inter haec sacramenta (novae legis), aiunt, tria sunt : Baptismus, Confirmatio et Ordo, quae *characterem*, id est spirituale quoddam signum, a ceteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt » (Denz. n. 590).

5. Tridentinum ideo sane de fide definit exsistentiam characteris, quia ab universa Ecclesia tamquam fidei dogma agnoscebatur (1).

84. — Probatio II^a^. Petitur *ex ss. Patribus*. **Arg. I^m^.** Petitur ex eo *quod seculo V°* profitebatur Ecclesia exsistentiam characteris. Fidei testis est Augustinus in controversia cum Donatistis (2).

Donatistae et Augustinus communiter admittebant Baptismum, Ordinem et Confirmationem semel tantum valide suscipi. At Donatistae contendebant sacramenta Baptismi et Confirmationis, ab haereticis collata, esse invalida ac proinde iis, qui ab haereticis ad Ecclesiam veniebant, esse iteranda. Augustinus contra contendit haec sacramenta fuisse valide collata ab haereticis, adeoque ea non esse iteranda; hoc probat ea ratione quod haec sacramenta haereticorum, etiamsi gratiam sanctificantem non produxissent, ob defectum dispositionis requisitae in subjecto, alium effectum, nimirum *sigillum* et *characterem produxerunt*. Causam erroris Donatistarum ex eo oriri dicit, quia non distinguunt hunc duplicem effectum et concludunt sacramenta fuisse invalida, propterea quod nullam gratiam causaverunt. — Porro Augustinus, veluti testis Ecclesiae Africae, immo totius Ecclesiae, hanc doctrinam propugnat ; provocat enim ad communem Ecclesiae fidem et consuetudinem, ad sensum praesulum Ecclesiae toto orbe diffusae. — Talem reapse esse Augustini doctrinam quadrupliciter ostenditur (3) :

1. Augustinus affirmat sacramenta Baptismi, Confirmationis et Ordinis semel accepta, *semper haberi, manere et haerere* tum in bonis,

(1) Trid. Sess. VII, can. 9 ; Sess. XXIII, c. IV, can. 4. — (2) Aug. *De baptismo*. III, XVI, M. XLIII, 148 ; VI, XII, XVII, M. 184, 187 ; *Contra ep. Parmen.* II, XIII, M. ib. 70 ; *Contra litt. Petili.* II, CIV, M. ib. 341. — (3) Cfr. Franzelin : *De sacram. in genere*, th. XII, n. II.

tum in malis ; rationem repetit ex eo quod per ea homini datur consecratio quaedam, distincta a gratia. Ergo censet haec sacramenta imprimere characterem.

Prob. ant. a) Ex permanentia baptismi petit rationem cur haeretici et apostatae, ad Ecclesiam redeuntes, non iterum baptizentur (1). b) Videtur *Confirmationi* tribuere eamdem vim inhaerendi atque baptismo (2). Demum dicit c) ordinationem manere integram, ubi baptismus manet (3).

Prob. cons. Sacramenta haec tria semper manent judicio Augustini, vel eo sensu quod semper verum manet actionem sacramentalem fuisse peractam, vel quod gratia sanctificans collata per ea manet, vel quod character manet. Atqui a) primus sensus excluditur ab ipso Augustino. Etenim de omni sacramento verum est semper quod actio sacramentalis fuit peracta. Atqui distinguit Augustinus inter sacramenta quae manent et sacramenta quae non manent, ideoque repetuntur (4). b) Secundus sensus excluditur eo quod gratia non confertur malis (5).

2. Juxta Aug. per Baptismum et Ordinem datur homini consecratio (6)

---

(1) « Aug. Si non esset Baptisma unum et verum nisi in Ecclesia, non utique *esset in iis* qui ab unitate discedunt ; *est autem in iis ;* nam id non recipiunt redeuntes, non ob aliud, nisi quia *non amiserant* recedentes... Venientibus enim ad catholicam prodesse incipiunt quae foris inerant, sed non proderant. *De bapt.* l. VI, n. 14, M. XLIII, 204.

« Omnes tales (tum rejecti extra Ecclesiam, tum peccatores degentes in Ecclesia) nihil valent, nec ideo tunc sacramentum baptismatis, quod in eis est, nihil est ; nam et in ipsis qui projiciuntur foras, si resipiscant et redeant, salus eis, quae recesserat, redit ; baptisma vero, *quia non recesserat*, non redit... Baptismus Christi in utrisque (in peccatoribus intra Ecclesiam et in haereticis foris) agnoscendus, et in nullis improbandus, sive antequam convertantur, quamvis eis nihil prosit, sive cum convertuntur ut prosit. » Ib. n. 23.

« An forte minus *haerent sacramenta christiana* quam corporalis haec nota (militi impressa), cum videamus nec apostatas carere baptismate, quibus utique per paenitentiam redeuntibus non restituitur, et ideo *amitti non posse* judicatur. » *Contra ep. Parmeniani*, l. II, n, 29. M. ib. 72.

(2) August. « Et in hoc unguento s. Chrismatis vultis interpretari, quod quidem in genere signaculorum visibilium sacrosanctum est, sicut ipse baptismus, sed potest esse et in hominibus pessimis, in operibus carnis vitam consummantibus et regnum coelorum non possessuris. » *Adv. litt. Petiliani*, l. II, n. 239. M. ib. 342.

(3) August. « *Sicut baptismus in iis* (episcopis redeuntibus ex schismate), *ita ordinatio mansit integra*, quia in praecisione erat vitium, quod unitatis pace correctum est, non in sacramentis, quae, ubicumque sunt, ipsa sunt. Et cum expedire hoc judicatur Ecclesiae, ut praepositi eorum venientes ad catholicam societatem honores suos ibi non administrent, *non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent super eos.* » *Contra ep. Parmen.* l. II, n. 28, M. ib. 70.

(4) August. « Manus autem impositio non sicut baptismus, repeti non potest : quid est aliud nisi oratio super hominem? » *De bapt.* III, 21. M. ib. 149. Sensus est : Sacramentum paenitentiae repeti potest et in hoc differt a baptismo. Quaenam vero hujus iterabilitatis ratio, nisi quia *non manet* sicut baptismus.

(5) Cfr. ep. xcviii *ad Bonif.* n. 5. M. P. L. t. XXXIII.

(6) « Utrumque sacramentum est (baptismus et Ordo) et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur ; *ideoque in catholica utrumque non licet iterari.* » M. XLIII, 70. *Adv. ep. Parmen*, l. II, n. 28.

eaque diversa a gratia (1). Atqui talis consecratio aliud esse non potest praeter characterem. Ergo.

3. Consecratio impertita per Baptismum et Ordinem comparatur ab Augustino sigillo monetae regiae, signo circumcisionis, notae ovibus vel militibus impressae (2). Ergo est character.

4. Augustinus in Baptismo distinguit tria: sacramentum, operationem Spiritus Sancti bonis et malis communem, operationem Spiritus Sancti propriam bonis (3). Atqui hic effectus, omnibus communis, nequit esse alius nisi character. Ergo.

Arg. II^m. Petitur *ex Patribus seculi IV.* Ex verbis quibus utuntur, apparet doctrinam Augustini non esse diversam quoad ipsam rem a doctrina illorum, sed tantum distinctius fuisse propositam, id postulante controversia cum Donatistis. — Patres hi unice fere loquuntur de baptismo. At confirmatio solebat simul conferri ac baptismus, utpote ultima obsignatio et perfectio baptizatorum. Hinc quae de baptismo dicuntur, videntur et de confirmatione affirmari. Praecipui Patres sunt Ambrosius, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius, Chrysostomus (4). — Argumentum sic proponitur a Card. Franzelin :

1. Quando Patres illi antecedentes enumerant effectus baptismi: captivitatis liberationem, remissionem peccatorum, regenerationem, etc.; addunt praeterea, tamquam effectum baptismi et chrismatis,

(1) Aug. « Christiani baptismi sacramentum etiam apud haereticos valet et *sufficit ad consecrationem,* quamvis ad vitae aeternae participationem non sufficiat; quae consecratio reum quidem facit haereticum, *extra dominicum gregem habentem dominicum characterem,* corrigendum hunc admonet sana doctrina non iterum similiter consecrandum. » *Ep. ad Bonif.* n. 5. M. XXXIII.

(2) Id. Si aliqui furtim et extra ordinem in monetis publicis, aurum, vel argentum, vel aes percutiendo, signaverint; cum fuerit deprehensum, nonne illis punitis aut indulgentia liberatis, cognitum regale signum thesauris regalibus congeretur? Aut si quisquam sive desertor, sive qui numquam omnino militavit, nota militari privatum aliquem signet, nonne ubi fuerit deprehensus ille signatus pro desertore punitur et eo gravius quo probari potuerit eum numquam omnino militasse, simul secum punito, si eum prodiderit, audacissimo signatore? Aut si forte illum militiae characterem in corpore suo non militans pavidus exhorruerit, et ad clementiam imperatoris confugerit, ac prece fusa, et impetrata venia, militare jam coeperit, numquid homine liberato atque correcto character repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An forte minus haerent sacramenta christiana, quam corporalis haec nota? » *Adv. ep. Parmen.* l. II, n. 29. M. XLIII, 71.

(3) August. « Cum ergo sit aliud sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit; aliud operatio Spiritus, quae in malis etiam hominibus fieri solet, sicut Saul habuit prophetiam; aliud operatio ejusdem Spiritus, quam nisi boni habere non possunt, sicut est finis praecepti caritas... : quodlibet haeretici et schismatici accipiant, caritas, quae cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum est catholicae unitatis et pacis. » *De bapt.* l. III, n. 21. M. ib. 149.

(4) Ambr. *De Sp. S.* c. VI, nn. 78, 79. Cyr. Hier. *Protocat.; cat.* III; *cat.* XVIII; *cat.* XXII, M. P. G. t. XXXIII; Bas. *Hom. in s. Bapt.* n. 4. Naz. *Or.* XL *in Bapt.* n. 4. Chrys. *Hom.* III *in II Cor.* n. 7. M. P. G. t. LXI, col. 418.

signaculum sanctum, salutare, spirituale, coeleste, divinum, insolubile, indelebile, in aeternum. Ita Basilius, Nazianzenus, Cyrillus Hier. (1).

2. Conferunt hoc signaculum, non secus ac seculo V contra Donatistas fieri consuevit, cum signis corporeis, cum charactere militum, ovium, cum obsignatione thesauri, cum signatione annuli in cera, cum circumcisionis nota, cum signatione postium filiorum Israel in Aegypto. Ita Basilius, Nazianzenus, Ephrem Syrus, Epiphanius, Chrysostomus (2). — Istud autem signaculum dicunt esse spirituale, in corde, in anima. Sic Ambrosius, Cyrillus, Nazianzenus (3).

3. Munus hujus signaculi est a) ut agnoscamur a Christo, tamquam Domino familiae, ut ad familiam ejus et ad gregem pertinentes: sic Cyrillus, Basilius (4); b) ut agnoscamur etiam quando desertores evadimus: sic Chrys. (5); c) ut nobis sit custodia et praesidium ad conservandum gratiae splendorem: sic Basilius, Nazianzenus, Cyrillus, Ambrosius (6); d) ut nos tueantur angeli tamquam domesticos et pertinentes ad suam familiam. Sic Cyrillus (7).

Arg. III^{m}. Jam ab aetate apostolica baptismus communi usu exhibetur veluti *sigillum impressum:* sic Clemens Romanus, auctor *pastoris*

---

(1) Bas. *Hom. in s. Bapt.* n. 5. T. II, p. 117. Naz. *Or.* XL *in Bapt.* n. 4; Cyr. Hier. *Procat.* n. 16, 17; *cat.* I, n. 2, 3; *cat.* III, n. 3; *cat.* XVII, n. 35, 36. Cf. Damasc. *De Fid. Orth.* l. IV, c. IX. M. P. G. t. XCIV, p. 1118.

(2) Bas. l. c. n. 4. Naz. l. c. n. 15. Ephr. Syr. Bibl. Orient. Assemani, t. I, p. 94. Epiph. *Haer.* VIII, (Epicureorum), n. 6. Chrys. *in Eph. Hom.* II, n. 2.

Chrys. « Obsignatus es; sicut enim militibus sigillum ita et fidelibus Spiritus (effectus Spiritus) imponitur, ut etiam si desertor fugias, omnibus cognoscibilis fias κἂν λειποτακτήσῃς κατάδηλος γίνῃ πᾶσιν. » In II *Cor. Hom.* III, n. 7, ad finem.

Bas. l. c. « Nemo te cognoscet, utrum noster sis an hostium, nisi mysticis tesseris exhibeas domesticitatem (οἰκειότητα). Quomodo angelus te juvabit, quomodo eripiet ex hostibus, nisi recognoscat sigillum? Quomodo tu dicis: Dei sum, nisi prae te feras characteres distinguentes (τὰ γνωρίσματα). An ignoras, quod signatas domos exterminator praetergrediebatur... Non obsignatus thesaurus facilis praeda est furibus, ovi non signatae sine periculo struuntur insidiae. »

Naz. l. c. « Hoc tibi maximum praesidium in vita ad securitatem; ovis enim signata non facile patet insidiis, quae vero sine signo est, a furibus facile rapitur, hoc tibi et in morte faustum munus funerale (δεξιὸν ἐντάφιον). »

Ephr. l. c. « Spiritus Sanctus per oleum imprimit signum suum ovibus suis. Sicut annulus in cera imprimit suum sigillum, ita etiam signum occultum Spiritus per oleum imprimitur personis, quando unguntur in baptismo, et signantur ipso baptismate. »

(3) Ambr. *De Sp. S.* l. I, n. 79. M. P. L. t. XVI, col. 703 sqq. Cyr. *Catech.* XVII, n. 36. M. P. G. t. XXXIII, col. 1010. Naz. *Or.* XL, n. 15. — (4) Cyr. Ib. n. 3. Bas. ib. n. 4. — (5) Chrys. In II Cor. l. c. — (6) Bas. l. c. n. 4. Naz. l. c. n. 4. Cyr. *Cat.* I, n. 3; XVII, 35, 36. Ambr. « Spiritu signamur, ut *splendorem atque imaginem ejus et gratiam tenere possimus*, quod est utique spiritale signaculum; nam etsi specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus Sanctus exprimat in nobis imaginis coelestis effigiem. » *De Sp. S.* l. c. — (7) Cyr. *Cat.* I, 2.

Hermae, et *Constit. apost.* (1); ut *sigillum infragile* (σφραγὶς ἄῤῥαυστος): sic in *Constitut. Apost.* (2); ut *signaculum in Christo muniens contra tentationes:* sic *Acta Theclae* (3); ut *perfecta custodia et sigillum Domini* (τέλειον φυλακτήριον καὶ σφραγὶς τοῦ κυρίου), quo nomine baptismum in celebri illo adolescente, ab Apostolo Johanne commendato tutelae Episcopi Asiani, describit Clemens Alexandrinus (4); ut *signaculum nostrum, signaculum fidei :* sic Tertullianus (5); ut *sigillum datum a Domino suis fidelibus, cui opponitur character bestiae dandus ab Antichristo* (Apoc. XIII, 16) : sic Hippolytus (6); ut *immortalitatem conferens sigillum et salutare signaculum* (ἀθανατοποιὸς σφραγίς, σωτήριον σφράγισμα) : sic Constantinus Magnus (7). — Huc etiam pertinet forma sacramenti chrismatis in Ecclesia Graeca, *sigillum doni Spiritus Sancti,* ut jam exhibetur in Concilio CP. I (8), et sine dubio antiquissima est et pertingens ad tempora apostolica.

Jamvero hae locutiones, ex se obscuriores, non aliam significationem prae se ferunt praeter eam quam declarant apertius Patres insequentis aetatis. — Talem esse mentem horum Patrum confirmatur loco qui exstat in Excerptis seu Eclogis ex Theodoto apud Clementem Alexandrinum. Anima fidelis quae veritatis sigillum accepit, dicitur stigmata Christi portare, eodem ferme modo quo muta animalia per signaculum ostendunt cujus sint (9).

85. — **Probatio III[a].** Eadem doctrina innititur *Scripturis;* attamen non clare, sed nonnisi obscure in eis continetur; insinuatur potius quam diserte exprimitur. Traditionis fuit explicare et determinare sensum scripturisticum, ostendere doctrinam suam esse continuationem doctrinae Scriptura propositae. Itaque non evidenter colligitur, si textus seorsim a traditione inspicitur. Immo non pauci sunt qui textus afferendos exponunt *de gratia* per Spiritum Sanctum infusa: sic Chrysostomus, Hieronymus, s. Thomas.

Locus triplex affertur : II Cor. I, 21, 22 : « Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos, Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris ». — Eph. I, 13 : « In quo (Christo) et vos, cum audissetis verbum veritatis.., in quo et credentes

(1) CLEM. ROM. *Ad Cor. ep.* II, c. VII, VIII. Vid. FUNCK. *Patres apost.* I, 153, 155. *Hermae Pastor,* Similit. l. IX, c. XVI, XVII. Vid. FUNCK, op. cit. I, 533. — *Constit. apost.* l. II, c. XXXIX; III, XVI. M. I, 694, 798. — (2) *Const. apost.* l. III, c. XVI. — (3) *Acta Theclae,* c. VIII. GALLAND. I, 184. — (4) Cfr. EUSEB. *Hist. Eccl.* III, XXIII. M. XX, 259. — (5) TERTULL. *De spectac.* IV, XXIV. M. I, 635. — (6) HIPP. *De Christo et Antichristo,* n. 6. GALLAND. II, 420. M. X, 734. — (7) Apud EUSEB. in *Vita Const. M.* c. LXII, M. XX, 1214. — (8) CONC. CP. I, can. 7. HARD. I, 814. — (9) CLEM. ALEX. n. 86. M. IX, 698.

signati estis Spiritu promissionis sancto ». — Eph. IV, 30: « Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis ». — Unde sic arguitur : Illud est character sacramentalis, quod a) est donum a Deo collatum, a gratia distinctum; quo b) distinguimur ab his qui dono hoc carent; quo c) consecramur Deo et transscribimur in ejus familiam; quod d) est custodia et praesidium gratiae nobis collatae; quod e) est perpetuum et indelebile. Atqui Paulus affirmat a) fidelibus donum a Deo conferri *a gratia distinctum :* Non tantum enim Deus nos unxit (h. e. gratiam contulit), sed et *signavit* et dedit pignus. Affirmat b) hoc dono *fidelem ab infidelibus distingui*, et *consecrari Deo :* significatur ipsa voce « *signari* in Spiritu Sancto ». — Praeterea asserit c) istud donum esse *perpetuum et custodire gratiam :* Hoc enim dono signati sunt *in diem redemptionis,* nempe in diem judicii quo jam erimus perfecte redempti ab omnibus malis vitae. Si igitur hoc donum fideles signat in redemptionem, oportet ut ex se conservet gratiam necessariam ad perfectam et veram redemptionem.

Fatendum est nonnisi probabiliter fieri sermonem de charactere sacramentali in praefatis textibus. Locus ex epistola ad Corinthios aliam expositionem patitur. S. Thomas ita exponit : « Signavit nos signo fidei Christi. Item signum crucis... et ideo speciale et certum signum est vitae aeternae configurari Christo. Vel signavit signo vitae per pignus vere maximum quia Spiritus Sancti » (1). — P. Justiniani explicat unctionem de dignitate prophetica, sacerdotali, regia christianorum, vel de charismatibus. — Estius : « Qui et signavit nos... i. e. tamquam sigillum quoddam nobis impressit Spiritum Sanctum largiendo varia ejus charismata, quae sigilli instar nos probent veros Dei nuntios ac ministros. » — P. Cornely : « Vocationem igitur et praeparationem ad munus apostolicum vel potius muneris apostolici collationem eamque Spiritus Sancti communicationem, quae ad illud rite obeundum requiritur, intelligit... Obsignationem apostolicam collatione charismatum Spiritus Sancti factam esse rectissime dicemus » (2). — Porro si Paulus ad Corinthios scribens potest intelligi non esse locutus de charactere, idem est dicendum de Paulo ad Ephesios scribente; nihil nempe obstat quin dicatur loqui de gratia sanctificante.

Praefata loca interpretati sunt de charactere s. Ambrosius (3),

(1) S. Th. In II Cor. c. I, lect. 5. — (2) Cornely In II Cor, I, 22. Cf. nota ult. p. 50. — (3) Ambr. « Si qua in aqua gratia, non ex natura aquae, sed ex praesentia est Spiritus Dei. Numquid in aqua vivimus, sicut in Spiritu? In ipso enim vivimus et ipse est pignus

s. Chrysostomus [1], posteriores theologi communiter, Catechismus Romanus [2]. Concludendum itaque est modum loquendi de charactere sacramentali in Ecclesia usu receptum ex illis locis esse desumptum [3].

Confirmatur ratione theologica [4]. Sacramenta Baptismi, Confirmationis et Ordinis iterari non possunt ; proindeque per haec sacramenta homo perenniter deputatur ad statum cultus divini. Per Baptismum homo suscipitur in familia Christi et fit *membrum* Christi ; per Confirmationem consecratur *miles* Christi et deputatur ad fidem profitendam ; per Ordinem consecratur *sacerdos* Christi et deputatur ad fungendum legatione pro Deo apud homines. Ergo per Baptismum, Confirmationem et Ordinem imprimitur character.

Prob. conseq. Secus dicendum est hominem perpetuo deputari a Deo ad statum per denominationem mere extrinsecam, nempe per solam voluntatem Dei, citra collationem alicujus intrinseci, quemadmodum nempe auctoritas ecclesiastica ad munera deputat. Atqui hoc verosimile non est. Etenim a) quemadmodum Deus amorem suum ostendit collatione doni intrinseci, sic ad munus deputat collatione doni intrinseci. b) Deinde quemadmodum certo insigni externo discernuntur hi quibus certum munus ab hominibus commissum est, sic certis sigillis a Deo impressis sunt insignes hi qui ad statum cultus Dei deputantur. Discrimen reponitur in eo quod auctoritas humana insigni exterius adjacente et decorante vestire dumtaxat valet ; Deus autem, cum ipsam animam attingere valeat, eam intrinsecus modificat.

86. — Scholion I^m. Sacramenta veteris legis nullum characterem

---

hereditatis nostrae, sicut Apostolus scribens ad Ephesios ait : « In quo credentes signati estis... » Sancto igitur Spiritu signati sumus, non natura, sed a Deo, quia scriptum est : « Qui unxit nos Deus et qui signavit nos ». Spiritu signamur, ut splendorem atque imaginem ejus et gratiam tenere possimus, quod est utique spirituale signaculum ». *De Spiritu Sancto*, l. I, c. VI, n. 78, 79. M. XVI, 723.

(1) CHRYS. *Hom. II in Ep. ad Eph.* n. 1. M. LXII, 18.

(2) *Catech. Rom.* P. II. c. 1, n. 30.

(3) De iisdem textibus haec habet SUAREZ : « Licet per se non cogant, tamen, supposita traditione Ecclesiae et veritate characteris, verisimile est Paulum usum fuisse verbo signandi propter characterem, et in locis Ephes. videtur specialiter loqui de charactere Baptismi. In loco vero ad Corinth. videtur specialiter loqui de sacramento Confirmationis, ut patet ex omnibus illis verbis : *confirmavit nos Deus, unxit, signavit et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*. Atque ita exponit Ambrosius, et aliqui ex expositoribus. De charactere vero Ordinis nullum invenio Scripturae locum, in quo satis insinuetur, nam illud I ad Tim. IV : « Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi, per prophetiam, per impositionem manus presbyterii » et II ad Timoth 1 : « Ut resuscites gratiam, quae est in te per impositionem manuum », haec, inquam, loca sufficienter intelliguntur de gratia gratum faciente. » *De Sacram. in genere*, d. XI, s. 1.

(4) Cfr. s. TH. l. c. ; BELLARM, l. II, c. XXII.

animae imprimebant. Obsignati sunt et Israelitae, ait Chrysostomus (1), sed circumcisione, quemadmodum pecudes. — Ratio est a) *de circumcisione,* quia erat sacramentum minus perfectum quam baptismus, et quia nullibi legitur impressisse characterem ; b) *de ordinatione sacerdotali,* quia consecratio sacerdotalis filiorum Levi non fiebat per collationem gratiae, sed per munditiem legalem seu sanctitatem externam et carnalem. Ergo non infundebatur a Deo character.

Scholion II^m. Eucharistia, Paenitentia, Extrema Unctio, Matrimonium non imprimunt characterem. Ratio est varia : Ubi nec auctoritas neque ratio cogit nos ut admittamus characterem imprimi in sacramento, hoc non est admittendum. Atqui nil nos cogit ut admittamus his sacramentis imprimi characterem in anima. *Prob. min.* a) Trid. et Flor. dicunt tria sacramenta imprimere characterem, de reliquis autem prorsus tacent. b) Quatuor haec sacramenta iterari possunt. c) Per haec sacramenta homo non deputatur specialiter ad cultum divinum, sed ipsa susceptio eorum est potius actus cultus divini ordinatus ad speciales effectus. Sic Paenitentia ordinatur ad remissionem peccatorum actualium ; Eucharistia ad nutritionem caritatis ; extrema Unctio ad juvandum et purificandum hominem morti proximum.

Satisfit difficultatibus.

87. — **Obj. 1°.** Doctrina de charactere non eruitur ex revelatione, sed est inventum Innocentii III. Sic Kemnit., Calv. Constat quia a) Scriptura silentium servat de charactere sacramentali; b) apud Patres non invenitur fundamentum huic sententiae, uti ingenue hoc fatentur theologi primae notae : Scotus, Durandus, Gabriel, Cajetanus inquiens hanc traditionem Ecclesiae non multum antiquam esse, sed ex capite *Majores* de Baptismo Inn. III esse probandam. Demum constat quia c) veteres theologi ante Innocentium de charactere tacent. Nihil enim de eo tradunt Magister et Hugo Victorinus.

Resp. Doctrinam de charactere non esse excogitatam ab Innocentio, ex argumento praescriptionis et ex Augustino clare colligitur.

De doctoribus scholae : a) Magistrum non tacuisse de re quae nomine characteris postea fuit significata, liquet ex scriptis Magistri et ex diserta testificatione Aquinatis. — b) Scotus, Durandus, Gabriel non disputant *an sit* character: Durandus (2) « omnes moderni, ait, profi-

(1) Chrys. *Hom.* II in *ep. ad Eph.* — (2) Durand, In 4 d. 4, q. 1.

tentur illum (characterem) imprimi in aliquibus sacramentis. » — Scotus (1) describit characterem ut « quoddam spirituale impressum a Deo suscipienti sacramentum non iterabile. » Verum disputant *quid sit* character. Gabriel Biel, postquam affirmavit characterem exsistere, addit « characterem esse *qualitatem absolutam* animae impressam, nec ratio necessaria demonstrat, nec evidens auctoritas probat » (2). — c) Demum nonnulli autumant ex Scriptura et Patribus non facile liquere exsistentiam aut saltem naturam characteris. Non valde mirum esse quod scholastici ad ss. Patres non provocaverint, facile apparebit attendenti scripta ss. Patrum non adeo fuisse familiaria scholasticis. Franzelin censet Scotum, Durandum, Gabrielem admisisse revelatum quidem esse tria sacramenta imprimere characterem, sed hanc revelationem traditione orali potius quam scripta ad nos usque pervenisse. — d) Ad Cajetanum quod attinet, fatendum est eum in hac re errasse, nisi loqui intenderit de traditione scripta.

88. — Obj. 2°. Ex Augustini sermone ad plebem Caesareensem (3). Qualis esset character quem Donatus imprimeret, si in nomine suo baptizaret, talis est character quem imprimit baptismus Christi. Atqui baptismus Donati non imprimeret characterem internum animae et spiritualem. Ergo neque baptismus Christi.

Resp. *Dist. maj.* Qualis esset character quem Augustinus *supponit* imprimendum baptismo nomine Donati collato, talis est character quem baptismus Christi *revera* imprimit, *Conc.;* qualis esset character quem judicio Augustini baptismus Donati *reapse imprimeret* in anima, talis est etc. *Neg. Cdt. min.* — Augustinus probat iterandum non esse baptismum ab haereticis collatum ; argumentum accipit ex eo quod haeretici

(1) Scotus : In 4 d. 6, q. ix. — (2) Biel : In 4 d. 6, q. ii. a. 1, concl. 1.

(3) August. « Baptismus non ipsorum (haereticorum) est, sed Christi. Invocatio nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur Episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati... In errante et deserente millite crimen est desertoris, character autem non est desertoris, sed imperatoris... A desertoribus signati sunt, non tamen signo desertoris, sed signo imperatoris. Non enim desertor characterem suum fixit. Quid est quod dico, desertor characterem suum non fixit ? Donatus non baptizavit in nomine Donati. Nam si Donatus... in Donati nomine baptizaret, desertoris characterem infigeret ; ego quando vocarem ad unitatem, si invenirem desertoris characterem, exterminarem, delerem... Nunc vero ipse desertor characterem fixit imperatoris sui... Ego... attendo... fidem in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Iste est character imperatoris mei. De isto charactere militibus suis vel potius comitibus suis, ut hunc imprimerent eis quos congregabant castris ejus, praecepit dicens : *Ite baptizate gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Istum characterem a Domino dictum omnibus credentibus imprimendum quia noverat Paulus, expavescit ad eos qui volebant esse Pauli... Agnoscite, advertite characterem vestrum ; *numquid in nomine Pauli baptizati estis.* » *Sermo ad Caesareensis Eccl. plebem,* n. 2. M. XLIII, 691.

nomine imperatoris h. e. Christi baptizent. Concedit quod si haberent potestatem baptizandi et imprimendi characterem in nomine desertoris h. e. haeretici, utique delendus esset character et alius baptismus esset conferendus ut Christi character imprimeretur. Patet non ideo concedi ab Augustino aliquem characterem reapse imprimendum esse per Donati baptismum, sed tantummodo affirmari fore ut, *facta hac hypothesi*, baptismus Christi iteraretur:

Obj. 3°. Ex Aug. eod. l. Character Christi dicitur esse fides in nomine Patris etc. Atqui haec fides non est signum internum indelebile.

Resp. *Dist. maj.* Character *impressus* est fides, *Neg.;* character *imprimens, Subdist.* est fides h. e. *baptismus fidei* in SS. Trinitatem, *Conc.; fides subjectiva, Neg. Cdt. min.* Fides *subjectiva* non est signum indelebile, *Conc.; baptismus* fidei, *Subdist.* non est *causaliter* signum indelebile, *Neg.; formaliter, Conc. — Dist. cons.* Character *imprimens* non est signum internum, *Conc.;* character *impressus, Neg.*

Inst. Atqui character formaliter sumptus, judicio Aug., non est nisi fides subjectiva. Etenim Aug. (l. c. n. 4) asserit characterem exterius cognosci et agnitum probari. Atqui hoc verificatur de professione fidei, non verificatur de signo animae impresso. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Juxta Augustinum character *imprimens* exterius cognoscitur, *Conc.;* character *impressus, Subdist.* cognoscitur *in se, Neg.; in causa* imprimente et in *effectu, Conc.* Ad 2^m^ partem minoris *distinguitur :* Signum animae impressum, si *causaliter* sumitur, non cognoscitur, *Neg.;* si *formaliter* sumitur, *Subdist.* non cognoscitur *in se, Conc.; in causa et in effectu. Neg.* Cum Augustinus *fidem in SS. Trinitatem* vocat characterem, nullatenus dicit characterem consistere in professione fidei; verum fidei nomine intelligit *baptismum,* asseritque baptismum Christi esse *causaliter* characterem seu esse causam characteris perenniter impressi, et exinde concludit baptismum haereticorum non esse iterandum. Illud enim est prorsus manifestum quia hoc ipso in loco docet s. doctor characterem posse imprimi a desertore, manere in milite desertore, in ove errante, ac proinde independentem esse a fide subjectiva sive ministri sive suscipientis sacramentum. — Cum asserit Augustinus characterem exterius cognosci et agnitum probari, manifeste intendit dicere eum cognosci in causa sua: « Agnosco titulos... Lego titulum pacis, Baptismum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti » (n. 4).

Obj. 4°. *Inutilis est character.* Inservire enim deberet vel ut Deus cognoscat eos qui ad cultum suum fuerunt deputati, vel ut angeli et

sancti id noverint, vel ut homines hoc cognoscant. Atqui cum homines animam non introspiciant, charactere non manuducuntur in hac cognitione ; Angeli et beati hoc noverunt in Verbo ; Deus non indiget videre characterem. Ergo.

Resp. a) Angeli et beati cognitione matutina cognoscunt in Verbo tum eos qui ad Dei cultum deputantur, tum characterem iis impressum ; cognitione vespertina cognoscunt eadem in seipsis. Daemones et damnati, charactere cognito, ducuntur in cognitionem novam. — b) Sola characteris utilitas non est in eo quod ducit in cognitionem signatorum : beatis enim cedit ad gloriam, damnatis ad majorem confusionem, « sicut militaris character, ait s. Th., remanet in militibus et in his qui vicerunt ad gloriam, in his qui victi sunt ad paenam » (1).

89. — **Obj. 5°.** *Adversus argumenta.* Sacramentum imprimere characterem probatur eo quod iterari non possunt ; ea iterari non posse probatur eo quod imprimunt characterem. Atqui id est facere circulum. Ergo.

Resp. Ratio intrinseca ob quam Baptismus, Confirmatio et Ordo iterari nequeunt, est quia imprimunt characterem. Id exprimitur canone Tridentini. Verum non iterabilitas assumi potest velut argumentum ad probandum, saltem cum probabilitate, exsistentiam characteris ; tunc exigitur ut aliunde constet tria sacramenta iterari non posse. — Qui ex charactere probaret sacramenta tria non posse iterari, et ea iterari non posse probaret ex charactere, faceret circulum vitiosum ; sed non circularet ille qui primum ex non iterabilitate, quae prior est in ordine logico, probaret exsistentiam characteris, et deinde assereret causam non iterabilitatis in ordine ontologico peti ex charactere.

Obj. 6°. Inefficax est argumentum ex non iterabilitate. Non iterabilitas baptismi sufficienter explicatur dicendo vi baptismi Deum inire pactum perpetuum cum baptizato, quod proinde non est renovandum post infidelitatem, sed ad quod recurrendum est fide. — Pactum a Deo initum esse perpetuum constat tum quia Deus non sequitur vulgarem regulam « frangenti fidem, fides frangitur eidem » ; tum quia Apostolus ad Romanos scribit : « Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit ? » (Rom. III, 3).

Resp. Ex non iterabilitate concluditur exsistentia characteris non

(1) D. Th. III, LXIII, 5, 3m.

quidem immediate, sed *mediate*. Ex eo nempe quod iterari nequeunt tria sacramenta, concluditur hominem perenniter iisdem deputari cultui Dei et consecrari Deo, adeoque pactum perpetuum iniri cum Deo. Ex hac perennitate colligitur impressio sigilli.

Obj. 7°. Argumentum nimis probat. Ex eo enim consequens esset cetera sacramenta etiam imprimere characterem, siquidem consecrant et ipsa Deo ac deputant ejus cultui. Atqui hoc est nimis probare. Ergo.

Resp. Alia est consecratio Deo per characterem, alia per gratiam. Gratia facit Deo gratum. Baptismi charactere confertur potestas moralis recipiendi cetera sacramenta ; charactere confirmationis, jus recipiendi auxilia ad resistendum hostibus; charactere ordinis, potestas moralis administrandi sacramenta et offerendi sacrificium.

§ 2. Character sacramentalis est qualitas re distincta ab anima et ejus facultatibus.

D. Th. III, lxiii, a. 2. — Suar. d. xi, s. 2. — Lug. d. vi, s. 2. Vasq. d. cxxxiv, c. ii.

90. — Circa essentiam characteris quaeritur quaenam sit ejus causa *formalis,* sive enucleatius: α) ad quodnam praedicamentum sit referendus; β) ad quamnam subdivisionem praedicamenti; γ) quisnam sit ejus effectus formalis. — Circa primam quaestionem, heic discutiendam, quatuor sunt sententiae:

Prima est Durandi [1] qui censet characterem esse solam *relationem rationis*, seu denominationem extrinsecam per quam fidelis ex institutione divina deputatur ad sacras actiones. In hac sententia homo deputatur ad cultum Dei, non ratione alicujus intrinseci a Deo infusi, sed ob solam Dei voluntatem; haec autem deputatio vocatur character. — Quae sententia, abhinc definitione Tridentina, videtur jam doceri non posse sine errore in fide. Definitus enim est character *signum spirituale animae impressum.* — Vasquez tamen l. c. conatur ostendere sententiam Durandi esse immunem ab omni censura. Rationem dat quia Ecclesia damnat quidem haereticos negantes characterem indelebilem trium sacramentorum, Durandus autem id non negat, siquidem character, quem tuetur Durandus, licet sit aliquid morale, potest tamen dici imprimi in anima.

---

[1] Durandus, in 4 d. 4, q. 1.

Secunda est Scoti [1] qui censet characterem esse quidem aliquid *reale,* non tamen *absolutum* quid, sed solam *relationem realem,* distinctam formaliter a fundamento et a subjecto relationis. — In hac sententia per sacramenta imprimentia characterem, homo realiter refertur ad aliud; illud referri est ipsemet character, formaliter distinctus ab anima; fundamentum relationis est sola anima; attamen relatio non resultat ex illa; nam non est intrinsecus adveniens, sed extrinsecus.

Tertia, quam Sotus [2] ut probabilem habet, censet characterem esse aliquid *absolutum,* non tamen esse rem ab anima et potentiis realiter *distinctam,* sed fortasse aliquem *modum formaliter distinctum,* et constitutum in genere qualitatis.

Quarta censet characterem esse *qualitatem supernaturalem* realiter ab anima distinctam et ei divinitus infusam. Eam tradunt Suarez, Lugo, Vasquez. — Itaque character a Deo est eductus e potentia animae, unde haec transit ad novum statum, acquirit novam perfectionem, quae vocatur character. — Huic sententiae adhaeremus; attamen non negamus istam qualitatem fundare relationem animae ad aliud; tantum contendimus characterem formaliter et primario non reponi in relatione, sed in qualitate.

THESIS XI[a]. Character sacramentalis, formaliter consideratus, est qualitas absoluta, supernaturalis, ab anima realiter distincta.

91. — Prima pars. CHARACTER EST QUALITAS ABSOLUTA SUPERNATURALIS.

Prob. Character sacramentalis formaliter consideratus vel stat in relatione, vel in absoluto; si stat in relatione subjecti ad terminum, dicetur haec relatio esse rationis aut esse realis. — Si character ponitur in absoluto, id absolutum pertinebit ad praedicamentum qualitatis aut ad unum ex ceteris praedicamentis. Atqui character non stat 1° in relatione rationis; neque 2° formaliter stat in relatione reali; neque 3° stat in uno ex reliquis praedicamentis. Ergo.

A. *Character non stat in relatione rationis.*

Prima ratio petitur *ex locutionibus Patrum.* Character comparatur notae quae imprimitur militi, ovi, monetae; dicitur perpetuo manere, haerere in anima. Atqui haec, non nisi violenta adhibita explicatione,

(1) SCOT. in 4 d. 6, q. x. — (2) SOTUS. in 4 d. 1, q. IV, a. 2.

dici possunt de relatione rationis. Quid enim tali relatione, fundata in sola ordinatione Dei, inhaeret, manet, imprimitur in anima ? Ergo.

Secunda ratio petitur *ex locutione Tridentini.* In sessione VII[a] canone 9° legitur : *Character est signum spirituale indelebile ;* in sessione XXIII, canone 4° : « Si quis dixerit per sacram ordinationem non *imprimi* characterem... A. S. ». Unde tripliciter arguitur : a) Per Baptismum, Confirmationem, et Ordinem imprimitur signum indelebile. Atqui signum quod imprimitur et deleri non potest, non est relatio rationis. Nam in signo distinguitur res et vis significandi, quae huic rei inest ; quare dicendum est imprimi rem cum vi significandi, hanc rem et ejus vim significandi deleri jam non posse : sed talia reponi nequeunt in relatione rationis. Ergo. — b) Concilium non definit haberi eum characterem quem haeretici non negabant. Atqui haeretici non negabant per Baptismum, Confirmationem, Ordinem induci relationem rationis fundatam in sola Dei ordinatione. Ergo. — c) Tridentinum non intelligit characterem eo modo quo nemo, neque doctus neque indoctus eum intelligebat. Atqui nemo per characterem intelligebat relationem rationis, uti ex praecedenti thesi liquido constat. Ergo.

Tertia ratio petitur *ex inconvenientibus.* Eo quod character formaliter sumptus reponeretur in sola relatione rationis, consequeretur a) in V. L. circumcisione et consecratione sacerdotali impressum esse characterem : ex ordinatione enim Dei circumcisus et consecratus deputabantur cultui Dei ; nihil autem obstat quin dicatur haec deputatio fuisse perpetua. Ergo dabatur relatio rationis ad Deum. — Consequeretur b) characterem imprimi calici benedicto ; calix enim consecratur Deo, estque subjectum relationis rationis.

B. *Character non est relatio realis formaliter sumpta.*

Prima ratio. Haec sententia aut supponit relationem formaliter sumptam esse re distinctam a fundamento, aut hoc non supponit ; sive aliter, supponit subjectum referri ad terminum vi entitatis fundamento superadditae, aut secus. Atqui quidquid dixeris, argumentabimur. Ergo. — *Si primum dixeris,* philosophi demonstrant totam essentiam relationis formalis stare in *esse ad,* non vero in *esse in*, sc. vi solius fundamenti subjectum referri ad aliud, non vero vi entitatis fundamento superadditae. Ergo relatio realis formaliter sumpta non est distincta realiter ab eo quod in subjecto fundat relationem. — *Si secundum dixeris,* nempe si non supponitur realis distinctio relationis a fundamento, vel dicitur Deus producere in anima aliquid novum quod incipit fundare hanc relationem : tunc autem character jam primario non est relatio, sed

est haec entitas ad quam consequitur relatio ; vel non asseritur Deus producere novum quid in anima : tunc autem relatio non est realis sed rationis. Etenim si subjectum, antea carens relatione ad aliud, nunc ea instructum dicitur, et si nulla realitas neque in subjecto neque in termino est producta qua fundetur haec relatio, quomodo dici potest realis ? Jamvero nulla entitas producta fuit in termino qui est Deus, neque in subjecto ex suppositione ; relatio antea deerat, nunc dicitur adesse. Ergo erit rationis et fundata in sola Dei ordinatione.

Secunda ratio. Ibi deest relatio realis, ubi deest fundamentum relationis. Atqui deest fundamentum relationis quae primario diceretur constitutiva characteris. — *Prob. min.* Si character sacramentalis reponitur in relatione reali, haec fundabitur vel in ipsa anima et ejus potentiis, vel in aliquo superveniente, quod erit sive fides sive gratia. Si enim aliquid additur, in sententiam theseos inciditur. Atqui nequit dici primum : Relatio enim fundata in anima et ejus facultatibus esset ei connaturalis, immo necessario inesset. Ubi termini et fundamentum relationis, ibi relatio. Neque dici potest alterum : Eo enim quod relatio fundaretur in fide aut in gratia, sequeretur characterem auferri, sublata fide aut gratia ; nam, ruente fundamento, corruit relatio.

C. *Character non pertinet ad praedicamentum diversum a qualitate.* Decem enumerantur genera suprema : substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, quando, ubi, situs, habitus. — Jamvero character non est a) *substantia:* est enim accidens, utpote signans animam ; b) *quantitas :* haec enim est corporea, character autem est spiritualis ; c) *relatio,* ex modo probatis ; d) *actio et passio :* haec enim cito transeunt, character autem deleri nequit ; e) denique patet characterem non pertinere ad quatuor ultimas categorias. Ergo est qualitas.

92. — Secunda pars. CHARACTER EST REALITER DISTINCTUS AB ANIMA ET EJUS POTENTIIS.

Prob. 1. Charactere acquirit anima esse novum, quod amitti non potest. Atqui tale esse est realiter distinctum, eo modo qui explicatus est. Ubi enim nova perfectio est collata enti, ibi distinctio realis. Ergo.

2. Character est terminus efficientiae divinae receptus in anima. Atqui talis terminus est res, estque distinctus ab anima. Etenim a) Deus producit aliquid, non vero producit animam, ergo quid distinctum ab anima. b) Attingit animam in ordine ad eam modificandam ; producit in ea novum modum essendi, qui deleri nequit et quo anima dicitur signata.

Satisfit difficultatibus.

93. — **Obj. 1°.** *Character est relatio.* Est enim signum. Atqui signum stat essentialiter in relatione. Ergo.

Resp. *Neg. ant.* Ad prob. *Dist. maj.* Character essentialiter est signum *formaliter duntaxat* sumptum, seu ejus essentia stat in sola significatione, *Neg.* Est signum *materialiter et formaliter* sumptum, seu stat in absoluto cui annexa est vis significandi, *Conc. Cdt. min.* Signum *formaliter* sumptum est relatio, *Conc.; materialiter* sumptum, *Subdist.* stat in relatione *quae praesupponit absolutum*, *Conc.;* secus, *Neg.* Dicunt Concilia characterem esse signum, quia est forma realis animae impressa, qua intrinsece deputatur ad cultum divinum, et qua significatur eum, cui imprimitur, esse aptum ad recipienda alia sacramenta, aut ad ea administranda, aut ad fidem defendendam; inde nullatenus excludunt a charactere rationem absoluti fundantis relationem: id autem absolutum praesupponitur relationi, est enim ejus ratio. Itaque in eo reponitur essentia characteris.

Obj. 2°. Ex eo quod Concilia et Patres dicunt characterem inesse animae, perperam concluditur illum non reponi in relatione, sed esse qualitatem. Pariter enim dicunt Concilia peccatum proprie inesse animae. Atqui peccatum non est qualitas. Ergo aliquid, quod non est qualitas, dicitur inesse alii, et proinde ex hac voce immerito petitur argumentum.

Resp. a) Significatio propria verborum debet colligi ex subjecta materia; quare cum materia est capax significationis propriae, verba, prolata simpliciter, debent accipi, quoad fieri potest, in sensu proprio. Jamvero anima est capax suscipiendi intrinsecus donum qui est character. Igitur cum simpliciter affirmatur imprimi characterem tamquam sigillum, sensus proprius est retinendus. — b) Peccatum habituale stat in privatione gratiae. Subjecto vere inest privatio, eo modo quo privatio inesse potest.

Inde *negatur antecedens.* Ad probationem *distinguitur major:* Dicitur peccatum inesse et *ex subjecta materia* constat peccatum non inesse tamquam *rem positivam,* sed ad instar *privationis, Conc.;* hoc non constat, *Neg.; Conc. min.* et ad consequens *negatur paritas.*

Obj. 3°. *Character non est distinctus realiter ab anima.* Etenim charactere ipsa anima fit signata. Atqui anima ipsa non fit signata per aliquam rem a se diversam. Ergo character non est res distincta ab anima.

Resp. *Neg. ant.* Ad prob. *Conc. maj. Dist. min.* Anima ipsa non signatur, per rem quae *maneret distincta* ab anima, ita nempe ut in anima, prout dicitur signata, remanere dicantur duae entitates inter se distinctae, *Conc.;* per rem eductam ex potentia animae, et quae cum anima constituit ens *compositum stricte unum, constans ex duobus, Neg.*

§ 3. De specie qualitatis ad quam character pertinet.

D. Th. III, q. LXIII, a. 2, 4, 5. — Suar. d. XI, s. 3. — Lugo, d. VI, s. 3. — Vasq. d. CXXXIV, c. III.

94. — Philosophi, duce Aristotele, distinguunt quatuor species qualitatum: a) habitum et dispositionem; b) potentiam et impotentiam; c) qualitates passibiles et passiones; d) figuram. — 1. *Habitus* est de difficili mobilis. Disponit subjectum bene aut male *permanenter,* sive in se sive ad operandum. *Dispositio* est de facili mobilis. — 2. *Potentia et impotentia* dicuntur relate ad actionem quae potest facile fieri vel vitari; qua in re non habetur ratio dispositionis ad aliquid conveniens naturae subjecti. Facultates essentiales non recensentur ab Aristotele inter potentias accidentales. — 3. Qualitates *passibiles et passiones* sunt qualitates quibus corpora instruuntur et quae per sensus attinguntur; si sunt stabiles vocantur *passibiles,* secus vocantur *passiones.* — 4. *Figura* est id quo substantia modificatur in ordine ad extensionem.

Circa quaestionem institutam quinque sunt sententiae.

Prima est Suar., Vasq., Bellarm. Tenet characterem pertinere ad *primam* speciem nempe ad *habitum.* — *Secunda* est thomistarum, quos sequuntur Henriquez et Valentia. Videtur esse s. Thomae, l. c. a. 2, si sola verba attenduntur. Tenet characterem pertinere ad *secundam* speciem, nempe ad *potentiam* activam aut passivam. Tuentur hi auctores causalitatem physicam sacramentorum et elevationem intrinsecam ritus sacramentalis. Vi habitus baptismi habetur potentia passiva recipiendi aliquid quod spectat ad cetera sacramenta, immo ad ipsum Deum. Vi habitus per ordinem impressi, ritus sacramentalis efficienter attingit aliquem effectum sacramentalem. Vi characteris confirmationis subjectum recipit potentiam activam fidei profitendae. — *Tertia* est Altissiodorensis, Ockam, Alensis, Bonaventurae et Lugonis. Tenet characterem esse *tertiae* speciei nempe *passionis* et *qualitatis passibilis.* — *Quarta* est Marsilii, Annibalis et Richardi. Tenet characterem esse *quartae* speciei, seu figuram. — Demum *quinta* tenet characterem pertinere *ad omnes species* qualitatis, sub diversis considerationibus.

Probabimus characterem esse proprie *habitum*. — Attamen ex his quae in scholiis dicentur, liquebit characterem dici posse, licet improprie, pertinere ad ceteras species. Character enim, etsi non confert potentiam physicam, eam tamen supponit et significat: Ex divina enim institutione significat subjectum esse aptum ad tale ministerium; deinde ex se exigit auxilium divinum, adeoque ordinatur ad hoc ut subjectum facilius et melius operetur ; denique est conditio requisita ad exercitium potestatis. Igitur est potentia *moralis* et improprie pertinet ad speciem potentiae. — Si qualitas passibilis non soleret dici de his tantum quae sensibus apprehenduntur, sed se extenderet ad spiritualia, character haud inconvenienter diceretur pertinere ad tertiam speciem. — Denique cum character sit figura spiritualis quae figurat et sigillat subjectum, dici posset esse quartae speciei, nisi figura proprie dicatur de solis rebus corporeis habentibus diversam partium dispositionem et ordinem inter se.

THESIS XII[a]. — Character sacramentalis pertinet ad eam qualitatis speciem, quae habitus vocatur.

95. — Prob. Character non est secundae, neque tertiae, neque quartae speciei; est tamen de genere qualitatis. Ergo remanet ut sit primae speciei qualitatis.

I. *Character non est potentia.* A. Non est potentia *passiva* seu *receptiva:*

1. Probatur de charactere *Baptismi.* — Illud non est potentia receptiva, quo subjectum non fit physice capax recipiendi actum. Atqui per characterem baptismi homo non fit capax physice recipiendi actum aliquem. — Actus enim, qui reciperetur beneficio characteris baptismi, foret a) vel actio sacramentalis; vel b) effectus sacramenti, nempe α) gratia et habitus virtutis ; β) character confirmationis aut ordinis. Atqui per characterem baptismi homo non fit physice capax recipiendi aliquid ex his. Ergo.

Probatur primum: a) Character imprimitur in anima, actio sacramentalis recipitur in corpore; est enim sensibilis. Atqui per id quod inest soli animae, homo non fit physice capax recipiendi aliquid in corpore. Ergo. — b) Interdum sacramenta non recipiuntur proprie per passionem physicam, sed recipi dicuntur, vel quia audiuntur, vel quia tanguntur.

Si ais: Character baptismi requiritur tamquam conditio ut cetera sacramenta sint valida adeoque sint actiones vere sacramentales.

Atqui quod est hujusmodi conditio, recte dicitur potentia receptiva sacramenti. Ergo. — *Respondetur distinguendo:* Requiritur tamquam conditio conferens potentiam *physicam* recipiendi sacramenta, *Neg.;* requiritur tamquam condito conferens potentiam *moralem,* eo scilicet quod, ex institutione divina, ritui sacramentali non annectitur vis significandi et causandi gratiam, cum deest character, *Conc.* — *Cdt. min.*

Probatur secundum: Animae essentia per seipsam est capax recipiendi gratiam, et ejus facultates ex se sunt capaces recipiendi virtutes et dona quae gratiam consequuntur. Etenim a) sub lege naturae et veteri gratia recipiebatur in anima. b) Catechumenus potest recipere gratiam et virtutes antequam baptizatur. c) Anima potest recipere characterem immediate, secus abimus in infinitum. Ergo est capax recipiendi immediate gratiam. Utrumque enim donum est supernaturale.

Probatur tertium: a) Gratis asseritur hominem per characterem baptismi fieri physice capacem recipiendi characterem confirmationis aut ordinis. Sola enim ratio foret quia ceteri characteres supponunt characterem baptismi. Atqui ex hoc non sequitur hominem eo fieri physice capacem ceterorum, seu non sequitur ceteros characteres recipi in charactere baptismi. Valor enim ceterorum sacramentorum, non imprimentium, etiam supponit characterem baptismi; haec tamen sacramenta et gratia iis collata, non recipiuntur in charactere baptismi. Ergo a pari non sequitur characterem confirmationis et ordinis recipi in charactere baptismi, quia supponunt istius valorem. — b) Anima est capax recipiendi per se ipsam characterem baptismi. Ergo per se est physice capax recipiendi ceteros characteres.

2. Probatur characterem *Ordinis* non esse potentiam passivam ex eo quod Ordo non datur ad recipiendum. Qui enim eo instruitur, recipit potentiam *agendi*, licet character non sit potentia activa physica, uti statim ostendetur.

3. Characterem *Confirmationis* non esse potentiam passivam, ex eo jam constat quia ad nullius sacramenti validam susceptionem est simpliciter necessarius; praerequiritur tantum secundum aliquam congruitatem.

B. *Character non est proprie potentia activa.* Character foret potentia activa vel ad actus supernaturales eliciendos, vel ad conficiendum ritum sacramentalem, vel ad conferendum effectum sacramentalem, nempe gratiam, habitus virtutum, characterem, jus ad auxilia specialia. Atqui a) character non est principium *actuum supernaturalium* qui eliciun-

tur ab iis qui receperunt baptismum, confirmationem aut ordinem. Etenim principium proximum integratur duabus causis partialibus, quarum altera est facultas, altera vero habitus virtutis facultatem informans, aut, deficiente habitu, auxilium speciale Dei vel qualitas fluenter infusa a Deo. Nemo autem est qui asserat actum elici a charactere. — Neque b) character est potentia ad conficiendum *ritum sacramentalem*. Si enim sermo sit de charactere *Ordinis*, ritus sacramentales physice inspecti eodem prorsus modo a laico et a sacerdote conficiuntur. Illud datur discrimen, quod apud solum sacerdotem haec verba infallibiliter significant gratiam eamque conferunt; verum significant infallibiliter gratiam non quidem quia character ordinis *physice* influit ac confert potentiam, sed quia *moraliter* influit, scilicet quia Christus non annexuit significationem sacramentalem nisi verbis eorum qui charactere sacerdotali forent insignes. — Neque c) character est potentia ad conferendum *effectum sacramentalem*. Sacramenta enim causant gratiam vel physice, ut aliis placet, vel moraliter, uti alii dicunt. Si ponuntur sacramenta *physice* attingere effectum sacramento collatum, id non fit ex influxu characteris, sed aut per elevationem extrinsecam sacramentorum h. e. concursum specialem Dei, aut per infusionem qualitatis. Ratio ob quam character non influit physice est quia non valet intrinsecus uniri ritui sensibili eumque elevare ad causalitatem physicam gratiae. — Si sacramenta ponuntur causare gratiam *moraliter*, hanc virtutem nanciscuntur, non quidem ex influxu physico characteris, sed ex influxu *morali*, quia sc. Christus statuit sacramentales ritus, confectos ab iis qui charactere sacerdotali instruuntur, esse moraliter actiones suas. — Simili prorsus modo ostenderetur characterem baptismi et confirmationis non conferre potentiam activam conficiendi sacramenta aut gignendi gratiam.

II. *Character non est proprie passio aut qualitas passibilis, neque figura.* Hae enim proprie dicuntur de his quae alterant potentiam sensitivam et quae partibus, inter se ordinatis, constant.

96. — **Scholion 1m.** Quaeres *in quonam subjecto* recipiatur character? — Subjectum characteris posuit Durandus esse *corpus*, ita saltem visum est Soto, de quo tamen immunis redditur a Suar. et Vasq. Dici tamen potest Durandi judicio corpus recipere characterem hoc sensu quod character est relatio cujus subjectum est totum compositum humanum. — Juxta Scot. et Ock., character recipitur immediate in *voluntate*. Ratio dicitur esse tum quia character disponit ad gratiam in voluntate receptam, tum quia est signum obligationis in voluntate haerentis ad

Deum, tum quia inclinat ad actus religionis. — Juxta s. Thomam (l. c. a. 4), quem sequuntur thomistae, character recipitur in *intellectu*. Rationem dicunt esse quia a) character est lumen, quod est intellectus; b) character est imago, figura, similitudo spiritualis, quae iterum ad intellectum pertinent; c) character ordinatur ad efficiendam fidei professionem, per susceptionem vel administrationem sacramentorum, vel confessionem fidei, sed fides est in intellectu, ergo et id quo fit professio fidei. — Juxta Suar., Vasq., Bellarm. et Lugo (1), character recipitur immediate *in essentia animae:* ratio praecipua est quod non est potentia, sed habitus ornativus. Alia etiam affertur ratio, quia nempe character dat jus ad auxilia intellectus et voluntatis; at exin concludi nequit eum potentiis inhaerere, nam gratia sanctificans dat pariter hujusmodi jus, afficit tamen animae essentiam.

Scholion 2m. *De indelebilitate characteris:* a) Certum est characterem esse delebilem, si sola Dei potentia absoluta inspicitur. b) Certum est fore ut, ex Dei institutione, non deleatur per hanc vitam. Hoc docent Florent. et Trident. c) Communis sententia theologorum est characterem esse permansurum post mortem et quidem in aeternum. Ratio a priori videtur esse intrinseca incorruptibilitas characteris. Ratio a posteriori est quia qui miraculose resurgit, non iterum baptizatur aut ordinatur, adeoque servavit characterem. Sine ratione enim assereretur reproduci characterem. Reproducitur quidem habitus fidei illius qui e coelo rediret ad novam vitam mortalem; sed ratio non est eadem: fides enim naturaliter resultat ex gratia illius qui Deum non videt, character vero ad gratiam non consequitur connaturaliter. Confirmatur quia ad majorem gloriam beati, ad confusionem damnati, pertinet servare insignia muneris, quod exercuit in familia Christi.

97. — Scholion 3m. Quaeres quid in sacramentis, acceptis secundum omnia quae ad ea pertinent tamquam essentia aut effectus, habendum sit velut *sacramentum tantum, sacramentum et res, res tantum sacramenti.*

Ad responsum praenota *sacramentum* dici id quod significat gratiam; *rem sacramenti,* id quod confertur seu significatur per sacramentum; *rem et sacramentum,* id quod significatur et aliud significat. — His positis.

1. *Sacramentum tantum* est *ritus sensibilis* sacramenti: hic enim significat et non significatur per aliud.

2. *Res sacramenti tantum* est *gratia sanctificans:* significatur per ritum sensibilem, ipsa non significat aliud.

(1) Bellarm, l. II, c. xix, concl. 4. Lug. d. vi, s. 4.

3. *Res et Sacramentum* est diversum quid in sacramentis imprimentibus et in ceteris : a) In sacramentis *characterem imprimentibus,* res et sacramentum est *character :* significatur enim per ritum, et est ipse significans. — b) In sacramentis *non characteristicis : α) In Eucharistia* conveniunt auctores *corpus Christi* esse rem et sacramentum : significatur enim per species, significat gratiam. *β)* In *matrimonio, vinculum indissolubile* est res et sacramentum. Significatur per ritum et significat unionem Christi et Ecclesiae. — *γ)* De *paenitentia* et *extrema unctione* disputant auctores. Juxta Tridentinum [1] effectus sacramenti paenitentiae sunt reconciliatio, pax conscientiae, serenitas cum vehementi consolatione quae in viris piis interdum consequuntur. Censet Lugo Concilio insinuari *pacem et serenitatem* esse rem et sacramentum, eas significari ritu sacramentali et significare reconciliationem cum Deo seu gratiam. — Ad extremam unctionem quod spectat, ex Tridentino [2] erui videtur *sanitatem corporis* esse rem et sacramentum ; significatur per ritum, significat gratiam et remissionem peccatorum.

Satisfit difficultatibus.

98. — Obj. 1°. Illud non est habitus, quo homo indifferenter utitur ad bonum vel malum. Nemo enim bono habitu utitur ad malum, neque malo ad bonum. Atqui character ad utrumque se habet. Ergo.

Resp. a) *Negatur suppositum.* Supponitur characterem dici habitum *operativum.* — b) *Dist. maj.* Illud non est habitus, quo homo *per accidens, ob malam voluntatem,* uti potest ad bonum aut ad malum *in genere moris, Neg.;* quod *per se,* seu ex natura sua, *indifferenter* perficit facultatem aut perfectione privat, *Conc.* — Multi sunt habitus intellectuales quibus homo bene aut male utitur in genere moris; habitus interim per se perficit facultatem, si est bonus, deturpat si est malus. — Sacerdos malus peccat celebrando; inde male utitur potestate quae requirit habitum; attamen nihilominus ejus actio tendit ad effectum optimum, sc. ad oblationem sacrificii aut administrationem sacramenti; hunc effectum concomitatur peccatum non procedens ab habitu. — c) *Retorquetur argumentum :* Illud non est potentia quo indifferenter homo utitur ad bonum vel malum. Atqui talis est character.

Obj. 2°. Character est id quo homines per se primo ordinantur ad

---

[1] Trident, sess. XIV, c. iv. — [2] Id. sess. XIV, *de ext. unct.* c. ii, can. 2.

ea quae sunt cultus divini. Atqui per se primo ordinantur per potentiam activam et passivam. — *Prob. min.* Cultus divinus consistit vel in recipiendo divina vel in tradendo ea. Atqui per potentiam passivam et activam homo ordinatur primo ad recipienda et tradenda divina. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Charactere homo ordinatur ad cultum, h. e. habet jus seu potentiam *moralem* ad recipienda auxilia et ad conficienda aut recipienda sacramenta, *Conc.;* ordinatur, h. e. instruitur potentia *physica* nova e qua procedunt vel in qua recipiuntur actiones cultus, *Neg. Cdt. min.* — Ad prob. *Conc. maj. Dist. min.* Per potentiam homo ordinatur h. e. *instruitur jure* etc., *Neg.,* secus, *Conc.*

Obj. 3°. Character baptismi disponit hominem ad alia sacramenta. Atqui dispositio est potentia passiva. Reducitur enim ad causam materialem. Ergo.

Resp. a) *Transm. maj. Neg. min.* Dispositio pertinet ad primam aut ad tertiam speciem qualitatis, non vero ad secundam — b) Character non est dispositio physica ex natura rei habens connexionem cum aliis sacramentis, sed ex libera Dei ordinatione.

§ 4. De effectu formali characteris.

D. Th. III, q. lxiii, a 3.

99. — Essentiae rerum imperfecte et abstractive, non vero perfecte et intuitive, cognoscuntur ; innotescunt enim ratiocinio ex effectibus et qualitatibus. Quare mirum non est quod essentia characteris perfecte non fuerit revelata, sed non valeat attingi nisi ratione effectuum suorum seu nonnullarum perfectionum quas confert, quaeque vocantur effectus formales characteris. Sunt vero sequentes :

1. Character in genere est signum, sigillum ; designat subjectum illudque segregat a ceteris, deputatque rebus cultus divini. In specie character baptismi designat *domesticos Dei ;* character confirmationis, *milites Dei ;* character ordinis *ministros Christi.*

Characterem esse ejusmodi signum, probatur a) nomine *characteris.* Idem sonat atque signum, insigne, forma, figura. Sic charactere principis notabantur milites ut cognoscerentur. Probatur b) auctoritate Concilii Tridentini characterem appellantis signum quoddam spirituale. Demum c) probatur Patribus qui naturam characteris explicant characterem vocando lumen, scilicet lumen objectivum, quo clare videtur hominem esse domesticum Dei etc.. Sic Dion., Ambr., Damasc.

2. Si quaeris *quomodo homo designetur ac deputetur Deo per characterem,* seu ratione cujus intrinseci sibi character designet ac deputet Deo, haec fit responsio: *In genere* character repraesentat a) *Christum et Deum* tamquam eum cujus homo est domesticus, miles, minister; b) *munus,* nempe servitutem, militiam, ministerium; c) *auxilia divina* quae debentur homini, ratione characterum, ad tales vel tales actiones exercendas; d) demum probabiliter *alia sacramenta* ad quae recipienda vel conferenda habetur jus a gerente characterem. — *In specie* character *baptismi* repraesentat hunc hominem esse domesticum Christi, habere jus ad auxilia et vires spirituales quibus possit servare legem Dei, eum esse capacem aliorum sacramentorum. — Character *ordinis* repraesentat hunc hominem esse ministrum Christi ad talia munera exercenda, ad conficienda sacramenta Paenitentiae, Eucharistiae, Unctionis. — Character *diaconatus* repraesentat hunc hominem esse aptum ad recipiendum sacerdotium.

3. Si quaeris ulterius *de ratione qua character repraesentat Christum ac Deum,* respondetur characterem esse *assimilationem aliquam sacerdotii Christi; esse etiam peculiarem assimilationem Dei et appropriative Verbi.* Argumentum est duplex: a) Per characterem instruitur homo jure ad sacra aut suscipienda aut perficienda. Charactere nempe baptismi instruitur homo jure ad valide suscipienda cetera sacramenta; charactere confirmationis instruitur jure tum ad auxilia quorum ope strenue fidem propugnet, tum ad licite alia quaedam sacramenta recipienda; charactere ordinis instruitur jure ad conficiendos ritus sacramentales et ad celebrandum sacrificium Missae. — Atqui id quo confertur praefatum jus est assimilatio sacerdotii Christi. Propter unionem hypostaticam insignitur Christus plenitudine sacerdotii, summa potestate in cultum divinum. Ab ipso derivatur omne jus, omnis potestas moralis in cultum divinum. Igitur character, quo communicatur illud jus, est quaedam assimilatio sacerdotii Christi. — b) Omnis perfectio, potissimum supernaturalis, est quaedam assimilatio perfectionis divinae. Cum Verbum sit figura et character substantiae Patris, merito character sacramentalis vocatur assimilatio cum Verbo.

4. Si quaeris *quaenam sint auxilia* quae debentur homini ratione characterum, haec fit responsio: Juxta Lugum [1], charactere cognito, Angeli speciali cura illuminant, protegunt, gubernant eos quos notatos

[1] Lug. d. VI. s. 3.

cernunt. Movetur Deus ad conferenda auxilia in ordine ad illas actiones ad quas homo peculiariter destinatur. Beneficio characteris tentationes externae et internae aut minuuntur aut impediuntur. Hoc sensu dicitur homo charactere *armari, instrui* et *illuminari.* — Character non est proprie causa physica horum effectuum; attamen, quia eos exigit, dici aliquatenus potest potentia ordinata ad illos effectus causandos.

5. Si quaeris utrum character sit signum *naturale* an *arbitrarium,* seu, ut alii dicunt, *ad placitum;* — respondetur juxta Suarezium, Gabrielem et Ockam characterem este signum *ad placitum;* juxta Lugonem vero signum *naturale,* seu ex intrinseca indole habere praefatam significationem. — Sententia Lugonis tripliciter suadetur : a) Videtur conformior traditioni : Patres enim videntur asserere naturam characteris esse quod sit signum, sigillum; jamvero, si nonnisi ex institutione divina significat, ex se habet aliam naturam. — b) Si character ex natura sua non significat, qualitas naturalis potuisset ex institutione divina habere significationem praefatam, et proinde character, in ratione characteris, non esset per se supernaturalis, quod iterum Patribus contrariari videtur. — Tandem si datur character, quod sit signum naturale, optime explicatur ejus effectus formalis, qui est designare domesticos, milites, ministros Christi.

Si ais : Character non est imago Christi. Esset enim vel imago objectiva, vel imago intentionalis sive formalis sive virtualis. Atqui a) non est imago objectiva, in sola enim ratione entis cum Christo convenit, siquidem secundum rationes ceteras assimilatur animae; b) character non est species neque cognitio; itaque non est imago intentionalis. — *Respondetur :* Character est imago objectiva, non quidem proprie dicta, quasi figuram Christi exhiberet, sed improprie dicta, quatenus deducere valet in cognitionem Christi ceu capitis membrorum, imperatoris et magni sacerdotis. Sicut gemitus et lacrymae repraesentant naturaliter dolorem, risus laetitiam, suntque horum imago objectiva improprie, licet similitudinem entitativam non habeant; sicut bruta habent signa naturalia affectus internos significantia, sine similitudine entitativa ; — ita etiam non repugnat dari characterem qui cognitus ducat in cognitionem earum rerum quas auctor characteris voluit per impressionem characteris significari in homine.

CAPUT IV.

De sacramentorum N. L. efficacia ex opere operato.

D. Th. III, q. LXII, a. 3. — Suar. d. VII. — Lugo, d. IV, sect. 1 et 2. Vasq. in III p. d. CXXXI. — Bellarm. l. II c. 1 XI.

§ 1. Status quaestionis.

100. — Probatum est suscipienti sacramenta, remoto obice, conferri a Deo gratiam et habitus supernaturales; deinde ostensum est tria sacramenta imprimere characterem. Quaeritur jam quisnam intercedat nexus infusionem gratiae et characteris inter et susceptionem sacramentorum. Quae quaestio involvit duo:

Quaeritur 1° utrum gratia infundatur vi positionis signi sacramentalis objective inspecti, seu, uti dici solet, *ex opere operato;* an vi alicujus motus interni subjective inspecti, quem excitaverit signum sacramentale seu *ex opere operantis.* — Dato gratiam conferri vi positionis signi sacramentalis, quaeritur 2° utrum sacramentum sit mera *conditio sine qua non* infusionis gratiae, habituum, et characteris; an aliquem *influxum causativum* exerceat in effectum sacramentalem. — Dato sacramenta esse causas horum effectuum, quaeritur 3° an sacramenta *moraliter* causent gratiam et an insuper *physice* attingant gratiam, habitus et characterem. — In praesenti capite sola prior quaestio agitatur.

Locutio *ex opere operato* videtur invecta fuisse in schola a Petro Pictaviensi (1), seculo XII exeunte. Occurit mox apud Innocentium III (2) qui Parisiis Petro Pictaviensi magistro studiis operam dederat; occurrit etiam apud Altissiodorensem, Alensem, Bonaventuram, Thomam (3). Attamen nonnisi post seculum XIII in communem theologorum usum transiit. Patribus Tridentinis visa est aptissima ad excludendum errorem Protestantium circa efficaciam sacramentorum. — Patet in hac formula terminum « operato » habere sensum passivum, adeoque sumi

1) Pet. Pictav. *Sentent.* I, XVI.
2) Inn. III, *De myst. Missae*, l. III, c. V.
3) Altissiod. *Summa*, l. IV, fol. 243, col. 1. — Alex. Alens. IV, q. III, m. 4, a. 1. — Bonav. in 4 d. 1, p. I, a. 1, q. V. — Thom. in 4 d. 1, q. 1, a. 5, sol. 1.

pro « *effecto* » (1). Pari ratione adhibentur passive *promereri* in Hebr. XIII, 16 ; *exhortari* et *consolari* in II Cor. I, 4, 6 ; *interpretari* ap. Matth. I, 23 et in II Mach. I, 36.

101. — SENTENTIAE. I^a. Juxta doctrinam *catholicam,* sacramenta conferunt *ex opere operato* gratiam, aliosque effectus supra citatos, ei qui ipsa suscepit, obice non posito. — Hujus asserti hic est sensus : Cum subjectum sacramenti est rite dispositum et cum ritus sacramentalis est validus, adeoque conficitur secundum institutionem Christi, gratia aliaque dona conferuntur vi ipsius positionis signi externi sacramentalis objective sumpti, non vero vi actuum internorum sive ministri sive subjecti, qui aut mererentur gratiam sacramentalem, aut excitarent in subjecto sive fidem sive caritatem, quae forent causa meritoria ejusdem gratiae. — Quare sacramentum definitur : signum sensibile a Deo institutum conferens gratiam ex opere operato. — Haec doctrina est *de fide definita* ex Tridentino : « Si quis dixerit per ipsa novae legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, A. S. » (2).

Porro secundum doctrinam catholicam, ut conferatur gratia, requiruntur quidem actus nonnulli interni; verum hi actus *non merentur gratiam sacramentalem*, seu haec gratia ob hos actus non confertur; sed sunt potius vel causa sacramenti, vel conditio gratiae, vel dispositiones negativae quae removent id quod collationem gratiae primae aut secundae impediret, vel dispositiones positivae et remotae ad gratiam sacramentalem. — a) *Requiruntur*, inquam, actus interni. Ut enim sacramentum det gratiam, debet esse validum; jamvero ut sit validum,

(1) Perperam putat retinendam esse significationem activam auctor articuli *opus operatum* in prima editione *Lexici ecclesiastici Friburgensis* VII, 803. Formula enim *ex opere operato* non conducit ad scopum quem Tridentinum sibi praestituit, nisi *operatum* intelligatur sensu passivo. Neque reprehendi posse Patres de assumpta significatione passiva, exinde constare arbitramur quod passive haec vox adhibetur a Lactantio: « Susceptis operatisque virtutibus » (*Inst. div.* VII, XXVII, M. VI, 819); a Tertulliano: « Tot virtutes et charismata perperam operata » *Praescript.* XXIX, M. II, 41); a s. Augustino: « A femina nobili Lucilla operata corruptio » (*De unit. Eccl.* XXV, 73, M. XLIII, 443.)

Perperam MÖHLER (*Symbolik*, § 28 , VOSEN (*Der Katholicismus und die Einsprüche seiner* Gegner I, 281), HILGERS *Symbolische Theologie*, p. 157) opus operatum intelligunt opus *quod operatus est Christus*. Profecto sacramenta hauriunt vim conferendi gratiam ex meritis Christi, haud secus atque omnis actus cum gratia editus; verum si sacramenta ex opere operantis gignerent gratiam, adhuc hanc vim haberent ex opere quod operatus est Christus, proindeque Tridentinum tribuendo verbis *ex opere operato* sensum praefatum, nihil definivisset adversus protestantes.

(2) TRID. Sess. VII, can. 8. Cf. ib. can. 5, 6, 7.

requiritur in ministro intentio faciendi id quod facit Ecclesia, in subjecto autem intentio sacramentum suscipiendi; haec intentio est conditio sine qua ritus sensibilis ex institutione Christi non est signum gratiae. — Praeterea ut sacramentum, quod est validum, sit fructuosum, requiruntur in adultis certae dispositiones eaeque aliae pro aliis sacramentis et elicitae cum auxilio gratiae actualis. — b) Hi actus supernaturales: α) *disponunt negative:* aliae quidem dispositiones removent obicem simpliciter, quo nempe impeditur collatio omnis gratiae, aliae vero obicem secundum quid, quo nempe impeditur infusio abundantioris gratiae. β) Eaedem dispositiones non merentur quidem eam gratiam quae per sacramenta confertur, sed merentur aliam gratiam, sive actualem sive sanctificantem, ante susceptionem sacramenti et sic reddunt subjectum aut primo capax aut magis capax recipiendi gratiam sacramentalem; haec enim eo abundantior est quo perfectiores sunt dispositiones. Quare *disponunt positive,* non quidem proxime, sed remote.

Ex his colligitur quam falso Protestantes exponant doctrinam catholicam de efficacia sacramentorum: a) Si fides esset adhibenda Calvino et Kemnitio (1), formula catholica « sacramenta conferunt gratiam ex opere operato », sic foret explicanda: « sacramenta conferunt gratiam quia minister aut subjectum reddit actionem sacramentalem, materialiter consideratam, bonam, meritoriam, efficacem gratiae ». Quo nil falsius dici potest: ritus enim sacramentalis redditur efficax gratiae per Deum, per Christum; est enim efficax gratiae quia Christus, ceu minister principalis, utitur sacramento, tamquam instrumento physice aut moraliter influente, ad infundendam gratiam. Verum ut ritus sacramentalis sit actio Christi, requiritur intentio ministri, intentio subjecti; ut haec actio Christi effectum gignat, requiruntur certae dispositiones. — Juxta Lutherum, Calvinum in aliis locis, Kemnitium, Philippum et Heshusium (2), sensus formulae catholicae hic est: sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, h. e. nullo bono motu cordis, nulla fide, nulla paenitentia requisitis, adeo ut, ita ipsi, vis operis operati sit excogitata ad excludendam fidem et paenitentiam internam in negotio justificationis. — Cujus explicationis falsitas ex supra traditis est manifesta. — Consequenter ad haec commenta sua de formula catholica,

(1) Calv. *Inst.* l. IV, c. xiv, § 26. *Antid.* sess. vii, can. 8. — Kemnit. *Exam.* part. II, p. 95.
(2) Luth. *Captiv. Babyl.* cap. de bapt. — Calv. *Antid.* sess. vii, can. 5 et 6. — Kemnit. *Exam.* part. ii. — Philipp. *Conf. August.* art. xiii et *Apol.* — Heshus. *De sexcentis err. Pontif.* tit. xv.

dicunt eam esse monstra verborum (1), Concilium Tridentinum non servasse in ea proponenda formam sanorum verborum quam teneri jubet Paulus II Tim. I. Colligitur etiam quam immerito doctrina aut usus sacramenti catholici dicatur magica superstitio (2).

102. — II[a]. Juxta *Protestantes* sacramenta conferunt gratiam *ex opere operantis,* nempe ratione *solius fidei,* quae sacramento excitatur. Explicatur sententia Protestantium :

A. *Munus fidei in justificatione.* Propositio fundamentalis novatorum haec est : *Fides sola justificat:*

a) *Fides.* Nomine fidei justificantis *subjective* inspectae intelligunt protestantes, non quidem actum intellectus revelatis adhaerentem ob Dei revelantis auctoritatem, sed potius *fiduciam* voluntatis; quare vocari potest *fides fiducialis.* — Si vero fides *objective* inspicitur, pro objecto habet *promissiones* Christi de remissione peccatorum et de salute concedendis iis qui fidem firmam in has promissiones haberent. At objectum fidei justificantis non continetur promissionibus generalibus, sed promissionibus *specialibus ;* hoc autem nomine intelliguntur promissiones a Deo factae singulis de remissione suorum peccatorum et de propria salute, dum in has speciales promissiones fidem firmam habeant. Itaque est *fides fiducialis in promissiones Dei speciales.* — b) *Sola.* Justificatio enim non confertur, judicio Protestantium, neque ob merita operum bonorum quae ceteroquin ab ipsis ducuntur esse impossibilia, neque per sacramenta ex opere operato. — c) *Justificat,* non quidem intrinsecus, sed *extrinsecus.* Non intrinsecus, inquam, anima enim humana eorum judicio est substantialiter vitiata per P. O. ; quare impossibile est ut fiat intrinsecus bona, cum non mutetur substantialiter. Verum *extrinsecus :* Deus enim, aiunt, promisit se tecturum esse, non vero deleturum, peccata eorum qui firmiter confiderent sua peccata esse remissa seu tecta.

B. *Munus sacramentorum in justificatione.* Ut excitaretur fides, Deus promissiones suas speciales obsignavit per sacramenta, sive aliter per sacramenta, tamquam per sigilla, Deus certificat has promissiones vere a se esse factas singulis hominibus. Quare sacramenta non sanctificant vi sua seu ex opere operato, sed ratione fidei quam in subjecto excitant, seu ex *opere operantis.*

Hanc doctrinam tradunt, inter alios, Lutherus, Phil. Melanchton,

(1) Calv. in *Antid. Conc. Trid.* sess. VII, can. 8. — (2) Sic post Lutherum Harnack, *Dogmengeschichte,* III, 463, 482 sq.

Calvinus cum sacramentariis, Kemnitius (1). — Visi quidem sunt postea Protestantes agnovisse sacramenta ipsa conferre gratiam, ea esse causas instrumentales gratiae: sic Lutherus (2), cujus loquendi modum imitatur Kemnitius, et Calvinus ; verum realiter non recedunt a prima sua sententia. Nam non alio sensu dicunt sacramenta conferre instrumentaliter gratiam, nisi quatenus excitant et nutriunt fidem. Calvinus enim dicit tunc demum sacramenta habere suum effectum, *si fidei serviant,* affirmat sacramenta in nobis efficere gratiam eodem modo quo *verbum Dei praedicatum* eam efficit (3). Neque aliter efficaciam sacramentorum explicat Kemnitius.

Definitio sacramenti in sententia Protestantium. — Juxta praefatam doctrinam sic definiuntur sacramenta a Protestantibus: a) A Luthero: « Caerimonia vel opus in quo Deus nobis exhibet id quod offert, annexa caerimoniae gratia ; » et adhuc: « Ritus qui habent mandatum Dei, h. e. qui a Deo sunt praescripti, et quibus addita est promissio gratiae » (4); demum: « Promissio signo externo annexa (5). — b) A Calvino: « Externum symbolum quo benevolentiae erga nos suae promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostrae imbecillitatem et nos vicissim pietatem erga eum nostram, tam coram eo et angelis, quam apud homines testamur » (6). — c) A Zwinglio: « Sacramenta sunt veluti tesserae dumtaxat, et professio qua homo se esse candidatum ecclesiae aut militem Christi publice declaret, quaeque reddant ecclesiam potius certiorem de tua fide quam te » (7) Inde consequitur judicio Zwinglii sacramentum esse nudum signum aliquod discernendi chris-

(1) Luth. *De Captiv. Babyl.* cap. de Bapt. anno 1520); in libro *Contra Cochlaeum* anno 1523). — Philipp. in *locis theol.* editis anno 1522, cap. de signis; in *Apol.* anno 1530 edita, ad art. 13; in l. *Contra Anabaptistas.* — Calv. *Instit.* l. IV, c. XIV, § 17. — Kemnitius. *Exam. Conc Trident.* pars II, p. 16. — Cfr. Möhler. *Symbolik*, § 29 sq. Winer, p. 119 sq.

(2) Luth. Hom. I, *De Bapt.* habita anno 1535, circa principium II^ae partis, ita habet: « Ad hoc institutus est Baptismus, ut nobis serviat, nobis prosit, nobis donet, non aliquid carnale, vel corporale, sed aeternam gratiam, aeternam munditiam et sanctitatem, aeternam vitam. » Et in hom. II *De Bapt.* quam habuit anno 1540 : « Non potest non id operari Baptismus, ad quod institutus est, videlicet regenerationem et renovationem Spiritus Sancti. » Et infra : « Tantam virtutem et energiam habet Baptismus, ut homo qui in peccatis conceptus et natus est, regeneretur coram Deo, et qui ante ad mortem erat damnatus, jam sit filius Dei. Quis hanc gloriam et virtutem sacrosancti Baptismi sensibus, cogitatione, intellectu humano assequi et percipere potest? » Et infra: « Voluit Johannes his verbis significare Baptismum tam efficacem, ac tantae virtutis esse, ut peccata abluere, mortem submergere et suffocare, et omnia vitia et sordes sanare et mundare posset. » Cfr. Bellarm. l. II, c. II.

(3) Calv. *Antidot.* sess. VII. can. 5 et 8. — (4) Luth. *Apol. Conf. August.* art. XIII. — (5) Id. *De captiv. Babyl.* cap. ult. — (6) Calv. *Instit.* l IV, c. XIV, § 1. — (7) Zwingl. *De vera et falsa relig.* Opp. III, 23; cf. IV, 56. (Edit. Turici 1832).

tianum a non christiano, illudque non esse excitativum fidei in ordine ad justitiam accipiendam.

§ 2. Sacramenta N. L. gratiam aliaque dona conferre ex opere operato ostenditur.

THESIS XIII[a]. — Sacramenta Novae Legis gratiam conferunt ex opere operato.

103. — Probatio I[a]. Ex Scriptura. Quo modo Baptismus confert gratiam, eodem modo eam conferunt cetera sacramenta : patet tum ex demonstratis de numero septenario sacramentorum, tum quia in Scripturis gratia immediate connectitur cum reliquis sacramentis, haud secus atque cum baptismo. Legitur in Act. VIII, 17 : « Tunc imponebant (Petrus et Johannes) manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum » ; apud Joh. VI, 59 de Eucharistia : « Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum » ; in I Tim. IV, 14 de Ordine : « Noli negligere gratiam... quae data est tibi... cum impositione manuum presbyterii » et in II Tim. I, 6 : « Resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum » ; demum apud Joh. XX, 22 sq. de Paenitentia : « Accipite Spiritum Sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. » — Porro Baptismo gratiam conferri ex opere operato, ostenditur variis argumentis scripturisticis :

Arg. I[m]. Petitur ex Joh. III, 3-5. In thesi VIII probatum est haec verba a Christo ad Nicodemum prolata sequentem facere sensum : « Nisi quis justus fiat susceptione baptismi, seu nisi gratiam accipiat *in baptismo*, non potest fieri salvus. » Heic superaddimus ex verbis Christi colligi baptismum conferre gratiam *ex opere operato*. Quod probatur dupliciter :

1. Illud confert gratiam ex opere operato, quod dicitur esse instrumentum quo Spiritus Sanctus eam in cordibus producit. Atqui hoc dicitur de baptismo aquae. — *Prob. min.* Homo dicitur renasci ex aqua et Spiritu Sancto; jamvero particula *ex* significat aquam et Spiritum Sanctum esse causas gratiae ; ex natura utriusque perspicuum est Spiritum Sanctum esse causam principalem, aquam non posse esse hujusmodi causam. Ergo dicendum est baptismum esse instrumentum.

2. Illud confert gratiam ex opere operato, quod dicitur eam conferre per se, immediate. Atque baptismus dicitur gratiam conferre per se et immediate. — *Prob. min.* a) Spiritus Sanctus confert immediate et per

se ; Spiritus Sanctus et aqua junguntur particula copulativa *et*. Ergo si unum confert immediate gratiam, alterum eam immediate confert. b) Nulla fit mentio actus fidei qui requireretur, adhibito jam baptismo. Ergo fides non est, quae, excitata per baptismum, confert gratiam.

Arg. II^m^. *Ex comparatione baptismi Johannis et baptismi Christi*. — Alia loca opponunt baptismum Johannis et baptismum Christi; alia agunt de baptismo Christi seorsim ; denique alia de solo baptismo Johannis. — 1. *De utroque baptismo* loquuntur : a) Matth. III, 11 : « Ego quidem baptizo vos in aqua in paenitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare; ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni ». — b) Marc. I, 8 : « Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto ». — c) Act. I, 5 : « Quia Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies » (sunt verba Christi ad Apostolos dicta). — 2. *De solo baptismo Christi* loquuntur : a) Marc. XVI, 15, 16 : « Euntes... prædicate... qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ». — b) Act. X, 47, 48 : « Tunc respondit Petrus : Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos ? Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi ». Act. II, 38 : « Petrus vero ad illos : Paenitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum et accipietis donum Spiritus Sancti ». — 3. *De solo baptismo Johannis* agunt : Act. XIX, 3-5 : « Ille vero ait : In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt : In Johannis baptismate. Dixit autem Paulus : Johannes baptizavit baptismo paenitentiae populum, dicens : In eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est in Jesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Jesu ». — Ex his tripliciter arguimus :

1. Baptismus Christi est baptismus aquae, uti constat ex Act. VIII, 36-39 et X, 47 ; hic autem baptismus dicitur multo efficacior fuisse ad conferendam gratiam quam baptismus Johannis. Atqui non est efficacior, nisi ex opere operato contulerit gratiam. — *Prob. min.* Baptismus Johannis non conferebat ex se gratiam, sed tantum excitabat ad paenitentiam, qua mediante, conferebat gratiam. Ergo si baptismus Christi nonnisi fidem excitat et per fidem confert gratiam, non est efficacior baptismo Johannis.

2. Baptismus Johannis dicitur excitare ad paenitentiam et, ea mediante, remittere peccatum. Baptismus autem Christi praesupponit paenitentiam et immediate dicitur remittere peccata. Ergo.

3. Baptismus Johannis iterabatur; baptismus Christi non iteratur. Ergo hic non erat, ut ille, excitativus tantum fidei et paenitentiae.

Similia argumenta fierent ex aliis testimoniis Scripturae enarratis th. VIII[a]. Eodem etiam modo argueretur circa alia sacramenta. Ubivis enim gratia connectitur immediate cum ritu sacramentali suscepto juxta Christi institutionem.

104. — Probatio II[a]. Ex Traditione. A. *Ex Conciliis.* Nicaenum, in capite διατύπωσις, « In baptismo, ait, abscondita est virtus Dei.... Descendit quis peccatis obnoxius, ascendit liber a peccato et filius Dei. » — 2. Constantinopolitanum I[m] in symbolo : « Credimus, ait, unum baptisma in remissionem peccatorum » (Denz. n. 47). — 3. Milevitanum, canone 2, « Parvuli, ait, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. » Denz. n. 65. — 4. Arausicanum II, canone 25°, profitetur se credere « quod, *accepta per baptismum gratia,* omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem pertinent, possint et debeant... adimplere. » Denz. n. 169. — 5. Florentinum inter sacramenta vetera et nova illud ponit discrimen quod illa non causabant gratiam, haec vero et gratiam continent et digne suscipientibus conferunt. Denz. 590. Praeterea adduci possunt Concilium Valentinum, a. 855 celebratum, professio fidei Waldensibus praescripta, Bulla Leonis P. X *Exsurge Domine* (1). — Unde sic: In baptismo abscondita est virtus Dei, eoque suscepto, dicitur homo fieri liber a peccato et accipere gratiam. Numquam autem fit mentio alicujus actus qui excitandus sit per baptismum et quo gratia dicitur conferri ; sed gratia immediate connectitur cum eo. Ergo baptismus, et proinde reliqua sacramenta, conferunt gratiam ex opere operato.

B. *Ex Patribus.* 1. *Ex Patribus Graecis.* a) Quod signum sensibile dat gratiam per se et immediate, eam confert ex opere operato. Atqui juxta Patres Graecos baptismus, adeoque reliqua sacramenta, conferunt immediate et per se gratiam, remissionem peccatorum etc. Sic loquuntur Justinus, qui asserit fideles in aqua consequi remissionem peccatorum ante commissorum, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyrillus Hier. (2).

(1) Cfr. DENZ. *Enchiridion,* nn. 287, 370, 625. — (2) JUST. *Apol. ad Antonin.* n. 61. M. VI, 419. CLEM. ALEX. « Multis modis vocatur hoc opus gratia, illuminatio, perfectum et lavacrum; lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus ; gratia autem, qua remittuntur paenae, quae peccatis debentur ; illuminatio autem, per quam sanctam illam et salutarem lucem intuemur, hoc est per quam Deum perspicimus; perfectum autem dicimus, cui nihil

b) Illud confert gratiam ex opere operato, quod dicitur causa gratiae, instrumentum quo Spiritus Sanctus gratiam in cordibus gignit. Atqui haec de sacramentis affirmantur a Patribus. Sic enim loquitur Basilius qui huic objectioni haereticorum : « Si ideo Spiritus Sanctus aequalis est Patri Filioque, quod Sp. S. ipso baptizamur, etiam aqua erit aequalis Patri et Filio, quia in aqua etiam baptizamur, » respondet : *si quae est in aqua gratia, non ex aquae natura est, sed ex praesentia Spiritus Sancti.* — Profecto si Basilius sententiam Protestantium prae mente gessisset, respondisset aquae nullam virtutem esse ad producendam gratiam, sed soli Spiritui eam esse adscribendam; contra affirmat Spiritum Sanctum communicare aquae hanc virtutem : « Si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquae natura, sed ex Spiritus praesentia » (1). — Sic etiam loquuntur Cyrillus Hier., Cyr. Alex., Nyssenus (2). — Demum Chrysostomus passim eamdem veritatem perspicue docet. Ejus judicio primitus data est aquae virtus gignendi reptilia animarum

---

deest. Quid enim ei desit, qui Deum novit. » *Paedog.* I, VI. M. P. G. t. VIII, 282.

ORIGENES. « Parvuli baptizantur in remissionem peccatorum. Et quia per baptismi sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur et parvuli. Nisi enim quis renatus fuerit etc. » Hom. XIV *in cap.* II *Lucae.* M. XIII, 1835.

CYR. HIER. « Mortuus in peccatis descendisti, et ascendis vivificatus in justitia. » *Cat.* III, 12. Vid. totam catechesim. M. XXXIII, 443. — In *Procatechesi*, n. 16 : « Magna res est sane, quod verbis proponitur baptisma : captivis pretium, peccatorum remissio, mors peccati, animae regeneratio, luminosum indumentum, signaculum sanctum indissolubile, vehiculum ad coelum, paradisi deliciae, regni obtinendi causa, adoptionis donum. » M. 359.

(1) BASIL. *De Spiritu Sancto*, n. 32. M. XXXII, 131.

(2) CYR. HIER. « Vide ne illud unguentum (chrisma confirmationis) vulgare esse suspiceris. Nam sicut panis Eucharistiae post invocationem Sancti Spiritus non amplius est panis communis, sed corpus Christi; sic et hoc sacrum unguentum, post invocationem, non amplius simplex, aut si dicere mavis, commune est, sed est Christi et Spiritus Sancti donarium, quod praesentia divinitatis ejus sit efficax... Et visibili unguento corpus quidem ungitur, sancto autem et vivifico Spiritu anima sanctificatur ». *Cat. Mystag.* III, n. 3. M. XXXIII, 1090.

CYR. ALEX. « Quemadmodum infusa lebetibus aqua, si admovetur igni vehementi, vim ejus concipit, ita Spiritus efficacitate sensibilis aqua in divinam quamdam et ineffabilem vim transformatur omnesque demum, in quibus fuerit, sanctificat. » *In Joh.* l. II, c. 1, in Joh. III, 5. M. LXXIII, 243 sq.

NYSS. « Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis et regenerationis causa. » Et infra explicans quomodo id fiat, multa exempla adducit earum rerum, per quas Deus miracula fecit, ut virgam Aaron etc.; tunc subdit : « Atque haec omnia, cum materiae sint inanimatae, atque sensus expertes, posteaquam vim Dei accepissent, magnis miraculis media intercesserunt. At simili consequentia rationum, etiam aqua cum nihil aliud sit nisi aqua, superna gratia benedicente ei, in eam quae mente percipitur hominem renovat regenerationem. Quod si quis mihi rursus dubitando et ambigendo negotium exhibeat, interrogans et sciscitans qua ratione aqua... regeneret; dicam optimo jure ad eum : ostende mihi modum nativitatis, quae fit secundum carnem; et ego tibi vim regenerationis, quae secundum animam fit, exponam. Dices fortasse, quasi quamdam rationem reddens : Semen causa hominis effectrix est. Audi igitur contra a nobis, quod aqua, quae benedicitur, purgat et illuminat hominem. » *Or. in Christi bapt.* M. XLVI, 579, 583.

viventium; pariter data est aquae virtus producendi animas rationales Spiritum Sanctum ferentes. Uterus maternus foecundatur ad producendum foetum; pariter foecundatur aqua ad regenerandum spiritualiter (1).

2. *Ex Latinis.* a) Asserunt sacramentis conferri gratiam, nulla facta mentione de fide excitanda, Cyprianus, Lactantius, Optatus, Gregorius, Augustinus, qui docet martyrium et fidem posse supplere, si mysterium celebrari non potest, et ex circumcisione probat baptismum multis prodesse infantulis, licet careant fide (2).

b) Sacramenta dicunt esse causas gratiarum, remissionis peccatorum etc. Dicunt enim ea abluere animam etc. Sic Tertull. qui in libro *de baptismo* loquitur eodem ferme modo ac Chrysostomus (3), Cypr. l. c., Sylvester P. ad Constantinum Magnum, referente Nicephoro (4), Ambrosius, Hieronymus, Leo P., Bernardus (5). Inter cetera testimonia insignis est locus Tertulliani in libro *de resurrectione* qui

---

(1) Chrys. *Hom.* xxxix, n. 6 *in Gen.* M. LIII, 368. *In Joh. hom.* xxiv, xxv, xxvi (al. xxvi, xxvii). M. LIX, 147 sq. « Quod est uterus embryoni, hoc est fideli aqua, siquidem in aqua fingitur et formatur. Nam primum dictum est : *Producant aquae reptile animae viventis;* ex quo autem Jordanis alveum ingressus est Christus, nom amplius reptile animarum viventium, sed animas rationales et spirituales aqua producit... Sed quod in utero formatur, tempore opus habet, in aqua vero non sic, sed uno temporis momento omnia fiunt ». *In Joh. hom.* xxv (al. xxvi), n. 1. M. LIX, 153.

(2) Lact. *Divin. institut,* VII, v. M. VI, 753. Optat. *Contra Parmen.* l. V, 1. M. XI, 1046. — Greg. M. l. XI *epist.*, *Ep.* xlv *ad Theoctistam Patriciam*, M. LXXVII, 1162.

Cypr. « Difficile ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset, utque in novam vitam lavacro aquae salutaris animatus, quod prius fuerat exponeret, et, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret: qui possibilis, aiebam, est tanta conversio? » Et infra : « Sed postquam, undae genitalis auxilio superioris aevi labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit; postquam coelitus spiritu hausto, in novum me hominem nativitas secunda reparavit mirum in modum » etc. *Epist. I ad Donat.* M. P. L. t. IV, col. 199. Cf. *Epist. ad Fidum.* M. III, 1015.

Aug. « Invenio non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi, in angustiis succurri non potest ». — « Cur ergo ei praeceptum est ut omnem deinceps infantem masculum octavo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere, ut ei deputaretur ad justitiam, nisi quia et ipsum per se ipsum sacramentum multum valebat. *De bapt.* l. IV, xxii, xxiv. M. P. L. t. XLIII, col. 173, 175. Alia testimonia Augustini tradentur inter argumenta thesis XVI, et inter solutiones difficultatum quae moventur adv. th. XXI.

(3) Tertull. « Primus liquor, quod viveret edidit (id est, aqua produxit animantia); ut in baptismo mirum non sit, si aquae animare noverunt ». *De bapt.* iii. M. I, 1202.

(4) Sylv. P. « Haec aqua, divina virtute per invocationem Trinitatis concepta, sicut extra corpus hominis abluit, ita animum intra a sorde et inquinatione mundans, splendidiorem radiis solaribus efficit ». Niceph. VII, xxxiii.

(5) Hier. *Epist.* lxix *ad Ocean.* — M. XXII, 653, sq. — Ambr. « Impossibile videbatur, ut peccatum ablueret aqua. Et Naaman Syrus lepram suam mundari per aquam

efficaciam ex opere operato attribuit omnibus ferme sacramentis ([1]).

c) Stupendam et mirabilem esse dicunt vim aquae et vim verborum Eucharistiae Cypr. l. c., Aug., auct. homiliae *de sacr. corp. Dom.*, Ambrosius, Tertullianus ([2]). Atqui mirabilis non esset, si tantum inserviret fidei excitandae. Ergo.

105. — Probatio III[a]. Ratione theologica. — *Prima* petitur ex *subjecto sacramenti.* Sacramenta ex institutione divina his etiam administrantur qui non intelligunt eorum significationem, neque gratiam iis collatam, immo qui nullum actum intelligendi elicere valent. Id enim constat tum quia rite baptizantur infantes, surdi, amentes, dormientes ; tum quia Concilium Carthaginiense IV canone 76°, Araus. I can. 12°, Aug. et Leo P. ([3]), docent baptismum et absolutionem conferri his qui sensibus destituti in periculo mortis sunt constituti, modo constet eos antea optasse sacramenta. Sane inepte iis proponerentur signa ut excitaretur fides. — Atqui si sacramenta essent tantum

---

posse non credidit; sed quod impossibile erat, Deus fecit possibile esse qui tantam nobis donavit gratiam ». *De paenit.* II, II, M. XVI, 499.

Leo P. *In serm. IV de Natali Domini*: « Omni homini renascenti aqua Baptisatis, instar est uteri virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit et in Virginem, ut peccatum, quod ibi vacuavit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio ». *In serm. V*, « Originem quam sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte baptismatis : dedit aquae, quod dedit Matri. Virtus enim Altissimi et obumbratio Spiritus Sancti, quae fecit ut Maria pareret salvatorem, eadem fecit ut regeneret unda credentem. Quid autem sanandis aegris, illuminandis caecis, vivificandis mortuis aptius fuit, quam ut superbiae vulnera humilitatis remediis curarentur? » M. P. L. t. LIV, col. 203, 206, 211.

Bern. « Duo operatur in nobis sacramentum Dominici corporis, ut videlicet et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam saepe modo, non tam acerbos sentit iracundiae motus, invidiae, luxuriae, aut ceterorum hujusmodi, gratias agat corpori et sanguini Domini ; quoniam virtus sacramenti operatur in eo ». M. P. L. t. CLXXXIII, col. 272.

([1]) Tertull. « Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima Spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur ». *De resurr. carn.* VIII. M. II, 795 sq.

([2]) August. « Unde tanta virtus aquae, ut corpus tangat, et cor abluat ? » Et infra : « Mundatio nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento, nisi adderetur *in verbo* ». *In Joh.* tract. LXXX, M. XXXV, 1840.

Auct. hom. etc. « Ergo ut ad nutum praecipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa coelorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, ita parem potentiam in spiritualibus sacramentis verbis praebet virtus, et rei servit effectus ». Inter hom. Euseb. Emiss.

Tertull. « Nihil adeo est quod obduret mentes hominum quam simplicitas divinorum operum, quae in actu videntur, et magnificentia quae in effectu repromittitur: ut hic quoque, quoniam tanta simplicitate, sine pompa, sine apparatu novo aliquo, denique sine sumptu, homo inter aquam demissus et inter pauca verba tinctus... mundior resurgit, eo incredibilis existimetur consecutio aeternitatis... Proh ! misera incredulitas, quae Deo denegas proprietates suas, simplicitatem et potestatem ! Quid ergo? Nonne mirandum lavacro dilui mortem ? Ceterum incredulitas miratur, non credit ; miratur enim simplicia quasi vana, et magnifica quasi impossibilia ». *De bapt.* c. II. M. I, 1201.

([3]) Aug. *De adult. conjug.* I, XXVI, XXVIII. M. XXXII. — Leo P. *Ep.* XCI *ad Theodor.*

signa demonstrativa gratiae, ex institutione divina non dirigerentur ad eos qui actu non intelligunt. Ergo.

Secunda petitur ex *causa instituente*. Sacramenta a solo Deo et a Christo institui possunt. Ergo non sunt signa mere demonstrativa. — *Prob. conseq.* Signum mere demonstrativum et excitativum fidei absque negotio ab homine institui potest, neque minorem vim significandi habet ; immo aliis temporibus alia aetate aliaque conditione, institui potuissent ab homine alia signa, quo melius finem attingerent. Ergo si sacramenta nonnisi excitativa fidei sunt, non intelligitur cur Deus et Christus sibi reservarint jus ea instituendi. Illud tamen esse tenendum postea ostendetur et ab adversariis non negatur.

Tertia petitur ex *causa ministeriali principali*. Christus est minister principalis sacramentorum, adeoque per ministros secundarios baptizat etc. Ergo sacramenta non sunt tantum signa demonstrativa. Parvi enim refert quis signum demonstrativum proferat ; eadem est vis significandi.

Quarta petitur *ex causa meritoria*. Passio Christi fuit causa meritoria institutionis sacramentorum, ideoque non pauci Patres volunt sacramenta a latere Christi effluxisse. Ergo sacramenta non sunt mera quaedam signa demonstrativa gratiae. *Prob. conseq.* Si sacramenta tantum excitant fidem, non majorem virtutem e meritis Christi acceperunt quam concio, quae etiam fidem excitat. An concio dimanat a latere Christi et ex meritis sanguinis ejus trahit omnem virtutem suam?

Confirm. 1. Sacramenta praerequirunt fidem. Ergo non sunt instituta ut eam gignant. — *Prob. ant.* a) Usu constanti Ecclesiae, dogmata christiana praedicantur prius infidelibus, ut credant. Cum jam credunt, baptizantur. Hanc consuetudinem commemorat Justinus (1). — b) In Act. VIII, 36 sq. eunuchus dicebat : « Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? » Respondit Philippus : « Si credis ex toto corde, licet. »

2. Scriptura sacra doctos, concio vero indoctos excitat ad fidem, multo melius quam elementa. Deinde imago baptismi repraesentativa aeque excitaret ad fidem. Ergo sine ratione assererentur sacramenta esse necessaria, quod tamen tenendum est neque negatur ab adversariis.

3. Sacramenta non prosunt nisi suscipientibus ; nihil ex se conferunt

(1) JUSTIN. « Quicunque persuasum habuerint, et crediderint vera esse, quae a nobis traduntur, et dicuntur, ac vivere se ita posse promiserint, ii orare jejunantes, et petere a Deo priorum peccatorum remissionem jubentur, nobis cum eis una et orantibus et jejunantibus. Deinde adducuntur a nobis ubi aqua est, atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur » *Apol. ad Antoninum*, 61. M. VI, 419.

astantibus. Atqui hoc verum non est, si nonnisi excitativa fidei sunt. Prodesse enim valerent omnibus videntibus aut audientibus sacramenta administrari. Patet quia in sententia Lutheranorum, sensus formulae, *Ego te baptizo*, est *Ego testificor tibi remitti peccata*. Haec testificatio non prodest ei ad quem dirigitur, nisi is interius credat sibi remitti peccata. Sed astantes, auditis iisdem verbis, eumdem actum fidei elicere valent ; quo facto, oportet ut remissionem peccatorum consequantur, cum fides infallibiliter justificet.

4. Admissa sententia Lutheranorum, nullum est discrimen inter sacramenta novae et veteris legis. Haec enim poterant etiam excitare fidem, gratiamque repraesentabant.

Coroll. Ergo sacramentum N. L. definitur : « Signum sensibile a Deo permanenter institutum, gratiam significans, eamque usu suo (ex opere operato) conferens. »

106. — **Scholion 1m.** Remedium naturae et circumcisio conferebant quidem aliquousque gratiam sanctificantem, veram eam non causabant, neque tribuebant proprie ex opere operato : neque enim efficienter attingebant gratiam, neque ulla illis inerat dignitas intrinseca nata Deum infallibiliter movere ad infundendam gratiam. — Erant vero, uti ostensum est, protestationes fidei in venturum redemptorem. Passio futura Christi movebat Deum ad elargiendam gratiam ; remedium naturae et circumcisio erant conditio sine qua non. — Sacramentis V. L. non insitam fuisse virtutem conferendi gratiam ex opere operato, luculenter constare arbitramur ex oppositione quam s. Paulus instituit inter legem veterem et legem novam, uti ostensum est supra n. 30. — Idem colligitur ex Florentino et Tridentino, demum ex multis Patrum testimoniis. Confirmatur auctoritate Angelici [1].

107. — **Scholion 2m.** Quaeres quomodo probetur *bonos motus requiri* in suscipiente sacramenta, licet haec causent gratiam ex opere operato, et quonam sensu dicendum sit *fidem esse causam justificationis in eo qui suscipit sacramenta ?*

Resp. 1. Ut homo connaturaliter finem attingat, cognoscere debet hunc finem, insuper in potestate sua habere debet media quibus libere in finem tendat. Jamvero finis, cum sit supernaturalis, cognosci non valet nisi per revelationem. Praeter observationem legis naturalis, alia media, inter quae annumerantur sacramenta, ex positiva Dei institu-

---

[1] S. Th. III, LXII, 4 ; Ia, IIae, CIII, 2.

tione, sunt adhibenda ut aeterna salus comparetur. — Quare fide cognoscendus est supernaturalis finis, seu ob auctoritatem Dei revelantis homo assentiri debet huic propositioni, « se esse ordinatum in visionem essentiae divinae »; fide cognoscenda sunt media quae, ex positiva Dei voluntate, in hunc finem ducunt; ex fide sunt adhibenda praefata media. Igitur in serie actuum qui positive disponunt ad justificationem, fides est primus actus et fundat possibilitatem ceterorum. — Eo sensu fides dicitur *initium, fundamentum, radix justificationis.*

2. Qui suscipit sacramenta, justus est vel peccator : a) Si est *justus,* et si se disponit ad sacramenti susceptionem per actus fidei etc., per hos actus de condigno meretur augmentum gratiae habitualis ; respectu hujus augmenti, isti actus habent rationem causae meritoriae, quare id augmentum non causatur per sacramentum, seu non est gratia sacramentalis. — Verum praeter hoc augmentum, causatur aliud per sacramentum ex opere operato. Hujus augmenti causa materialis remota est anima secundum essentiam inspecta; causa materialis proxima est anima, uti est disposita per actus supernaturales et per gratiam sanctificantem; hi enim actus, removendo obicem secundum quid, animam reddiderunt capacem amplioris gratiae suscipiendae. — — b) Si subjectum sacramenti est *peccator,* per actum supernaturalem fidei meretur gratiam excitantem ulteriorem; huic consentiendo, ulterioribus dignus fit auxiliis. Sic tandem meretur ultimam dispositionem. Haec erit vel contritio perfecta vel attritio. — Si est *contritio perfecta,* meretur de congruo gratiam habitualem vi voti sacramenti. Sacramentum autem ex opere operato causat augmentum gratiae habitualis, cujus causa materialis proxima stat in variis dispositionibus quae removerunt obicem non tantum simpliciter, sed etiam secundum quid. — Si ultima dispositio est *attritio,* gratia habitualis confertur per sacramenta; dispositiones sunt causa materialis proxima quatenus removerunt obicem simpliciter dictum. — Ex his efflorescit argumentum: Illa doctrina non excludit omnem bonum motum a suscipiente sacramentum, quae admittit a) actus fidei etc. esse necessarios ad removendum obicem secundum quid, seu ad reddendum subjectum capax recipiendi, ex opere operato sacramenti, abundantiorem gratiam; b) attritionem, ubi deest contritio, necessariam esse adulto recipienti sacramentum mortuorum ad removendum obicem simpliciter, seu ad reddendum subjectum capax recipiendi ex opere operato gratiam habitualem primam. Atqui haec est doctrina catholica. Ergo.

Scholion 3m. Nullum bonum motum requiri a catholicis in susceptione

sacramentorum, probare conantur protestantes (1): a) auctoritate Scoti aientis: « Sacramentum ex virtute operis operati confert gratiam; non requiritur bonus motus, qui mereatur gratiam » (2). — Probant adhuc b) auctoritate Gabrielis Biel, aientis: « Praeter exhibitionem signi foris exhibiti, non requiritur bonus motus interior in suscipiente » (3).

Ad hoc argumentum advertitur ex Scoto colligendum non esse quo sensu Tridentinum intellexerit sacramenta conferre gratiam ex opere operato, siquidem doctrina perspicuis verbis est proposita. Actuum enim supernaturalium necessitas pro justificatione adulti diserte affirmatur et eorum successiva series fuse exponitur a Tridentino, ubi enarrantur dispositiones necessariae ad consequendam gratiam per baptismum et paenitentiam (4). Concludit his verbis: « Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum paenitentiae, absque bono motu suscipientium, gratiam conferre, quod numquam Ecclesia Dei docuit, neque sensit. » — Immo nonnulli theologi, qui floruerunt ante Tridentinum, videntur exegisse contritionem perfectam ad susceptionem paenitentiae, nedum nullum bonum motum exegerint.

Ad Gabrielem quod attinet, mutilantur ejus verba a Kemnitio. Illico enim subdit: « Non requiritur bonus motus quo de condigno vel de congruo gratiam mereatur; sed sufficit quod suscipiens non ponat obicem. » Et alibi dicit: « Ad justificationem impii requiritur motus liberi arbitrii ut dispositio praevia; sed per sacramentum paenitentiae justificatur impius. Ergo » (5). — Quaenam fuerit sententia Scoti, in tractatu de Paenitentia exponitur. Certo negat requiri bonum motum qui jam mereatur gratiam et proinde negat contritionem requiri ad susceptionem Paenitentiae; certe etiam admittit per actus supernaturales removendum esse obicem cujus conscientia habetur (6).

108. — **Scholion 4m.** Quaeres quonam sensu sit vera, et quonam sit falsa, haec propositio: *sola fides justificat ?*

Resp. 1. *Vera* est duplici sensu: a) Sola fides *radicaliter* justificat, h. e. sola fides, exclusis operibus naturae aut legis mosaicae, est radix et fundamentum justificationis, via solius fidei ad justitiam pervenitur. Etenim α) sola revelatione cognoscuntur media, quibus adhibitis,

(1) Luth. *Assert. artic. damnat. a Leone X, art.* 1. — Baur Tubingensis in opere *Gegensatz des Protestantismus und Katholicismus*, 2 edit. p. 431. — Hauck, *Real-Encyklopädie für protestantische Theologie*, Art. *Sacrament.* — (2) Scot. in 4 d. 1, q. vi, n. 10. — (3) Gabr. in 4 d. 1, q. iii. — (4) Cf. Trident. sess. VI, cap. v-vii, sess. XIV, cap. i, iv. — (5) Gabr. in 4 d. 14, q ii. (6) Cf. Scot. in 4 d. 1, q. iv, v, vi.

justitia acquiritur, adeoque ob solam fidem adhibentur ista media. β) Processus justificationis incipit a fide, quatenus nempe prima gratia intrinsecus supernaturalis est excitativa fidei, primus actus vere salutaris et remote disponens ad justitiam, est actus fidei. — b) Fides *practica*, seu constans ex fide proprie dicta et variis operibus quae cognoscuntur revelatione esse requisita ad adeptionem justitiae, confert gratiam extra sacramentum aut ad eam disponit proxime in sacramento.

2. *Falsum* est solam fidem justificare, si hac propositione significatur a) sacramenta non conferre gratiam ; b) alios actus bonos non mereri posse gratiam ; c) fidem nude sumptam sine observatione legis divinae et exercitio virtutum sufficere ad acquirendam gratiam. — Primum horum trium constat ex thesi modo probata. — Secundum et tertium constant ex probandis in tractatu de gratia habituali, ubi res conficitur *ex Scripturis :* a) Ex Jacobo in epist. cath. II, 14-26 ; b) ex Matth., VII, 21, ubi referuntur verba Christi ; c) ex Paulo ad Rom. II, 13 ; in I Cor. XIII, 2 ; in Gal. V, 6 ; d) ex Petro in II ep. I, 5 sq. ; e) ex Johanne in I ep. III, 7. In illis locis diserte affirmatur *non sufficere fidem* ad justificationem. Conficitur res adhuc ex iis Scripturae locis, ubi justificatio adscribitur *bonis motibus a fide distinctis.*

109. — **Scholion 5m.** Judaei tempore Pauli affirmabant opera legis mosaicae requiri et sufficere ad justitiam internam recipiendam, hanc justitiam deberi hisce operibus, adeoque opera legis stricte mereri gratiam justificationis. Cum autem opera legis, qua talia, essent subjective naturalia ([1]), inde merito infert Apostolus opera legis non conferre nisi justitiam vacuam, inanem, secundum carnem. — Judaizantes requirebant opera legis et fidem. Eos exegisse opera legis manifestum est quia volebant ut christiani circumciderentur, Petro et Barnabae injiciebant metum ut simularent legis observationem, dicebant circumcisionem a Paulo praedicari (Gal. V, 11). — Non constat judaizantes, si tamen excipiuntur Ebionitae, negasse necessitatem fidei in Christum ad justitiam acquirendam. — Attamen doctrinam et religionem christianam omnino corrumpebant, ideoque a Paulo impugnabantur haud secus ac Judaei.

110. — **Scholion 6m.** Paulus ad Romanos scribens totus est in eo ut ostendat gratiam fidei esse *gratuitam*, justitiam evangelicam dari *credentibus* seu esse praemium fidei. — Dicendo fidem esse *gratuitam*,

([1]) Cf. Rom. IV, 14, 16; ib. VI, 14 sq.; Gal. III, 12.

certo excludit Paulus necessitatem et meritum operum legis mosaicae, de quibus principaliter sermonem instituit ; praeterea potuisset excludere et excludit fortassis (ita enim interpretatur Augustinus) opera quae praecedunt fidem, quatenus nec merentur gratiam nec positive ad eam disponunt. — Dicendo *justitiam dari credentibus*, nullatenus asserit fidem nude sumptam esse causam meritoriam justificationis aut proximam dispositionem ad justificationem ; sed vel asserit fidem esse radicem justificationis, seu primam et remotam dispositionem ad justificationem assequendam ; vel asserit quidem fidem esse dispositionem proximam ad justitiam, at fidem intelligit *practicam* seu conjunctam cum variis operibus quae revelatione et proinde fide cognoscuntur esse requisita ut obtineatur et conservetur justitia. Haec opera, fidem reddentia practicam, sunt attritio, caritas, observatio legis divinae, prout justitia conservatur aut acquiritur intra vel extra sacramenta. — Nihil obstare quin dicatur fidem in revelata traduci a Paulo veluti dispositionem remotam, licet nulla fiat mentio dispositionum propinquiorum, ex eo est perspicuum quia assuetum est Scripturis effectum annectere causae remotae et dona a Deo collata annectere dispositionibus remotis, nulla in eodem loco facta mentione causarum intermediarum aut dispositionum propinquiorum.

Porro talem esse mentem Pauli liquido constat quadrupliciter : a) Opera bona, uti a fide distinguuntur, dicit esse causas justificationis (Rom. VIII, 6-10, XIII, 2-4 ; I Cor. VIII, 2, 3). — b) Adscribitur quidem justificatio fidei per caritatem operanti : « Nam in Christo Jesu nec circumcisio aliquid valet, nec praeputium, sed fides quae per caritatem operatur » (Gal. V, 6) ; verum denegatur fidei sine caritate : « Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest » (I Cor. XIII, 2). — c) Inutilitatem operum legis ad justitiam comparandam probat Paulus exemplo Abrahae, qui pater est omnium eorum qui credunt et gratiam adipiscuntur. Ex eo quod Abraham, justificatus est ante institutionem circumcisionis et legis, concludit Paulus opera legis non profuisse ei ad justitiam, sed solam fidem : « Credidit et reputatum est illi ad justitiam. » Verum fides Abraham mortua non fuit ; ob fidem enim paratum se ostendit ad immolandum filium suum, Deo id jubente ; quare justificatus est fide practica. Haec proin est fides qua justificatur semen spirituale Abrahae. — d) Ita manifeste intelligitur Paulus ab Augustino (1).

(1) AUGUST. « Homines autem non intelligentes quod ait ipse Apostolus : *Arbitramur*

Ex his patet quomodo explicanda sint loca s. Pauli e quibus constare aiunt Protestantes solam fidem exigi ad justificationem. Praecipua haec sunt : a) Rom. I, 16, 17 : « Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judaeo primum et Graeco. Justitia enim Dei in eo revelatur, ex fide in fidem sicut scriptum est (Hab. II, 4) : Justus autem ex fide vivit. » b) Rom. III, 28 : « Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis ». — c) Ib. IV, 2, 5, 9-13 : « Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum... Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam, secundum propositum gratiae Dei... Dicimus enim quia reputata est Abrahae fides ad justitiam. Quomodo ergo reputata est ? In circumcisione an in praeputio ? Non in circumcisione, sed in praeputio. Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiae fidei quae est in praeputio, ut sit pater omnium credentium per praeputium, ut reputetur et illis ad justitiam, et sit pater circumcisionis, non iis tantum qui sunt ex circumcisione, sed et iis qui sectantur vestigia fidei, quae est in praeputio patris nostri Abrahae. Non enim per legem promissio Abrahae, aut semini ejus, ut heres esset mundi, sed per justitiam fidei. » — d) Rom. V, 1 : « Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ». — e) Gal. II, 16 : « Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem J. C. et nos in. C. J. credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis : propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro. »

Satisfit difficultatibus.

111. — **Obj. 1°. Ex Scripturis.** Juxta Paulum sola fides justificat. Paulus in epistola ad Rom. pro scopo habet tradere causas ad justitiam disponentes ; dicit autem *fidem disponere, de omni opere tacet.* Atqui haec scribendi ratio ostendit juxta Paulum solam fidem justificare. Ergo.

Resp. *Dist. 1ª pars maj.* Paulus intendit tradere omnes causas,

---

justificari hominem per fidem sine operibus legis, putaverunt, eum dicere sufficere homini fidem, etiamsi male vivat et bona opera non habeat : quod absit ut sentiret vas electionis, qui cum dixisset quodam loco : « In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, » mox addidit : « Sed fides quae per dilectionem operatur ». Ipsa est fides quae fideles Dei separat ab immundis daemonibus... Non ergo habent istam fidem ex qua justus vivit, id est, quae per dilectionem operatur, ut reddat ei Deus vitam aeternam secundum opera ejus ». *De gr. et lib. art.* VII. M. XLIV, 892.

remotas et *proximas, Neg.; radicem, Conc.* — *Dist. 2ª pars maj.* Dicit fidem *radicaliter* disponere, *Conc.; proxime, Subd.* fidem *practicam, Transm.* aut *Conc.;* fidem *mortuam, Neg.* — *Dist. 3ª pars maj.* Paulus tacet *semper* de omni opere ex fide facto, *Neg.; saepe* tacet, quando scopus ejus non postulat ut de opere fiat sermo, *Conc.* — *Cdt. min.* — Ex supra dictis patet dupliciter intelligi posse Paulum : a) Secundum alterum modum explicandi, scopus Pauli non est tradere omnes causas remotas et proximas, ad justificationem disponentes ; sed tantum radicem. Negat autem opera legis ut sic ullo pacto disponere ad justificationem ; affirmat fidem esse radicem. Eum nullatenus habere fidem tamquam dispositionem proximam et sufficientem constat ex alibi dictis ab eodem Paulo. — b) Secundum alterum modum explicandi, fides justificans intelligitur esse fides practica (Cfr. schol. 6).

Inst. Atqui Paulus dicit fidem disponere proxime ad justificationem, excluso omni opere. Paulus attribuit fidei respectu justificationis eamdem efficaciam quam Judaei tribuebant operibus legis respectu ejusdem justificationis. Atqui Judaei ducebant haec opera disponere proxime. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Paulus attribuit fidei *practicae* eamdem efficaciam, *Trans.;* fidei *mortuae, Subd.* si intelliguntur Judaei asseruisse opera legis disponere *radicaliter, Conc.;* si intelliguntur Judaei asserere opera legis disponere *proxime, Neg. Cdt. min.* Opera legis secundum Judaeos disponebant *tum proxime tum radicaliter, Conc.; tantum proxime, Neg.* Opera legis juxta Judaeos disponebant ad justitiam sive radicaliter, sive etiam proxime ; si intelliguntur disponere radicaliter, iis opponitur fides sine operibus ; si intelliguntur disponere proxime, iis opponitur fides practica.

Obj. 2°. Ex Rom. 1, 16, 17 : « Non enim erubesco evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judaeo primum, et Graeco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem : sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivit. » Qui constanter exhibet justitiam tamquam nexam fidei et nullius operis boni ex fide facti mentionem facit, is censendus est ducere solam fidem justificare, seu eam disponere proxime ad justitiam. Atqui haec est ratio loquendi Pauli. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Qui exhibet justitiam tamquam nexam fidei ut *radici*, adeoque *remote*, vel exhibet justitiam veluti proxime quidem nexam fidei, at hanc fidem intelligit esse *practicam*, ille censendus est etc., *Neg.;* qui exhibet justitiam ut nexam *immediate* fidei *mortuae*, *Conc.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui Paulus, nulla operis mentione facta, annectit immediate justitiam fidei mortuae. Etenim juxta Paulum ad Rom. I, 17, Evangelium (doctrina revelata) est instrumentum efficax quo Deus salutem in justificatione sitam operatur in omni credente, sive Judaeo sive Graeco. Atqui qui sic loquitur, annectit immediate justitiam fidei mortuae. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Evangelium, uti praescribit primum fidem deinde *opera*, juxta Paulum est instrumentum quo Deus operatur justitiam, *Conc.;* uti *nonnisi fidem* in audientibus gignit, *Subd.* est instrumentum quo Deus *incipit* operari justitiam, seu *primam* dispositionem, eamque *remotam* operatur, *Conc.;* est instrumentum, quo Deus *ultimam* dispositionem operatur in credente, *Neg.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui juxta Paulum Evangelium, ut gignit fidem, operatur ultimam dispositionem. Asserit enim Paulus Evangelium, seu praedicationem verbi Dei, gignere justitiam *ex fide in fidem*, et addit justum vivere supernaturaliter *ex fide*. Atqui, si praeter fidem exigeretur opus ad justitiam et vitam supernaturalem, dicendum esset Evangelium gignere justitiam *ex fide per opera*, h. e. gignere primum fidem, deinde opera; addendum esset justum vivere *ex operibus*. Ergo.

Resp. *Dist. 1ª pars maj.* Asserit Paulus Evangelium gignere justitiam ex fide in fidem, h. e. justitiam *radicari in fide* et paratam esse credenti, dummodo hic *opera junxerit fidei, Conc.;* asserit Paulus justitiam initium et *consummationem* trahere ex sola fide, *Neg.* — *Dist. 2ª pars:* Justus ex fide vivit, h. e. justitia habet *radicem* in fide, *Conc.; sola fides sufficit* ut vivat justus supernaturaliter, *Subd.* sola fides *practica*, *Conc.; speculativa*, sine operibus, *Neg.*

Hic est sensus Rom. I, 16, 17: Non erubesco doctrinam Evangelii, licet a crucifixo traditam: tantum enim abest ut contemptibilis sit, ut contra sit maximi facienda. Est enim virtus salvifica omni credenti, h. e. in manu Dei efficax est instrumentum per quod operatur eam salutem quae in justificatione sita est; haec salus est parata omni ei qui credet. Nam in evangelica doctrina revelatur justitiam, qua Deus hominem facit justum, oriri ex fide et obtingere omni credenti (Cfr. III, 22); scriptum enim est ab Habacuc: justus habet justitiam suam per fidem.

Obj. 3°. Ex Rom. IV, 2 sq. Qui annectit justitiam fidei et *excludit* opus, censet solam fidem justificare, seu ultimo disponere ad justitiam. Atqui haec est ratio loquendi Pauli vv. 3 et 5. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Qui annectit justitiam fidei, excluso opere *legis*, ille censet etc.; *Neg.;* qui annectit justitiam fidei, excluso opere *ex fide profecto,* ille censet etc., *Conc.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui Paulus annectit justitiam fidei, excluso opere ex fide. Scribit enim : « Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam (IV, 5). » Atqui sic aperte adscribitur justitia fidei, excluso quolibet alio. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Ei qui non operatur opera legis, credenti in eum etc., reputatur *radicaliter* justitia seu confertur *capacitas* recipiendi justitiam, *Conc. ;* confertur *actu, Subd.* credenti *practice* seu jungenti alias dispositiones, *Conc. ;* secus, *Neg.* — *Cdt. min.*

Obj. 4°. Ex eodem loco. Justus juxta Paulum IV, 10-12 justificatur eodem modo atque Abraham. Atqui Abraham justificatus est ob solam fidem : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, » (IV, 3). Ergo.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* Abraham justificatus est ob solam fidem, *excluso opere legis, Conc. ; exclusa dispositione alia,* adeoque ob solam fidem *speculativam et mortuam, Neg.* — *Dist. cons.*

Inst. Atqui Abraham justificatus est ob solam fidem, excluso quolibet opere. Etenim a) opus Abrahae, profectum ex fide, non aliud deprehenditur in Scriptura praeter immolationem Isaac. Atqui justificatio non fuit primo collata post istud opus : Abraham enim dicitur justificatus multo ante, uti patet ex Gen. XV, 6. Ergo justitia non fuit infusa ob fidem practicam. — b) Justitia a Deo infusa Abrahae non est merces, hic non potest de ea gloriari tamquam de mercede (IV, 2, 4). Atqui hoc exigit ut nullum opus bonum sit necessarium ad justitiam. Ergo.

Resp. *Ad primam rationem : Neg. maj.* Abraham credidit in Deum, cum Deus ipsi promisit numerosam posteritatem et benedictionem, seu vocationem gentium nasciturarum ex semine ejus. Jamvero cum Deus has promissiones fecit, Abraham erat centum annorum et ejus uxor erat sterilis. Inde egregiae dispositiones fuerunt conjunctae cum fide, adeoque haec fuit practica.

Ad secundam rationem : Dist. 1ª pars maj. Justitia Abrahae infusa non est merces operis *naturalis, Conc. ;* non est merces operis *supernaturalis ex fide profecti, Subd.* non est merces *proprie dicta,* quasi illud opus *mereretur de condigno, Conc. ;* non est merces *improprie* dicta, ad quam opera proxime *disponunt* et quam merentur *de congruo, Neg.* — *Dist. 2ª pars maj.* Nemo gloriatur de justitia tamquam de mercede comparata *viribus naturae, Conc. ;* veluti de mercede comparata *ex gratia, Subd. non expedit* ut quis glorietur, *Transm. ; inhonesta* est gloriatio, *Neg.*

Observa : Abraham exhibetur a Paulo ut exemplar justificationis Judaeorum et Gentilium (IV, 11, 12). Jamvero « Credidit Abraham Deo

et reputatum est illi ad justitiam » (IV, 3) ; itaque justitia non est ei concessa ex circumcisione seu ex operibus legis ; contra enim circumcisio fuit signum justitiae jam acceptae (IV, 10, 11). Quamobrem concludit Paulus Judaeos et gentiles justificari ex fide. — Ad pericopam paulinam haec annotare expedit :

a) Verba a Paulo citata IV, 3, « Credidit Abraham etc. » sumuntur ex Genesi XV, 6. Ibi vero legitur Abraham credidisse Deo promittenti numerosissimam posteritatem et possessionem terrae Amorrhaeorum. Fides in Deum promittentem numerosissimas soboles ardua erat, quia Abraham, tunc natus centum annos, carebat prole et Sarai ejus uxor erat sterilis. Ob fidem suam in Deum dicitur esse justificatus. — Verum antea jam apparuerat Deus Abrahae, promiserat ei filium ex quo oritura erat magna gens et in quo benedicendae erant omnes gentes ; praeterea jusserat eum egredi ex terra sua et transire in terram a Deo monstrandam (Gen. XII). Profecto jam tunc justificatus fuit Abraham ob fidem et egregias dispositiones. Dicendum itaque videtur Abraham accepisse augmentum justificationis cum fidem iterum adhibuit Deo sub apparitione narrata Genesi c. XV. — Nihilo minus haec verba Genesis XV, 6 afferuntur a Paulo ad ostendendum omnem justificationem esse ex fide. Quare dicendus est Paulus pro more suo complere ea quae in V. L. sunt revelata, ita nempe ut quae leguntur de augmento justificationis, sint etiam dicenda de justificatione prima.

b) Cum Paulus c. IV ad Romanos dicit justificationem attribuendam esse fidei, negat quidem, pro scopo principali epistolae, opera legis mosaicae et opera gentilium conducere ad justificationem ; verum non affirmat solam fidem, sine operibus ex fide factis, sufficere ad justitiam (hoc enim alibi aperte negat) ; quare vel affirmat tantum fidem esse *radicem* justificationis (negando hanc radicem inveniri in operibus legis et gentilium), vel, si loquitur de dispositione proxima ad justitiam, intelligit fidem *practicam,* qualis erat fides Abrahae, quippe qui ubique legitur perfecte devotus Dei et ad unguem exsequens ejus mandata.

c) Abraham aliud augmentum accepit, cum, praecipiente Deo, in eo fuit ut immolaret filium suum Isaac. De hoc augmento intelligenda sunt verba Jacobi : « Abraham, pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac, filium suum, super altare » (II, 21).

Obj. 5°. Ex I Petri, III, 19-21 : « In quo et his qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit : qui increduli fuerunt aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est octo animae salvae factae sunt per aquam : Quod et vos

nunc similis formae *salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio* (ἐπερώτημα) in Deum per resurrectionem Jesu Christi. » — Unde sic arguitur: Quod connectitur cum gratia, mediante actu morali, id non confert eamdem gratiam *ex opere operato*, sed potius *ex opere operantis*. Ratio est quia ubi datur efficacia ex opere operato, ibi actus moralis, qui praerequireretur per modum dispositionis, connectitur cum effectu non quidem immediate, sed mediante re efficaci ex opere operato. — Atqui secundum Petrum baptismus connectitur cum gratia, mediante actu morali, siquidem asserit baptismum fideles facere salvos in quantum est *interrogatio* bonae conscientiae. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Negatur minor.* Contendimus hunc esse sensum verborum Petri, e quibus petitur objectio: Baptismus vos salvos facit, non prouti dat munditiam corporalem, sed *prouti dat munditiam animae, vi cujus jam petimus a Deo ut salvos nos faciat per resurrectionem Jesu Christi,* seu donet nobis salutem aeternam. — Hanc esse genuinam difficilis hujusce loci interpretationem constare arbitramur ex sequentibus : Ἐπερώτημα in Scripturis sumitur modo pro *interrogatione,* modo pro *petitione, apprecatione.* Contexta oratio ostendit heic sumi pro *petitione.* — *Bonae conscientiae* non est genitivus *objectivus*, seu non petitur a Deo bona conscientia; sed est genitivus *subjectivus,* petitio nempe ad Deum ascendit ex bona conscientia, seu ex *anima mundata* baptismo. — Non peti bonam conscientiam, sed contra *peti salutem* (salvos nos facit), eamque peti a conscientia baptismo mundata et sanctificata, eruitur ex oppositione cum inciso praecedenti: Baptismus, ait Petrus, salvos facit fideles; est quidem depositio sordium carnis seu dat munditiem corporalem; verumtamen, prout hujusmodi, non dat jus ad salutem. Exspectatur ut addatur baptismum salvos facere fideles, uti est depositio sordium animae, seu uti dat munditiem spiritualem; illud autem exprimitur a Petro verbis *bonae conscientiae.* Verumtamen non sufficit ut baptismus animam mundaverit ad hoc ut aeterna salus comparetur; exigitur adhuc ut salus a Deo petatur una cum auxiliis quae ad comparandam salutem sunt necessaria; haec autem petitio grata Deo et efficax est quia progreditur e conscientia per baptismum mundata ([1]).

([1]) De loco difficili Petri alia, eaque multiplex, est interpretatio:

1. Sicut Noë cum suis in arca, aquis sublata, servatus est secundum vitam corporalem; sic et nos per baptisma secundum vitam spiritualem. Baptisma vero nos salvos facit non quia est ablutio carnis, sed quia est ablutio animae h. e. *quia facit ut habeamus coram Deo conscientiam probatam, bonam, mundam, adeo ut ipsa audeat interrogari a Deo.* — Alludit Petrus ad ritum ecclesiae, quo baptizandus rogatur an velit baptizari et an renuntiet Satanae.

Inst Si Petrus voluisset dicere *bonam conscientiam dari per baptismum*, sic locutus fuisset: « Salvos facit baptisma, non (prouti est) carnis depositio sordium, sed (prouti est) *bona conscientia,* aut praestatio bonae conscientiae quae petit a Deo etc. »

Resp. *Negatur* aut *distinguitur subsumptio:* Sic loqui debuisset Petrus si adultis *sermonem fecisset de parvulis*, *Conc.;* si sermonem adultis fecit *de ipsismet adultis* quos alloquitur, *Neg.* Vult Petrus ostendere quomodo baptismus det salutem; salus vero adultorum immediatius connectitur cum petitione profecta a conscientia baptismo mundata quam cum ipsamet munditia animae baptismo acquisita. Itaque convenienter dicit Petrus : Baptismus salvos facit in quantum dat petitionem profectam a conscientia quam ipsemet mundavit, quae petitio innititur meritis Christi mortui et resuscitati, cujus membra fimus per baptismum.

112. — Objicitur 6°. Ex auctoritate s. Augustini, qui in tractatu LXXX in Johannem (n. 3) aperte videtur edocere totam efficaciam sacramenti baptismatis repetendam esse, non quidem ex aqua et verbis sacramentalibus, sed ex fide. Dicit enim : « Unde ista tanta virtus aquae ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo : non quia dicitur, sed quia creditur » etc. (1).

— Confirmatur ex Hebr. x, 22: « Aspersi corda a conscientia mala et abluti corpus aqua munda. »

2. Baptismus facit ut homo inquirat, seu sibi procuret, conscientiam bonam apud Deum h. e. *qui inquirunt et amplectuntur vitam inculpatam, accurrunt ad baptismum.* — Petrus nempe significat qua dispositione accedendum sit ad baptismum, cupiendum scilicet est ut mundetur non quidem corpus, sed anima. De hac dispositione interrogatur baptizandus. — Confirmatur quia Augustinus (Tract. LXXX *in Joh.*) ad istam interpretationem accedere videtur. Sic Cajet. et Suar.

3. Baptismus nos salvos facit in quantum est pactum inter Deum et baptizatum, quo Deus dat remissionem peccatorum et gratiam, promittit vitam æternam, et quo baptizatus promittit se fore fidelem. — Sic Gagnejus.

4. Baptismus nos salvos facit non ex ratione aquae qua corpus abluit, sed quia ex promissione divina habet Spiritum Sanctum assistentem et operantem, qui sanctificat conscientiam. — Sic Basilius in libro *de Spiritu Sancto*, c. XIII.

5. Baptismus salvos nos facit, in quantum est objectiva quaedam interrogatio sive rogatio qua postulatur et acquiritur bona conscientia apud Deum per resurrectionem J. C. qui est in Deo deglutiens mortem.

6. Baptismus salvos nos facit, non vi sua, sed quia est testimonium bonae conscientiae cujus fidem obsignat. Sic Lutherus.

(1) AUG. « *Jam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis.* Quare non ait, mundi estis propter Baptismum quo loti estis, sed ait, *propter verbum* quod locutus sum vobis; nisi quia et in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, etiam ipsum tamquam visibile verbum. Nam et hoc utique dixerat, quando pedes discipulis lavit: « Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus » (Joan. XIII, 10). *Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo : non quia dicitur sed quia creditur?* Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. « Hoc est verbum fidei quod praedicamus, ait Apostolus, quia si confessus fueris in ore tuo quia Dominus est Jesus, et

Respondetur. 1. Ex allato s. Augustini loco nullum argumentum in favorem Protestantium sententiae deduci potest : Praeterquam enim quod aliis in operibus catholicam doctrinam diserte tenet (cf. testimonia in thesi allata), in ipso, de quo nunc agitur, loco Protestantium systema clare excludit; dicit enim « Hoc verbum fidei tantum valet in ecclesia Dei, ut... tantillum mundet infantem; quamvis *nondum valentem corde credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem* ». Ex mente ergo sancti Doctoris effectus baptismi, nempe mundatio cordis, producitur in tali subjecto quod fidem actualem neque habet neque habere potest, cujus proinde fides per verba concionalia excitari nullatenus potest.

2. Et requidem vera celeber ille s. Augustini locus diversum omnino exhibet sensum ab illo quem ipsi affingere conantur Protestantes. Postquam, in tractatu LVI ejusdem operis, lotionem pedum jam exhibuerat ut imaginem et typum sacramenti baptismatis, eamdem comparationem nunc ulterius evolvit; et occasione illorum Christi verborum, « Jam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis, » hanc sibi quaestionem tractandam proponit, cuinam causae tribuendus sit effectus quem producit tum lotio pedum, tum baptismus, nempe interna animae mundatio. Triplici autem parte constat illa tractatio :

In *prima parte* (quae extenditur usque ad haec verba: *sed est mundus totus*) docet sanctus scriptor ad purificationem animae producendam minime sufficere elementum materiale, aquam nempe, sed cum elemento materiali conjungendum esse verbum sacramentale, ita ut sacramentum quod ex utroque constat sit quasi « visibile aliquod verbum ». Eodem quippe modo ad mundandas apostolorum animas satis non fuit Christo aqua pedes eorum lavare, sed addere debuit verba haec quibus actionis suae scopus et effectus significarentur : « Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus ».

---

credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem » (Rom. x, 8-10). Unde in Actibus Apostolorum legitur. « Fide mundans corda eorum » (Act. xv, 9): et in epistola sua beatus Petrus, « Sic et vos, inquit, Baptisma salvos facit; non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio » (I Petr. III, 21). Hoc est verbum fidei quod praedicamus: quo sine dubio ut mundare possit consecratur et Baptismus. Christus quippe nobiscum vitis, cum Patre agricola, dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum, et vide quid adjungat : « Ut eam sanctificaret, inquit, mundans eam lavacro aquae in verbo » (Ephes. v. 25, 26). Mundatio igitur nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento, nisi adderetur, *in verbo*. Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem : quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: « Jam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis ». (M. XXXV, 1840).

In *secunda parte* (decurrente usque ad verba : *consecratur et baptismus),* in qua, omissa jam lotione pedum, de solo baptismo agitur, docet s. Augustinus praeter elementum materiale et verbum, ulterius aliquid requiri; non enim, ad producendum effectum sacramentalem, sufficit verbum nude sumptum, materialiter prolatum : debet esse « *verbum fidei* ; » effectum suum producit *non quia dicitur, sed quia creditur.* — Quaeritur porro quaenam sit illa « *fides* » quae cum verbo sacramentali conjungenda sit, ut sacramento sua sit efficacia ?

Dicendum videtur nullo modo agi *de fide ipsius subjecti baptizandi.* Hoc enim *verbum fidei*, de quo in toto hoc loco, invenitur et effectum suum producit etiam in baptismo parvulorum, qui tamen fidei sunt incapaces. Insuper « virtus manens » quam ex fide habet sacramentum, debet esse *in ipso verbo,* ergo in *proferente verbum.* Tandem dicit s. Doctor baptismum, ut possit mundare, « consecrandum » esse hoc verbo fidei. Verbum sane illud proferendum est a ministro baptismi; quis autem intelliget verbum quod ab uno profertur habere ex fide alius suam activam virtutem consecrandi aquam? — Concludimus ergo fidem, quam exigit s. Augustinus ut sacramentum sit efficax, esse aliquam *fidem ministri* sacramenti.

Ex alia autem parte omnibus in comperto est quanta constantia s. Doctor, in controversia cum Donatistis, semper negaverit efficaciam sacramentorum ullo modo a fide aut a sanctitate ministri pendere; cum autem omnia s. Augustini opera adversus Donatistas conscriptà sint inter annum 400 et 412, tractatus vero in Johannem anno 416, et cum aliunde constet ipsum numquam hanc retractasse doctrinam, satis patet in praesenti loco minime intelligi fidem ministri, exclusa haeresi, essentialiter requiri ad valorem sacramenti.

Remanet ergo ut fides quae in ministro requiritur ad efficaciam sacramenti sit *aliqua intentio fidei ;* nempe non sufficit ut mere proferantur verba materialia, non sufficit ut mere « dicatur » verbum sacramentale ; debet insuper *proferri ex aliqua intentione orta ex fide saltem objective sumpta ;* seu aliter, verba sacramentalia debent esse sacra ; ut autem talia sint, debent a ministro proferri cum intentione ; neque sufficit intentio externa, ad ritum mere externum terminata, verum debet adhuc esse interna seu aliquatenus terminari ad id quod est internum sacramento ; illud autem non cognoscitur nisi revelatione ; itaque exigitur intentio orta ex fide objective sumpta : Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo : non quia dicitur sed quia creditur, h. e. quia profertur cum intentione orta ex fide objective sumpta.

In confirmationem suae doctrinae affert s. Aug. textum Rom. x, 8-10, unde constat ad salutem non sufficere externam professionem divinitatis Christi, sed interius et corde credendum esse illud quod quis ore profitetur ; — textum Act. Ap. xv, 9, in quo s. Petrus docet ethnico-christianos a sua impuritate mundatos esse, non circumcisione mosaica sed per fidem in Christum ; — denique locum ex prima epistola Petri III, 21, in quo docet Apostolus verum et proprium baptismi effectum non consistere in corporali purificatione conscientiae, in quibus omnibus textibus praecellentia interioris alicujus actionis vel effectus prae exteriore affirmatur, quod, attento modo quo s. Augustinus Scripturae textus citare solet, satis erat ut in confirmationem suae doctrinae afferrentur.

In *tertia parte* utramque suam affirmationem iterum commemorat, necessitatem nempe verbi, et quidem verbi fidei.

Quod autem subdit, fidem ipsorum offerentium (i. e. parentum, patrinorum, aliorumque qui parvulos baptizandos curant) ad effectum sacramentalem aliquo modo conferre, id eo sensu verum est quod, nisi crederent ii omnes, infantes de facto ad baptismum non pervenirent ([1]).

Obj. 7°. Ex Lanfranco in libro *de corpore et sanguine Domini,* XIV. « Baptismus constat non tam ablutione corporis quam fide cordis quemadmodum apostolica doctrina tradit dicens : *fide mundans corda eorum*, et alibi : *sic et vos salvos facit baptisma non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio ad Deum.* Alterum tamen significatur per alterum ; nam per ablutionem, quae corpori extrinsecus adhibetur, purgatio animae exprimitur quam fides interior operatur. »

Resp. Fatendum est Lanfrancum, si intelligitur sensu obvio, adversari doctrinae hactenus defensae. — Verum applicanda est sequens regula. Cum Patres communiter proponunt doctrinam veluti revelatam, ad concordiam cum eisdem trahenda sunt, ubi fieri potest, verba paucorum Patrum quorum sensus obvius esset contrarius. — Jamvero ex argumentis thesis manifestum est doctrinam Patribus communem esse quod sacramenta conferunt gratiam ex opere operato. Porro verba Lanfranci possunt trahi ad eum sensum. Debent ergo ad eumdem trahi.

Re quidem vera duplex sensus potest tribui Lanfranco : a) Baptismus dat gratiam, non quidem immediate, sed mediante fide quae immediate operatur gratiam. Est sensus obvius heic deserendus. — b) Baptismus

([1]) Conferri potest *epistola* XCVIII *Augustini ad Bonifacium.* Migne t. XXXIII, p. 360.

confert quidem gratiam immediate, verum exigit ut praecedat fides. Hoc sensu dicitur a Lanfranco : *Baptismus dat gratiam ratione fidei* (disponentis) ; *fides operatur gratiam* (quatenus ad eam disponit). Hic solus sensus reddit Lanfrancum concordem cum doctrina communi ss. Patrum. Est itaque retinendus.

Obj. 8°. Ex Ambrosio [1] aiente verba baptismi esse praedicationem crucis dominicae, sine hac non conferri gratiam. Unde sic : Eatenus baptismus confert gratiam, quatenus verba praedicant crucem Domini. Atqui verba praedicare crucem dominicam est ea excitare fidem in crucem. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Quatenus verba praedicant h. e. sunt *verbum concionale excitans ad fidem, Neg.;* quatenus habent sanctificandi virtutem ex meritis crucis, cujus excellentiam praedicant, *Conc. — Cdt. min.*

Crux praedicatur, seu ejus excellentia manifestatur, dupliciter, nempe oratione ad populum facta, et opere quo elucescit ejus valor et dignitas. Jamvero, cum sacramenta vim suam sanctificandi habeant ex meritis Christi in cruce partis, inde sunt praedicatio crucis, ejus excellentiam patefaciunt. Porro non alio sensu baptismate praedicari gratiam elucescit ex verbis Ambrosii : Aqua enim dicitur *consecrari,* fieri dulcis, hac praedicatione ; praedicatio dicitur mitti in aquam h. e. aqua fit ipsa praedicatio crucis, miro nempe effectu producto, commendat excellentiam crucis. Porro ex his manifestum est facile negotio resolvi difficultatem ex Ambrosio petitam. Advertere juvat Ambrosium his verbis alludere probabiliter ad quosdam ritus baptismi quibus aqua benedicitur, ut clarius significetur ejus vis gignendi gratiam et sic praedicandi virtutem crucis.

113. — **Obj.** 9°. Duplex argumentum rationis affertur a novatoribus adversus efficaciam sacramentorum ex opere operato :

Prima ratio est Lutheri et Philippi [2] et aliorum. In omni sacramento requiritur verbum promissionis ; sed ubi est promissio, ibi necessario exigitur fides, quae promissionem acceptet ; ergo fides est, quae immediate operatur et justificat. — Confirmat Lutherus, quia multi per

---

(1) Ambr. « Merrha fons amarissimus erat, misit in eum Moyses lignum et dulcis est factus (Ex. xv, 25 sqq.). Aqua enim sine praedicatione Dominicae crucis ad nullos usus futurae salutis est : quum vero salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritualis lavacri et salutaris poculi temperatur. Sicuti ergo in illum fontem Moyses misit lignum, hoc est propheta ; ita et in hunc fontem sacerdos praedicationem Dominicae crucis mittit, et aqua fit dulcis ad gratiam. *De myst.* c. III, n. 14. M. XVI, 393.

(2) Luth. in l. *De captiv. babyl.* cap. *de bapt.* — Philipp. in *Apol.* art. 13.

fidem salvantur sine sacramento, ut qui non habent a quo baptizentur ; et contra qui sacramentum habent sine fide, damnantur. Igitur in sacramento fides est, quae justificat, non instrumentum.

Secunda ratio est Zwinglii (1). Solus Deus novit corda hominum, igitur solus ipse potest ea mundare : non ergo sacramenta justificant. Confirmatur idem, quia si sacramenta ex opere operato justificarent, Deus esset obligatus sacramentis, quippe qui non posset non justificare eum, qui sacramentum percipit.

Resp. Ad rationem *a Luthero* allatam : 1. *Ad majorem.* Promissum quidem est a Deo instituente sacramenta, fore ut rite suscipienti conferatur gratia ; verum qui administrat sacramentum nil promittit. Quae enim forma est promissoria ? Hinc *Dist. maj.* In *administratione* sacramenti requiritur promissio, *Neg.;* in *institutione, Conc.* — 2. *Ad minorem: Dist.* Ubi promissio et acceptatio, ubi necessario *praesupponitur* fides ad acceptationem, *Transm.;* ibi fides est ipsamet acceptatio et promissio, *Neg.* Ex argumento sequeretur tantum requiri fidem, secus haberi obicem, non vero fidem esse id ratione cujus confertur gratia. Transmissum est, quia ut sacramentum sit efficax gratiae, fides praerequiritur quidem in subjecto, non vero in ministro. — 3. *Ad confirmationem :* a) Fides cum baptismo *in voto* salvat, non praeter illud. b) Parvuli baptismum habent sine fide actuali ; in adultis exigitur fides, ut susceptio sacramenti sit fructuosa.

Ad rationem *a Zwinglio* allatam : *Dist. maj.* Deus *non indiget* alia re ad mundandum corda, *Conc.* Deus *libere non adhibet* aliam rem, *Subdist.* non adhibet aliam rem tamquam causam *principalem,* sed est ipse causa principalis, *Conc.;* tamquam causam *instrumentalem, Neg.* — *Ad conf.* Deus non tenetur obligatione nisi sibi. Sibi debet ut stet promissis suis. Deinde potest infundere gratiam, sacramentis non adhibitis ; haec sine Deo nihil spirituale operari valent.

Obj. 10°. Ex efficacia sacramentorum ex opere operato consequeretur non exigi bonos motus ad recipiendam gratiam sacramentalem. Si enim exigitur bonus motus, hic esset supernaturalis, utpote elicitus cum auxilio gratiae ; si vero est supernaturalis, dicendus est mereri gratiam, adeoque gratia jam non confertur sacramentis ex opere operato. — Atqui rejici debet sententia asserens non exigi in adulto motus bonos ad recipiendam gratiam sacramentalem. Ergo.

---

(1) ZWINGL. *De vera et falsa religione,* cap. *de sacramentis.*

Resp. *Dist. maj.* Consequeretur neque exigi bonos motus in ministro ad liceitatem administrationis sacramenti, neque exigi in subjecto, per modum *dispositionum,* ad *remotionem obicis* simpliciter aut obicis secundum quid, *Neg.;* consequeretur non exigi bonos motus qui *mereantur ipsammet gratiam sacramentalem, Conc.* — Ad rationem additam respondetur bonos motus, quibus subjectum se disponit ad fructuosam sacramenti receptionem, mereri gratiam, eamque actualem aut habitualem ; subjectum sacramenti ratione boni motus et gratiae quam hic motus meruit, se facere aptum ad recipiendam gratiam sacramentalem abundantiorem; hanc autem gratiam sacramento collatam esse prorsus distinctam ab ea gratia quam boni motus meruerunt.

CAPUT V.

De causalitate sacramentorum.

Suar. d. ix. — Lugo d. iv, s. 4 et 5. — Vasq. in III p. d. cxxxi.

Circa naturam nexus quo gratia sacramentalis, virtus infusa et character devinciuntur cum positione signi sensibilis, jam inquirendum venit : 1° an ritui sacramentali competat ratio *causae* respectu gratiae etc. ; — 2° an sacramenta sint causae *physicae* horum donorum ; — 3° an sint causae *morales.* — Haec triplici articulo discutientur.

ARTICULUS I.

Sacramentis competit ratio causae respectu gratiae.

§ 1. Status quaestionis.

114. — NOTIONES. 1. Causa in genere dicitur id vi cujus aliquid producitur, seu principium influxu suo determinans exsistentiam rei. — Causa efficiens dicitur id a quo aliquid fit seu principium actione cujus aliquid producitur. — Tria sunt causalitatis efficientis elementa : a) id a quo aliud procedit, seu principium, vis ; b) id quod ab alio procedit, seu terminus, effectus ; c) id quo terminus ad principium consequitur, seu actio causae. — Inter varias divisiones causae efficientis,

attendenda est in sequentibus divisio in principalem et instrumentalem, in physicam et moralem.

2. Causa physica illa dicitur quae efficientia physica effectum, cujus dicitur esse causa, principaliter aut instrumentaliter attingit. — Causa moralis illa est quae physice quidem non attingit effectum ipsum cujus vocatur causa, sed intentionaliter *movet aliam causam* ut haec physice effectum attingat. Eam autem diversa ratione movere potest : prece, petitione, minis, consilio, imperio, merito, dignitate ipsi insita.

3. Causa physica est principalis aut instrumentalis, idque sensu duplici. a) Quando nempe ad productionem effectus unius duplex causa concurrit, illa dicitur principalis quae altera utitur eam sibi subordinando, dirigendo, movendo ; causa autem subordinata et mota vocatur instrumentalis. Principalis dicitur operari propria virtute, quatenus virtus agendi ei est insita, estque proportionata effectui. Instrumentalis dicitur operari in virtute principalis, quia virtus, ei propria, est insufficiens, et non operatur nisi secundum quod movetur a principali. — b) Illa etiam dicitur principalis quae in effectu ponit perfectionem principalem et specificantem effectus; quae autem causa attingit efficienter perfectionem ignobiliorem, vocatur instrumentalis. — In sequentibus attendetur prior significatio causae principalis et instrumentalis.

De causalitate instrumenti pauca addidisse opportunum erit ob discutienda. In instrumento distinguitur duplex actio. Cum enim artifex certum motum imprimit securi, scinditur lignum ei subjectum secundum certam figuram, ita v. g. ut componatur lectus; porro in actione securis duo attendi possunt : scindere lignum et figuram lecti inducere. — Patet securim esse ex se proportionatam ad scindendum lignum ; quare actio scindendi est ei connaturalis. Verum non efficit lectum nisi prout subordinatur carpentario et recipit motum manu ipsius impressum ; quare actio inducendi certam figuram est instrumentalis ; ideo etiam motus, a carpentario impressus, est virtus instrumentalis, quae vocatur quoque virtus fluens, intentionalis, spiritualis. Hic motus, inquam, est virtus, est enim intrinsecus instrumento et id vi cujus instrumentum inducit figuram ; haec virtus est instrumentalis, siquidem carpentarius eam influendo efficit lectum ; eadem est fluens, siquidem non inest instrumento nisi eo tempore quo artifex illa utitur ; denique dicitur spiritualis et intentionalis, quia derivatur ab artifice vi intentionis spiritualis efficiendi lectum. — Manifestum est duas actiones instrumenti nonnisi ratione distingui : securis enim non scindit nisi

secundum certam figuram, « scindendo enim, ait Angelicus, facit lectum » (1). Itaque virtus instrumentalis subjectatur in actione connaturali instrumenti ; subjicitur vero ei in quantum actio propria instrumenti dirigitur in certam directionem vi motus a carpentario impressi.

4. Causa moralis est et ipsa duplex : principalis et instrumentalis. a) Principalis est persona quae orando, praecipiendo, etc. movet causam physicam. — b) Instrumentalis est id quo persona utitur ad movendum. Advertendum tamen est a persona principaliter movente ad instrumentum derivandam esse aliquam dignitatem, aliquam rationem objectivam quae instrumento jam insita sit, et vim habeat movendi, in quantum a principali causa pendet. Si enim nulla talis ratio competit instrumento, non erit nisi signum quo innotescit causa principalis movens, aut conditio sine qua non moveret persona. Jamvero signum qua signum non movet, sed id solum movet, quod per signum significatur. Sic si aliquis pauper per lacrymas et questus significat miseriam, moventur quidem homines misericordes per miseriam manifestatam signis exterioribus, verum haec ipsa signa non sunt id quod movet, nisi iis accedat aliqua ratio objectiva ipsis insita, quae jam vim movendi habeat.

115. — QUAESTIO. 1. Non quaeritur utrum sacramenta sint causae principales gratiae aliorumque effectuum sacramentalium. Etenim a) solus Deus potest propria sua virtute educere ex potentia animae dona supernaturalia, et proinde esse causa physica principalis. Ideo dicit Isaias XLIII, 25 : « Ego sum... qui deleo iniquitates. » Et Paulus ad Rom. III, 30 : « Unus est Deus qui justificat. » — b) Causa vero moralis principalis est Jesus Christus, quippe qui morte sua et passione nobis meruit omnem gratiam, instituit sacramenta tamquam fontes et instrumenta gratiarum, quorum est minister principalis et quibus ipsemet contulit omnem vim causandi gratiam.— Utrumque asseritur a Tridentino : « Justificationis causae sunt, *efficiens* (i. e. physica et principalis) misericors Deus, *meritoria* autem (i. e. efficiens moraliter et principalis) dilectissimus Unigenitus suus Dominus noster Jesus Christus, *instrumentalis* item sacramentum Baptismi. » Sess. VI, c. VII.

Inde inquiritur an sacramenta sint *causae instrumentales gratiarum ;* sive *num Deus utatur sacramentis ad hoc ut infundat gratiam in animis.*

2. Abstrahitur in praesenti quaestione utrum sacramentis competat

(1) D. TH. III, q. LXII, a. 2, ad 2m.

causalitas instrumentalis *physica*, an *moralis*, an *utraque;* sive aliter utrum sacramenta influant in exsistentiam gratiae, eam physice attingendo, an influant eo quod persona operans, per actionem sacramentalem moveat Deum ut physice producat gratiam ; an utrumque eveniat.

3. In hac quaestione sacramentum sumitur pro *ritu externo et sensibili*, praesuppositis ceteris, proinde praesupposita Dei et Christi institutione, praesupposita ministri intentione etc. — Itaque non inquiritur utrum gratiae efficax sit complexus ex ritu sacramentali et ex actu voluntatis divinae instituente. Si enim iste actus consideratur ut moraliter perseverans et ut indistinctus ab eo actu divinae voluntatis qui est causa principalis gratiae infusae, patet dicendum esse hunc complexum esse causam gratiae, immo *physicam* et *principalem*. — Neque inquiritur an complexus personae Christi, aut meritorum aut passionis ejusdem, et ritus sacramentalis sit causa efficax gratiae. Hic enim complexus est causa moralis principalis ; verum in hoc complexu sacramentum non erit nisi conditio sine qua non, nisi Christus ei communicaverit virtutem intrinsecam aut dignitatem. — Verum inquiritur *quomodo actus divinae voluntatis sit efficax gratiae*, utrum nempe utatur instrumento necne, utrum gratiam producat motus dignitate intrinseca sacramenti, an secus.

116. — SENTENTIAE. Quicumque catholice sentientes propugnant efficaciam sacramentorum ex opere operato, admittunt sacramenta esse *veras causas* gratiae et characteris. Dividuntur autem, ubi inquirunt utrum sacramenta physice an moraliter causent gratiam. Multi explicant causalitatem physicam aut moralem, ita ut salvetur conceptus causae. De diversis sententiis postea judicium feretur. At nonnulli auctores omnem causalitatem, ipsam rationem causae, implicite e medio tollunt, dum explicare aggrediuntur modum quo sacramenta gratiam causant. Horum auctorum sententias refutamus, astructa causalitate sacramenti. — Sunt autem sequentes :

A. Juxta Altissiodorensem sacramenta causant gratiam eo quod sunt quadamtenus *vasa quae continent gratiam,* quibus non adhibitis, gratia non confertur. Sicuti dici deberet causare sanitatem illud vas in quo solo posset contineri pharmacum sanitatem aegrotis restituens; sic sacramenta causant sanitatem quia sacramenta, eaque sola, continent gratiam qua anima sanatur. Haec autem causalitas vocatur *materialis* (1).

(1) Altissiod. Objectionem movet: « Sed cum dictum sit quod sacramenta N. L. conferant gratiam, non ergo solus Deus confert gratiam ; neque solus Deus dimittit peccatum,

B. Juxta Henricum Gandavensem sacramenta causant gratiam quia *gratiam continent aut realiter, aut virtualiter.* Eucharistia continet gratiam realiter; cetera virtualiter, in quantum nempe continent virtutem Dei aut Christi, h. e. in quantum *Deus in iis exsistens ad eorum tactum gratiam causat* (1). Henrico adstipulatur Dominicus Viva (2). Inter se differunt quoad quaestionem cujusnam speciei sit praefata causalitas. Henricus tenet eam esse physicam, Dominicus autumat eam esse moralem.

C. Juxta Scotum sacramenta causant gratiam eo quod eorum *susceptio est dispositio necessitans ad gratiae infusionem ;* sacramentum vero susceptum disponit animam, non quidem in ea efficienter producendo formam intrinsecam, verum *vi pacti initi Deum inter et Ecclesiam,* quo Deus

---

quod manifeste falsum est ». Hanc objectionem sic solvit: « Ad hoc dicendum est, quod cum dicitur : sacramenta justificant, attribuitur continenti quod est contenti. Est enim sensus : gratia contenta in sacramentis justificat; unde sacramenta non justificant tamquam causa efficiens, sed tamquam materialis; quinque enim sunt quae sanant corpus, ad similitudinem quorum quinque dicuntur sanare animam : Deus enim sanat corpus auctoritative; medicina sanat effective; diaeta praeservative; vas medici (sicut dicitur vulgariter : pixis ista sanavit me) tamquam illud in quo datur medicina; medicus vero sanat ministerio... Eodem modo Deus justificat auctoritative; gratia justificat ut medicina expellens morbum spiritualem; impletio mandatorum Dei tamquam diaeta; sacramenta justificant tamquam medicinalia vasa, quapropter in ipsis sacramentis datur gratia. Sacerdos autem justificat tamquam minister; et propter hoc non valet: sacramenta justificant ; non ergo solus Deus » — Adversus hanc solutionem movet aliam objectionem : « Sed videtur quod hoc sit falsum ; quia pixis non habet virtutem aliquam sanandi : sed sacramenta justificant efficacia sua ». Cui difficultati sic occurrit : « Ad hoc nos dicimus quod non est penitus simile; sed tunc esset penitus simile, si esset tantum una pixis, in qua daretur medicina, et non in alia; unde si daretur in alia, non prodesset: sicut baptismus, si fieret in alio liquore quam in aqua, non prodesset : habet enim aqua vim regenerativam, ut dicit auctoritas; quae tanta est vis aquae ut corpus tangat et mentem abluat. » *Summa* etc. l, IV, tract. III.

(1) Henr. Gand. « Licet enim Deus, qui est creator gratiae per essentiam et substantiam, in omnibus sit, tamen quoad aliquem effectum est in una re, ita quod non in alia, secundum quod Deitas, exsistens in carne Christi per gratiam unionis, ad tactum manus ejus curabat leprosos, ut Deitas dicatur illud egisse, non ut Deitas tantum, sed ut exsistens in manu Christi, et per hoc, quod illa exsistens in manu Christi curabat illum sicut agens principale, dicitur quod curabat ipsum manus Christi ut agens instrumentale, ut secundum hunc modum dicamus quod sacramenta Novae Legis sunt causa gratiae instrumentaliter, non quia aliquid agunt in producendo gratiam plus quam sacramenta Veteris Legis, sed quia Deus ut exsistens in ipsis ad tactum eorum circa illos, quibus administratur, confert gratiam creando eam in ipsis Et per hunc modum dicuntur esse instrumenta creativa gratiae, in quantum scilicet ad tactum eorum Deus exsistens in eis confert gratiam, et similiter vasa gratiae in quantum continent eum qui est fons et origo, a quo emanat gratia, ut est in eis. — Unde et illud sacramentum Novae Legis, in quo Christus continetur corporaliter habens sibi unitam divinitatem corporaliter, cujusmodi est sacramentum altaris, praecipue dicitur sacramentum gratiae et contentivum et effectivum. Alia vero sacramenta, in quantum aliquid virtutis ejus participant, in continendo scilicet virtualiter quod illud sacramentum praecipuum continet realiter, secundum quod aqua Baptismi habet virtutem sanguinis Christi propter quod, secundum quod dicit Apostolus, quotquot baptizati sumus in sanguine ejus baptizati sumus ». *Aurea quodlibeta.* Quodlib. IV, q. xxxvii. edit. Venet. 1631, t. I, p. 221.

(2) Viva, *Theol.* t. II, p. VII, d. vii. q. ii, n. 5.

sancivit se gratiam esse causaturum in eo qui sacramenta reciperet, adeoque se hoc modo astiturum esse sacramentis (1). Eamdem sententiam proposuerunt, ante Scotum, Alex. Alensis, Bonaventura, Ricardus de Mediovilla qui omnes erant e familia Fratrum Minorum (2).

D. Juxta Durandum sacramenta causant gratiam, eo quod sunt *conditio sine qua non confertur gratia a Deo,* seu quia ex divina pactione aut ordinatione, illi gratia infunditur qui, obice remoto, sacramenta suscipit (3). Durandum secuti sunt Ockam, Petrus de Alliaco, Gabr. Biel (4).

E. Juxta Dom. Soto sacramenta causant gratiam eo quod *antecedenter ad infusionem gratiae* (cujus solus Deus est causa), *hominem reddunt Deo gratum* et *amicum;* hoc autem praestant *non producendo qualitatem supernaturalem in anima, sed conciliando ei extrinsecam Dei benevolentiam.* Ad haec autem consequitur infusio gratiae (5).

---

(1) Scot. « Susceptio sacramenti est dispositio necessitans ad effectum signatum per sacramentum, non quidem per aliquam formam intrinsecam per quam necessario causaret terminum, vel aliquam dispositionem praeviam: sed tantum per assistentiam Dei causantis illum effectum, non necessario absolute, sed necessitate respiciente potentiam ordinatam: disposuit enim universaliter, et de hoc Ecclesiam certificavit, quod suscipienti tale sacramentum ipse conferret effectum signatum ». In 4 sent. d. 1, q. v, n. 13. Et infra : « Nec manifeste possibile, nec necessarium est ponere illam virtutem, quae sit forma realis in sacramento... Nec per illam, si ponetur, aliquid causaretur in anima, nec causaretur ipsa regulariter, nisi ex pactione divina cum Ecclesia, et sic sine tot superfluis potest salvari quod pactio divina sit immediata respectu effectus conferendi, et recipiendi sacramenta ». Ib. n. 16.

(2) Bonav. In 4 d. 1, p. 1, a. 1, q. iv in resp. ad II^m quaest lateralem; ib. q. v; in 3 d. 15, dub. 3. Ricard. In 4 d. 1, q. 1, ib. d. 3, a. 2, q. II. Alens. *Summa,* IV, v, m. 3, a. 5.

(3) Durand. « In sacramentis non est aliqua virtus causativa gratiae, characteris, vel cujuscumque dispositionis seu ornatus exsistentis in anima, sed sunt causa sine qua non confertur gratia, quia ex divina pactione vel ordinatione sic sit, quod recipiens sacramentum recipit gratiam, nisi ponat obicem. Et recipit gratiam non a sacramento, sed a Deo, qui solum pertingit ad characterem, gratiam vel quemcumque ornatum, si quis sit in anima: hoc autem declaratur per simile, per auctoritatem et per rationes. Simile est de illo qui recipit denarium plumbeum, facta tali ordinatione ut qui recipit unum de illis, recipiat eleemosynam regis, non quod denarius sit causa eleemosynae, sed solum rex. Denarius autem est signum et causa sine qua non. Sic est in proposito de sacramentis respectu gratiae, characteris vel cujusque alterius effectus spiritualis. Ad idem est auctoritas beati Bernardi in sermone *de Coena Domini* etc. » In 4 d. 1, q. iv, n. 19, sq.

(4) Ockam, in 4 d. 1. Petr. de Alliaco, in 4 d. 1, q. 1, a. 1, concl. 1. — Gabr. Biel, in 4 d. 1, q. 1, a. 1, dub. 3.

(5) D. Soto: « Dicamus ergo in summa, ut hic tandem insinuat Cajetanus, quod Sacramentum est instrumentum Dei ad hoc immediate attingens ut faciat hominem gratum, quod est esse causam gratiae formaliter, abstrahendo a qualitate, sicut inter homines qui facit duos amicos est causa amicitiae illorum, sed quia apud Deum non nectitur amicitia nisi per ejusmodi qualitatem, idem Sacramentum est consecutive causa mediata quod Deus faciendo hominem gratum, concreet illum. » In 4 d. 1, q. III, a. 1,

§ 2. Sacramenta esse causas gratiae ostenditur.

THESIS XIV[a]. Si quaeritur de natura nexus qui inter positionem signi sacramentalis et infusionem gratiae intercedit, dicendum est sacramentis competere influxum vere causativum. Haec porro causalitas vel penitus tollitur vel saltem inexplicata relinquitur, dum sacramenta ponuntur esse sive dispositiones necessitantes ad gratiae infusionem, uti vult Scotus ; sive conditiones sine quibus non, uti vult Durandus ; sive causae efficientes hominem Deo gratum antecedenter ad gratiae infusionem, uti vult D. Soto ; sive causae speciali modo continentes omnipotentiam divinam, uti vult Henricus Gandavensis ; sive vasa continentia gratiam, uti vult Altissiodorensis.

117. — **Prima pars.** Sacramenta sunt vere causae gratiae.

Est *de fide* aut saltem *proxima fidei*, ex Tridentino quod in sessione sexta ait : « Justificationis causae sunt, efficiens... misericors Deus... ; *instrumentalis* item, sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei » (cap. III) ; et in sessione septima, ubi de sacramentis in genere tractat, definit sacramentis ex opere operato gratiam *conferri, dari, contineri* (can. 6, 7, 8).

Probatur argumentis jam allatis in thesi superiori.

1. *Ex. Script.* Ex Joh. III, 3-5. Illud est causa gratiae quod a) dicitur esse instrumentum quo Spiritus Sanctus gratiam in cordibus gignit ; quod b) dicitur immediate connecti gratiae. Atque utrumque affirmatur de baptismo, uti ex variis testimoniis supra allatis perspicuum est. Peculiariter baptismum vocari instrumentum, quo Spiritus Sanctus utitur ad infundendam gratiam, constat quia homo dicitur renasci *ex* aqua et Spiritu Sancto, quae particula habitudinem causae significat.

2. *Ex Patribus.* Juxta Patres tum graecos tum latinos, sacramentis inest mirabilis et stupenda virtus ; immediate confert gratiam ; est ejus causa, instrumentum ; habet virtutem gignendi animas rationales, uti primitus aqua producebat animas viventes, vel uti uterus maternus foecundatur. Ergo judicio Patrum sacramentis non deest respectu gratiae influxus aliquis vere causativus.

3. *Ex Conciliis* in superiori thesi allatis.

118. — **Secunda pars.** Causalitas sacramentorum tollitur per citata systemata, vel inexplicata relinquitur.

Prob. Illa sententia tollit veram causalitatem sacramentorum, qua

sacramenta jam non sunt nisi conditiones sine quibus gratia efficienter a Deo non producitur, aut signa alterius rei efficienter attingentis (physice aut moraliter) gratiam. Etenim a) conditio, vi notionis, nullum influxum in exsistentiam rei novae exercet, sed requiritur tantum ejus purificatio ad hoc ut aliud agens effectum causet. b) Signum alterius rei causantis, qua signum, hanc causam tantum notam facit ; sed quod causam rei facit notam, non ideo dici potest ipsum hanc rem influxu causali attingere. — Atqui sententiae Altissiodorensis, Henrici, Soti, Durandi et Scoti, nisi ulteriori explicatione compleantur, reducunt sacramenta ad hoc ut sint aut conditiones sine quibus non infunditur a Deo gratia, aut signa alterius causantis gratiam. Ergo, nisi compleantur, praefatae sententiae dicendae sunt causalitatem sacramentorum e medio tollere.

A. *Altissiodorensis* sententia affirmat sacramenta continere gratiam ; porro dicenda sunt gratiam continere aut formaliter aut virtualiter. Atqui 1° si sacramenta dicuntur *virtualiter* continere gratiam, non explicatur quanam ratione in iisdem habeatur gratia virtualiter, seu virtus gratiam causandi ; non explicatur enim quomodo agat haec virtus in sacramento contenta, utrum moraliter, an physice. Ergo in hac sententia aut causalitas inexplicata relinquitur, aut sacramentum jam non est nisi conditio sine qua non. — Si asseritur 2° gratiam *formaliter* contineri in sacramento, uti nempe medicina in pixide, dicendum est sacramentum non esse causam gratiae neque materialem neque efficientem. a) Non est causa *materialis*. α) Gratia enim non educitur ex potentia sacramenti ; spirituale enim ex potentia rei sensibilis educi non valet. β) Gratia educenda est ex potentia obedientiali animae, non vero ex potentia sacramenti, proinde anima est causa materialis gratiae. b) Sacramentum non est causa *efficiens*. Pixis enim medicinam continens non attingit influxu suo sanitatem corporalem ; haec attingitur sola medicina ; pixis vero non est nisi conditio sine qua medicina in aegrotum non agit.

B. *Henrici* sententia refutatur iisdem argumentis. Eucharistia dici aliquatenus potest continere auctorem gratiae, J. C. ; verum non continet formaliter gratiam sanctificantem. Restat itaque ut dicatur continere gratiam virtualiter, haud secus atque cetera sacramenta. Jamvero dicentur sacramenta ita continere virtualiter ut influxu attingant gratiam, aut ita ut gratiam non attingant. Si primum dicitur, non explicatur quisnam sit influxus ; si alterum asseritur, sacramenta non sunt nisi conditiones aut aliquod signum.

C. *Scoti* sententia aperte reducit sacramentum ad *conditionem sine qua non*. Sacramenta enim non causant *physice:* stante enim sententia Scoti, omnis efficientia physica adscribitur Deo. Neque causant *moraliter:* Deus enim dicitur non moveri nisi pacto suo; illud itaque pactum est sola causa moralis; susceptio sacramenti dicitur quidem inducere dispositionem, verum haec dispositio negatur esse forma realis subjecto superaddita. Quodnam igitur est munus sacramenti, nisi quod sit conditio sine qua non infunditur a Deo gratia ?

Si explicatur sententia Scoti dicendo 1° susceptione sacramenti induci in anima dispositionem per modum formae physicae, quaeritur a) quid sit ista dispositio; b) quomodo causetur. Quaeritur, inquam, *quid sit ista dispositio:* praerequiruntur quidem dispositiones ad susceptionem fructuosam sacramenti; verum quid est ista dispositio ad gratiam inducta susceptione sacramenti? An est actus moralis disponens ad gratiam sacramentalem? Sed nullum Concilium, nullus Pater mentionem facit de eo. An est qualitas supernaturalis distincta ab habitu ? Sed iterum nullibi fit sermo de eo et ipse Scotus mentem suam non aperit. — An nulla realitas nova supervenit animae ? — Tunc reapse susceptio sacramenti et sacramentum non sunt nisi conditio sine qua non infunderetur gratia. — Quaeritur b) quomodo causetur praefata dispositio? Dispositio ad gratiam, inducta susceptione sacramenti, causatur vel per sacramentum, vel per Deum, vel per ipsummet subjectum sacramenti: si enim est forma realis animae inhaerens, suam sane exigit causam efficientem. Atqui α) si causatur per *sacramentum*, ulterius explicandus est modus quo causatur, secus quaestio inexplicata relinquitur. β) Si causatur per *Deum,* iterum inquiritur de nexu quo sacramentum devincitur cum dispositione; utrum sit conditio sine qua Deus non ageret, an Deus eo utatur veluti instrumento physico, an denique Deus moveatur dignitate sacramenti veluti causae moralis; quare iterum quaestio inexplicata relinquitur. γ) Si causatur per *subjectum*, iterum quaeritur de nexu inter sacramentum et dispositionem a subjecto causatam, quare iterum quaestio inexplicata relinquitur. Ergo.

Si aliter explicatur sententia Scoti, considerando, non quidem subjectivam susceptionem sacramenti, sed *sacramentum susceptum*, et asserendo 2° sacramentum susceptum esse dispositionem necessitantem, dicendum foret sacramentum a) non esse dispositionem animae : dispositio enim debet intrinsecus inhaerere animae, sacramentum vero corpori applicatur; dicendum est b) sacramentum non causare dispositionem animae, quippe quod intrinsecam formam non superaddat animae;

denique dicendum est c) sacramentum neque physice neque moraliter causare gratiam, nisi ulterior explicatio addatur.

D. *Durandi* sententia aperte fatetur Deum solum physica efficientia attingere gratiam, pactum divinum esse causam moralem, sacramentum esse conditionem sine qua non. Huic conditioni attribuit quidem nomen causae; at manifestum est hunc terminum sumi aequivoce.

E. *Dom. Soti* sententia 1° falso admittit sacramenta reddere hominem specialiter amicum Deo, antecedenter ad productionem gratiae. Etenim a) si nulla mutatio contingit in homine, si Deo in hoc signo rationis non adscribitur infusio gratiae, quodnam est fundamentum istius specialis dilectionis? — b) Ex Tridentino colligitur idem esse diligi a Deo, et intrinsecus justificari infusione gratiae. Etenim in sessione VI haec habet: « Hanc dispositionem *justificatio ipsa consequitur,* quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum. Unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico *amicus,* ut sit heres secundum spem vitae aeternae. Hujus justificationis causae sunt :.... instrumentalis... sacramentum baptismi (cap. VII). — Idem Concilium ait : « Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi.... exclusa gratia.... aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei. A. S. » (can. 11). — Eadem sententia 2° pronuntiat hominem susceptione sacramenti disponi ad infusionem gratiae. Ulterius disponitur aut quia Deus vi pacti se astrinxit ad infundendam gratiam subjecto sacramenti, aut quia sacramentum excellentia sua infallibiliter movet Deum. Atqui si primum admittitur, sacramentum esse non valet nisi signum pacti vel conditio sine qua non moveretur Deus pacto; si alterum admittitur, inexplicata relinquitur ratio secundum quam sacramentum est causa moralis. Ergo.

Satisfit difficultatibus.

119. — **Obj.** 1°. Interdum Patres asserunt Deum inexsistere sacramentis et ad eorum contactum causare gratiam. Sic juxta Basilium Spiritus Sanctus latenter operatur in sacramentis; juxta Ambrosium si in aqua est aliqua gratia, est ex praesentia Spiritus Sancti; juxta Cyrillum Hierosolymitanum sacrum unguentum praesentia divinitatis fit efficax, visibili unguento corpus ungitur, Sancto Spiritu anima sanctificatur. Vid. Thes. XIII.

Resp. Patres per has similesque locutiones aperte affirmant sacra-

menta esse veras causas gratiarum; at pro scopo non habent scholastice exponere quo modo sacramenta gratiam causent. Quare immerito asserit Henricus istiusmodi verbis exprimi sententiam suam.

Obj. 2°. Sacramentum non est causa efficiens gratiae, sed confert gratiam quatenus ejus susceptio est dispositio necessitans ad infusionem gratiae. Etenim a) causalitas sacramenti et causalitas meriti pertinent ad idem genus proximum. Atqui meritum non causat efficienter praemium, sed disponendo subjectum ad illud. Ergo.

Resp. *Conc. maj.* (cfr. Th. XVI). *Dist. 1ª pars min.* Meritum non causat efficientia *physica* gratiam, *Conc.;* efficientia *nulla,* etiam *morali, Neg.* — *Dist. 2ª pars min.* Meritum disponit *tantum* ad praemium, *Neg.; etiam, Conc. Dist. cons.* Ergo sacramentum non causat *moraliter* gratiam, *Neg.;* non causat *physice* gratiam, *Conc.* — *Ad 2m membrum,* negatur adhuc sacramentum posse disponere uti meritum. Ratio disparitatis est quia dispositio est intrinseca subjecto disposito, meritum autem est intrinsecum merenti; inde potest disponere; at potest insuper movere causam extrinsecam ad dandum praemium. Contra sacramentum est extrinsecum subjecto, siquidem est ritus a ministro effectus circa subjectum; quare valet quidem movere causam extrinsecam, sed non potest esse dispositio subjecti. Idem asseritur dicendo meritum, seu actionem praemio dignam, non tantum subjectum intrinsecus disponere ad accipiendum praemium, sed insuper movere eum, in cujus emolumentum cedit actio, ut praemium retribuatur, adeoque esse causam efficientem *moralem* praemii concessi. Sacramentum itaque partialiter convenit cum merito, quatenus haud secus ac meritum movet Deum ad dandam gratiam; partialiter disconvenit, quatenus, extrinsecum cum sit subjecto, nequit esse dispositio subjecti.

Obj. 3°. b) Causalitas sacramenti aequiparatur causalitati serrae aut securis inducentis figuram in ligno. Atqui serra non efficit figuram, sed ejus motus est dispositio ad eam. — *Prob. min.* Eatenus serra inducit figuram, quatenus ipsa vi motus locum occupat, proindeque formaliter expellit certas particulas ligni ob impossibilitatem simultaneae occupationis ejusdem loci a duobus corporibus. Atqui sic motus serrae est dispositio ad figuram. Ergo.

Resp. a) *Neg. maj.* — b) *Neg. min.* Ad probationem respondetur *negando majorem:* Serra enim efficienter expellit particulas ligni et consequenter ad motum efficienter iis impressum, occupat ipsa hunc locum. — Cum nempe artifex motum imprimit instrumento, vicissim instrumentum defert motum ac imprimit materiae, puta ligno. Motus autem

tum ab artifice tum ab instrumento imprimitur *efficienter*, non vero ad modum causae *formalis*. Verum quidem est instrumentum, puta securim, successive occupare spatiola antea ligno occupata, at ideo lignum non expellitur formaliter seu per occupationem loci a securi, sed contra securis natura prius expellit efficienter lignum quam succedit ligno expulso et occupat eumdem locum.

Obj. 4°. Juxta thomistas passim illud quod active producit dispositionem ad formam, dici potest causa istius formae. Atqui hoc est falsum, nisi ipsa dispositio valeat dici causa formae. Ergo dispositio merito vocatur causa formae et consequenter susceptio sacramenti, eo quod est dispositio ad gratiam, dicenda est causa gratiae.

Resp. *Transm. maj. et min. et cons.* — *Negatur suppositum,* nempe susceptionem sacramenti esse dispositionem ad gratiam. Est enim aut conditio aut pro eodem sumitur atque applicatio sacramenti quod est causa gratiae. — Deinde, dato susceptionem sacramenti esse dispositionem ad gratiam, ista dispositio quomodo causatur a sacramento? Id inexplicatum relinquitur a Scoto.

ARTICULUS II.

Utrum sacramenta sint causae physicae.

§ 1. Exponuntur sententiae.

120. — Quaeritur 1° an sacramenta efficienter et physice causent aliquem effectum sacramentalem et quisnam sit iste effectus. — Quaeritur 2° quomodo ritus sacramentalis elevetur a Deo ut physice attingat terminum quem dicitur producere.

Manifestum est Deum, qui ubique est secundum essentiam, potentiam, praesentiam, non ubique esse eodem modo secundum potentiam et praesentiam, seu operationem et manifestationem. Quemadmodum speciali modo inest justo, scilicet sicuti in filio et amico quem donis gratiae vestit; sic peculiari modo inest sacramentis secundum praesentiam et potentiam. Sacramenta enim cum sint actiones morales Christi, quod postea probabitur, inde ornantur supernaturali dignitate; praeterea instituta cum sint a Christo ut applicentur merita crucis et sanctificentur fideles rite sacramenta recipientes, inde potentia divina eis peculiariter inexsistit ad physice producendam gratiam. Inde manifestum est complexum istud constans ex virtute divina et ex signo sacramentali

cui inexsistit divina virtus esse causam physicam, immo causam principalem, gratiae subjecto sacramenti collatae. Porro haec sunt extra controversiam posita (1). Verum inquiritur an signum sacramentale, prouti distinguitur a virtute divina, physice attingat gratiam, ita nempe ut Deus omnipotens eo utatur veluti instrumento, adeoque ei infundat virtutem qua gratiam ex potentia obedientiali animae educat. Certum enim est sacramenta non esse causas principales physicas. Certum etiam est ritum sacramentalem non esse ex se aptum ad attingendum hujusmodi effectum; cum enim sit res sensibilis, non est aptus ad causandum supernaturaliter, nisi a Deo ad hanc causalitatem elevetur. Inde quaestio discutienda haec est: — 1° Num sacramentum sit *causa physica instrumentalis* alicujus effectus sacramentalis. — 2° *Quomodo eleventur sacramenta,* ex se inepta, ad causandum effectum supernaturalem.

121. — I^a QUAESTIO. — Propugnant causalitatem physicam sacramentorum Salmanticenses, Franciscus Sylvius, Ysambert, Wiggers, Franc. Bonae Spei, Alphonsus Wenzl, Bonacina, Suarez, Bellarminus, Ripalda, Greg. de Valentia, Maurus, Dominicus Viva, Tanner, Drouin, aliique plures, potissimum thomistae communiter; nostra aetate Schaetzler, Oswald et alii (2).

Bellarminus l. c. « Quamquam, ait, moralis causalitas salva fide defendi potest... tamen puto *longe probabiliorem et tutiorem* sententiam, quae dat sacramentis veram efficientiam ». — Suarez vero : « Haec sententia est jam *communis* in schola d. Thomae, et mihi videtur *valde consentanea* dignitati nostrorum sacramentorum et locutionibus Scripturae, Conciliorum et Sanctorum et *facillime defendi posse,* et ideo *non esse ab ea discedendum* ».

Porro hi doctores trifariam dispescuntur, ubi assignant effectum sacramentis causatum :

(1) Refutandi non sunt, utpote quaestionem de causalitate sacramentorum ne attingentes quidem, Viva aiens sacramenta eatenus esse causas physicas, quatenus omnipotentia Dei cum sacramentis uniatur, ut agat tamquam virtus propria eorum (*Curs. theol.* P. VII, d. II, q. II, n. 5); Berti aiens cum physica applicatione sacramentorum productionem gratiae per Spiritum Sanctum esse conjunctam et hoc sensu sacramenta esse gratiae causas indirectas (*De theolog. discipl.* l. XXX, c. XX), Frid. Gavardi (*De sacram. in genere* q. III, a. 1).

(2) Salmanticenses, tr. XXII, d. IV, dub. 4; Franciscus Sylvius, in III p. q. LXII, a. 1; Ysambert, in III p. ad q. LXII, d. IV; Wiggers, in III p. q. LXII, a. 1; Franc. Bonae Spei, *Comm. in univers. theol.* tom. VI, tr. I *de sacram. in genere,* d. II. dub. 2, n. 13; Alphonsus Wenzl, *Controv. selectae ex univ. theol. schol.* t. IV, p. XI, *de SS. Eccl. sacr.* controv. IV, q. II; Bonacina, ap. t. I *De sacr. in genere,* d. I, q. IV, p. VI, prob. 2^a, n. 3; Suarez, *De sacr.* d. IX, s. 2; Bellarminus, *De sacr. in gen.* l. II, c. XI; Ripalda, *De ente supernat.* l. II, d. XXXX, s. 3, n. 13; Gregorius de Valentia, *De rebus fidei controv.* lib. *de effic. sacram.* cap. II; Viva, *Cursus theol.* t. II, pars VII, d. II, q. III; Schaetzler, *Die wirksamkeit der sacramente,* p. 222.

A. Juxta alios sacramenta instrumentaliter attingunt physice *qualitatem aliquam spiritualem praeviam ad gratiae infusionem, illiusque dispositionem necessitantem.* Haec qualitas est aut *character,* ubi hic imprimitur, aut *ornatus spiritualis* ubi deest character. Sic Capreolus, Paludanus, Alexander Alensis (1), Hervaeus, Petrus Tarentinus (Innoc. P. V), s. Antoninus. Eam professus est sanctus Thomas in nonnullis locis; attamen eamdem sententiam retractat in summa theologica (2).

B. Juxta alios sacramenta instrumentaliter et physice attingunt *unionem gratiae cum anima;* gratia autem creatur a solo Deo. Haec sententia a Suarez et a Lugone attribuitur D. Soto (3). At immerito, uti ex superius enarratis manifestum est.

C. Juxta alios denique sacramenta N. L. physice attingunt *ipsam entitatem gratiae.* Haec sententia est communis apud Thomistas. E nostris eam defendunt Suarez, Bellarminus, Ripalda, Greg. de Valentia, Maurus, Viva, Tanner (4).

122. — II^a QUAESTIO. Circa alteram quaestionem, patroni causalitatis physicae trifariam dispescuntur. Alii enim defendunt sacramenta elevari intrinsecus a Deo, hi in duas abeunt sententias: alii propugnant elevationem extrinsecam.

A. Sacramenta attingunt effectum sacramentalem *vi qualitatis spiritualis* praevie ex his eductae a Deo. Hanc elevationem intrinsecam propugnant Capreolus, Hervaeus, Petrus Tarentinus, s. Antoninus.

B. Sacramenta attingunt effectum *vi qualitatis corporeae* ex eorum potentia eductae. Sic Paludanus (5).

C. Sacramenta attingunt effectum supernaturalem citra qualitatem ipsis intrinsecus inhaerentem et a Deo infusam, sed eo solo quod Deus actioni sacramentali *extrinsecus assistit* praebetque *concursum specialem*

(1) Capreol. In 4 d. 1, q. 1. Palud. In 4 d. 1, q. 1. — Alex. Alensis: « Respondeo sine præjudicio melioris sententiae: opinando dico, nihil asserendo: quod sacramenta sunt causae alicujus effectus in anima: non dico solum disponendo, sed efficiendo; efficiunt enim simpliciter, *characterizando et ornando.* Unde dico, quod singula sacramenta aliquo modo ornant animam: vel *imprimendo characterem vel alio modo signando.* Et hujusmodi ornatus, sive signationis sunt sacramenta causa efficiens. Hoc autem proprium est sacramenti spiritualis, significare aliquo modo ipsam animam, sicut sacramenti carnalis, ... significare ipsam carnem. Unde sicut sacramentum legis carnalis, scilicet circumcisio, erat per se effectiva signi corporalis in carne; ita sacramentum legis spiritualis est effectivum signi in animo ». *Summa theol.* p. IV, q. v, n. 3, a. 5, resol. 1^a.

(2) S. Th. In 4 d. 1, q. 1, a. 4; Quaest. disp. *De verit.* q. xxvii, a. 4, ad 3^m; III, q. lxii per totam. — (3) D. Soto, in 4 d. 1, q. iii, a. 1. — (4) Suar. *De sacram.* d. ix, s. 2. Bellarm. *De sacram. in genere,* l. II, c. xi. Ripalda, *De ente supernat.* l. II, d. xl, s. 3, n. 13. Valentia, *Comm. theol.* t. IV, d. iii, q. iii, punct. 1; *De rebus fidei controv.* l. *de eff. sacram.* c. ii. Tanner, t. IV, d. iii, q. iii, n. 47 sq. et 113 sq. — (5) Palud. In 4 d. 1, q. 1, concl. 3^a.

indebitumque quo fiat ut terminus productus sit altioris ordinis. Istam sententiam propugnat Suarez (1).

Observa 1. Omnes theologi admittunt creaturas insigniri potentia obedientiali *passiva ;* praeterea admittit Suarez eas donari potentia obedientiali *activa* sensu presso.

Passiva stat in eo quod res corporalis aut spiritualis nata est recipere a Deo qualitatem ad quam nullam exigentiam habet, sive quae transcendit naturalem ejus capacitatem, et quae a solo Deo educi valet ex ejus potentia. Vi istius potentiae passivae beati recipiunt lumen gloriae quo roboratur intellectus, et beneficio cujus Deum intuitive videre queunt ; vi ejusdem potentiae anima recipit gratiam sanctificantem et habitus virtutum. Anima his habitibus informata elicit actum supernaturalem. — Juxta multos auctores anima habitu supernaturali carens nullum actum supernaturalem elicere valet, nisi prius fuerit intrinsecus elevata. Hi proinde rejiciunt potentiam obedientialem *activam* sensu presso. Hinc ubi deest habitus requisitus, anima non potest elicere actum supernaturalem, nisi prius, pro tempore actionis, a Deo infusa fuerit qualitas supernaturalis. — Hanc autem doctrinam applicant sacramentis et dicunt ea intrinsecus a Deo esse elevanda natura prius quam effectum supernaturalem causent.

Juxta Suarez creaturis, priusquam effectum supernaturalem producit, nulla infunditur qualitas, adeoque natura exserit vires suas naturales ; verum Deus creaturae agenti praestat concursum specialem, nobiliorem, indebitumque, quo fit ut terminus, qui ex activitate utriusque causae procedit, transcendat ordinem naturalem. — Concursus iste Dei vocatur *elevatio extrinseca*, est enim id quo facultas elevatur et est facultati extrinsecus. — Aptitudo producendi terminum supernaturalem vi elevationis extrinsecae, vocatur *potentia obedientialis activa sensu presso.* — Vi potentiae obedientialis activae, ait Suarez, a) anima, habitu requisito carens, elicit actum supernaturalem ; b) actio sacramentalis attingit instrumentaliter gratiam ; c) humanitas Christi patrabat miracula (2).

(1) Suar. *Metaph.* d. xxxi, s. 14, n. 7 ; *De sacram.* d. ix, s. 1.

(2) *De potestate Christi circa miracula facienda* occurrunt eaedem sententiae atque de modo quo sacramenta causant gratiam :

Prima sententia tenet Christum fuisse *causam efficientem moralem* miraculorum ab ipso patratorum ; sive aliter dignitas personae divinae subsistentis in humanitate infallibiliter movebat Patrem ut, filio petente et jubente, effectum praeternaturalem aut supernaturalem produceret. Itaque Christo qua homini collatam esse potentiam miracula patrandi idem est atque Deum pollicitum esse Christo ut miraculum fieret, quoties Christus id

Observa 2. Si quaeritur utrum potentia obedientialis activa sensu presso realiter differat a potentia *naturali;* cum distinctione respondetur : differt nempe *extrinsecus*, siquidem prae naturali stipatur concursu Dei indebito ; deinde differt intrinsecus *terminative*, siquidem aut immanenter aut transeunter producit, prae potentia naturali, terminum supernaturalem ; verum non differt intrinsecus, si *principiative* inspicitur : idem scilicet principium easdem vires exserit et tendit in idem objectum materiale ac formale, diverso modo concurrit Deus, ideoque fit ut terminus sit modo naturalis, modo supernaturalis.

Observa 3. Praeter sententias enumeratas datur quarta sententia qua sacramenta dicuntur efficere gratiam *per usum ipsorum.* Quae sententia sic explicatur. Artifex utitur instrumento ut opus efficiat ; instrumentum attingit effectum eo quod artifex eo utitur motum imprimendo, adeoque usus instrumenti, seu motus ei impressus, est id quo instrumentum terminum attingit. — Deus utitur sacramentis, sive motum iis imprimit ad causandam gratiam ; ratione istius motus sacramenta gratiam attingunt. Iste usus, seu motus, includitur in ipsa essentia sacramenti, prouti illud actu exsistit. Quodlibet enim instrumentum non habet vim instrumentariam nisi ratione usus sive motus. — Qui huic sententiae adhaerent, volunt eam esse attribuendam sancto Thomae (1).

peteret. Haec sententia, quam admittunt Alex. Alens., Altissiod., Bonav., Gabr., Dur., Scot., in Traditione solidum fundamentum habet, uti videre est ap. Suar. d. XXXI, s. 3.

Secunda sententia tenet Christum fuisse causam efficientem physicam miraculorum ab ipso patratorum, sive aliter Christum physica efficientia attigisse effectum praeternaturalem et supernaturalem. In argumentum afferunt varia loca scripturae. — Qui tuentur causalitatem physicam bifariam dispescuntur circa quaestionem quomodo actiones transeuntes Christi fuerint elevatae ad productionem miraculi, haud secus atque circa sacramenta. Cfr. SYLVIUM (l. c. et q. XIII, a. 2), s. TH. (Ia IIae q. CXII, a. 1, ad 2; III p. q. LXXVIII, a. 4; *quaest. disp.* q. XXVII *de veritate*, a. 4).

(1) S. TH. « Sacramenta operantur ad gratiam, prouti sunt quasi mota a Deo ad hunc effectum, qui quidem motus attenditur secundum institutionem, sanctificationem, et applicationem ad eum qui accedit ad sacramentum ; unde habent virtutem, non per modum entis completi, sed quasi incomplete ; et sic non est inconveniens quod virtus spiritualis sit in re materiali, sicut species colorum sunt spiritualiter in aere. » *De verit.* q. XXVII, a. 4, ad 4m. Cfr. III, q. XIII, a. 2 ; ib. q. LXII, a. 1 ; ib. q. LXXVIII, a. 4.

Si quaeritur quid censuerit Angelicus praeceptor de causalitate sacramentorum, multum placet haec responsio a R. P. SASSE proposita : « Ut dicamus quid de mente s. Thomae sentiendum videatur, imprimis constat, eum nullibi distincte posuisse hanc quaestionem, utrum sola efficientia moralis, an physica etiam efficientia sacramentis vindicanda sit; quaestio his terminis concepta primum post Melchiorum Canum in scholas inducta est. Praeterea de hac una re potissimum erat sollicitus, ut doceret sacramenta esse *veras* causas instrumentales ad conferendam gratiam, non *conditiones dumtaxat* vel *mera signa*, quibus positis solus Deus conferret gratiam, ac proinde sacramentis inesse aliquam virtutem spiritualem, per quam vere sint causae instrumentales gratiae (cf. III, q. LXII, a. 1, 3, 4). Quare s. Thomae sententiam ab ejus scopo alienam obtruderet, qui conten-

De hac sententia dicendum videtur eam inexplicatam relinquere causalitatem sacramentorum. « Deum enim uti sacramentis, eaque movere », potest significare, actionem sacramentalem esse moraliter actionem Dei aut Christi, ideoque movere Deum ad infundendam gratiam ; hoc autem admisso, proponitur causalitas moralis. Potest significari his verbis motum physicum imprimi sacramento, vi cujus attingitur gratia. Verum iste motus sane differt a motu qui imprimeretur eidem ritui per eum qui sacramentum invalidum conficeret ob defectum potestatis aut intentionis. Si motus est essentialiter diversus, quaeritur per quid differat, utrum beneficio qualitatis infusae, an per elevationem extrinsecam ?

§ 2. Rejicitur causalitas physica sacramentorum.

THESIS XV[a]. Si quaeratur cujusnam speciei sit causalitas sacramentorum, dicendum est non modo ex fontibus revelatis nequaquam erui, sed adhuc non videri posse sine manifesta implicantia defendi id quod tuebantur multi ex veteribus scholasticis, sacramenta videlicet influxu physico instrumentaliter attingere effectum sacramentalem. — Quapropter falsum est sacramenta physice causare vel ornatum aliquem spiritualem praevium ad gratiae infusionem, vel unionem animae cum gratia, vel ipsammet gratiae entitatem ; quocumque demum modo haec virtus dicatur competere ritui sacramentali, sive beneficio elevationis intrinsecae per infusionem qualitatis spiritualis vel corporeae, sive beneficio elevationis extrinsecae ad mentem Suarezii.

123. — Prima pars. Sacramenta physice causare gratiam, neque Scripturis probatur neque Patribus.

Prob. Scriptura et Patres, ut ostendant efficaciam sacramentorum

deret explicationes ab eo adhibitas eam vim habere, ut expresse voluerit definire alterutrum modum sive moralis sive physicae efficientiae. Speciatim si quando s. Doctor ad veram causalitatem illustrandam exemplis nobis familiaribus et modis loquendi utitur petitis ab instrumentis physicis, haec ultra scopum suum urgeret, qui ex his in sacramentis quoque non aliam quam physicam efficientiam intellegi posse contenderet. Ceterum declarationes, quibus s. Thomas passim utitur, morali sacramentorum causalitati optime congruunt. » *Inst. theol. de sacram. Eccl.* vol. I, tract. *de sacram. in genere*, sect. IV, Thes. XII, schol. 1, p. 80 sq. — Quamobrem immerito theologi qui physicam sacramentorum efficientiam tenent, omnes ad s Thomam tamquam patronum hujus sententiae provocant ; immerito etiam nonnulli ex iis doctoribus qui solam moralem efficientiam defendunt, ut Amicus *(De sacram. in gen.* d. IV, s. 9, n. 243), Arriaga (d. XI, n. 6), concedunt Aquinatem esse suae sententiae contrarium ; demum merito id negant Vasquez (d. CXXXII c. V), Lugo (d, IV, n. 98).

novae legis, dicunt ea lavare, mundare, regenerare, gignere, producere, esse instrumenta quibus Spiritus Sanctus operatur. — Si hae locutiones sensu proprio et obvio forent accipiendae, dicendae essent significare causalitatem physicam. — At contendimus eas posse accipi sensu metaphorico, ita scilicet ut tantum significent *genus causalitatis efficientis*, abstractione facta a duabus speciebus, nempe a causalitate physica et a morali. — Sic igitur arguimus : In tantum Scripturis et Patribus probaretur causalitas physica sacramentorum, in quantum locutiones quibus describitur efficacia sacramentorum, forent accipiendae sensu presso, neque possent sensu lato intelligi. Atqui hae locutiones non requirunt ut sibi attribuatur sensus pressus, sed patiuntur significationem latiorem. Ergo.

Prob. min. tripliciter : 1. Ex una parte scopus Scripturae et Patrum in locis, ubi occurunt praefatae locutiones, est quidem vindicare veram causalitatem efficientem ; quam ut inculcent et describant, hauriunt exempla et expressiones e rebus visibilibus ; at scopus non est asserere quod sacramenta causent *eo modo* quo res visibiles causant, neque *eadem specie* causalitatis efficientis. Idem genus dumtaxat causalitatis efficientis astruunt. — Ex altera parte non raro Patres et Scripturae, ubi videntur examinare modum quo sacramenta gratiam efficiunt, ad solum influxum moralem provocant dicuntque ea postulare, impetrare, movere, ea continere pretium sanguinis Christi, rubere hoc sanguine, ut constabit ex thesi sequenti. — Atqui, his habitis, nequit dici ex revelatione comprobari causalitatem sacramentorum esse physicam. Ergo.

2. Deseri potest sensus obvius Scripturae et Patrum, ubi datur cogens ratio. Atqui huic obstat cogens ratio, siquidem causalitas physica sacramentorum tantis obnoxia est difficultatibus, ut vix ac ne vix quidem ab ea removeri queat manifesta contradictio. Ergo.

3. Si semper urgendus esset sensus obvius et proprius, dicendum foret a) sacramenta a nonnullis Patribus asseri esse causas physicas *principales ;* saepe enim eorum efficientiae ita adscribitur gratia animis infusa, ut nulla fiat mentio Dei aut Spiritus Sancti. — b) Dicendum etiam foret hominem ex aqua velut ex causa materiali regenerari, haud secus atque generatur ex semine. Atqui sic nimis probatur. Ergo.

124. — **Secunda pars.** VIX REMOVERI POTEST MANIFESTA CONTRADICTIO A CAUSALITATE PHYSICA.

Ad rejiciendam causalitatem physicam sacramentorum invocari sane potest illud principium veluti sanissimum ab omni cordato theologo admissum, et a Lugo sic enuntiatum : « Non debemus res nostrae

fidei absque necessitate difficiliores et obscuriores reddere, sed potius, quantum fieri potest, faciliores et ad captum vulgi et infidelium magis accommodatas » (1). Porro physicam causalitatem esse difficillimam et obscurissimam constat tum quia multi theologi eam plane repugnare censent (2), tum quia patroni causalitatis physicae non modo multum desudant ad explicationem in medio afferendam, sed adhuc alii aliorum explicationes rejiciunt. Re quidem vera quae explicatio a Suarez offertur veluti unice vera (3), hanc Gonetus dicit « fictitiam esse, contradictionem involvere, totum ordinem gratiae evertere virusque pelagiani erroris continere » (4).

Praeterea duo alia argumenta proponimus :

Arg. 1m. Videtur repugnare ut agens corporeum agat loco ubi non est praesens, aut eo tempore quo jam ipsum non est. Atqui ex admissâ causalitate physica sacramentorum consequens est ritum sacramentalem sensibilem non raro agere *in distans* ratione *loci* et ratione *temporis*. Ergo. — Major quoad primam partem accipitur uti probata in philosophia. Quoad secundam partem est manifesta ex se.

Prob. 1a pars min. Saepissime verba sacramentalia non tangunt physice subjectum sacramenti. a) Cum sacramenta paenitentiae et ordinis, etiam modo consueto, administrantur, verba, quibus continetur forma horum sacramentorum, non debent proferri facie versa versus paenitentem aut ordinandum, non exigitur ut ab iis audiantur, aut ullo modo physice ad eos perveniant. b) Sacramentum matrimonii interdum conficitur per procuratorem ; tunc gratia producitur in conjuges a se mutuo dissitos ; uterque ponit formam sacramenti ab altero suscepti adeoque uterque est minister sacramenti ab altero suscepti proindeque ei gratiam confert. Ergo si sacramenta physice producunt gratiam, possunt agere in distans.

Prob. 2a pars min. a) Totum sacramentum est causa gratiae, atque adeo utraque pars est causa partialis. Atqui saepe fit ut materia jam diu transierit, cum ponitur forma et confertur gratia : sic confessio et manifestatio doloris potest fieri una die, absolutio vero potest dari alia die. Ergo si sacramentum causat physice, materia paenitentiae erit causa physica partialis et causabit cum jam non est. b) Cum baptismus suscipitur, obice non remoto, gratia sacramentalis produ-

(1) Lugo, *De Sacram.* d. IV, s. IV, n. 35. — (2) Ita inter alios Scotus (in 4 d. 1, q. V), Bosco (*De Sacram.* d. 1, s. 4, concl. II, n. 56, 57), Vasquez (d. CXXXII, c. III et IV, n. 40, 41) et alii. — (3) Suarez : *De Sacram.* d. IX, s. 1, n. 23. — (4) Gonetus, d. III, a. 2, § 6, n. 114.

citur cum obex removetur, idemque est dicendum de omni alio sacramento reviviscente. Ergo si admittitur baptismum causare gratiam physice, dicendum est eum operari posse tunc cum jam non exsistit. Ergo.

Dices : Licet per se sacramenta causent physice, *per accidens* tamen contingit ut nonnisi moraliter operentur. Unde in tantum efficaces forent rationes adductae, in quantum omnes propugnatores causalitatis physicae affirmarent sacramenta *nonnisi* physice operari, eaque *semper* physice operari. Atqui haec non ponitur eorum sententia. Ergo.

Resp. Ex objectione mota consequens foret in unoquoque ex septem sacramentis agnoscendas esse duas species sacramentorum. Efficere enim gratiam est de essentia sacramenti, siquidem sacramentum definitur *signum practicum gratiae*. Atqui efficientia moralis et efficientia physica sunt duae species diversae. Ergo si alia sacramenta moraliter operantur gratiam, aliae physice, duplex species sacramentorum erit distinguenda in unoquoque ex septem sacramentis. — Jamvero dici non posse in unoquoque ex septem sacramentis agnosci oportere duas species sacramentorum, ex eo est manifestum, quod omnibus aeque sacramentis applicantur locutiones Scripturae et Patrum, quibus innituntur patroni causalitatis physicae ; non minus extollitur virtus sacramenti quod operatur tempore aut loco ubi non est, atque virtus sacramenti quod ad contactum agit. Ergo in unoquoque sacramento non possunt agnosci duae species sacramentorum.

Arg. II^{m}. Gratia sacramentalis causatur per *totum* sacramentum ; cum sit spiritualis, adeoque partibus carens, dicenda est causari tota in ultimo instanti. In sententia propugnante causalitatem moralem nulla in hoc deprehenditur difficultas ; contra in systemate opposito explicari nequit quomodo *totum* sacramentum causet in ultimo instanti totam gratiam. — Argumentum sic procedit :

Falsum est quod non *totum* sacramentum, sed tantum *pars* sacramenti causet gratiam. Patres enim et Concilia causalitatem adscribunt toti sacramento, non vero parti. Atqui ex eo quod sacramenta ponerentur causare gratiam ultimo instanti, consequens foret non *toti* sacramento, sed *parti* dumtaxat adscribendam esse causalitatem physicam. *Prob. min.* In tantum ultimo instanti totum sacramentum, et non tantum ultima ejus pars, dici posset causare gratiam, in quantum ultima pars, seu indivisibile terminans, causaret gratiam in virtute accepta a praecedentibus, h. e. in quantum unaquaeque pars praecedens influeret in sequentem, eamque disponeret ad causandum effectum sacramentalem.

Atqui ultima pars non causat in virtute accepta a praecedentibus. Ergo. — *Prob. min.* Ut ultima pars causaret in virtute accepta a prioribus, oporteret ut forma sacramentalis esset continua, adeo ut nulla physica interruptio haberetur inter verba ; deinde oporteret ut continua esset materia ; denique ut materia et forma essent vel simultaneae vel continuae. Secus enim incidimus in actionem in distans loco et tempore. Atqui haec conditio non verificari debet. Ergo.

125. — **Tertia pars.** REJICIENDA EST CAUSALITAS PHYSICA SACRAMENTORUM QUOCUMQUE DEMUM MODO HAEC VIRTUS EXPLICETUR.

Prob. Ritus sensibilis attingeret instrumentaliter vel gratiam vel characterem aut, deficiente charactere, ornatum spiritualem. Ulterius hunc effectum attingeret vel ope qualitatis spiritualis eductae a Deo ex sua potentia, vel ope qualitatis corporalis, vel ope concursus specialis a Deo praestiti. Atqui nullum ex his admitti valet. Ergo.

A. Absurdum est *qualitatem spiritualem educi ex potentia rei materialis*, quale est sacramentum. — Etenim qualitas est accidens. Atqui accidens spirituale non educitur ex potentia rei materialis. *Prob. min.* Tale enim accidens simul penderet essentialiter a re materiali et non penderet. *Penderet*, inquam : omne enim accidens vi essentiae pendet ab eo cujus est modificatio seu modus secundus essendi. *Non penderet:* spirituale enim vi essentiae non pendet intrinsecus a re materiali. Atqui implicat idem simul pendere intrinsecus ab alio secundum entitatem suam et non pendere ab eo. Ergo.

B. Impossibile videtur ut effectus sacramentalis physice producatur per sacramentum beneficio *qualitatis corporeae* ipsi divinitus infusae. Etenim effectus sacramentalis est spiritualis et supernaturalis. Atqui absurdum videtur quod res sensibilis, quale est sacramentum, physice producat rem spiritualem ac supernaturalem ; deesse enim videtur proportio requisita inter causam proximam et effectum. Ergo.

C. Sacramenta non causant physice gratiam beneficio *elevationis extrinsecae*. Etenim causalitas sacramenti nequit reduci ad simplicem conditionem sine qua gratia non produceretur a solo Deo. Atqui in sententia Suarez sacramentum ad hoc reducitur. Ergo falsa est. — *Prob. min.* Stante hac sententia, ponitur a ministro et a subjecto esse sensibile sacramenti, sine ulla elevatione intrinseca ; si Deus praestat concursum generalem, nullus producitur effectus spiritualis in anima, sed tantum effectus sensibilis in corpore ; si vero Deus concurrit concursu speciali, h. e. si vult fieri gratiam (Deus enim non concurrit aliter nisi volendo), praeter effectum sensibilem in corpore productum, gratia

in anima infunditur. Atqui sic sacramentum non videtur esse nisi conditio sine qua non produceretur gratia in anima. Ergo.

Dices : Cum intellectus aut voluntas eliciunt actum supernaturalem cum concursu Dei speciali, dicuntur et sunt causae partiales actuum supernaturalium. Atqui tota supernaturalitas efficitur a solo Deo. Ergo a pari.

Resp. *Negatur paritas.* Actus naturalis intellectus aut voluntatis et actus supernaturalis habent idem objectum materiale et idem objectum formale, differunt tantum ratione *objecti formalis sub quo.* Quare facultas et gratia tendunt in idem objectum ; beneficio gratiae fit ut actus in facultate receptus attingat illud objectum excellentiori modo. — Contra in sacramentis, actio sacramentalis, quae ex hypothesi non mutatur intrinsecus, habet objectum materiale et formale prorsus diversum ab objecto concursus specialis Dei quo infunditur gratia.

D. Asseri nequit a sacramento physice produci *ornatum* qui disponit ad infusionem gratiae. Etenim a) *gratis fingitur* iste ornatus, siquidem Scriptura et Patres nullam mentionem faciunt de eo. — b) *Nescitur ejus finis.* Necessarius enim non est ut conferatur gratia, cum desit ubi gratia producitur a Deo extra susceptionem sacramenti. Non datur ad operandum, esset enim habitus virtutis. Neque datur ad signandum animam, esset enim character. — Adversarii solent petere rationem ex eo quod ornatus quidem valet attingi sacramento, gratia vero, cum sit creata, non potest attingi sacramento. Sed haec ratio est nulla : Etenim a) falsum est id cui innititur, gratiam nempe *creari;* educitur enim ex potentia obedientiali animae (1). Deinde b) ipse ornatus non magis attingi potest a sacramento atque character, cum et ipse sit supernaturalis et spiritualis.

126. — Scholion. Sunt qui impossibilitatem causalitatis physicae probant sequenti ratiocinio : Consequens foret ex physica causalitate sacramenta producere effectum ultimo sui instanti. Atqui hoc admitti nequit. — *Prob. min.* Repugnat ut sacramenta causent cum jam non sunt. Atqui ultimo instanti jam non sunt. — *Prob. min.* Actio sacramentalis consistit in motu. Atqui motus ultimo sui instanti jam non est : in instanti nempe quo terminatur motus, motus primo non est ; ideoque dicitur desinere per primum sui non esse. Etenim si in ultimo instanti haberetur motus, daretur hoc instanti terminus a quo motus

(1) Cf. S. Th. *De pot.* q. III, a. 8, ad 3m ; Ia IIae, q. CX, a. 2, ad 3m. Suar. *De sacram.* d. IX, s. 1 ; *De gratia,* l. VII, c. II. Vasq. *In I part. s. Th.* d. CLXXIV. Lug. l. c.

et terminus ad quem ; sed si habetur uterque terminus, instans consideratum foret simul ultimum et non ultimum ; foret *non ultimum,* in quantum mobile esset in termino a quo et se moveret adhuc versus terminum ad quem ; foret tamen *ultimum* ex suppositione.

Fatemur *invalidum esse argumentum.* Etenim motus localis, utpote ens successivum, producit ubi permanens eo instanti quo jam non est. Motus alterativus producit formam substantialem permanentem ultimo sui instanti. Ergo ex eo quod sacramentum poneretur producere effectum ultimo sui instanti, cum jam non est, ratio impossibilitatis nulla peti potest.

Satisfit difficultatibus.

Dupliciter adversus thesim arguunt adversarii : 1. Ex fontibus revelatis erui dicunt sacramenta physice causare gratiam : Speciatim illud constare dicunt a) de baptismo, b) de paenitentia. — 2. Saltem possibilem esse dicunt causalitatem physicam, proindeque nihil obstare quin testimonia revelata intelligantur sensu obvio.

127. — *Ex fontibus revelatis probatur baptismum physice producere gratiam :*

Obj. 1°. *Ex Scripturis.* Apud Joh. III, 5, dicimur renasci ex aqua ; apud Titum dicimur sanctificari per lavacrum regenerationis ; apud Ephesios dicimur mundari lavacro aquae in verbo vitae. — Unde sic : Aqua regenerat, mundat, lavat. Atqui quod regenerat etc., physice agit. Ergo baptismus physice agit.

Resp. *Dist. maj.* Affirmatur ab auctoribus sacris aquam gignere gratiam et mundare animam, *praescindendo a specie causalitatis,* seu a modo quo aqua mundat, regenerat, renasci facit, *Conc. ;* affirmatur aquam *physice* gignere hos effectus, *Neg. Cdt. min.*

Inst. Atqui asseritur aquam physice gignere gratiam. Etenim quae est causalitas Spiritus Sancti in regenerationem baptismo collatam, ea est causalitas aquae in instrumentum assumptae. Ratio est quia Spiritus Sanctus et aqua apud Johannem III, copulantur particula *et.* Atqui Spiritus Sanctus causat physice gratiam. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Quod causalitatis *genus* attribuitur Spiritui Sancto, idem genus attribuitur aquae, *Conc. ;* quae *species* causalitatis Spiritui Sancto attribuitur, ea species a Johanne adscribitur aquae, *Neg. Cdt. min.* Spiritus Sanctus est realiter causa physica, et *scopus auctoris sacri est affirmare hanc causalitatem physicam, Neg. ;* et Johannes non indicat nisi *genus* causalitatis quo Spiritus Sanctus et aqua regenerant, *Conc.*

Observa. Apud Joh. III, 5 : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei, » Spiritus Sanctus et aqua uniuntur quidem particula copulativa *et* adeoque utrique adscribitur efficientia ejusdem ordinis, licet uni principaliter, alteri instrumentaliter, uti ex natura utriusque manifestum est ; — verumtamen, cum scopus Johannis non sit dicere quae *species* causalitatis utrique competat, utrum physica an moralis, dicendum est iis non attribui nisi *genus* causalitatis, praecisa utraque specie. — Ceterum si affirmaretur species causalitatis, moralis esset ibi asserta. Ea enim species foret retinenda, quae naturae sacramentorum est congrua et sine miraculis explicari valet ; talis autem est causalitas moralis, eaque sola. — Praeterea utriusque causalitatis patroni sensum omnino pressum verborum deserere coguntur, siquidem particula *ex* proprie denotat causam *materialem, ex qua* aliquid fit. — Facilius adhuc intelliguntur textus ad Titum et ad Ephesios, ubi homo sanctificari et mundari dicitur baptismo, per baptismum. Apte enim hoc scribendi modo significatur causa moralis, quod patet sequentibus : « Reconciliati sumus per mortem Filii ejus » (Rom. V, 10) ; « In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus » (Col. I, 14) : « Renati non ex semine corruptibili, sed incorr uptibili per verbum Dei vivi » (I Pet. I, 23) ; « Genuit nos verbo veritatis » (Jac. I, 18).

Obj. 2°. Ex *Patribus.* Augustinus exclamat : « Quae est tanta virtus aquae ut corpus tangat et animam abluat? » — Sylvester alloquens Constantinum Magnum : « Haec aqua, imperator, ait, divina virtute concepta per invocationem vivificae Trinitatis, sicut exterius corpus abluit, ita interius animam mundat. » Cyrillus Alexandrinus : « Sicut aqua calefacta viribus ignis calorem communicat, sic Spiritus Sancti operatione aquae elevantur ad divinam virtutem. » — Unde sic : a) Aqua juxta Patres mundat animam ex virtute Spiritus Sancti, ea causalitate qua ex se abluit corpus. Atqui physice abluit corpus. Ergo. — b) Spiritus Sanctus dat aquae eam causalitatem respectu gratiae, quam ignis ei dat respectu caloris communicandi. Atqui ignis dat aquae virtutem producendi physice calorem. Ergo.

Resp. Objectio praeoccupata fuit inter argumenta. *Distinguitur major :* Vi virtutis datae a Spiritu Sancto aqua agit in animam eo *genere causalitatis,* quo aqua ex se abluit corpus et quod ab igne accipit ad calefaciendum, *Conc. ;* agit juxta Patres *eadem specie* causalitatis, nempe physicae, *Neg.* Etenim scopus Patrum non est tueri causalitatem physicam his verbis, sed tantum *affirmare efficaciam baptismi;* ut hanc efficaciam vivide depingerent, assumpserunt quidem modos loquendi

qui, si sensu obvio intelligendi sint, significant causalitatem physicam, verum deseri posse sensum obvium omnino constat ex eo quod scopus Patrum non exigit ut retineatur et quia aliunde obstat cogens ratio.

Inst. Atqui Patres nequeunt intelligi de sola causalitate in genere. Extollunt admirabilem virtutem aquae. Atqui non est adeo mirabilis nisi physice gignat gratiam. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Mirabilis sane foret virtus aquae si physice operaretur gratiam ; sed mirabilis etiam est, si actio utendi aqua, sive ablutio, fit actio Christi ipsius et jam infallibiliter movet Deum ad elargiendam gratiam, ita scilicet ut exigat collationem gratiae et divina virtus ei inexsistat.

128. — *Ex fontibus revelatis probatur paenitentiam physice producere gratiam.*

Ad difficultates praenota. 1. Forma sacramenti paenitentiae, *ego te absolvo,* significat peccata remitti, et hanc remissionem efficit tamquam causa moralis instrumentalis. Physice nempe peccata remittuntur a Deo, Deus autem ad hoc movetur dignitate personae Christi ; Christus autem Patrum movet verbis absolutionis quae procedunt ab eo tamquam a ministro principali sacramenti, a sacerdote tamquam a ministro secundario.

2. Si quaeritur utrum verba absolutionis in sensu proprio et obvio significent peccata *physice* remitti iisdem verbis, duplex fieri potest responsio : a) Altera *affirmat.* Qui eam facerent et simul propugnarent solam causalitatem moralem sacramenti, deserere deberent sensum obvium et contendere Christum et sacerdotem pronuntiando haec verba non velle significare nisi *genus* causalitatis, praecisa utraque specie, proindeque eos significare se *infallibiliter* remittere peccata, sive physice sive moraliter. — b) Altera responsio *negat* dicitque sensum obvium esse : « ego ministerialiter remitto peccata » adeoque abstrahi a duplici modo efficiendi remissionem ; rationem dat quia non minus ministerialiter remittit peccata ille qui est causa moralis instrumentalis infallibiliter movens Deum, atque ille qui est causa physica. — Insuper advertere juvat formas sacramentales assumi non posse sensu prorsus obvio, nulla explicatione adjecta. Secus enim minister sacramenti foret dicendus causa *principalis* gratiae, nulla enim mentio fit alius causae, ubi autem una tantum causa indicatur, sensu obvio intelligitur esse principalis. — Idem dicendum est de sacrificio missae, ubi substantia panis et vini poneretur conversa in corpus et sanguinem celebrantis, si urgendus esset sensus obvius.

3. Si quaeritur utrum sententia absolutionis habeat eamdem efficaciam atque sententia judicialis in foro civili, respondetur distinguendum esse : a) Si enim sermo fit *de effectu collato per sententiam absolutionis,* multo major est : absolutio enim delet culpam in foro interno, seu ex injusto facit justum ; contra in foro civili sententia, qua quis absolvitur, tantum pronuntiat eum reapse reum non esse, proindeque falso traductum esse coram judice quasi reus esset. — b) Si sermo fit de effectu qui gignitur per sententiam condemnationis, in foro interno quidem denegatur remissio peccati seu translatio ad statum justitiae, proindeque recusatur concessio boni ; in foro civili indicuntur paenae lege statutae. — c) Si demum sermo fit de modo causandi, uterque judex pronuntiat se esse causam quae remittit aut punit, uterque etiam non est nisi causa moralis : de foro paenitentiae hoc constat ex thesi XV^a^ et XVI^a^, de foro civili hoc patet quia judex tantum praecipit ut accusatus puniatur vel liberetur, praecipere autem est esse causam moralem rei praeceptae. Nihil tamen vetat quin judex civilis valeat esse causa physica, si nempe ipse sententiam suam exsecutioni mandat.

4. *De potestate Christi circa peccata remittenda :* a) Christus erat Deus et homo. Qua Deus potiebatur eadem numerice potestate atque Pater. Qua homo non poterat habere omnem prorsus potestatem : Est enim potestas quae Deo est propria adeoque absolute incommunicabilis creaturae ulli ; talis est potestas creandi. Contendimus hujusmodi etiam esse potestatem physice producendi gratiam. — b) Si potestas remittendi peccata non est nisi moralis, infallibiliter tamen consecutura effectum, cum omni veritate dicere potest Christus : « Mihi data est potestas remittendi omnia peccata. Hanc potestatem communico vobis. » Sic legatus plenipotentiarius dicere potest se habere omnem potestatem regiam, etiamsi solus rex valeret exsequi ejus decreta.

Obj. 3°. *Ex Tridentino.* Sess. XIV^a^, can. 9° legitur : « Si quis dixerit absolutionem sacramentalem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium... A. S. » — Capite v° probatur necessitas confessionis distinctae eo quod Christus sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tamquam praesides et judices ad quos omnia lethalia deferrentur, qui, pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum, sententiam pronuntient. — Unde sic arguitur. Sententia absolutionis efficit id quod in foro externo efficit sententia judicis. Atqui in foro externo sententia judicis physice solvit et ligat. Ergo sententia absolutionis physice solvit a peccato, seu producit gratiam.

Resp. a) *Conc. maj. Neg. min.* b) *Dist. maj.* Absolutio efficit id

quod in foro externo efficit sententia judicis, *eodem genere* causalitatis, *Conc.; eadem specie* causalitatis, *Neg.* — *Conc. min.* — *Neg. cons.*

Inst. Atqui sententia absolutionis producit effectum eodem modo seu physice. Probatur dupliciter. a) Quo modo retinet, eodem modo solvit. Atqui retinet physice, eodem nempe modo quo sententia judicialis in foro externo. — Patet major quia secus duplici significatu sumitur potestas pro duplici termino suo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Deus enim est qui physice retinet peccatum, non infundendo gratiam.

Obj. 4°. *Ratione theologica.* b) Quaevis forma sacramentalis operatur id quod significat. Atqui verba absolutionis non operantur id quod significant, nisi physice remittant peccata. — Ut efficiant omne id quod significant, exigitur ut operentur eo modo qui ipse significatur. Atqui verba absolutionis non modo significant peccata remitti, sed adhuc ea physice remitti ipsis verbis. Ergo.

Resp. a) *Conc. maj. Neg. min.* Sensus enim obvius vi adjunctorum est « ego *ministerialiter* remitto » ; haec autem formula abstrahit a modo quo ministerium impletur, utrum per causalitatem ministerialem physicam, an per moralem. b) *Dist. maj.* Exigitur ut operentur *eo modo quem Christus et sacerdos volunt significari* verbis absolutionis, *Conc. ;* eo modo qui indicatur per verba *sensu obvio, Neg.* Si enim hoc esset verum, absolutio dicenda foret causa principalis. — *Cdt. min.*

Obj. 5°. *Ex Scripturis. Ex Joh.* XX, 21 sqq. « Dixit ergo eis iterum : Pax vobis. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis et quorum retinueritis, retenta sunt. » — « Mittere » apud Hebraeos perinde est ac conferre potestatem. Insufflatio erat signum collatae potestatis. — Unde sic arguitur : Christus Apostolis communicavit eam potestatem quam ipse a Patre acceperat circa peccata. Atqui collata ei erat a Patre potestas physice remittendi peccata, infundendo gratiam. — *Prob. min.* Christo collata erat omnis potestas. Atqui cui confertur omnis potestas, ei confertur potestas physice remittendi peccata. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* — Ad prob. a) *Dist. maj.* Christo collata erat omnis potestas etiam *propria Deo, Neg.* Omnis potestas *communicabilis* alicui creaturae, *Conc. Cdt. min.* — b) *Dist. maj.* Christo collata est omnis potestas, ita ut pro diversitate objecti fuerit modo *physica*, modo *moralis, Conc.;* omnis potestas *physica circa quemlibet effectum, Neg.* — *Cdt. min.*

129. — *Ratione theologica probatur omne sacramentum physice causare gratiam.*

Obj. 6°. Christus tradidit ministris N. L. potestatem majorem in ordine ad conferendam gratiam, quam erat potestas ministrorum sacramentorum legis veteris. Atqui, nisi sit physice productiva gratiae, praestantior non est. — *Prob. min.* Ritus enim sacramentales fiebant nomine synagogae, significabant gratiam conferendam, hanc promittebant nomine Dei. Atqui ubi haec tria occurrunt, ibi habetur causalitas moralis. Ergo sacramenta V. L. erant causae morales gratiae, proindeque efficacia sacramentorum N. L. non est major, nisi physice concurrant in productione gratiae. — *Prob. min.* Ibi habetur causalitas moralis, ubi habetur vis inflectendi causam physicam per modum motivi. Atqui ubi occurrunt tria modo memorata, ibi habetur hujusmodi vis inflectendi. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* — Ad prob. *Conc. maj. Dist. min.* Ubi haec tria, ibi causalitas moralis in *actu primo*, *Transm.*; in *actu secundo*, *Subd.* si Deus statuit se collaturum esse gratiam ob *dignitatem intrinsecam* sacramentorum, *Conc.*; si statuit sacramenta non esse nisi *conditiones*, *Neg.* — Ad probationem minoris, concessa majore, *distinguitur minor* eodem modo.

Observa. Sacramenta V. L. eo quod conficiebantur nomine synagogae, prae se ferebant aliquam dignitatem, quae tamen in immensum distat a dignitate sacramentorum N. L. Non negamus tamen ea ex se habuisse *in actu primo* aliquam vim movendi Deum. De facto tamen Deus hac dignitate non movebatur, et proinde ista sacramenta non erant causa moralis *in actu secundo*, sed tantum *conditiones sine quibus non.*

Inst. Atqui conditioni sine qua non inest aliqua causalitas moralis. Si enim homo aliquis probe gnarus Petro datum esse praeceptum occidendi omnes quos invenerit veste viridi indutos, ex industria induat Paulum tali veste, apud omnes haberetur uti causa moralis necis Pauli. Atqui non posuit nisi conditionem sine qua non. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Petrus haberetur ut causa moralis necis Pauli h. e. haberetur ut *reus*, et dignus vituperio, *Conc.*; haberetur uti causa moralis *stricto sensu*, *Neg.* — *Conc. min.* — *Dist. cons.*

130. — *Possibilis est causalitas physica sacramentorum.*

Obj. 7°. Possibile enim est ut sacramenta sive intrinsecus sive extrinsecus eleventur ad productionem gratiae. Ergo tantae non sunt difficultates ut propter eas descrendus sit sensus obvius Patrum et Scripturae.

Prob. ant. A. *Extrinsecus.* Defendunt causalitatem physicam multi

doctores, doctrina perspicui qui in enarratione sententiarum fuerunt citati. — Praeterea non pauci ex his doctoribus qui, ad factum quod attinet, propugnant causalitatem moralem sacramentorum, affirmative tamen solvunt quaestionem an possibilis sit causalitas physica.

Resp. *Dist. ant.* Possibilis est causalitas physica sacramenti *ubi habetur contactus*, *Transm.;* ubi deest contactus, *Subdist.* non est manifesta impossibilitas, *Transm.; manifesta est possibilitas* aut *impossibilitas non innititur solidissimis rationibus, Neg.* — Ad probationem distinguitur eodem modo. Ideo autumarunt scholastici possibile esse ut sacramenta physice operentur gratiam, quia supponunt ea non agere nisi *ad contactum* et quia ducebant corpora elevari posse ad productionem formae spiritualis et supernaturalis, *Conc.;* secus, *Neg.* — Sine temeritate affirmari potest omnes aut plerosque doctores supponere quod sacramenta semper tangunt physice subjectum et numquam agunt in distans. Ratio est quia actio in distans communiter est rejecta in schola. Et merito, licet enim ejus impossibilitas non demonstretur apodictice, tam solidis tamen suadetur rationibus ut vix deprehendere sit philosophum qui eam propugnaverit. — Supposito itaque quod sacramenta non conferunt gratiam subjecto nisi ad contactum, non pauci scholastici arbitrati sunt causalitatem physicam esse possibilem, quia admittebant quamlibet creaturam posse elevari ad productionem cujuslibet formae supernaturalis.

Obj. 8°. B. Probatur idem *intrinsecus*. Impossibilitas peteretur ex eo quod gratia sacramentalis est spiritualis, supernaturalis, producitur saepe in distans et semper in ultimo instanti sacramenti. Atqui nulla apparet impossibilitas in eo quod ritus sacramentalis efficienter attingat effectum spiritualem, supernaturalem, separatum a se loco, et quod eam producat in ultimo instanti sui. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Praecipuum argumentum rationis contra causalitatem physicam supra fuit petitum ex eo quod sacramentum deberet posse agere in distans quoad locum et quoad tempus. Argumentum non quidem stringens, tamen omni robore haud destitutum, fuit petitum ex eo quod sacramentum, etiam informatum qualitate supernaturali corporea (nam aperte repugnat eductio qualitatis spiritualis ex potentia obedientiali ritus sensibilis), videtur prorsus impar producendae qualitati supernaturali et spirituali, qualis est gratia sanctificans. — Nullatenus tamen contenditur impossibile esse ut ulla res sensibilis agat in spiritum et efficienter producat accidens spirituale; verum hoc negatur de re sensibili tam simplici et tam infirma, qualis est actio sacramentalis (excepta tamen materia Eucharistiae), respectu effectus

spiritualis tam nobilis, qualis est gratia sanctificans; deesse enim videtur omnis proportio inter causam et effectum requisita.

Obj. 9° *Sacramentum potest producere effectum spiritualem:* Ignis inferni agit in puros spiritus et in animas separatas a corpore, proindeque in iis producit qualitatem spiritualem. Ergo ritus sacramentalis potest supernaturaliter producere qualitatem spiritualem in anima.

Resp. *Negatur paritas.* Revelatione notum est animam separatam posse uri ac ardere, seu eam posse experiri dolores similes doloribus quos compositum humanum experitur sub actione ignis. Hoc supposito, non apparet impossibile ut ignis materialis producat hunc effectum, saltem si juvatur Dei omnipotentia; datur enim proportio inter causam materialem et efficientem ex una parte et effectum ex alia; ignis enim producit in anima simile sui. Inter ritum autem sacramentalem et gratiam spiritualem supernaturalemque deest prorsus ista proportio.

Obj. 10°. *Sacramentum potest producere effectum qui simul sit spiritualis et supernaturalis:* Sacramento, vi potentiae obedientialis, potest infundi a Deo qualitas spiritualis supernaturalis. Atqui beneficio istius infusionis fit proportionatum producendae in anima gratiae spirituali ac supernaturali. Ergo. — *Prob. maj.* Anima spiritualis informat corpus tamquam ejus forma substantialis. Ergo qualitas spiritualis potest informare sacramentum: si enim forma substantialis potest informare substantiam corpoream incompletam, forma accidentalis potest informare substantiam corpoream completam.

Resp. *Negatur major.* Ad probationem: *Negatur paritas.* Anima enim humana, quia est spiritualis, nequit educi ex potentia corporis. Jamvero qualitas deberet educi ex potentia sacramenti, secus enim fieret ex nihilo proindeque crearetur essetque substantia; jamvero nequit admitti, creari a Deo formam spiritualem per se subsistentem eamque uniri sacramento; secus enim sacramentum materialiter consideratum jam non esset ritus sensibilis sed compositum ex ritu sensibili et ex forma substantiali per se subsistenti.

Inst. Atqui qualitas spiritualis potest educi ex potentia ritus sacramentalis. Etenim in brutis superioribus anima simplex educitur ex potentia materiae. Ergo qualitas spiritualis potest supernaturaliter educi ex potentia sacramenti.

Resp. *Conc. ant. Dist. cons.* Qualitas spiritualis h. e. *simplex* seu non constans ex partibus quantitativis, *Conc.;* h. e. intrinsecus *independens* in *operando* adeoque in essendo, *Neg.* Ut beneficio qualitatis sacramentum fiat aptum ad efficiendam qualitatem spiritualem in animo, quali-

tas infusa debet esse stricte spiritualis, secus omnis operatio sacramenti erit extensa et materialis, haud secus atque operatio bruti.

Obj. 11°. *Sacramentum potest agere in distans :* Contactus enim suppositi et virtutis naturaliter tantum requiritur ut causa secunda agat, quia nempe causa principalis naturalis non valet communicare instrumento virtutem ad agendum in distans. Atqui haec ratio afferri in praesenti non valet, causa enim supernaturalis, seu Deus, potest communicare hujusmodi virtutem. Ergo.

Resp. *Negatur major.* Ratio enim cur instrumentum tangere debeat contactu suppositi, non petitur ex imperfectione causae principalis, sed ex ipsamet essentia actionis omnis agentis corporei, sive principaliter agat sive instrumentaliter.

Obj. 12°. Creatura naturaliter activa, vi potentiae obedientialis activae, potest elevari ad supernaturales formas non vitales producendas. Atqui sacramentum est creatura naturaliter activa, et gratia sanctificans non est forma vitalis. Ergo. — *Prob. maj.* Creatura naturaliter activa potest elevari ad producendum omne id quod habet rationem entis et quod non exigit essentialiter fieri a tali natura. Atqui forma supernaturalis participat rationem entis ; forma non vitalis non exigit fieri a tali natura. Ergo. — *Prob. maj.* Creatura naturaliter activa continet aliquo modo in sui virtute rationem entis (est enim essentialiter inclusa in omni ente particulari). Atqui quod continetur in virtute causae, potest produci ab ea. Ergo.

Resp. a) *Dist. maj.* Creatura naturaliter activa potest elevari ad producendas *in distans* formas supernaturales non vitales, *Neg. ; ad contactum, Subdist.* formas supernaturales *corporeas*, *Conc. ; spirituales, Subdist.* si creatura quae agit est *spiritus, Conc. ; si est sensibilis,* adhuc *Subdist. non est manifestum* hanc rem non posse elevari ad productionem formae supernaturalis, *Conc. ;* non est *probabilissimum* hoc non posse contingere, *Neg.* — b) Ad ultimam probationem haec fit responsio : In gratia supernaturali considerari possunt variae rationes ; verum hae formalitates non re sed sola mentis praecisione sunt distinctae. Si ratio entis vel alia ratio esset distincta realiter a ceteris rationibus, aliquatenus defendi posset gratiam posse efficienter attingi secundum determinatam aliquam rationem ab iis agentibus in quibus eadem ratio habetur (communiter tamen tenent auctores rationem universalem entis a sola causa universali, sive prima, attingi posse). Verum si distinctio est mere logica, probandum ulterius foret sufficere ut duo conveniant in certa aliqua formalitate, ad hoc ut unum elevari possit in productionem

alterius. Sane hoc verum non est si agitur de efficientia entis naturalis. Quare hoc verificatur de efficientia entis supernaturalis ?

ARTICULUS III.

Sacramenta esse causas morales gratiae ostenditur.

Vasq. l. c.; — Lugo l. c.

§ 1. Variae sententiae.

131. — Causa moralis ([1]) sensu stricto, potest sumi in actu primo et in actu secundo. — Id dicitur effectum causare moraliter in actu primo, quod ex intrinseca sua ratione natum est movere naturam rationalem ut efficientia physica hunc effectum producat: si causa physica reapse effectum producit quia ab altera movetur, haec dicitur causa moralis in actu secundo.

Quaeritur num ritui sacramentali sensibili insit specialis aliqua *dignitas nata movere Deum* ut infundat gratiam ei qui suscipit sacramenta, obice remoto, et num revera gratia a Deo infundatur ob hanc dignitatem, secundum Christi institutionem. — Verum non quaeritur an sacramentum sit causa moralis *principalis,* sed an sit causa *instrumentalis.* Si enim sacramenta causant moraliter, dicendum erit personam ministri principalis, sive Christum, esse causam moralem principalem, Christum vero *uti sacramentis* ad movendum Deum, seu Christum movere in quantum ab eo proficiscitur actio sacramentalis.

132. — Causalitatem moralem sacramentorum defendunt 1° Amort, Strugll, Amicus, Gamache, Gradin, Du Hamel, Continuator Tournely, Vasquez, De Lugo, Joh. de Ulloa, Martinus et Bartholomaeus Ledesma, Hurtadus, Arriaga, Becanus, Coninck, Lessius, Haunoldus, Platel, Antoine aliique plures insignes theologi. Hi negant sacramentis competere ullam causalitatem physicam et nonnisi moralem eisdem attribui

([1]) Causa moralis intelligi potest sensu latiori. Hoc nempe sensu dicitur moraliter causare effectum, id quod ex libera voluntate alius habet virtutem causandi effectum quacumque causalitate. Talis causalitas non differt a causalitate generice sumpta. Ex Th. XIV probatum relinquitur sacramenta causare gratiam; ex dicendis postea elucescet Christum instituisse sacramenta, tamquam fontes et causas gratiarum. Sacramenta itaque, omnibus catholicis fatentibus, sunt causae morales significatu hoc latiori.

volunt [1] — 2° Causalitatem moralem sacramentis attribuunt etiam non pauci ex iis doctoribus qui defendunt praeterea causalitatem physicam: Salmanticenses, Ysambert, Franc. Bonae Spei, Dom. Viva, Suarez [2].

Verum non unus datur modus explicandi rationem sacramentis intrinsecam, qua infallibiliter Deum movent ad elargiendam gratiam.

133. — Juxta Ant. Hiquaeum [3] minoritam, sacramenta movent Deum quatenus *in esse suo includunt institutionem divinam* sive actum quo divina voluntas vult ut gratia conferatur ei qui suscipit sacramentum.

Crisis. Falsificatur duobus praefata sententia: a) Datur mutatio elenchi: Quaestio enim non movetur de sacramento pro *formali,* sed pro materiali. Sane enim actus divinae voluntatis instituit sacramenta, confertque gratiam rite ea suscipienti. Verum quaeritur *quomodo* Deus instituerit sacramenta, quemnam nexum voluerit esse inter positionem signi sensibilis et infusionem gratiae. b) Si asseritur ritum sacramentalem non aliter influere in gratiam, consequens foret eum non esse nisi conditionem.

134. — Juxta Melch. Canum [4] sacramenta sunt causae morales prout a) *Christus iis exhibet merita sua Patri;* b) *haec merita suscipienti applicat;* c) et sic sacramenta *continent virtutem passionis Christi.* Eodem

---

(1) Amort, *Theol. eclect.* etc. tom. II, tract. *de Sacr. in gen.* d. III, q. I; Strugll, *Theol. univ.* tom. II, tr. X, d. II, q. 2, a. 2; Gamache, *Comment.* in III p. d. Thom. q. LXII, c. V; Gradin, *de Sacr.* d. I, q. IV, a. 2, s. 5; Du Hamel, *Theol. spec., de Sacr.* disp. ult. c. II; Continuator Tournely, tr. *de Sacr. in genere,* c. VI, a. I, s. 3, concl. 2 et 3; Vasquez, in III p. q. LXII, a. 4, d. CXXXII, c. V; De Lugo, *de Sacram.* d. IV, s. 4; Joh. de Ulloa, *de Sacr. in gen.* d. I, c. VII; Lessius, *in* III part. *d. Thom.* q. LXII, a. 4.

(2) Salmant. tr. XXII, d. IV, dub. 2, § I, n. 22 sqq.; Ysambert, in III p. ad q. LXII, d. IV, a. I; Franc. Bonae Spei, *Comment. in univ. theol.* t. V, tr. I, *de Sacr. in genere,* d. II, dub. 2, n. 13; Dom. Viva, *Curs. theol.* t. II, p. VII, d. II, q. III; Suar. *de Sacram.* d. IX, s. 2.

(3) Ant. Hiquaeus: « Sententia ergo Doctoris est sacramenta, *ut habent institutionem divinam annexam,* causare gratiam, et patet, quia voluntas qua Deus instituit sacramenta ut signa practica gratiae, ut signa practica et certa, includit virtute voluntatem causativam signati; ergo sacramenta *ut includunt illam voluntatem, includunt etiam voluntatis sequentis effectum et actionem ex divina dispositione,* sed sacramenta, ut habent rationem instrumenti et ut habent rationem dispositionis necessitantis ad gratiam, includunt illam voluntatem, quia *in esse rei talis efficacia eis non competit;* ergo recte per hoc explicatur eorum efficacia. »

« Et mirum est, si id Vasquez in propria sua sententia abnuat, cum doceat nobiscum sacramentum esse tantum causam moralem gratiae: nam illa virtus moralis, superaddita sacramento, quid superaddit praeter id quod Doctor asserit? » *Comment in Scot.* l. IV sent. d. I, qq. V et VI, n. 74.

(4) Melch. Cano: « Christus sanguinis effusi pretium potissimum nobis communicat per sacramenta. Virtus enim et valor sanguinis Christi sacramentis susceptis applicatur... Nos vero, theologica gravitate et dignitate servata, cum Concilio Florentino pronuntiamus nostra sacramenta et continere gratiam et eam suscipientibus digne conferre. Continere, inquam, non ut causa naturalis continet suum effectum, sed ut causa *moralis.* Crumena siquidem continere dicitur captivi redemptionem, quoniam pecuniam continet: et

tempore eamdem sententiam professus est Ledesma (1); Canus et Ledesma doctrinam suam acceperunt a communi ipsorum magistro Francisco Victoria. — Canus primo invexit appellationem causalitatis moralis sacramentorum.

Crisis. Rejicienda est sententia Cani tamquam non sufficienter explicativa causalitatis moralis.

Ad primum : Si sacramenta exhibent Patri merita Christi, dicendus est Pater moveri his Christi meritis, non vero eo quo merita exhibentur; illud enim erit tantum signum quo Patri innotescunt merita Filii, aut conditio sine qua merita Patrem non moverent, nisi ulterior explicatio addatur ad ostendendum sacramentis communicari a Christo dignitatem natam instrumentaliter movere Patrem. — Ad exemplum chirographi a Cano allatum, addere juvat eum qui, exhibito chirographo, solvit debitum, moveri per voluntatem creditoris chirographo significatam, non autem chirographo ipso.

Ad secundum : Merita Christi applicari subjecto sacramenti aliud nihil est nisi ob ista merita a Deo gratiam infundi suscipienti sacramenta. Unde vel solis meritis Christi movetur Deus, aut Deus movebitur per dignitatem sacramenti ad dandam gratiam quam Christus meruit; si primum dicitur, sacramenta non sunt nisi conditio vel signum; si alterum affirmatur, causalitas sacramenti inexplicata relinquitur.

Ad tertium : Variis modis dici possunt sacramenta continere virtutem passionis Christi. Alii vero modi sunt destructivi omnis verae causalitatis moralis; alii absurda inferunt ; alii denique causalitatem non explicant. — Possunt enim sacramenta dici continere gratiam : a) *sicuti signum continet significatum.* Sic autem sacramenta decidunt a ratione causae. Signum enim non movet, sed res significata est quae movet; signum vero est conditio, atque id quo acquiritur cognitio illius rei quae moraliter movet. — b) *Quatenus virtus passionis intrinsecus poneretur afficere sacramenta,* eo modo quo accidentia afficiunt substantiam. Hoc autem est absurdum. — c) Quatenus haec *virtus ponetur extrinsecus assistere.* Hoc posito, vel nulla virtus, nec physice agens nec moraliter, ad ipsa sacramenta derivatur: et sacramenta jam non sunt

sacramenta, quae continent sanguinem Christi, continere dicuntur gratiam et redemptionem captivorum; et sicut crumena, pecuniam administrans, redemptionem confert, ita sacramentum confert gratiam, pretiosum sanguinem applicans: et haec est illa sacramentorum virtus, quae adeo multorum ingenia torsit. Virtus enim redemptionis in marsupio est, in quo pretium redemptionis servatur, et virtus sacramentorum sanguis Christi est, qui in sacramentis adhibetur. » *Relect. de Sacram. in genere,* p. IV, post 6m conclus.

(1) Mart. Ledesma, in I part. q. III, a. 1, post 6m conclus.

nisi conditiones et signa quibus nobis innotescit virtus sanguinis Christi; vel aliqua virtus derivatur et explicandum manet qualis sit.

135. — Juxta Gulielmum Parisiensem et Vasquez, sacramenta sunt causae morales gratiae, quatenus *impetrant a Deo gratiam* ([1]).

Crisis. Haec sententia duobus modis potest intelligi : Sacramenta dici possunt impetrationes sensu lato, quem explicat sententia sequens, vel sensu proprio quo impetratio idem audit ac *petitio.* — Si posteriori sensu intelligitur, sacramentum non valet esse nisi *petitio externa;* jamvero ut talis sit, oportet ut pendeat a petitione interna ac formali Christi, sive ab actu voluntatis Christi petenti a Patre infusionem gratiae. Porro iste actus, vel est ipsa institutio, vel est actus consequens ad institutionem, vel est actus qui saltem natura praecedit : a) Si is actus dicitur esse *institutio :* α) jam sacramenta videntur accipi formaliter, adeoque dari videtur mutatio elenchi; β) solus iste actus videtur movere Patrem, sacramentum autem, — nisi ulterior explicatio addatur, — videtur non esse nisi signum quo innotescit Patri petitio Christi, aut conditio sine qua non; γ) sequitur hoc inconveniens, quod sacramenta ponuntur instituta per petitionem. — b) Si dicitur esse actus *consequens ad institutionem :* α) est inutilis : cum enim jam absolute sit decreta collatio gratiae per sacramentum, inutile fit eam petere; β) sacramentum iterum apparet tamquam signum aut tamquam conditio. — c) Si est *natura prior ad institutionem,* sic videtur intelligenda institutio sacramenti : Christus in primo signo rationis statuit quamlibet confectionem sacramenti esse petitionem suam; in secundo signo rationis statuit hanc petitionem esse infallibiliter impetrativam gratiae. Quo posito, dicendum est utrum haec petitio externa habeat vim movendi Deum, quatenus est signum quo petitio externa Christi innotescat Patri; an insuper ei insit alia vis. Si primum asseritur, negandum erit hanc petitionem externam habere rationem causae moralis, signum enim qua signum non movet, sola res significata movet. Si secundum, inexplicata relinquitur quaestio.

136. — Juxta Lugonem ([2]) sacramenta movent Deum : a) quatenus sunt *conditiones sub quibus Deus promisit gratiam;* debitor autem, qui

---

([1]) Gulielm. Paris. *De sacram. in* gen. c. I. — Vasquez, *in III*[m] *partem divi Thomae,* d. CXXXII, c. V, n. 80-82 : « Hanc naturam instrumenti moralis explicabimus eo modo quo dicimus Christi humanitatem, mediis suis meritis, fuisse causam miraculorum, et apostolos, media invocatione et oratione, instrumenta Dei ad sanitates et alia hujusmodi facienda, nempe *per modum impetrationis;* nisi quod, ut supra notavimus, *sacramentorum impetratio nullo merito ministri, sed solo verbo promissionis Dei nititur, et hac sola ratione impetrat.* » L. c. n. 82. — ([2]) Lug. *De sacram.* d. IV, s. IV, n. 33.

sub conditione promisit, movetur ab ipsa conditione ad volendum dare quod promisit ; b) quatenus sunt *actiones et operationes Christi per suos ministros, quibus repraesentat Deo sua merita,* ut obtineat gratiam pro hominibus.

Crisis. Ad primum quod attinet, dicendum est debitorem non moveri praecise per positionem conditionis, sed potius per promissionem antea factam, per fidem datam. Purificatio vero conditionis efficit ut promissio antea facta nunc moveat.

Ad secundum quod spectat, duo includuntur : primum mox evolvetur sent. seq., alterum restaurare videtur sententiam Cani.

137. — Juxta Franzelin (1) actiones sacramentales movent Deum quatenus sunt *moraliter actiones Christi.* — Quae sententia sic evolvitur: a) Christus, potestate a Patre sibi data, instituit ut ritus sacramentales fierent nomine suo et auctoritate sua, ut ipse foret minister principalis, sacerdos autem minister secundarius, quo ipsemet Christus uteretur veluti vices suas supplente ; proindeque voluit ut sacramenta forent moraliter actiones suae, adeoque censerentur ab ipsomet profectae. — b) Ex dignitate personae principaliter operantis dimanat ad ritus sacramentales objectiva aliqua dignitas iis intrinseca, ratione cujus sacramenta nata sunt movere Deum ad infundendam gratiam rite ipsa suscipienti, seu ratione cujus sacramenta sunt causa moralis gratiae in actu primo. — c) De facto Christus, pro potestate accepta a Patre, voluit ut sacramenta infallibiliter annexam sibi haberent gratiam ratione hujus objectivae dignitatis, sive ut essent causae morales in actu secundo. — d) Deus unus et trinus, a quo procedit omnis actio ad extra, reapse infundit gratiam ob dignitatem sacramenti. Deus itaque est causa principalis ; sacramenta sunt causa instrumentalis quatenus Deus eis ultimo dedit vim movendi ipsum ad infundendam gratiam, adeoque sunt ratio propter quam confertur gratia rite suscipienti sacramentum. — Nihil obstat quin sacramentum dicatur sic impetrare sensu latiori.

Praejacta sententia sic etiam exponi potest : Christus voluit ut e persona sua dimanaret ad sacramenta aliqua dignitas per quam Patrem infallibiliter moverent ad infundendam gratiam ; hanc autem dignitatem voluit consistere in eo quod sacramenta moraliter conficerentur ab ipso tamquam a ministro principali, adeoque essent moraliter actiones suae. Quod ita explicatur : Sacramenta physice quidem

(1) Franzelin, *De sacram. in gen.* Thesis X.

conficiuntur a sacerdote, moraliter conficiuntur a Christo, cum nempe conficiuntur nomine et auctoritate Christi, censentur a Patre esse actiones Christi ministri principalis.

§ 2. DEMONSTRATUR CAUSALITAS MORALIS SACRAMENTORUM.

THESIS XVI[a]. — Ritus sacramentales sunt moraliter actiones Christi. Quare ex persona Christi dimanat ad sacramenta objectiva dignitas, ratione cujus nata sunt movere Deum, ut rite ipsa suscipienti infundat gratiam. Porro sacramenta, ex institutione Christi, non aliter sunt causae instrumentales gratiarum.

138. — Prima pars. SACRAMENTA SUNT MORALITER ACTIONES CHRISTI. **Probatio I[a]. Ex Script.** Haec pars aliquod fundamentum agnoscit in Eph. v, 25, 26 : « Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae. » *Unde sic :* Si haec verba intelliguntur sensu obvio, dicendus est Christus ipse tamquam persona principalis conficere sacramentum baptismi. Atqui intelligenda sunt sensu obvio, tum quia nihil obstat, tum quia traditio ea sic intelligit ; sed in tantum Christus ipse baptizat, in quantum sacramentum est moraliter actio ipsius. Ergo.

Afferri solent alia nonnulla testimonia : « Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes etc. » (Matth. XXVIII, 18, 19). His verbis innui volunt nonnulli scriptores Christum esse qui docet et baptizat gentes ; hoc autem colligunt quia Christus, ex eo quod sibi collata est omnis potestas, sine medio interjecto, concludit docendum esse et baptizandum, quasi diceret : quia mihi collata est potestas, ideo docebo et baptizabo per vos. At parum efficax videtur ratio. — « Sic nos existimet homo ut *ministros Christi* et dispensatores mysteriorum Dei. » I Cor. IV, 1. « Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos ». II Cor. v, 20. Paulus, aiunt eidem scriptores, in praedicando verbo Dei se dicit ministrum, legatum Christi ; ergo a fortiori qui conficit sacramentum est minister Christi et ejus legatus. Patet non multo efficaciorem esse hanc rationem. — Non facimus itaque vim in hisce testimoniis. Ratio est quia ad hoc ut ritus sacramentalis sit moraliter actio Christi, non sufficit ut sit usus potestatis a Christo acceptae, neque ut a Christo fuerit solemniter praeceptus, sed exigitur praeterea ut censeatur peculiariter profecta ab ipsomet Christo veluti a ministro principali. Jamvero manifestum est omnem usum potestatis

a Christo derivatae non censeri profectam a Christo veluti a ministro principali, secus enim praedicatio christiana, cura animarum, exercitium omne pastoratus a Christo Jesu proficiscerentur eadem ratione ac sacramenta.

Probatio II^a. Ex Conciliis, sanctis Patribus et Doctoribus.

Arg. I^m. Quod moraliter procedit a Christo tamquam a ministro seu a causa principali, id est moraliter actio Christi. Atqui sacramentum, juxta Concilia, Patres, Doctores, conficitur moraliter a Christo tamquam a ministro principali. Ergo.

Prob. min. A. *Ex Conciliis.* 1. De Eucharistia: a) Florentinum in decreto pro Armenis haec habet: « Forma hujus sacramenta sunt *verba salvatoris quibus hoc conficit sacramentum: sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum* » (Denz. n. 593). — b) Tridentinum ait: « Quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur.... docet sancta Synodus, sacrificium illud vere propitiatorium esse.... Hujus quippe oblatione placatus Dominus.... crimina et peccata, etiam ingentia, dimittit. Una enim eademque est hostia, *idem nunc offerens sacerdotum ministerio qui seipsum tunc in cruce obtulit*, sola ratione offerendi diversa » (1). Confirmatur Catechismo Romano : « In sacra illa functione, ministri non suam, sed Christi personam gerunt. »

2. *De Paenitentia,* Tridentinum: « Dominus noster Jesus Christus, ait, e terris ascensurus ad coelos, sacerdotes sui ipsius *vicarios* reliquit, tamquam praesides et judices (2). »

B. *Ex Patribus.* Augustinus contra Donatistas probat ad valorem baptismi non requiri fidem neque probitatem in ministro, ex eo quod ipse Christus est minister principalis, aut quia baptismus confertur per Paulum quidem tamquam ministrum, per Christum vero tamquam potestatem (3). Eodem modo loquuntur s. Ambrosius, s. Pacianus (4).

---

(1) Trident. Sess. XXII, c. II. — (2) Id. Sess. XIV, c. V.

(3) « August. « Hic (Christus) est qui baptizat in Spiritu Sancto ; nec, sicut Petilianus dicit, jam baptizare cessavit, sed adhuc id agit, non ministerio corporis, sed invisibili opere majestatis. » *Contra Petilian.* l. III, c. XLIX, n. 59. M. XLIII, 379.

« Petrus baptizet, hic (Christus) est qui baptizat; Paulus baptizet, hic est qui baptizat; Judas baptizet, hic qui baptizat. » *In Joh.* tract. VI, n. 7. M. XXXV, 1428.

« Aliud est enim baptizare per ministerium, aliud baptizare per potestatem. Baptisma enim tale est, qualis est ille in cujus potestate datur, non qualis est ille per cujus ministerium datur. Baptizavit ergo Paulus tamquam ministerium, non tamquam ipsa potestas : baptizavit autem Dominus tamquam potestas.... Quod dabatur a Paulo et quod dabatur a Petro, Christi erat.... Christus.... baptizavit.... Columbam attendo per quam mihi datur : Hic est qui baptizat. » *In Joh.* tract. V, n. 6. M. 1417..

(4) Amer. « Non mundavit Damasus, non mundavit Petrus, non mundavit Ambrosius,

C. *Doctoribus.* Juxta s. Thomam agens principale in baptismo est Deus et Christus ([1]).

Arg. II[m]. Formae sacramentorum dicuntur esse verba ipsius Christi. Atqui non physice proferuntur a Christo. Ergo moraliter dicuntur ab ipso.

Prob. maj. 1. In sacrificio Missae verba consecrationis dicuntur esse verba Jesu Christi, opponuntur reliquis verbis quae dicuntur esse verba sacerdotis. Sic auctor librorum *de sacramentis* ([2]). — 2. Ex institutione Christi, praecepto et usu Ecclesiae, forma Eucharistae est « *Hoc est enim corpus meum... Hic est calix sanguinis mei* » ; forma Paenitentiae est « *Ego te absolvo* ». Ergo ista verba censentur esse verba Christi.

139. — Secunda pars. SACRAMENTA SUNT CAUSAE MORALES IN ACTU PRIMO PROUTI SUNT ACTIONES MORALES CHRISTI.

Prob. Illud est causa moralis in actu primo, cui insita est dignitas nata movere aliam causam ut haec physice producat effectum. Atqui sacramentis, prouti sunt actiones morales Christi, insita est dignitas nata movere Patrem ut physice causet gratiam in eo qui rite suscipit sacramenta. Ergo.

Prob. min. Quemadmodum injuria trahit gravitatem suam ex dignitate personae offensae; sic honor formalis aut virtualis nobilitatem, excellentiam, dignitatem trahit a persona honorante, ita nempe ut quo dignior est persona, eo dignior sit actio ab ea procedens, sive physice sive moraliter; itaque actio sacramentalis excellentiam et dignitatem

---

non mundavit Gregorius; nostra enim servitia, sed tua sunt sacramenta. Neque enim humanae opis est divina conferre, sed tuum, Domine, et Patris est. » *De Spiritu Sancto,* I, XVIII. M. XVI, 708.

PACIANUS : « Quod ego facio, id non meo jure, sed Domini.... Quare sive baptizamus, sive ad paenitentiam cogimus, sive veniam paenitentibus relaxamus, Christo id auctore tractamus. Tibi videndum est an Christus hoc possit, an Christus hoc fecerit. » *Epist.* III *ad Symphorian.* n. 7. M. XIII, 1068.

([1]) S. TH. « Agens principale in baptizando est ipse Deus per auctoritatem et ipse Christus, secundum quod homo, cujus meritum operatur in baptismo ; et ex plenitudine divinae bonitatis et (plenitudine) gratiae Christi pervenit gratia ad baptizatum. » (In 4 d. 5, q. II, a. 2, sol. II.) « Baptismus.... non est instrumentum agens in virtute ministri ; qui et ipse instrumentum est agens in virtute Christi et Dei. » (Ib. sol. III.)

([2]) AUCT. l. *de sacram.* « Consecratio quibus verbis fit et cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia in superioribus a sacerdote dicuntur; laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris : ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermone Christi hoc conficit sacramentum. Quis est sermo Christi : Nempe is, quo facta sunt omnia. Jussit Dominus et factum est coelum, jussit Dominus, et facta est terra... Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut incipiant esse quae non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quae erant, et in aliud commutentur... Non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem, dico tibi, quia jam corpus est Christi. Ipse dixit et factum est, ipse mandavit et creatum est. Tu ipse eras vetus creatura, postea quam consecratus es, nova creatura esse coepisti. » L. IV, c. IV, M. P. L. XVI, 440.

specialem trahit ex persona Christi moraliter operante tamquam ministro principali. — Haec dignitas sacramenti a Christo moraliter confecti est nata movere Patrem ad infundendam gratiam subjecto, potius quam ad alium effectum producendum, ob specialem habitudinem quae exstat inter hanc gratiam subjecto infundendam et actionem sacramentalem: Christus enim per mortem suam meruit ut homines iterum capaces fierent gratiae et gloriae aeternae; voluit ut gratiae conferrentur specialibus quibusdam mediis quae ipse determinavit et instituit; haec autem media potissimum continentur sacramentis quae sunt moraliter actiones Christi. Ergo ratione hujus dignitatis sacramenta ex se sunt idonea, ut Christus, tamquam minister principalis, iis utatur ad movendum Patrem ut infundat gratiam.

140. — **Tertia pars.** Ex Christi institutione, sacramenta, prouti sunt moraliter actiones Christi, sunt causae morales gratiarum in actu secundo.

Prob. Arg. I^{m}. Sacramenta ex th. XIV^{a} sunt causae gratiae ; itaque vel causant gratiam physice vel moraliter ; si nonnisi moraliter causant gratiam in actu secundo, causabunt vel ratione praefatae dignitatis ex persona Christi tractae, vel ratione alius cujuslibet valoris sibi intrinseci. Atqui ex thesi XV^{a} manifestum est sacramenta non causare gratiam physice ; ex crisi instituta in statu quaestionis circa sententias Hiquaei, Cani, Gul. Paris., Lugonis, constat ea non causare moraliter ratione cujuslibet alterius rei. Ergo restat ut sacramenta sint in actu secunda causae morales gratiarum ratione praefatae dignitatis.

Arg. II^{m}. Illa sententia ceteris est anteponenda, quae sola nihil inutile astruit, explicanda explicat, omne absurdum vitat. Atqui talem esse affirmamus sententiam propositam. Ergo.

Prob. min. A. Sententia proposita, 1° *nihil inutile astruit.* Etenim ponit tantum haec duo : a) Sacramenta sunt moraliter actiones Christi ; b) Sacramenta sunt causae gratiarum. Atqui utrumque ab omnibus catholicis admitti debet, utpote clare enuntiatum a Patribus et a Conciliis. Ergo nihil inutile astruitur. — 2. *Omne absurdum vitat.* Constat expositione ipsa. — 3. *Explicanda explicat.* Influxus enim causalis sacramentorum in gratiam videtur sufficienter manere salvus.

B. Systemata *causalitati physicae* patrocinantia : a) ab absurdo vix sunt immunia, uti ostensum est; b) inutilia astruunt : Cum enim et ipsa debeant admittere sacramenta esse moraliter actiones Christi, implicite admittunt ea esse in actu primo causas morales gratiae ; jamvero inutile videtur superaddere aliam causalitatem.

C. Systemata reliqua *causalitatem moralem* defendentia vel reducunt sacramenta ad hoc ut sint conditiones aut mera signa, et consequenter tollunt veram causalitatem ; vel quaestionem inexplicatam relinquunt.

Arg. IIIm. *Ex Patribus.* 1. Patres saepe asserunt simpliciter causalitatem physicam esse *solius Dei :* Sic Ambrosius, Cyr. Hier., August., Naz., Bas., Nyss., auctor serm. de baptismo Christi (1). Ergo Patres

(1) Ambr. « In illo aquarum sepelimur elemento, ut *renovati per spiritum resurgamus.* In aqua enim imago mortis, in Spiritu pignus est vitae ; ut per aquam moriatur corpus peccati, quae quasi tumulo corpus includit ; et *per virtutem Spiritus renovemur a morte peccati, renati in Deo...* Si qua ergo in aqua gratia, non ex natura aquae sed ex praesentia est Spiritus Sancti. » *De Spiritu Sancto* I, VI. M. LXVI, 722.

Cyr. Hier. « Tu itaque ad baptizantem accede ; accede vero ad vultum visibilis hominis nullatenus attendens ; sed memor esto hujus Spiritus Sancti de quo nunc dicimus. *Hic enim paratus adest, qui animam tuam consignet ;* dabitque tibi coeleste quoddam et divinum, quod daemones contremiscunt, signaculum. » *Cat.* XVII, 35. M. XXXIII, 1010. — Et alibi : « Et sanctum istud unguentum non amplus nudum, neque si quis ita appellare malit, commune unguentum est post invocationem ; sed Christi donarium et Spiritus Sancti, *praesentia divinitatis ejus,* efficiens factum.... Dum unguento visibili inungitur corpus, *sancto et vivifico Spiritu anima sanctificatur.* » *Cat.* XXI ; *mystagog.* III, 3. M. ib. 1091.

Aug. « Aqua igitur exhibens forinsecus sacramentum gratiae, et Spiritus operatus intrinsecus beneficium gratiae, solvens vinculum culpae, reconcilians bonum naturae, regenerat hominem in uno Christo, ex uno Adam generatum » *Ep.* XCVIII, al. XXIII, ad Bonif. n. 2. M. XXXIII, 360. — Et *in 1 Ep. Joh. :* « Aqua sacramenti visibilis est, aqua Spiritus invisibilis. Ista abluit corpus et significat quod fit in anima, *per illum Spiritum ipsa anima mundatur et saginatur.* » Tract. VI, 11, M. XXXV.

Naz. « Quandoquidem autem duabus partibus, hoc est animo et corpore, constamus, quarum altera in aspectum cadit, altera oculorum sensum fugit : duabus quoque rebus constat baptismus, aqua scilicet et Spiritu, illa visibili et corporea modo accepta, hoc vero incorporeo et invisibili concurrente : illa typica, *hoc vero et intimos animi fines purgante* qui primae nativitati opem et adjumentum ferens ex veteribus novos, ex humanis divinos efficit, absque igne nos rursus conflat, et absque confractione rursus effingit. » *Or.* XL *in bapt.* n. 8.

Bas. « Quapropter qui nostram vitam dispensat Dominus, baptismatis pactum nobis statuit, mortis ac vitae typum habens : mortis quidem imaginem explente aqua, *Spiritu vero vitae arrham praebente.* Hinc itaque nobis perspicuum est quod quaerebatur, quamobrem aqua conjuncta fuerit Spiritui. Cum enim duo scopi propositi sint in baptismo, tum videlicet ut aboleatur corpus peccati ne postea fructificet morti, tum ut vivatur Spiritu, et fructus habeatur in sanctificatione ; aqua mortis exhibet imaginem, corpus velut in sepulcro recipiens ; *Spiritus vero vim vivificam immittit, a morte peccati renovans animas nostras in pristinam vitam.* Hoc igitur est denuo nasci ex aqua et Spiritu : quippe quia mors perficitur in aqua, *vitam vero nostram Spiritus operatur.* Tribus igitur demersionibus, ac totidem invocationibus, magnum baptismatis mysterium peragitur ut et mortis figura exprimatur, et per traditionem divinae scientiae animus illustretur eorum qui baptizantur. » *De Spiritu Sancto,* XV. M. XXXII, 127.

Nyss. « Baptisma igitur peccatorum exipiatio est, remissio delictorum, renovationis et regenerationis causa ; regenerationem autem intellige eam quae cogitatione cernitur, oculis non videtur... *Hoc autem beneficium non aqua largitur* (esset enim omni creatura sublimior), *sed Dei praeceptum et Spiritus,* qui mystice ad nostram libertatem venit, *accessus.* Aqua vero subservit ad ostendendam purgationem. Quoniam enim sordibus et coeno foedatum corpus aqua lavantes purum reddere solemus, propterea etiam in mystica actione eam adhibemus, re sub sensum cadente incorporeum splendorem significantes. » *Or. in bapt. Christi,* M. XLVI, 582.

Auct. *Serm. de bapt. Christi.* « Remissio peccatorum, sive per baptismum, sive per alia sacramenta donetur, *propria Spiritus Sancti est, et ipsi soli hujus efficientiae privilegium manet.*

non admittunt nisi moralem causalitatem. — *Patet sequela* quia non dici potest Patres solam causalitatem principalem adscribere Deo. Nam si Deus utitur instrumentis quibus causet physice gratiam, non videtur dici posse *solum* Deum physice causare. Uti enim scite advertit Lugo (1), « Exemplum habemus in sententia ipsius Suarez qui docet intellectum et voluntatem ea ratione concurrere cum habitibus infusis ad actus supernaturales, ut habitus sit causa principalis, intellectus autem et voluntas, quia concurrunt per potentiam obedientialem, habeant solum concursum causae instrumentalis et tamen nemo dicet voluntatem nostram, quando elicimus actum supernaturalis dilectionis Dei, nihil omnino agere, sed totam actionem tribuendam esse soli gratiae Dei; haec enim propositio damnatur in Tridentino (2); ergo similiter falsum est dicere Spiritum Sanctum solum efficere gratiam, sacramentum autem eam non producere, si sacramentum concurreret physice, tamquam causa instrumentalis physica, et immediata; et consequenter Patres per illas locutiones voluerunt procul dubio explicare veram causam physicam gratiae quae est solus Deus, sine ullo concursu physico ipsius sacramenti ».

2. Ubi Patres descendunt ad explicationem causalitatis sacramentorum, saepe nonnisi moralem adducunt. Ex una enim parte dicunt passim sanguinem et passionem Christi mundare nos a peccatis, justificare nos, sanctificare nos; ex altera dicunt sacramenta mundare, justificare, sanctificare, eo quod sunt plena sanguine Christi, quem in se continent, quod sunt quasi fontes salvatoris, ex quibus cum gaudio hauriuntur aquae salutis. Atqui passio et sanguis Christi non physice sed moraliter justificant. Ergo mente Patrum sacramentorum causalitas non est nisi moralis (3).

Satisfit difficultatibus.

141. — **Contra I^m partem, obj. 1°.** Omnia sacramenta non sunt actiones morales Christi. Etenim ipsemet Christus non est moraliter

---

Verborum solemnitas et sacri invocatio nominis et signa institutionibus apostolicis sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant sacramentum; *rem vero sacramenti Spiritus Sanctus format et efficit.* » (Inter opera s. Cypriani).

(1) Lug. *De sacram.* d. IV, s. 5, n. 56. — (2) Trid. Sess. VI, c. V et can. 4.

(3) Cfr. Aug. *In Joh.* tract XI, 4. M. XXXV, 1477; *Cont. Crescon.* IV, XVI, M. XLIII, 559. Hier. *In Is.* XLIII, M. XXIV, 433; ib. I, 11. Auct. l. *de Sacram.* I, 5. Ambr. *De mysteriis,* III, XIV, M. XVI, 393. — Caesarius Arelatensis, *Hom.* IV. M. LXVII, 1050. — Cfr. etiam Ambr. Chrys., Aug., Leo M., Cyr. Alex. apud Suar. In III^m part. t. I, d. XXXIX, s. 3. Denique cfr. s. Th. *De verit.* q. LXII, a. 5 in corp.

actio ipsiusmet Christi. Atqui materia Eucharistiae, quoad partem principalem, constat corpore et sanguine Christi. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Sacramenta secundum *formam* suam, non sunt omnia moraliter actio Christi, *Neg.;* secundum *materiam*, *Subd.* sacramenta omnia quae consistunt *in usu,* non sunt etc. *Neg.;* sacramentum permanens non est secundum materiam suam moraliter actio Christi, *Subd.* neque *eminenter* neque formaliter, *Neg.;* non est *formaliter* actio Christi, *Conc.* — Ad probationem antecedentis, *distinguitur major :* Ipsemet Christus non est, *formaliter* loquendo, sua actio, *Conc.*; non est *eminenter* sua actio, *Neg.* — *Conc. min.* — *Dist. cons.* uti supra.

Obj. 2°. Eo quod actiones sacramentales forent moraliter actiones Christi, sequeretur in paenitentia confessionem peccatorum, in matrimonio traditionem et acceptationem juris in corpus proprium, esse moraliter actiones Christi. Atqui hoc est falsum. Confessio enim, traditio et acceptatio non esse valent actio nisi illius qui peccavit, tradit et acceptat. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Sequeretur has actiones esse *sub omni respectu* actiones Christi, *Neg.;* eas poni nomine Christi sub aliquo respectu, sc. quatenus *sunt ritus sacri* per se ordinati ad colendum Deum et ad conferendam gratiam, *Conc.* — Advertere juvat matrimonium esse ritum sacrum in quantum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia.

Obj. 3°. Ut sacramenta dici valeant esse moraliter actiones Christi, debent conjungi cum aliqua actione physice profecta a Christo per vitam suam mortalem; porro alia actio Christi circa sacramenta non cognoscitur praeter institutionem. Atqui ritus sacramentales nequeunt dici moraliter actiones Christi prouti conjunguntur cum institutione. Sequeretur enim, stante explicatione causalitatis moralis quae thesi praesenti defendenda assumitur, Christum instituisse sacramenta movendo Patrem, quadamtenus deprecando. Atqui hoc admitti nequit. Ratio est quia institutio sacramentorum est actus legislatoris; sed legislator, qua talis agens, imperat, non vero deprecatur. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem minoris respondetur actum quo Christus instituit sacramenta duo involvere: voluit enim Christus ut sacramenta forent moraliter actiones suae, adeoque ornarentur dignitate nata movere Deum in actu primo ad infundendam gratiam; praeterea, potestate a Patre accepta, decrevit ut ratione hujus dignitatis infallibiter moverent Deum. Itaque *distinguitur major :* Sequeretur actum institutionis virtualiter includere aliquam impetrationem

Conc.; sequeretur institutionem *formaliter acceptam* esse impetrationem, *Neg.*

Obj. 4°. Sequeretur a) sacramenta mereri gratiam; b) esse causas morales principales. Atqui utriusque falsitas in confesso est. Ergo.

Resp. *Neg. maj.* Ad 1m: Persona Christi est causa moralis principalis. Christus movet Patrem per passionem suam ad dandas gratias generi humano in communi, per sacramenta ad eas dandas in particulari. — Sunt qui *distinguunt majorem:* Actiones quibus Christus meruit *in hac terra,* sunt causae morales principales, *Conc.;* quibus *applicat merita crucis, Neg.* — Ad 2m negatur ex thesi id sequi, quod scilicet sacramenta forent causae meritoriae in actu secundo; hae enim actiones morales non sunt nisi *applicativae* meritorum crucis.

142. — Contra IIm partem, obj. 5°. Causa moralis principalis est persona Christi, causa moralis instrumentalis est ejusdem passio et mors. Ergo non remanet locus causalitati ulli morali pro sacramentis.

Resp. 1. Persona Christi est causa moralis principalis. Haec autem persona movet Patrem duplici instrumento: a) per passionem suam Patrem movet ut gratias det hominibus in communi, et has gratias meretur; b) per sacramenta movet Patrem ut gratias infundat hominibus in particulari, et sic applicat merita crucis. — Discrimen potest etiam sic explicari: Per passionem suam movet Patrem a) ut det hominibus gratias actuales; b) ut infundat gratiam sanctificantem ubi adsunt dispositiones proximae; c) ut det augmentum gratiae ob susceptionem sacramenti; d) ut infundat gratiam primam ob susceptionem sacramenti ubi deest dispositio proxima, adest tamen remota. Inde patet sacramenta esse instrumentum *secundarium,* quo nempe applicantur merita crucis, haec itaque merita esse instrumentum *primarium.*

Obj. 6°. Secundum Tridentinum (sess. VI, c. VII) sacramenta sunt instrumentum penes manum Dei ad producendam gratiam in eo qui rite sacramenta recipit. Atqui, stante sola causalitate morali, sacramenta decidunt a ratione instrumenti. — *Prob. min.* Ut salva maneat ratio causae instrumentalis, exigitur ut Deus efficiat gratiam per sacramenta, veluti per medium quo utitur Deus ad sanctitatem producendam in anima. Atqui, stante sola causalitate morali, oppositum obtinet. — *Prob. min.* Ea enim stante, sacramenta movent Deum ad gratiam infundendam. Atqui quod movet alterum ad agendum, per hoc alterum agit. Ergo, rejecta causalitate physica et nonnisi morali retenta, dicendum est sacramenta agere per Deum et nefas est dicere Deum agere per sacramenta.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem minoris respondetur *distinguendo majorem:* Ut salva maneat ratio instrumenti, exigitur ut *simpliciter loquendo* Deus efficiat gratiam per sacramenta veluti per medium, *Conc.;* exigitur ut *secundum nullam considerationem* dici valeat Christum Jesum et ritum sacramentalem infundere gratiam per Deum, *Neg. Cdt. min.* — Ad probationem minoris respondetur iterum *distinguendo majorem:* Stante sola causalitate morali, sacramenta movent Deum *in virtute sibi a Deo ultimatim communicata,* et quidem eo fine ut gratia infundatur, *Conc.;* movent Deum *in virtuti sibi propria, Neg.* — *Cdt. min.* Quod movet alterum *in virtute sibi propria,* id agit per hoc alterum, *Conc.;* quod movet alterum in virtute sibi ab hoc altero impressa et quidem eo fine ut obtineatur effectus intentus, id agit per alterum, *Subd.* agit per alterum *simpliciter loquendo, Neg.;* secundum aliquam considerationem, *Conc.*

Licet sacramenta moveant Deum ad elargiendam gratiam subjecto sacramentorum, non tamen ideo decidunt a ratione instrumenti respectu Christi, gratiae et Dei. Sunt enim medium quo Christus utitur ad movendum Patrem ut gratiam tribuat; sic autem sunt instrumentum respectu Christi, qui est causa moralis principalis, et respectu gratiae. Respectu gratiae, inquam : gratia enim est finis, sacramentum est medium quo utitur Christus; sed medium habet rationem instrumenti quo obtinetur finis. — Praeterea sacramenta sunt instrumentum respectu Patris qui physice infundit gratiam sine concursu physico sacramenti. Ratio est quia sacramenta materialiter sumpta non habent virtutem sibi propriam movendi Patrem, contra Pater est qui impressit ultimo sacramentis hanc virtutem ipsummet infallibiliter movendi ad elargiendam gratiam; quare sunt media quibus uti voluit ad sanctificandos homines, haec autem media influxum moralem exercent in productionem gratiae, adeoque habent rationem instrumenti.

Obj. 7°. Omnis causalitas moralis fit vel per modum finis; vel per modum meriti; vel per modum consilii; vel per modum impetrationis. Atqui secundum nullum ex his sacramenta, dato ea esse moraliter actiones Christi, valent esse causae morales gratiarum. Ergo. — *Prob. 1ª pars min.* Sacramentum non est finis ob quem confertur gratia; contra enim gratia est potius finis proximus in quem vergit sacramentum. — *Prob. 2ª pars. min.* Christus meruit quidem semel in cruce, verum jam non meretur conficiendo sacramenta tamquam minister principalis. Minister autem secundarius non meretur gratiam, cum sacramentum sit efficax ex opere operato. — *Prob. 3ª pars. min.*

Absurdum foret sacramenta ad Deum dirigere consilium. — *Prob. 4ª pars. min.* Ibi nulla est impetratio, ubi nulla datur petitio. Atqui sacramenta non petunt; infallibiliter enim conferunt. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Causalitas moralis fit vel per modum finis... vel per modum *impetrationis aut proprie dictae aut improprie dictae, Conc.;* vel per modum finis... vel per modum impetrationis proprie dictae, *Neg.* Disjunctio enim majoris non est completa. — *Conceduntur 1ª, 2ª, et 3ª partes minoris. — Cdt. 4ª pars minoris:* Sacramenta non causant *per impetrationem proprie dictam, Conc.;* non causant per impetrationem *improprie dictam, Neg.* Ad probationem respondetur *distinguendo majorem:* Ibi nulla impetratio *proprie dicta* ubi nulla petitio, *Conc.;* ibi nulla impetratio *improprie dicta, Neg.* — Nihil impedit quin causalitas moralis, quae ritui sacramentali convenit, reducatur ad impetrationem potius quam ad alias species supra enumeratas.

143. — Obj. 8°. Illud non est causa moralis quod est signum alterius causantis moraliter, vel conditio sine qua causa physica non produceret effectus. Atqui dato sacramenta esse moraliter actiones Christi, sub hoc respectu esse non valent nisi signum aut conditio. — *Prob. min.* diversis modis: a) Sit rex aliquis terrenus; ad gentem exteram mittit legatum qui foedus sanciat vel opem imploret; hic legatus personam regis prae se fert, adeo ut omnis injuria in ipsum illata censeatur regi esse irrogata. Quid movet gentem ad praestandum id quod expostulatur? Voluntas quidem et obsequium regis verbis legati manifestata, non vero manifestatio seu verba legati; haec enim non sunt nisi signum quo regia voluntas innotescit, et fortassis conditio sine qua extera gens non feriret foedus. — Unde sic arguimus: Ritus sacramentalis, ratione objectivae dignitatis tractae ex eo quod est moraliter actio Christi, se habet respectu gratiae eo modo quo verba legati regis se habent respectu foederis sanciti. Atqui verba legati sunt tantum signum quo innotescit voluntas regis aut conditio sine qua non. Ergo.

Resp. a) *Dist. maj.* Habetur paritas secundum quod neque sacramentum neque verba legati sunt causa moralis *principalis, Conc.*; habetur paritas in ratione causae *instrumentalis, Neg. Transm. min.* Etiamsi rex terrenus non haberet potestatem efficiendi ut verba legati essent moraliter verba sua et qua talia insignirentur speciali dignitate, adeoque etiamsi verba legati essent tantum signum et conditio, hinc non sequitur Christum non habere excellentiorem potestatem. Ex revelatione enim constat Christum esse ministrum principalem sacra-

mentorum, hoc autem posito, consequitur actui externo inesse specialem dignitatem. — b) *Transm. maj. Neg. min.* Etenim nil prorsus impedit quin asseratur verbis legati regis inesse specialem dignitatem, quae secundario movet ad annuendum petitis, principaliter movente persona regis.

Obj. 9°. b) Ut vi imperii Christi insita sit sacramentis dignitas aliqua quae valeat movere Deum ad infundendam gratiam, exigitur ut ritus sacramentalis, positus a ministro secundario vi istius imperii, sit intrinsece diversus a ritu simili qui non poneretur vi ejusdem imperii, puta a non habente potestatem. Atqui non est intrinsece diversus. Sacramentum enim est signum sensibile quod prorsus eodem modo efficitur, tum a ministro Christi, tum ab eo qui minister Christi non est. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Exigitur ut sit intrinsecus et *physice* diversus, *Neg.*; *moraliter* diversus, *Conc.* — *Cdt. min.* Ritus qui ponitur a non habente potestatem non est *physice* diversus a ritu qui efficitur a legitimo ministro, *Conc.*; hic ritus non est *moraliter* diversus, *Neg.*

Ritus qui ponitur a non habente potestatem, licet physice consideratus possit esse idem ac sacramentum a vero Christi ministro confectum, *non est tamen moraliter idem.* Non est enim moraliter actio Christi, non fit nomine et auctoritate ejus, non habetur a Patre tamquam actio Filii sui. Inde fit ut hic ritus careat dignitate quam sacramentis in nomine Christi administratis vindicamus.

Obj. 10°. c) Ex eo quod sacramenta haberent dignitatem sibi insitam, sequeretur diversum esse ritum prouti a ministro conficitur cum debita intentione vel sine ea. Atqui diversus non est; eadem enim in utroque casu est causa, idem itaque est effectus. — *Prob. min.* In tantum foret diversus, in quantum intentio vel esset pars sacramenti, vel aliquid efficeret in sacramento. Atqui a) haec intentio non est pars sacramenti, sed tantum ejus causa, siquidem ritus sacramentalis est totaliter sensibilis; b) nihil efficit in sacramento, est enim actio immanens ministri. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Sequeretur ritum confectum cum intentione esse *moraliter* diversum, *Conc.*; sequeretur eum esse *physice* diversum, *Neg.* — *Cdt. min.* Primus enim ritus est solus actio Christi, factus nomine et auctoritate ejus, quare ejus causa est moraliter diversa, licet physice possit esse eadem. — Ad probationem minoris respondetur *distinguendo majorem:* In tantum ritus foret diversus in quantum vel intentio esset pars sacramenti vel efficeret aliquid aut *physicum aut morale*, *Conc.*;

in quantum vel intentio esset pars sacramenti, vel efficeret aliquid *physicum*, *Neg.* Datur enim medium. — *Conc. 1ª pars min.* — *Dist. 2ª pars* : Intentio ex se et immediate in ordine *physico* nihil causat in sacramento, *Conc.;* nihil causat in ordine *morali, Neg.*

Obj. 11°. Ritus sacramentalis constituitur verbis et rebus. Res plerumque est actio : puta lotio, unctio, impositio manuum quae omnia continentur aliquo motu locali impresso per manum cum aqua aut oleo etc. Prolatio verborum etiam non est nisi certus motus localis aeri impressus. Uterque motus efficienter producitur a solo sacerdote. — Unde sic arguimus : Omnis ritus sacramentalis reducitur ad aliquem motum localem. Atqui motui locali inesse non valet respectu Dei dignitas objectiva nata movere Deum ; sed non est nisi signum alterius impetrantis, aut pro dignitate sua moventis, vel conditio. — *Prob. min.* Deus non movetur nisi per id quod est praestitivum suae gloriae. Huic soli inesse potest dignitas objectiva nata movere Deum. Atqui motus localis non est praestitivus gloriae divinae. — *Prob. min.* Gloria Dei stat formaliter in Dei cognitione, laude, amore. Atqui evidenter haec nulli motui locali conveniunt. Ergo.

Resp. Materia et forma sacramenti, *secundum esse physicum,* non est nisi motus localis, *Conc. ; secundum esse morale* et *communem hominum aestimationem, Neg.* — *Cdt. min.* Quod secundum *esse morale* et communem aestimationem non est nisi motus localis, non valet impetrare a Deo neque Deum movere, *Conc. ;* quod secundum esse *physicum* non est nisi tale quid, *Neg.* — Persona Christi, nomine cujus conficiuntur sacramenta, praestat Deo gloriam formalem ; sacramenta sunt effectus istius actionis ; deinde sunt causa gloriae formalis a subjecto sacramenti praestitae. — Sane verba regis et verba Christi considerantur ab hominibus tamquam digniora verbis subditi et meri hominis, siquidem dignitas actionis tum internae, tum externae, commensuratur dignitate personae operantis. — Ad probationem minoris respondetur *distinguendo majorem :* Deus non movetur nisi per id quod est praestitivum gloriae sive *in se*, sive *in causa*, sive *in effectu, Conc.;* Deus non movetur nisi per id quod *ex se et formaliter* praestitivum est gloriae, *Subdist.* Deus non movetur *principaliter* nisi per hoc, *Conc. ;* non movetur *secundario* per aliud, *Neg.*

CAPUT VI.

De causa instituente sacramentorum.

D. Th. III, q. LXIV, a. 2, 3, 4. — Suar. d. XII. — Lugo d. VII; d. II, s. 5. — Vasq. In III^m p. s. Th. d. CXXXV.

144. — **Prologus.** Postquam examinatum est quot in Ecclesia ab apostolorum tempore exstiterint sacramenta, et quaenam sint sacramentorum partes intrinsecus constitutivae, quaenamque proprietates; jam dicendum est *de causis extrinsecis*. Altera quidem causa extrinseca est finalis, altera vero efficiens. — De causa finali nihil est de quo disseratur, cum ex notione sacramenti liquido constet finem proximum esse sanctificationem hominis, finem ultimum esse aeternam salutem et Dei glorificationem. Tractandum vero est de causa *efficiente*. Haec autem est duplex: Causa *efficiens ultima* seu *instituens* et causa *proxima* seu *ministerialis*. — In praesenti capite agetur de causa *instituente*. Circa eam inquiruntur tria: a) Quamnam potestatem habuerit Christus circa sacramenta instituenda. b) Quomodo usus sit potestate sua, nempe α) an ipse Christus instituerit omnia sacramenta; β) utrum immediate ea omnia instituerit, an alia immediate, alia vero per apostolos, vi potestatis a Christo sibi collatae. Dato Christum immediate et per se instituisse sacramenta, quaeritur γ) quomodo eadem instituerit, utrum ipse determinaverit in specie omnes ritus sacramentales, an alios quidem in specie determinaverit, alios vero in genere.

§ 1. De potestate Christi in sacramenta.

145. — Institutione sacramenti duo essentialiter involvuntur: a) aliqualis determinatio signi sensibilis ex materia et ex forma coalescentis; — b) determinatio gratiae quae sit conferenda rite suscipienti id signum. Praeterea includit, non tamen essentialiter, praeceptum hominibus impositum his signis utendi, si finem ultimum consequi voluerint.

Duplex distinguitur potestas instituendi sacramenta, principalis nempe et instrumentalis.

1. Potestas *auctoritatis* sive *principalis* dicitur illa quae agit propria sua virtute estque proportionata effectui. — Itaque potestate auctoritatis circa sacramenta instituenda insignitur ille cui soli competit

propria sua virtute instituere sacramenta, adeo ut nullus alius instituere sacramenta valeat, nisi agat nomine potestatis auctoritativae, et in virtute ab ea sibi communicata.

2. Potestas *ministerialis* est ea quae agit virtute accepta ab eo qui insignitur potestate auctoritatis. — Itaque potestate ministeriali circa sacramenta instituenda pollet ille qui potest ea instituere, non quidem virtute sibi propria, sed virtute accepta a potestate auctoritatis et nomine ejus. Duplex distinguitur: a) Potestas *excellentiae*. Hac insignitur ille qui potestatem instituendi sacramenta accepit ab eo cui soli competit potestas auctoritatis, et qui sibi subordinatos habet alios quibus ipse dare valet potentiam sacramenta administrandi aut immo instituendi. Solet etiam ad potestatem excellentiae exigi, ut qui ea ornatur eam meritis suis condignis acquisiverit. — b) Potestas *simpliciter ministerialis*. Hac insignitur ille qui, potestate accepta a praecedente, instituit sacramenta, aut caerimonias determinat, aut conficit ritus sacramentales. — Quaeritur quanam potestate circa sacramenta instituenda polluerit Christus qua homo.

THESIS XVII[a]. — Solus Deus insignitur potestate auctoritatis sacramenta instituendi. Christus vero qua homo insigniebatur potestate ministeriali excellentiae.

146. — Prima pars. SOLUS DEUS POLLET POTESTATE AUCTORITATIS INSTITUENDI SACRAMENTA.

Etenim 1° solius Dei est virtute sibi propria elevare totum genus humanum ad finem supernaturalem; igitur ejus solius est virtute propria instruere homines mediis proportionatis in hunc finem, et determinare instrumenta quibus haec media comparentur. — 2° Gratia habitualis est naturae divinae participatio entitative supernaturalis; quare solus Deus potest esse causa physica ejus. Ergo solus Deus ex se habet virtutem sibi propriam instituendi media ob quorum dignitatem confertur gratia.

Coroll. Igitur Christus Jesus instruebatur quidem potestate auctoritatis, verum non uti erat homo, sed prout subsistebat in divinitate, ratione cujus eadem numero potestas ei competit, qua ceterae personae divinae insigniuntur.

147. — Secunda pars. CHRISTUS QUA HOMO POTIEBATUR POTESTATE MINISTERIALI EXCELLENTIAE.

A. *Potiebatur potestate ministeriali.* — 1. Christus, qua homo, seu per-

sona divina qua subsistens in humanitate, est causa meritoria omnis gratiae habitualis et actualis. Sed illius, qui praemium passione meretur, etiam est determinare quonam medio merita passionis sint applicanda. Ergo. 2. Christus habuit potestatem ministerialem instituendi Ecclesiam extra quam non est salus. Ergo habuit potestatem ministerialem instituendi sacramenta. Patet consequentia quia finis Ecclesiae est fideles ad salutem ducere proponendo credenda et subministrando media quibus sanctificatio promovetur et salus comparatur. Igitur qui potest instituere Ecclesiam, potest determinare media salutis, inter quae sacramenta primum locum occupant.

B. *Haec potestas Christi in sacramenta fuit potestas excellentiae.* — Ratio est quia ille pollet potestate excellentiae a) qui per passionem suam de condigno meruit efficaciam quam habent sacramenta a ministris secundariis administrata; b) in cujus nomine administratur omne sacramentum a ministris secundariis; c) qui est minister principalis utens ministerio hominum in administratione sacramentorum. Atqui ex supra probatis haec est potestas Christi circa sacramenta. Ergo.

Scholion. Juxta Aquinatem potestas Christi consistit in his quatuor : « *Primo* quidem in hoc quod meritum et virtus passionis ejus operatur in sacramentis... Et quia virtus passionis copulatur nobis per fidem,... quam fidem per invocationem nominis Christi protestamur ; ideo *secundo* ad potestatem excellentiae, quam Christus habet in sacramentis, pertinet quod in ejus nomine sacramenta sanctificantur. Et quia ex ejus institutione sacramenta virtutem obtinent, inde est quod *tertio* ad excellentiam potestatis Christi pertinet quod ipse, qui dedit virtutem sacramentis, potuit instituere sacramenta. Et quia causa non dependet ab effectu, sed potius e converso; ideo *quarto* ad excellentiam potestatis Christi pertinet quod ipse potuit effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre » (1).

§ 2. Christus Jesus instituit per seipsum omnia N. L. Sacramenta.

148. — Quaeritur 1° utrum Christus Jesus qua homo ita usus sit potestate sua ut *ipse determinaverit septem sacramenta N. L.*, sive per seipsum, sive per apostolos agentes vi potestatis ab ipso acceptae; an

(1) S. Th. III, q. lxiv, a. 4.

nonnullorum sacramentorum institutio facta sit sive ab apostolis sive ab Ecclesia, *vi potestatis acceptae a Spiritu Sancto*. — Posito Christum determinasse septem sacramenta, quaeritur 2° utrum omnia sacramenta *per seipsum* determinaverit, an nonnulla *per apostolos* aut *Ecclesiam*. — Posito Christum omnia sacramenta per seipsum determinasse, quaeritur 3° an haec determinatio convenienter vocari possit *institutio*. — Posito nulli puro homini neque angelo collatam de facto fuisse potestatem instituendi sacramenta, quaeritur 4° num saltem talis potestas *potuisset* iis conferri.

AD I^m QUAEST. 1. Ante Concilium Tridentinum nonnulli theologi opinati sunt non omnia sacramenta N. L. fuisse instituta a Christo. a) Tenet Alex. Alensis sacramentum confirmationis fuisse institutum ab Ecclesia in concilio Meldensi (a° 845°) vi potestatis a Spiritu Sancto acceptae. De quo notari expedit in isto concilio non aliter actum esse de confirmatione, nisi ad interdicendum chorepiscopis ejus administrationem et ad nonnulla alia praecepta danda. b) Tenet Bonaventura Spiritum Sanctum instituisse extremam unctionem per apostolos, confirmationem per Ecclesiam post mortem apostolorum. Attamen in *Breviloquio* ait Christum instituisse confirmationem manum parvulis imponendo, extremam vero unctionem discipulos ad curandum mittendo. c) Hugo Victorinus et Magister docere videntur extremam unctionem ab apostolis esse institutam.

2. Fide certum est Christum Jesum, sive immediate per se sive per alios vi auctoritatis ab ipso communicatae, *instituisse seu determinasse omnia sacramenta legis evangelicae*. In Tridentino enim legitur: « Si quis dixerit sacramenta novae legis non fuisse omnia a J. C. D. N. instituta... A. S. » Sess. VII, can. 1. Immo Bellarminus, Vasquez, Becanus, Gonet volunt institutionem *immediatam* a Christo esse definitam; alii hoc negant, ut Ruardus Tapper et Dom. Soto qui Tridentino interfuerunt, Suarez, Arriaga, Gotti, Tournely.

AD II^m QUAEST. 1. Sententia novatorum est Christum per seipsum non determinasse nisi sacramenta quae ipsi pro veris sacramentis habent ; ceteros ritus ab Ecclesiae institutione originem traxisse.

2. Sententia Alensis, Hugonis et Magistri a multis intelligitur hoc sensu quod apostoli et Ecclesia instituerunt sacramenta nonnulla vi potestatis a Christo acceptae, instigante Spiritu Sancto ([1]).

([1]) Alensis, in IV^m partem *Summae*, q. IX, memb. 1. — Bonav. L. IV, d. VII, a. 1, q. 1; ib. d. XXIII, a. 1, q. II; *Breviloq*. p. VI, c. IV. — Hug. Vict. *De sacram*. l. II, p. XV, c. II. — Mag. l. IV, d. XXIII.

3. Abhinc a Tridentino certum est apud omnes catholicos Christum, cum in hac terra visibiliter versabatur, per *seipsum* et *immediate* instituisse seu determinasse omnia sacramenta N. L. Immo juxta Bellarminum, Vasquez, Lessium hoc est *de fide tenendum*. Juxta Suarez, Lugo, Arriaga, est *certum*, non tamen fide definitum : sententiam suam probant tum ex omissis verbis *immediate, per se,* tum ex scopo concilii Tridentini, qui fuit damnare haereticos, non vero nonnullos scholasticos.

AD III^m QUAEST. Duplex est sententia: 1. Negant determinationem sacramentorum a Christo factam appellari posse *institutionem*, Vasquez, Scotus, Gabriel, Durandus ([1]) — 2. Affirmant s. Thomas, s. Bonaventura, Sotus, Ricardus, Suarez, Lugo ([2]).

AD IV^m QUAEST. Duo involvuntur : a) Num *mero homini* aut *angelo* dari potuisset potestas determinandi ritus sacramentales ; b) an haec determinatio vocari posset *institutio*. Ad *primum* communiter respondetur affirmando. Tenent tamen nonnulli potestatem excellentiae non potuisse conferri purae creaturae. Ad *alterum* occurrunt eaedem sententiae atque ad praecedentem quaestionem.

THESIS XVIII^a. — Christus Jesus, uti est homo, per se et immediate instituit omnia novae legis sacramenta.

In probatione thesis gradatim procedentes successive sequentia ostendemus: a) Christus Jesus voluntate humana *determinavit* omnia sacramenta N. L. In hac parte abstrahemus a quaestione utrum per seipsum id fecerit Christus, an per alios vi auctoritatis ab ipso acceptae. Quae pars est *de fide definita*. Ponitur contra haereticos. — b) Christus Jesus hanc determinationem fecit *immediate per seipsum*, non vero per apostolos aut successores eorum. Quae pars videtur *proxima fidei*. Ponitur contra varios scholasticos. — c) Haec determinatio sacramentorum convenientissime vocatur *institutio*. Quae pars ponitur contra Scotum, Durandum, Gabrielem, Vasquezium etc.

149. — Prima pars. CHRISTUS QUA HOMO DETERMINAVIT OMNIA SACRAMENTA N. L.

Prob. Arg. 1^m. Si Christus qua homo non determinavit, per se aut per alios, omnia sacramenta, dicendum est determinatum esse aliquod

([1]) VASQ. in III p., d. CXXXV, c. II; SCOTUS, in 4 d. 1, q. III, § de secundo dico ; GABRIEL, in 4 d. 1, q. II, a. 2, dub. 2 ; DURANDUS, in 4. d. 2, q. 1, n. 4 sqq.

([2]) D. TH. III, q. LXIV, a. 4 ; SOTUS, in 4 d. 1, q. V, a. 4 ; BONAV. in 4. d. 5, a. III, q. 1; RICARDUS, in 4 d. 5, a. 1, q. III; SUAR. d. XII, s. 2; LUGO, d. VII, s. 2.

sacramentum, vel immediate a Deo seu appropriative a Spiritu Sancto; vel ab Ecclesia vi potestatis acceptae immediate a Spiritu Sancto. Atqui neutrum dici potest. Ergo.

Prob. 1ª pars min. Per revelationem, adeoque per Scripturam aut Traditionem constare deberet Spiritum Sanctum instituisse sacramenta. Atqui nihil de hoc constat. Ergo.

Prob. 2ª pars min. Spiritus Sanctus apostolis est promissus a Christo tamquam doctor, illuminator, revelator; non vero tamquam legislator aut institutor. Atqui instituere sacramenta non est doctoris etc. sed legislatoris. Ergo. — *Constat major* ex Joh. XIV, 16, 17 : « Et ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere...Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit. » Ib. XVI, 7-14 : « Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio... Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso; sed quaecumque audiet, loquetur, et quae ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. »

Arg. IIᵐ. Christus est conditor Ecclesiae. Atqui conditoris Ecclesiae est determinare omnia sacramenta per se aut per alios. Ergo.

Christum esse conditorem Ecclesiae probatur in tractatu de Ecclesia. Id constat vario Scripturarum testimonio; in specie epistola s. Pauli ad Ephesios et ad Colossenses : « Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi... Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in sanctificationem corporis Christi. » (Eph. IV, 7-12). « Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium..., ut sit in omnibus ipse primatum tenens. » (Col. I, 18).

Prob. min. Conditoris Ecclesiae est determinare omnia essentialia Ecclesiae, aut per seipsum aut per alios vi potestatis a conditore acceptae. Si enim aliquid essentiale determinari posset vi alius auctoritatis, adeo ut nullatenus originem suam a primo conditore haberet, jam non haberetur eadem essentialiter Ecclesia a conditore fundata. Atqui sacramenta sunt inter essentialia Ecclesiae, uti superius declaratum est. Ergo.

150. — **Secunda Pars.** CHRISTUS IMMEDIATE DETERMINAVIT OMNIA N. L. SACRAMENTA.

Prob. arg. I^m. Petitur ex Tridentino et tripartito dividitur :

1. In sessione VII, can. 1, Christus dicitur instituisse omnia sacramenta; sed ex usu loquendi ejusdem Concilii et ex usu communi, Christus non dicitur instituisse simpliciter, nisi id quod per seipsum immediate condidit. Ergo sacramenta quae ab Ecclesia immediate determinata fuissent, non dicerentur a Trid. instituta a Christo. — *Prob. min.* a) Quae non praecipiuntur immediate a Christo, sed ab Ecclesia, vi potestatis a Christo derivatae, non dicuntur a Christo praecipi. Ergo a pari quae non essent instituta immediate a Christo, sed ab Ecclesia, vi auctoritatis a Christo derivatae, non dicerentur a Christo institui. — b) Tridentinum in sessione VII ait : « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, A. S. » (Can. 13). Ritus quos contemnere nefas est, qui sine peccato pro libitu non omittuntur neque possunt mutari per pastorem ecclesiae particularis, intelliguntur a Concilio *instituti ab Ecclesia* ex auctoritate a Christo derivata. Non dicuntur instituti *a Christo*.

2. In sessione XXI, ait : « Declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret ». (Cap. II). Unde sic arguitur : a) Ecclesia vindicat sibi potestatem statuendi et mutandi ea quae respiciunt dispensationem sacramentorum; agnoscit sibi nullam esse potestatem statuendi aut mutandi circa substantiam eorum. Atqui qui nihil potest statuere nec mutare circa substantiam sacramentorum, non potest ea instituere. Ergo. — b) Christus tradidit Ecclesiae substantiam omnium sacramentorum, voluitque eam esse immutabilem. Atqui qui hujusmodi substantiam Ecclesiae tradidit, ille instituit immediate sacramenta. Ergo.

3. In sessione XIV, de extrema unctione ait : « Si quis dixerit extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum et a beato Jacobo Apostolo promulgatum... A. S. » (Can. 1). Communiter admittebatur omnia sacramenta esse a Christo instituta. In dubium revocabatur utrum omnia essent instituta immediate, an nonnulla immediate ab Apostolis, mediate a

Christo. Maxime dubitabatur de extrema unctione. Quaestionem dirimit Tridentinum praejacto canone. — Unde sic : Quod ab Apostolis non est nisi promulgatum, id non est institutum immediate ab iisdem. Atqui extrema unctio nonnisi promulgata est a Jacobo. Ergo.

Arg. II^m. *Ex Scriptura.* Si aliquibus fuisset data a Christo potestas nomine ipsius sacramenta instituendi, inter hos annumerandi sane fuissent Apostoli. Colligitur tum quia praeter potestatem ordinariam acceperunt potestatem extraordinariam, tum speciatim a) ex Eph. II, 19, 20: « Estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu. » b) Ex Apoc. XXI, 14 : « Et murus civitatis habens fundamenta duodecim et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni ». — Atqui ex Scripturis colligitur hanc potestatem Apostolis non esse datam. — *Prob. min.* I Cor. III, 4, 5 : « Quid igitur est Apollo ? Quid vero Paulus ? Ministri ejus cui credidistis ». Ib. IV, 1 : « Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei ». — Unde sic arguitur : Qui non est nisi minister Christi, dispensator Dei mysteriorum, ei non collata est potestas instituendi sacramenta. Atqui Apostoli numquam dicuntur habere nisi potestatem ministerialem. Ergo.

Arg. III^m. *Ex Patribus.* 1. Ex Traditione habemus omnia sacramenta, qua sacramenta, esse aequalia. Ex Scriptura clare habemus Baptismum, Eucharistiam, Paenitentiam et Ordinem, esse immediate a Christo instituta (abstrahendo a quaestione de determinatione specifica aut generica rituum sensibilium). Hoc enim constat ex Matth. XXVI et XXVIII, ex Joh. XX. Ergo omnia sacramenta sunt immediate a Christo instituta.

2. Patres numquam distinguunt sacramenta in ea quae immediate et ea quae mediate sunt a Christo instituta, sed Christum simpliciter vocant auctorem sacramentorum. Sic auctor operis *de sacramentis :* « Auctor sacramentorum quis est nisi Dominus Jesus ? De coelo ista sacramenta venerunt ([1]). » Ergo Patres existimant Christum Jesum instituisse immediate omnia sacramenta N. L.

3. Augustinus ad Januarium scribit Christum nos subdidisse levi jugo suo et levi sarcinae; eum colligasse novum populum ritibus sacris paucissimis et observatu facillimis ; hos ritus esse Baptismum et Eucharistiam, ceterosque in Scripturis canonicis commendatos. His opponit cetera ab Apostolis aut Conciliis instituta, puta celebrationem

([1]) Auct. ll. *de sacram.* l. IV, c. IV, n. 13. M. XVI, 439.

Paschatis (1). — Unde sic arguitur : A Christo Jesu originem immediate habent ea omnia quae in Scripturis canonicis commendantur et quibus fideles in unam societatem sunt coadunati. Atqui nullum est ex septem sacramentis quod in Scripturis non commendatur (si enim de quibusdam, puta de extrema Unctione, de Ordine, de Matrimonio obscurius sermo fit in Evangeliis, clarissime de his loquuntur ceterae Scripturae) ; sacramentorum usu vel maxime populus christianus colligatur. Ergo.

Idem Augustinus affirmat Christum noluisse ut Baptismus institueretur per alium praeter ipsum, licet hanc potestatem dare potuisset, ne servus poneret spem in servo (2). Atqui eadem ratio valet de ceteris sacramentis. Ergo.

Arg. IV^m. Eadem veritas confirmatur *rationibus congruis*. 1. Potestas instituendi sacramenta est quaedam potestas excellentiae, uti ex hujusce notione manifestum est. Atqui decuit ut potestas excellentiae soli Christo conferretur, ob ejus singularem dignitatem et excellens meritum. Ergo. — 2. Requiritur ut homines non ponant spem salutis in homine, sed in Deo et in Christo Jesu. Atqui ut hic finis compararetur, conveniens fuit ut nulli homini collata fuerit potestas instituendi sacra-

(1) Augusт. « Primo itaque tenere te volo... Dominum nostrum Jesum Christum... levi jugo suo nos subdidisse, et sarcinae levi. Unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praestantissimis, societatem novi populi colligavit, *sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis et sanguinis ipsius, et si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur*; exceptis iis, quae servitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum, et prophetici temporis onerabant, quae et in quinque libris Moysis leguntur. Illa autem quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri. » *Epist.* LIV *ad Januar.* c. 1. M. XXXIII, 200.

(2) Aug. « Potuit autem Dominus Jesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret baptismum suum tamquam vice sua, et transferre a se baptizandi potestatem, et constituere in aliquo servo suo, et tantam vim dare baptismo translato in servum, quantam vim haberet baptismus datus a Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo spes esset baptizatorum a quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo servum ponere spem in servo. Ideoque clamabat Apostolus, cum videret homines volentes ponere spem in seipso: « Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? » (I Cor. 1, 13). Baptizavit ergo Paulus tamquam minister, non tamquam ipsa potestas; baptizavit autem Dominus tamquam potestas. Intendite. Et potuit hanc potestatem servis dare, et noluit: Si enim daret hanc potestatem servis, id est, ut ipsorum esset quod Domini erat, tot essent baptismi quot essent servi... Ergo ne tot baptismata dicerentur, quot essent servi qui baptizarent, accepta potestate a Domino, sibi tenuit Dominus baptizandi potestatem, servis ministerium dedit. » *In Joh.* Tract. v, n. 7. M. XXXV, 1417. — « Quae (gratia) ubi venit, ab ipsa Dei sapientia homine assumpto, a quo in libertatem vocati sumus, pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, quae societatem populi christiani, hoc est sub uno Deo liberae multitudinis, constituerunt. » *De vera religione,* XVII. M. XXXIV, 136.

menta. Ergo. — 3. Expedit ut non multiplicentur sacramenta. Ex his enim multiplicatis, facile nascuntur haereses et schismata. Ergo expediebat ut omnia a Christo instituerentur.

151. — **Tertia pars.** DETERMINATIO SACRAMENTORUM CONVENIENTER VOCATUR INSTITUTIO.

Prob. Arg. I^m. Haec veritas probatur *ratione.* In libera voluntate Christi positum erat non tantum ut tale exsisteret sacramentum potius quam aliud, sed insuper ut simpliciter vel nullum esset sacramentum, vel aliquod esset. Secus ipse Christus qua homo non esset verus institutor Ecclesiae, sed ille solus dici posset vere instituisse Ecclesiam cujus mandatum Christus esset exsecutus. — Atqui ille in cujus potestate sunt posita haec duo, et qui hac sua potestate utitur ad determinanda sacramenta, convenienter dicitur ea instituisse. Ergo.

Arg. II^m. Petitur *ex Tridentino:* Non deserendus est modus loquendi Tridentini, nisi evidens ratio nos cogat. Atqui Tridentinum in sessione VII canone 1°, asserit Christum Jesum *instituisse* omnia sacramenta Novae Legis; in sessione XIII asserit Christum *instituisse* Eucharistiam in ultima coena; in sessione XIV, c. 1, idem enarrat de sacramento Paenitentiae. Ergo.

Recte etiam arguitur ex modo loquendi communiter recepto in Ecclesia: Christus enim ut homo dicitur sacrificium novum instituisse, sacramenta instituisse.

Arg. III^m. *Ex Scriptura.* Circa ea quae spectant ad finem Incarnationis Christo qua homini collata est a Patre omnis potestas quae creaturae communicari potest. Patet ex Matth. XXVIII, 18-20 et ex Joh. XX, 21 sq. Atqui potestas instituendi sacramenta spectat ad finem Incarnationis et non repugnat ut creaturae communicetur. Ergo.

152. — **Scholion 1^m.** *Sacramenta V. L. fuerunt immediate a Deo instituta.* De circumcisione constat ex Gen. XVII; de reliquis ex toto Exodo et Levitico ubi cuicumque institutioni praemittitur: « Dixit Dominus ad Moysen. » Lex quidem dicitur a Paulo esse data per Angelos, at sacramenta nusquam dicuntur ab Angelis fuisse instituta. Ratio varia traditur cur nulli homini data fuerit potestas sacramenta V. L. instituendi: a) Deus, lege et caerimoniis ab ipso latis, voluit populum judaicum sibi singulariter conjungere et a ritu et cultu gentilium segregare. b) Per circumcisionem delebatur peccatum originale; cetera sin minus gratiam conferebant, saltem significabant tum gratiam tum sacramenta N. L.; jamvero decet ut sola persona divina haec infallibiliter ritui externo annectat.

Si ais ex dictis sequi sacramenta V. L. esse institutione digniora sacramentis N. L., *respondetur distinguendo :* Si sacramenta N. L. instituta non sunt a Deo tamquam *a causa principali*, cui soli inest potestas auctoritatis, *Conc. ;* secus, *Neg.* Ratione causae principalis instituentis, habetur aequalitas inter sacramenta novae et veteris Legis. Dignitate excedunt sacramenta N. L. cum Deus ad ea instituenda usus sit persona divina quae homo est facta.

Scholion 2m. *Sacramentum legis naturae fuit immediate a Deo institutum.* Solus enim Deus potest promittere deletionem peccati originalis et infusionem gratiae sub conditione adhibiti signi externi protestativi fidei internae.

153. — Scholion 3m. *Quaeres an Deus potuerit puro homini vel Angelo tradere potestatem instituendi sacramenta ?*

Resp. a) Extra controversiam est positum nulli creaturae communicari posse potestatem auctoritativam respectu sacramentorum. — b) Omnes etiam admittunt creaturam posse ex delegatione Dei designare materias et formas validas, ita ut Deus statuat se collaturum gratiam ad positionem signorum a creatura determinatorum. — c) Extra dubium adhuc est positum non repugnare ut Deus *gratuito* conferat puro homini virtutem instituendi sacramenta. — d) Num purus homo hanc potestatem possit *mereri de condigno*, est difficultas : Christus quidem ob unionem hypostaticam humanitatis, potuit de condigno mereri aliis gratiam ; verum merus homo aut angelus ratione gratiae habitualis qua informatur non meretur de condigno gratiam aliis. Difficultas solvitur aut dicendo, cum Vasquez, hominem de congruo mereri posse aliis gratiam, ideoque hanc praerogativam Christi, licet diminutam, posse aliquatenus ei tribui; vel dicendo, cum Lugone, meram aliquam creaturam de potentia Dei absoluta posse tanta gratiae plenitudine ornari ut jam de condigno non possit mereri sibi augmentum gratiae, in quo casu aliis de condigno mereretur gratiam, tunc autem posse Deum illi dare potestatem instituendi sacramenta quae conferrent gratiam propter merita condigna ipsius.

Satisfit difficultatibus.

154. — Contra Im et IIm partem. Obj. Io. Cum Bonaventura : In Evangeliis nulla mentio fit Confirmationis et Extremae Unctionis. Atqui id silentium est signum haec a Christo Jesu non esse instituta. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* Silentium Scripturae foret signum

hujusmodi, *si sola Scriptura* esset *fons revelationis*, vel si necesse fuit evangelistas narrare omnia a Christo gesta circa institutionem sacramentorum, *Conc.*; si *Traditio* est fons revelationis, isque primarius, *Neg.* Scripturae silentium explicatur quia evangelistae non inierunt consilium inter se ut nihil omitterent circa gesta a Christo ad instituendam Ecclesiam; si itaque alia ab aliis narrantur, mirum non est quod nonnulla fuerint ab omnibus praetermissa. Confirmatur quia juxta Act. I, 3, Christus per quadraginta dies apparens Apostolis eis locutus est de regno Dei, sc. de Ecclesia; jamvero nonnisi paucissimi ex his sermonibus Christi referuntur ab evangelistis. — Etiamsi ratio silentii non valeret tradi, adhuc invalide ex eo contenderetur Christum non esse institutorem omnium sacramentorum. Ratio est quia Scriptura neque unicus neque praecipuus fons est revelationis. Organum enim primarium est magisterium ecclesiasticum, siquidem Christus oretenus docuit fideles, jussitque Apostolos docere fideles eodem modo usque ad finem mundi; magisterium ecclesiasticum haurit quidem dogmata ex Scriptura, sed non ex ea sola. Jamvero ex magisterio Ecclesiae et ex scriptis Patrum constat Christum esse institutorem immediatum omnium sacramentorum. — Retorqueri valet argumentum adversariorum. Etenim de Confirmatione loquuntur Actus Apost., de Extrema Unctione epistola catholica Jacobi. Jamvero non legitur haec sacramenta fuisse instituta ab Apostolis.

Obj. 2°. *Cum eod.* Quae Christus instituit sacramenta, potuerunt administrari ante ascensionem. Atqui Confirmatio non potuit administrari. — *Prob. min.* ex Joh. VII, 38, 39 : « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. »

Resp. 1. *Neg. maj.* Optime enim fieri potuit ut ante Pentecosten nulla sacramenta legis novae potuerint confici et administrari. — 2. *Transm. maj. Neg. min.* Ad probationem respondetur probabiliter apud Johannem non fieri speciatim sermonem de Confirmatione, sed de infusione charismatum Spiritus Sancti generatim sumptorum, quae promittitur in N. L. publica, larga, patens, in oppositione ad infusionem gratiae in V. L. privatam, restrictam, occultam.

Obj. 3°. Ille non est institutor sacramenti, qui non determinat in specie materiam et formam. Atqui Christus non determinavit in specie materiam et formam singulorum sacramentorum, uti constabit ex objectionibus adversus sequentem thesim. Ergo.

Resp. 1. *Dist. maj.* Ille non instituit sacramentum qui, licet non specificet materiam et formam, tamen *absolute vult esse ea omnia et sola sacramenta quae sunt*, adeoque *determinat gratias sacramentales* significandas et conferendas, *determinat ultimam notam* qua ritus sacramentalis sit infalliter significativus gratiae, *Neg.;* qui nec specificat materiam et formam sacramenti, neque tria praefata facit, hic non est institutor sacramentorum, *Conc. Cdt. min.* — 2. *Transm. maj. Neg. min.*

155. — Contra III^m partem, obj. 4°. Nequit admitti Deum, quoad productionem effectus sibi proprii, pendere a creatura. Atqui si Christus qua homo instituit sacramenta, consequens foret Deum quoad productionem gratiae, qui est effectus proprius Dei, pendere a creatura. — *Prob. min.* Si Christus qua homo instituit sacramenta, est causa volens et decernens, Deus est causa exsequens. Atqui causa exsequens pendet a decernente. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* Si Christus qua homo est *causa principalis* institutionis sacramentorum, seu si instituit ex *potestate auctoritatis,* hoc est consequens, *Conc.;* si Christo non competit nisi potestas *ministerialis, Neg.* — Ad prob. *Dist. maj.* eod. modo : Si Christus qua homo instituit sacramenta, est causa volens *virtute propria, Neg.; accepta a Deo, Conc. Cdt. min.* Licet Christus qua homo instituerit sacramenta, Deus tamen in productione physica gratiae non pendet proprie nisi a semetipso. Ipse enim solus habet potestatem auctoritatis; quare Christus egit virtute a Patre accepta; sive aliter condidit Pater decretum vi cujus statuit se collaturum esse gratiam rite suscipienti sacramenta, dummodo placeret Christo sacramenta instituere. Igitur Deus non pendet ultimo nisi a proprio suo decreto. — Ceterum si negaretur Christum dici posse institutorem sacramentorum, sed tantum vocari posse *designatorem* eorum, eadem occurreret difficultas, nisi assereretur Christum tantum exsecutum esse decreta absoluta Patris, neque libere determinasse sacramentum. — Advertere etiam juvat Deum eodem modo pendere a justis in retribuendo praemio actionibus bonis.

Obj. 5°. Cum Vasq. Qui instituit rem, inchoat eam, ab initio statuit. Atqui nulla creatura inchoat sacramentum, ab initio statuit. — *Prob. min.* Creaturae determinationem debet praecedere decretum Dei quo datur talis facultas creaturae. Ergo Deus inchoat, non vero creatura.

Resp. *Dist. maj.* Qui instituit rem, is inchoat h. e. *ponit libere actum secundum,* adeo ut penes ipsum sit rem efficere aut non, *Conc.;*

inchoat h. e. ponit solus *actum primum* seu habet necessario a seipso potestatem qua libere utitur, neque potest accepisse virtutem, *Neg. Cdt. min.* — Ad prob. *Dist. ant.* Debet praecedere decretum conferens *facultatem* qua creatura utetur aut non, *Conc.;* secus, *Neg.* — Ut Christus vocari queat institutor sacramentorum, sufficit ut libere usus sit potestate a Patre accepta, adeo ut actualis exsistensia sacramentorum aut non exsistentia penes arbitrium ipsius fuerit constitutum.

Obj. 6°. In lege naturae, designatio signi commissa cuique fuit; solus tamen Deus dicitur instituisse sacramenta. Ergo a pari eo quod Christus determinavit ritus sacramentales, dici non potest institutor sacramentorum.

Resp. In lege naturae non determinatus est specifice a Deo ritus sensibilis quo deleretur P. O., sed determinatio in libera potestate hominum est constituta. Nihilominus Deus, non vero homo, est institutor remedii naturae. Ratio est quia homines quadamtenus Deo offerebant ritum aptum, Deus est qui annectebat vim significandi gratiam, proindeque Deus dabat formam signi sacramentalis: jamvero qui dat aut instituit formam rei, dicitur causa aut institutor rei.

§ 3. De determinatione materiae et formae a Christo.

156. — STATUS QUAESTIONIS. Christus Jesus aliquatenus determinavit materiam et formam sacramentorum, eo ipso quod fertur sacramenta instituisse; oportet enim ut illud signum, quod est practicum gratiae, exsistat vi voluntatis ejus. — Sed haec institutio sacramentorum et haec determinatio signi concipi possunt fieri tribus modis:

Primo modo: a) Christus determinat gratiam sacramentalem, puta deletionem peccati originalis et characterem, augmentum gratiae, auxilium ad strenue profitendam fidem; — b) statuit hanc gratiam esse significandam aliquo signo sensibili fundamentaliter apto. Illud signum non designat seu non specificat, sed specificationem committit sive Apostolis, sive Ecclesiae. — Si Christus hanc viam inivisset, materiam et formam determinasset *in genere;* Ecclesia, intra limites a Christo assignatos, posset *specificare materiam et formam.*

Secundo modo: a) Christus determinat gratiam sacramentalem; b) determinat speciem signi sensibilis quo gratia est significanda et conferenda. Ut autem species indigitetur a Christo, requiritur et sufficit ut designetur *actio* quae habenda est pro materia proxima, et *sententia* quae per verba est exprimenda. Non requiritur ut determinentur verba

materialiter sumpta adeoque ut lingua aliqua determinetur et in hac lingua certa vocabula. — Neque requiritur ut materia *remota* determinetur quoad ultimam speciem, adeoque ut Christus determinet utrum pro Eucharistia panis triticeus debeat esse azymus an fermentatus; utrum vinum sit futurum rhenanum an burgundicum; utrum oleum debeat esse olivae an secus. — Excipitur casus quo specificatio materiae remotae est implicita in specificatione materiae proximae, quod locum habet pro paenitentia. — Tali ratione agendi materiam et formam ipse Christus *in specie* determinasset. — Porro Ecclesia nil circa statuta a Christo mutare potest; quare pro singulis sacramentis semper et omni loco adhiberi deberent eadem materia et eadem verba formaliter sumpta, seu quoad sententiam iisdem significatam. — Verum Ecclesia deberet determinare verba materialiter sumpta et modum conficiendi materiam.

Tertio modo : Christus praeterea determinat *verba materialiter sumpta et materiam remotam* in ultima specie.

QUAESTIONES. Non quaeritur an Christus determinaverit tertio hoc modo materias et formas omnium sacramentorum. — Etenim Christum non determinasse verba formarum sacramentalium materialiter sumpta, ex eo manifestum est quod haec verba sunt diversa in Ecclesia latina et in Ecclesia graeca, tum ratione linguae, tum ratione phraseos grammaticae. — α) Forma Confirmationis apud Latinos est: « Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ; » apud Graecos: « Σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου » (sigillum doni Spiritus Sancti). — β) Forma Baptismi apud Latinos est: « Ego te baptizo in nomine etc.; » apud Graecos: « Βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ, ἐν ὀνόματι.... » (baptizatur servus Dei in nomine etc.) — γ) Forma Paenitentiae apud Graecos est deprecativa, apud Latinos aliquando fuit deprecativa, nunc est simpliciter indicativa. — Manifestum etiam est Christum non determinasse materiam remotam in ultima specie pro omnibus sacramentis.

Verum disputatur de duobus : 1. An Christus Jesu vere dici posset *instituisse omnia sacramenta,* posito eum determinasse *in genere tantum* eorumdem materias et formas. — 2. Utrum de facto Christus *in specie determinaverit materias et formas* omnium sacramentorum, an *generice* tantum determinaverit easdem pro nonnullis sacramentis.

157. — SENTENTIAE. *Ad I*am *quaestionem* negative respondet Drouin ; sed affirmativa responsio est communis et infra defendetur.

*Ad II*am *quaestionem* omnes conveniunt materiam et formam Baptismi

et Eucharistiae fuisse specifice determinatas a Christo. Quoad reliqua sacramenta : *affirmative* reponunt antiqui theologi et plerique recentissimi, Franzelin, de Augustinis etc. (1) ; *negative* reponunt medii, inter quos Lugo et Holtzclau (2). – Tournely utramque sententiam ut probabilem habet (3). — Ratio cur negaverint multi Christum specifice determinasse materiam et formam omnium sacramentorum, est quod materia et forma *Ordinis* et *Confirmationis* non videntur iis fuisse semper eaedem in Ecclesia latina et graeca. Haec nempe est eorum sententia :

1. Ad sacramentum *Ordinis* quod spectat: a) Apud latinos, usque ad seculum XII, *impositio manuum* fuit materia presbyteratus; *verba, sub impositione manuum ab episcopo prolata,* fuerunt forma. A seculo XII tanquam materia habita est *traditio instrumentorum*, nempe calicis cum vino et aqua, patena superposita cum hostia ; forma fuerunt *verba sub hac traditione ab episcopo pronuntiata :* « Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini. » — b) Apud Graecos materia et forma constanter fuerunt *impositio manuum et verba episcopi tunc prolata.*

2. Ad *Confirmationem* quod attinet materia olim fuit *impositio manuum*, nunc est *chrismatio.*

Recentes theologi, existimantes Christum specificasse materias et formas omnium sacramentorum, tenent materiam Ordinis et Confirmationis fuisse perpetuo easdem apud graecos et apud latinos ; Ordinis quidem materiam esse *impositionem manuum*, formam autem *verba tunc prolata ;* Confirmationis vero materiam esse *impositionem manuum* inclusam in chrismatione, et ipsam hanc *chrismationem.*

THESIS XIX[a]. — Licet Christus Jesus dicendus esset verus sacramentorum institutor, etiamsi nonnisi generice signum sacramentale determinasset ; ad factum tamen quod attinet, multo probabilius est eum specifice determinasse materiam proximam et formam omnium sacramentorum.

158. — Prima pars. SOLA GENERICA DETERMINATIO RITUS SENSIBILIS SUFFICERET UT CHRISTUS DICENDUS ESSET INSTITUTOR SACRAMENTORUM.

Prob. Arg. I[m]. Ille dicendus est verus sacramenti institutor, qui a) determinat gratiam sacramentalem conferendam ; b) statuit gratiam

(1) FRANZELIN, *De sacr. in gen.* thesis V. — DE AUGUSTINIS, *De re sacramentaria*, l. I, th. XIII, p. 171. — (2) LUG. d. II, s. 5, n. 85 sq. — HOLTZCLAU, *De sacram. in genere*, n. 117, p. 92, — (3) TOURNELY, *De sacram. in genere*, q. I, a. 4.

esse significandam et conferendam signo sensibili fundamentaliter apto ; c) tribuit signo sensibili vim infallibiliter significandi gratiam et virtutem causandi gratiam. Constat major quia auctor rei vocatur ille qui libere dat formam huic rei ; sed qui circa sacramenta tria praefata statuit, eis dat libere formam sacramenti seu signi infallibiliter demonstrativi et practici gratiae. — Atqui etiamsi Christus nonnisi generice determinasset materias et formas, haec tria de eo tamen essent affirmanda. — Duo priora constant ex superiori thesi ; si enim desunt, evidens est Christum non posse vocari institutorem sacramentorum. Probandum manet tertium :

Si Christus supponitur nonnisi generice determinasse materias et formas, nihilominus ipse est qui tribuit ritui sacramentali vim infallibilem suam. Ecclesia enim ipsi offert quadamtenus ritum ex se aptum ut ei annectatur significatio infallibilis gratiae et virtus causativa ; verum haec non competunt ritui in actu secundo, nisi vi decreti Christi quo nempe libere decrevit se pro sacramento habiturum esse ritum quem Ecclesia designaverit.

Observa. Idem argumentum forsan brevius sic effertur : Solum discrimen inter sententiam qua Christus nonnisi generice determinat sacramenta, et sententiam qua specifice ea determinat, reponitur in eo quod in priori Christus annectit vim actu efficaciter significandi gratiam ritui ab Ecclesia designato et sibi quadamtenus oblato ; in posteriori vero hanc vim annectit ritui quem ipse invenit in ordine naturae (supponitur enim fundamentaliter aptus). Si in posteriori casu dicendus est Christus institutor sacramenti, non minus dicendus erit institutor in priori casu.

Arg. II^{m}. Hypothesi facta Christum nonnisi genus determinasse signi sacramentalis, Ecclesiam vero illius speciem determinasse ; vel Christus est dicendus sacramenti institutor, vel Ecclesia. Atqui Ecclesia ne partialis quidem est institutor sacramentorum. — *Prob. min.* Ille non est institutor sacramenti a quo in ordine causarum secundarum non pendet ut sacramentum sit aut non sit, qui non condit id quod est principale, denique qui ultimatim non tribuit ritui determinato vim infallibiliter significandi et causandi gratiam. Atqui, dato Ecclesiam specificasse signum sacramentale materialiter inspectum : a) ab Ecclesia non pendebat simpliciter ut sacramentum esset, neque ipsa instituit id quod est principale. Ut enim sacramentum sit, oportet ut polleat virtute gratiam conferendi ; haec eadem virtus est praecipua in sacramento. Jamvero ab Ecclesia non pendet ut gratia sit conferenda

sacramentaliter vel non ; Christus solus hoc statuit. — b) Ecclesia non tribuit ultimatim ritui, quem designavit, ut sit in actu secundo infallibiliter demonstrativus et collativus gratiae, uti in primo argumento declaratum est. Ergo.

Conf. Christus Jesus accepit a Patre talem potestatem instituendi sacramenta, ut penes voluntatem ipsius positum fuerit, ut exsisterent sacramenta aut non, haec aut illa ; jamvero, eo non obstante, Deus dicitur institutor principalis sacramentorum, quia nempe Christus potestatem a Patre acceperat. Ergo a fortiori Christus dicendus esset institutor sacramentorum, etiamsi ritus materialiter sumpti specificati fuissent per Ecclesiam. Haec enim potestatem accepit a Christo eligendi ritus ; ex altera parte in Ecclesiae potestate non est ut sint sacramenta aut non, haec aut illa.

159. — Secunda pars. CHRISTUS DETERMINAVIT SPECIFICE MATERIAM ET FORMAM OMNIUM SACRAMENTORUM.

Arg. I^m. Petitur ex Tridentino (1). Ecclesia, dum adversus Protestantes vindicat sibi potestatem statuendi et mutandi ea quae respiciunt dispensationem sacramentorum h. e. ritus, et caerimonias quae observantur in celebratione et administratione sacramentorum, agnoscit penes se nullam esse potestatem statuendi aut mutandi aliquid circa substantiam sacramentorum. Atqui eo quod Ecclesia specificasset materiam et formam, haberet potestatem statuendi et proinde mutandi aliquid circa substantiam sacramenti. — *Prob. min.* a) Substantia sacramenti intelligitur a Tridentino id quod in sacramenti administratione differt a ritu et a caerimonia, adeoque materia et forma. — b) Si Ecclesia potest specificare materiam et formam, mutare ea quae prius sunt a se decreta, si Christus semper tribuit vim infallibiliter significandi gratiam ritui quem Ecclesia designat ; revera dicendum fuisset Tridentino Ecclesiam omnia fere posse in re sacramentaria.

Arg. II^m. Petitur *ex auctoritate ss. Patrum et Scholasticorum :* 1. Patres, speciatim Basilius et Augustinus (2), contendunt valida

(1) TRID. Sess. XXI, c. II. Cfr. thesim XVIII, p. II, n. 150, q. 255.

(2) S. BASILIUS : « Videtur tamen interdum Apostolus etiam solius Spiritus fecisse mentionem in baptismate. « Omnes enim, inquit, in uno corpore in unum Spiritum baptizati sumus. » (I Cor. XII, 13). His et illud consonat : « Vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto » (Act. I, 5) ; et « Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto » (Luc. III, 16). At non ideo quis dixerit perfectum esse baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est. Oportet enim *inviolabilem semper manere Traditionem*, quae in vivifica gratia data est. Nam vitam nostram de corruptione qui liberavit, potestatem nobis renovationis dedit : quae potestas

esse sacramenta ab haereticis collata, dum *juxta Christi institutionem* conficiantur. Ex observatione praecepti dominici discernebant utrum sacramenta haereticorum essent valida necne. Generatim autem loquebantur de omnibus sacramentis. Ergo Patres ducebant Christum determinasse specifice materias et formas. Si enim Ecclesia has determinasset, judicandum esset de valore sacramenti examinando an conficerentur juxta determinationem Ecclesiae.

2. Veteres scholastici tenent a Christo Domino esse immediate instituta quaecumque sunt de necessitate sacramenti, adeoque ad validitatem sacramentorum pertinent. Ita pronuntiant non modo ii qui constanter docuerunt impositionem manuum esse materiam Ordinis, uti Magister, Bonaventura, P. de Soto, sed ii etiam qui traditionem instrumentorum habent pro materia Ordinis. Speciatim id docet s. Thomas (1). Sed eidem scholastici tenent materiam et formam esse de necessitate sacramenti. Ergo sententia scholasticorum est Christum per semetipsum determinasse materiam et formam omnium sacramentorum.

Arg. III^{m}. Si Christus generice, Ecclesia vero specifice, determinat materiam proximam et formam alicujus sacramenti; potestas Ecclesiae nobis innotesceret aut Scripturis, aut Traditione oretenus ad nos trans-

---

causam habet ineffabilem, et in mysterio reconditam, sed magnam animabus salutem conferentem, ut quidquam addere aut detrahere plane sit ab aeterna vita excidere. » *De Spiritu Sancto*, XII. M. XXXII, 118.

S. AUGUST.: « Quomodo aquam mundat et sanctificat homicida? Quomodo benedicunt oleum tenebrae? Si autem Deus adest sacramentis *et verbis suis*, per qualeslibet administrentur, et sacramenta Dei ubique recta sunt, et mali homines, quibus nihil prosunt, ubique perversi sunt. » *De Bapt.* V, XX. M. XLIII, 190.

(1) S. TH. « Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, *non pertinet ad hominem suo judicio assumere res quibus sanctificetur: sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum*. Ei ideo in sacramentis novae legis, quibus homines sanctificantur, secundum illud (I ad Cor. VI, 11): « Abluti estis, sanctificati estis, » *oportet uti rebus ex divina institutione determinatis*. »... « Deus autem est qui nobis significat spiritualia per res sensibiles in sacramentis, et per verba similitudinaria in Scripturis. Et ideo sicut judicio Spiritus Sancti determinatum est quibus similitudinibus in certis Scripturae locis res spirituales significentur, ita etiam debet esse divina institutione determinatum quae res ad significandum assumantur in hoc vel in illo sacramento. » III, q. LX, a. 5 in corp. et ad 1^{m}.

Ad difficultatem: « Videtur quod sacramenta *non sint solum ex institutione divina*. Ea enim quae sunt divinitus instituta, traduntur nobis in sacra Scriptura. Sed quaedam aguntur in sacramentis, de quibus nulla fit mentio in sacra Scriptura, puta de chrismate, quo homines confirmantur, et de oleo quo sacerdotes inunguntur, et de multis aliis tam verbis quam factis, quibus utimur in sacramentis. Non ergo sacramenta sunt solum ex institutione divina. » Respondet Aquinas: « *Illa quae aguntur in sacramentis, per homines instituta, non sunt de necessitate sacramenti,* sed pertinent ad quamdam solemnitatem, quae adhibetur sacramentis ad excitandam devotionem et reverentiam in his qui sacramenta suscipiunt; *ea vero quae sunt de necessitate sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt,* qui est Deus et homo. Et licet non sint omnia tradita in Scripturis, habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum Traditione, sicut Apostolus dicit (I Cor. XI, 34): « Cetera cum venero disponam. » III, LXIV, a. 2, ad 1^{m}.

missa, aut Patribus sive extra Concilium loquentibus sive intra Concilium, aut Romanis Pontificibus, aut denique usu hujus potestatis, qui usus nobis innotesceret ex eo quod materia et forma Ordinis et Confirmationis, hodiedum apud Latinos adhibitae, sunt specie diversae a materia et forma adhibitis ante seculum XII apud Latinos, et nunc adhuc apud Graecos usurpatis. Atqui id nullo ex his nobis innotescit. Ergo. — Patent priores partes minoris quia Scriptura, Patres, Concilia, Romani Pontifices numquam vindicant Ecclesiae hujuscemodi potestatem. Praeterea constat de veritate earumdem partium, quia numquam Ecclesia declarat se uti hac potestate sibi a Christo collata. Contra enim constantissima cura Ecclesiae fuit ut nihil umquam innovaretur, ut traditiones apostolicae exactissime servarentur. — Probanda manet pars ultima.

A. *Materia et forma Ordinis non est diversa.* In tantum essent diversae, in quantum traditio instrumentorum et verba episcopi prolata sub hac traditione, jam inde a seculo XII factae essent materia et forma Ordinis. Atqui nullam contigisse mutationem circa materiam et formam Ordinis perspicuum est tum quia nullum exstat decretum Concilii aut Romani Pontificis quo illa mutatio introducta fuit, tum ex ratione ob quam introducta est in Ecclesia latina praefata instrumentorum traditio. Traditio instrumentorum, cum verbis annexis, addita fuerunt seculo XII ut clarius indicaretur potestas celebrandi sacrificium paulo ante per impositionem manuum et orationem episcopi collata. Hoc sensu a nonnullis dicuntur materia et forma *accidentalis*. Verum nullatenus fuerunt addita ut huic impositioni manuum substituerentur cum oratione annexa tamquam nova materia et nova forma. — Hoc clarissime liquet ex testimoniis doctorum qui de sacramentis scripserunt eo fere tempore quo tradi coeperunt instrumenta in ordinatione.

α) Hugo a s. Victore († 1140), aut Robertus Pullus (vid. p. 63), describit ordinationem presbyteri : « Presbyteri, inquit, cum ordinantur, *episcopo eos benedicente et manus super capita eorum tenente*, omnes presbyteri qui praesentes sunt manus juxta manum Episcopi super capita eorum levant et Spiritum Sanctum super eos qui ordinantur, invocant. » Deinde describit alias caerimonias, unctionem manuum, unctionem capitis, impositionem stolae, traditionem calicis ; singulorum rationem dicit esse ut intelligant, ut agnoscant quid acceperint hoc sacramento, quonam officio astringantur (1).

(1) Hugo Vict. « Presbyteri cum ordinantur, Episcopo eos benedicente, et manus super capita eorum tenente, omnes presbyteri qui praesentes sunt manus juxta manum Epis-

β) Magister († 1164) compendiat Hugonem, *inadvertenter omittit verba de impositione manuum;* ad verbum exscribit ea quae agunt de caerimoniis sequentibus (1). Demum haec cum Hugone, de traditione instrumentorum dicit : « Accipiunt etiam calicem cum vino et patenam cum hostiis ut per hoc sciant *se accepisse* potestatem placabiles Deo hostias offerendi. »

γ) Doctores qui commentarios condiderunt Magistri, traditionem instrumentorum habuerunt tamquam materiam Ordinis. Verum enim vero eidem doctores tenent *Christum specificasse materiam et formam omnium sacramentorum* ; itaque existimabant traditionem instrumentorum ornari origine apostolica, semper in Ecclesia viguisse, apud Orientales esse in usu. Ex his videtur concludi posse solam rationem cur scholastici desierint habere impositionem manuum velut materiam Ordinis ex eo repeti quod *apud Magistrum nullam invenerunt mentionem de impositione manuum.*

B. *Materia et forma Confirmationis non sunt diversae.* Perpetua identitas materiae Confirmationis salvatur duobus modis, contendendo nempe a) eam contineri tum chrismatione tum impositione manuum ipsi conjuncta, sive chrismatione qua simul manus imponit episcopus, et hoc probando ex eo quod semper et ubique confirmatio fuit administrata per chrismationem impositivam manuum; b) vel contendendo solam impositionem manuum esse materiam, illudque probando ex eo quod haec sola semper et ubique viguit ; proindeque addendo certis locis aut certo tempore additam fuisse chrismationem ut expressius significaretur gratia quae impositione manuum et verbis episcopi

copi super capita eorum levant : et Spiritum Sanctum super eos qui ordinantur invocant. Unguntur presbyteris manus sicut Episcopis, ut cognoscant se hoc sacramento gratiam consecrandi accipere : et opera misericordiae erga omnes pro viribus exercere debere. Unctio capitis specialiter ad Episcopum pertinet : ut intelligat se vicarium illius esse de quo scriptum est : *unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae.* Hi post invocationem Sancti Spiritus stolam super utrumque humerum accipiunt : quae in modum sustentaculorum dextrum latus munit et sinistrum : ut ex hoc intelligant se per arma justitiae a dextris et a sinistris esse munitos : ut eos nec adversa frangant, nec prospera extollant. Accipiunt et calicem cum vino, et patenam cum hostiis de manu Episcopi : quatenus his instrumentis potestatem se *accepisse* agnoscant placabiles Deo hostias offerendi. Ad ipsos pertinet sacramentum corporis et sanguinis Domini in altari Dei conficere, orationes dicere, et benedicere dona Dei. » *De sacram.* l. II, p. III, c. XII.

(1) MAGISTER : « Ad presbyterum autem pertinet sacramentum corporis et sanguinis Domini in altari Dei conficere, orationes dicere et dona Dei benedicere : qui cum ordinantur, inunguntur iis manus, ut intelligant se accepisse gratiam consecrandi, et caritatis opera debere extendere ad omnes. Accipiunt et stolam, quae utrumque tenet latus, quia debent esse muniti armis justitiae contra adversa et prospera. Accipiunt etiam calicem cum vino, et patenam cum hostiis ut per hoc sciant se accepisse potestatem placabiles Deo hostias offerendi. » IV *Sent.* d. XXIV.

confertur. — Atqui certum est semper manus episcopi fuisse impositas confirmandis: probabile valde est semper adhibitam fuisse chrismationem. Ergo certum est impositionem manuum esse materiam confirmationis, totalem aut partialem; probabile valde est chrismationem esse materiam partialem. Ergo.

Prob. min. 1. Longa testimoniorum series ostendit jam seculo tertio ineunte viguisse usum ungendi oleo et imponendi manus: a) *De utroque* loquuntur Augustinus (1), Tertullianus (2). b) *De Chrismatione,* episcopi synodi Carthaginiensis, anno 255 (3), Cyrillus Hier. (4), Cyrillus Alexandrinus (5), Innocentius P. I (6). Manifestum est chrismatione includi impositionem manuum, siquidem ab ea inseparabilis est. c) *De impositione manuum* sermonem habent Cyprianus, Hieronymus (7). Patet non excludi chrismationem, sed praescindi. Ceterum si aliunde constaret eam non viguisse, sequeretur solam impositionem manuum esse ubique materiam confirmationis.

2. Ex Scriptura videtur colligi posse Confirmationem fuisse peractam non sola manuum impositione, sed et chrismatione: In II Cor. 1, 21 legitur: « Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui *unxit* nos, Deus etc. » In I Joh. II, 20, 27: « Sed vos *unctionem* habetis a Sancto et nostis omnia... Et vos *unctionem* quam accepistis ab eo, maneat in vobis ».

160. — **Scholion 1m.** Ecclesiae est determinare omnia ea quae a Christo Jesu non sunt determinata. Illius proinde est declarare speciem infimam materiae remotae, verba materialia formarum, varios ritus quibus administrantur sacramenta.

Scholion 2m. Sacramentum est validum ex parte materiae et formae, quotiescumque adhibentur materia et forma juxta Christi institutionem, nulla mutatione substantiali adhibita. — Mutatio materiae est

(1) Aug. *De bapt.* III, xvi, 21: M. XLIII, 148; *De Trin.* XV, xxvi, 46: M. XLII, 1093.
(2) Tertull. in l. *De bapt.* c. vi: « Non quod in aquis Spiritum Sanctum consequamur, sed in aqua emundati sub angelo, Spiritui Sancto praeparamur. » C. vii: « Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione..... Sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit: quomodo et ipsius baptismi carnalis est actus, quod in aqua mergimur, spiritualis effectus, quod delictis liberamur. » — C. viii: « Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans et invitans Spiritum Sanctum. » Migne, I, 1206 sq. — L. *de Resurrect. Carnis,* viii: « Caro signatur ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. » Migne II, 806.
(3) Cf. M. P. L. III, 1078. — (4) Cyr. Hier. *Cat. myst.* III, 1-3. M. XXXIII, 1087 sq. — (5) Cyr. Alex. *In Joel.* II, 23: M. LXXI, 374; *In Cant. cant.* 1, 2. M. LXIX, 1278. — (6) Inn. I, *Epist. ad Decentium,* III. — (7) Cypr. *Epist. ad Jubaianum,* n. 6, 9. M. III, 1114; *Ep. ad Pomp.* n. 5, 7. M. ib. 1131. — Hier. *Dial. adv. Lucif.* n. 8. M. XXXIII, 164.

substantialis, cum juxta communem aestimationem non remanet eadem. — Forma mutatur substantialiter, cum eadem significatio verbis jam non subest. — Theologiae moralis est practice determinare in quibusnam casibus contingat substantialis mutatio materiae et formae.

Satisfit difficultatibus.

161. — Contra I^m partem. Obj. 1°. Eo quod materiae et formae specificarentur per Ecclesiam, consequens foret Christum instituere sacramenta per Ecclesiam. Atqui, hoc dato, Christus jam non est in ordine causarum secundarum unicus institutor sacramentorum. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Christus instituerit sacramenta per Ecclesiam quae et *ipsa dici posset instituere sacramenta*, *Neg.* Christus instituerit per Ecclesiam, h. e. usus fuisset ministerio Ecclesiae quae nempe *designasset ritus quos solus Christus eveheret ad dignitatem sacramentalem*, *Conc. Cdt. min.*

Inst. Atqui eo quod Ecclesia designaret materiam et formam, affirmanda esset instituere sacramenta. — Qui designat materiam et formam condit, saltem partialiter, essentiam sacramentorum. Atqui condere essentiam sacramenti, est instituere sacramentum. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Qui designat id quod per designationem est *in actu primo proximo* materia et forma sacramenti, condit essentiam sacramenti, *Neg.;* qui designat id quod designatione est *in actu secundo* materia et forma, ille dicendus est conditor sacramenti, *Conc.* — Vel etiam *Dist. maj.* Qui designat materiam et formam condit id quod designatione est *actus primus* proximus essentiae sacramenti, *Conc.;* id quod designatione est *actus secundus* istius essentiae, *Neg.* — *Cdt. min.*

Ecclesiam non proprie condere essentiam sacramenti, ex eo constat quod essentialiter sacramentum est signum infallibiliter demonstrativum et practicum gratiae ; haec autem vis infallibilis tribuitur a solo Christo. Quare Ecclesia non condit nisi id quod est aptum ad hoc ut fiat essentia sacramenti.

162. — Contra II^m partem. Obj. 2°. Eo quod Christus determinasset specifice materiam et formam sacramentorum, consequens foret numquam variasse materiam et formam Ordinis. Atqui variavit. Etenim apud Latinos ante seculum XII, apud Graecos usque in hanc diem, materia Ordinis est impositio manuum, forma autem oratio

tunc ab Episcopo recitata (1). Oratio vero apud Graecos haec est: « Divina gratia, quae semper infirma sanat, et quae desunt supplet, creat seu promovet N. venerabilem diaconum, in Presbyterum. Oremus igitur pro eo etc. » A seculo XII apud Latinos materia est traditio instrumentorum, forma autem sunt verba: « Accipe potestatem offerre sacrificium Deo missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini. » Ergo variavit materia et forma Ordinis.

Resp. A seculo XII apud Latinos addita est traditio instrumentorum cum oratione episcopi: « Accipe potestatem offerre sacrificium Deo missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini; » ut clarius exprimeretur potestas antea jam tradita per impositionem manuum. Si petitur ratio cur dicatur: « *Accipe*, » respondetur omnes ritus ordinationis posse sumi uti componentes aliquod totum morale cum impositione manuum. Hugo Victorinus haec verba explicans dicit significari sacerdotibus eos *accepisse* potestatem etc.

Obj. 3°. *Ex Florentini* decreto pro Armenis: « Sextum sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud per cujus traditionem confertur Ordo: sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri evangeliorem dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui etc... Forma sacerdotii talis est: Accipe etc... et sic de aliorum formis, prout in Pontificali Romano late continetur » (Denz. n. 596).

Resp. Dictum est antea (cf. n. 57), decretum pro Armenis non esse definitionem dogmaticam; scopum Eugenii IV et Patrum fuisse exponere Armenis quaenam esset doctrina in scholis tradita, et praxis Ecclesiae. Jamvero in schola tunc recipiebatur traditionem instrumentorum esse materiam Ordinis; practice in ordinationibus tradebantur instrumenta, nullatenus tamen omissa manuum impositione. — Si quaeritur quomodo invalescere potuerit in schola sententia de materia Ordinis, quomodo consensus scholae non sit indicium veritatis, respondetur: a) Scholastici in errorem fuerunt inducti a Magistro male Hugonem transcribente. — b) Bonav., Maldonatus, Petrus de Soto docent impositionem manuum esse materiam ordinis. — c) Scotus, Durandus, s. Thomas explicite docent Christum in specie determinasse materiam et formam omnium sacramentorum. — d) Nonnulli, ut varia inter se conciliarent, dixerunt manus imponi ipsa instrumentorum

(1) Cf. Damas. *Ep.* XXII; Innoc. I, *Ep.* II; Aug. *De bapt.* V, XX.

traditione. Quare universa schola numquam tenuit materiam Ordinis contineri traditione instrumentorum.

Obj. 4°. Haec habet Gregorius IX cap. *Presbyter*, de sacramentis non iterandis : « Presbyter et diaconus quum ordinantur, manus impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt ; quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed, *statuto tempore ad hujusmodi ordines conferendos*, caute supplendum quod per errorem exstitit praetermissum ; *suspensio autem manuum debet fieri, quum oratio super caput effunditur ordinandi.* » — Ex his dupliciter arguitur : Quod, omissum cum fuerit in ordinatione, repeti non debet, valida manente ordinatione, sed nonnisi postea suppleri, id non est materia sacramenti Ordinis. Atqui juxta Gregorium manuum impositio, si omissa fuerit, repeti non debet, sed postea suppleri, interim valida est ordinatio. Ergo. — b) Juxta Gregorium verba quae recitantur sub impositione manuum, si contigerit ea fuisse omissa, non sunt iteranda nec supplenda postea. Ergo non sunt forma.

Resp. Duplex explicatio tradi potest : a) Gregorius distinguit duas impositiones manuum : de altera agitur in initio, de altera fit mentio in fine. Materia Ordinis non est prior, quae omissa non repetitur ; sed posterior quam comitatur oratio quae est forma. — b) Verba Gregorii possunt fundere hunc sensum : « Presbyter et diaconus ordinantur per manuum impositionem. Si aliquis ex caerimoniis praecedentibus fuit omissa, tota ordinatio non est iteranda, sed quo momento ordo (diaconatus aut presbyteratus aut alius) est conferendus, tunc suppleatur pars omissa. Quoad impositionem manuum de qua supra, debet fieri cum oratio super caput effunditur ordinandi.

Obj. 5°. Ex Trid. (1). « Si quis dixerit per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere : Accipe Spiritum Sanctum etc. A. S. » Unde sic : Forma Ordinationis juxta Tridentinum sunt verba prolata sub traditione instrumentorum. Ergo impositio manuum non est materia Ordinis.

Resp. Haec verba distincte significant potestatem collatam manuum impositione. Deinde moraliter conjunguntur et efficiunt unum compositum. Hinc merito affirmatur frustra non dici verba, Accipe, etc., non frustra nempe his significari collatam esse gratiam et potestatem.

(1) Trid. Sess. XXIII, can. 4.

CAPUT VII.

De causis sacramenta dispensantibus.

163. — **Prologus.** Ex probatis liquet solum Deum posse instituere sacramenta potestate auctoritatis, Christum, potestate a Patre accepta, ea instituisse potestate excellentiae. — Verum Christus, sacramentorum institutor, haec sacramenta per seipsum non conficit physice nec dispensat ; verum utitur ministerio aliorum, quibus proinde confert potestatem sacramenta administrandi. — Certum est solos homines posse, vi praesentis institutionis, dispensare sacramenta : Christus enim solis hominibus dixit : Data est mihi omnis potestas... docete et baptizate ; quorum remiseritis peccata etc. ; hoc facite in meam commemorationem. His verbis dedit Christus sacramenta suae Ecclesiae voluitque ut iis qui sunt intra Ecclesiam administrarentur ab ipsamet Ecclesia per suos ministros militante (1). Deinde sacramenta constant ex rebus et ex verbis humanis. — Hinc neque anima separata, licet charactere insignita, neque angelus possunt esse ministri sacramenti.

Attamen non quilibet homo est minister cujuslibet sacramenti. Nam « si quis dixerit christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, A. S. » (2). Quaeritur itaque *cuinam a Christo collata sit potestas administrandi sacramenta.*

Distinguitur duplex potestas dispensationis : a) Potestas *auctoritatis.* Est ea quae immediate a Christo derivatur et a qua derivatur omnis potestas in ministris secundariis immediate conficientibus et administrantibus sacramenta. — Qui hac potestate insignitur : α) declarat infallibiliter ea quae exiguntur ad validitatem sacramentorum ; β) communicat nomine Christi ministris secundariis virtutem valide aut saltem licite conficiendi et dispensandi sacramenta ; γ) potest determinare ritus ac caerimonias secundum quae sacramenta sunt conficienda et administranda. — b) Potestas *simpliciter ministerialis* valide et licite dispensandi sacramenta, est ea qua insigniuntur ministri et quae immediate derivatur a potestate auctoritatis sive quoad ipsammet exsistentiam suam adeoque usum validum, sive quoad legitimum ac licitum usum istius potestatis.

(1) Cfr. Chrysost. *De sacerd.* III, v. M. XLVIII, 643. — S. Th. III, lxiv, 7. — Lug. d. viii, s. 1. — Bellarm. l. I, c. xxiv. — (2) Trid. Sess. VII, can. 10.

Praesens caput duabus sectionibus absolvetur : Prior agit de *subjecto potestatis auctoritatis.* — Posterior de subjecto potestatis *simpliciter ministerialis.*

SECTIO PRIOR.

De subjecto potestatis auctoritatis.

§ 1. — Notiones.

164. — Potestate auctoritatis circa dispensationem sacramentorum a Christo insignita est vera ejus Ecclesia, scilicet subjectum cui commissus est primatus auctoritatis. Haec potestas includit tria quae modo fuerunt memorata. — Ulterius evolvenda est potestas instituendi ritus seu caeremonias.

Notio caerimoniae. Sensu lato caerimoniae nomine intelligitur certus modus externus, seu ritus, Deo praestandi cultum externum. — Sensu presso, quo sensu heic sumitur, pro actione sacra quae peragitur sub sacramentorum administratione, nec pertinet ad essentiam sacramenti.

Divisio. 1. Ratione *modi* quo fiunt. Aliae caeremoniae consistunt in verbis, ut oratio; aliae in actionibus, ut genuflexiones, oscula, signa crucis; aliae in usu quarumdam rerum externarum, ut vestium et luminarium. — 2. Ratione *loci.* Dantur caerimoniae generales, quae ubique terrarum ab Ecclesia catholica adhibentur, et particulares, quae apud quasdam Ecclesias tantum vigent. — 3. Ratione *temporis,* aliae omnes anni dies spectant, aliae quaedam in anno statuta tempora. — 4. Ratione *originis,* aliae sunt ab Apostolis, aliae ab eorum successoribus. — 5. Ratione *finis,* aliae institutae fuerunt ad daemones coercendos, ut exorcismi, aliae ad ornatum et significationem spiritualem, ut vestis alba neophytorum, etc.

165. — **SENTENTIAE.** 1. Juxta Protestantes celebrandae sunt eae caerimoniae quae in Scripturis aut praecipiuntur aut cernuntur fuisse adhibitae in primaeva Ecclesia, aut commendantur: tales sunt orationes, gratiarum actiones, psalmodia. Admittunt Ecclesiam, seu coetum fidelium, posse decernere ordinem secundum quem hae caerimoniae sunt faciendae. — At negant Ecclesiam posse novas caerimonias introducere, aut antiquas immutare. Ita speciatim Calvinistae.

2. Juxta catholicos auctoritas Ecclesiae habet potestatem introducendi caerimonias in sacramentorum administratione, aut introductas mutandi, pro suscipientium utilitate, pro rerum, temporum et locorum

varietate, pro veneratione sacramentorum, salva tamen sacramentorum substantia [1]. — Praeterea anathemate plectitur qui diceret « receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse » [2].

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS XX[a]. — Verae suae Ecclesiae tradidit Christus Jesus potestatem auctoritatis circa dispensationem sacramentorum. Porro haec potestas est talis ut ab ea derivetur in ministris secundariis omnis alia potestas sacramenta sive valide sive saltem licite conficiendi; ut Ecclesia possit declarare infallibiliter ea quae ad substantiam et ad validitatem sacramentorum exiguntur; demum ut possit instituere aut mutare ritus seu caerimonias ad dispensationem sacramentorum spectantes.

166. — Prima pars. Infallibilitas Ecclesiae se extendit ad ea quae ad substantiam sacramentorum pertinent.

Prob. Infallibilitas Ecclesiae se extendit primario ad ea quae pertinent ad fidem et mores. Atqui substantia sacramentorum pertinet tum ad fidem tum ad mores. Ergo.

Patet prima pars quia credendum est a Christo instituta fuisse septem sacramenta, sc. baptismum etc.; ut hoc autem credatur, proponenda est substantia singulorum, ut circa eam versetur fides.

Patet secunda pars quia dogmata sacramentorum sunt practica, et a Christo lata est lex singula sacramenta frequentandi.

167. — Secunda pars. A potestate Ecclesiae derivatur in ministris potestas administrandi sacramenta sive valide, sive saltem licite.

Prob. Arg. I[m]. Solis apostolis eorumque successoribus dixit Christus de *Baptismo:* « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi » (Matth. xxviii, 19, 20); de *Paenitentia:* « Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis retenta sunt » (Joh. xx, 22, 23); de *Eucharistia:* « Hoc facite in meam commemorationem. » (Luc. xxii, 19). Atqui haec verba solis

[1] Trid sess. XXI, c. II. — [2] Id. sess. VII, can. 13 de sacram. in genere.

apostolis directa, significant ministris inferioribus potestatem nullam competere administrandi valide aut saltem licite (si sermo sit de baptismo), nisi derivata sit ex potestate Apostolorum, eorumve successorum. Ergo.

Ulterius Petrus constitutus est caput Ecclesiae cum suprema potestate jurisdictionis; e quo colligitur potestatem successorum ceterorum apostolorum subordinari potestati successorum Petri, adeoque a successoribus Petri descendere ad episcopos potestatem valide aut licite conficiendi sacramenta, et ab episcopis ad ministros inferiores.

Eodem modo arguere licet circa extremam Unctionem, quam soli sacerdotes leguntur apud Jacobum administrasse aegrotis, circa Confirmationem et Ordinem quae a solis apostolis leguntur administrata fuisse aut ab iis qui ad hoc ab apostolis fuerant constituti.

Arg. II^{m}. Ex tractatibus de sacramentis in specie constat a) solos episcopos valide conferre sacramentum Ordinis, licite sacramentum Confirmationis ; b) solos presbyteros, vi potestatis per Ordinem acceptae, valide dispensare sacramenta Paenitentiae et extremae Unctionis, eosque solos esse ministros ordinarios Baptismi ; c) Ecclesiam posse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, ac determinare varia ad liceitatem Matrimonii spectantia. Ex tractatu de Romano Pontifice constat eum solum creare episcopos tamquam pastores ecclesiarum particularium. Ergo omnis potestas valide aut licite administrandi sacramenta derivatur a suprema auctoritate Ecclesiae.

168. — Tertia pars. Ecclesia potest instituere aut abrogare caerimonias.

Prob. Arg. I^{m}. Christus contulit Ecclesiae potestatem legislativam, vi cujus potest lege praescribere ea quibus cultus Dei promovetur, et quae in salutem animarum cedunt, salvis manentibus iis quae lege naturali aut lege divino-positiva praescribuntur. Porro ex hoc eruitur Ecclesiam posse instituere ea quae spectant ad decentem administrationem sacramentorum, ad generandum in animis fidelium aestimationem et reverentiam aut majorem intelligentiam mysteriorum fidei. Atqui caerimoniae in administratione sacramentorum adhiberi solitae in praefatum finem apte conducunt. Ergo.

Prob. min. a) Caerimoniae ordinantur ad modum decentem administrandi sacramenta, ac subinde conferunt ut sacramenta debito honore

(1) Cfr. Suar. in III^{m} p. q. lxv, a. 4, d. xv, s. 2.

tractentur et in majori aestimatione ac reverentia habeantur. Nam cum horum mysteriorum substantia in paucis verbis et rebus, quae externa specie minimi pretii sunt et vulgares, consistat ; nisi caerimoniarum apparatu et significatione elevaretur mens ad ea cogitanda quae sub signis contenta sunt et ad concipiendam reverentiam illis debitam, facile vilescerent et a rudioribus praesertim hominibus, qui fere sensibus ducuntur, despicerentur.

b) Caerimoniae conferunt *ad majorem intelligentiam mysteriorum fidei.* Sic ex. gr., frequens est signum crucis in sacramentorum administratione, ut eo signo admoneantur fideles passionem Christi operari in sacramentis ad salutem ; similiter baptismo praemittuntur exorcismi et insufflationes, ut doceantur fideles, puerum, antequam baptizetur, esse sub potestate daemonis ob peccatum originale. Confirmatur quia Augustinus saepe utitur hoc argumento ad probandum P. O. (1).

c) Per caerimonias conservatur et augetur devotio fidelium, uti docet Augustinus (2).

d) Deservire possunt ad distinguendum populum fidelem ab infideli et unitatem Ecclesiae commendandam, uti significavit Innocentius I (3). Ideo vitat sedulo Ecclesia omne consortium aut apparentem similitudinem cum Judaeis aut infidelibus.

Arg. II^{m}. *Ex praxi Ecclesiae.* Ab antiquissimo tempore introductae sunt caerimoniae, quarum tamen nulla mentio fit in Scripturis, quarum aliae quidem ab apostolis institutae feruntur, aliae vero non deprehenduntur viguisse aevo apostolico ; has autem caerimonias diligenter servavit Ecclesia, ac praescripsit esse servandas. Ergo Ecclesia semper practice docuit sibi esse potestatem ritus introducendi in administratione sacramentorum, adeoque non irrepsit aetate posteriori exercitium hujus potestatis.

Perantiquam exsistentiam rituum testantur sacramentale Gregorii Magni, euchologia Graecorum, Rabanus Maurus, Alcuinus, Isidorus Hispalensis, Tertullianus, Basilius, Justinus martyr (4).

---

(1) Aug. *De pecc. mer. et remiss.* I, xxxiv ; *Cont. Jul.* VI, ii. — (2) Id. *Ep.* lv, ii. — (3) Innoc. I, *Ep.* i.

(4) Just. mart. *Apol.* I, 61, 65, M. VI, 419, 427.

Tertull. « Ut a baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed et aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, et pompae, et angelis ejus ; dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti, lactis et mellis concordiam praegustamus : exque ea die, lavacro quotidiano per totam hebdomadem abstinemus. Eucharistiae sacramentum, et in tempore victus, et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis coetibus,

Confirm. Auctoritas civilis potest decernere ea quae pro locis ac temporibus necessaria sunt vel utilia ad prosperitatem reipublicae et individuorum. Ergo auctoritati ecclesiasticae competit similis potestas; sed caerimoniae praefatae ad bonum reipublicae christianae et sanctificationem individuorum ordinantur. Ergo.

169. — Scholion 1^m. Apud haereticos et schismaticos non invenitur potestas per se legitime administrandi sacramenta.

Prob. 1. Nulla datur potestas licite administrandi sacramenta, nisi subordinetur potestati supremae Petri, capitis Ecclesiae; hoc enim manifestum est ex essentiali constitutione Ecclesiae; itaque, cessante subordinatione, cessat usus licitus dispensandi sacramenta. Jamvero cum haeresiarchae se separaverunt ab Ecclesia Romana, rupta est subordinatio potestatis datae in vera Ecclesia. Ergo cessavit potestas legitime dispensandi sacramenta, proindeque non potuerunt communicare aliis eamdem potestatem.

2. Christus instituit sacramenta in suam Ecclesiam, ut administrarentur filiis istius Ecclesiae, uti constat ex textibus allatis. Ergo nequeunt legitime administrari extra hanc Ecclesiam. Ergo ubi valide administrantur in sectis separatis, distribuuntur alienis bona jure pertinentia solis membris verae Ecclesiae.

---

nec de aliorum manu quam praesidentium sumimus: oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus: die Dominico jejunium nefas ducimus vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschae in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quaecumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. » *De corona*, III, IV. M. II, 79 sq. Cfr. *De bapt.* VII. M. I, 1206.

Basil. « Nam si consuetudines quae scripto proditae non sunt, tamquam haud multum habentes momenti aggrediamur rejicere, imprudentes Evangelium in ipsis rebus praecipuis laedemus, immo potius praedicationem ad nudum nomen contrahemus. Verbi gratia, ut ejus quod primum est et vulgatissimum primo loco commemorem: ut signo crucis eos qui spem collocant in Christo signemus, quis scripto docuit? Ut ad Orientem versi precemur, quae nos docuit Scriptura? Invocationis verba, cum conficitur panis Eucharistiae et poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quae commemorat Apostolus aut Evangelium; verum alia quoque et ante et post dicimus, tamquam multum habentia momenti ad mysterium, quae ex traditione non scripta accepimus. Benedicimus autem et aquam baptismatis et oleum unctionis, immo ipsum etiam qui baptismum accipit. Ex quibus scriptis? Nonne a tacita secretaque traditione? Ipsam vero olei unctionem, quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem, unde haustum? Reliqua autem quae fiunt in baptismo, veluti renuntiare Satanae et angelis ejus, ex qua scriptura habemus? Nonne ex minime publicata et arcana hac doctrina, quam patres nostri silentio quieto minimeque curioso servarunt? » *De Spiritu Sancto*, I, XXVII, 66. M. XXXII, 187.

Scholion 2m. Attamen *valide* per se administrantur extra Ecclesiam veram ea sacramenta quorum dispensandorum potestas est accepta ab haereticis olim in vera Ecclesia, immediate aut mediate ; quod ex dicendis sectione sequenti perspicuum fiet.

Quare qui bona fide et rite dispositi sacramenta recipiunt ab haereticis, recipiunt omnem effectum sacramentalem. In casu etiam extremae necessitatis licite confertur et recipitur baptismus, id permittente vera Ecclesia, utpote bona matre.

170. — Scholion 3m. S. Augustinus (1) invehitur adversus eos qui observantias ac caerimonias ultra modum multiplicabant. — Porro nullatenus sermonem fecit de caerimoniis sacramentalibus in universa Ecclesia adhibitis, verum de iis quae in Ecclesiis particularibus fuerant superadditae, uti evidenter constat ex iis quae immediate ante praemiserat (2).

171. — Scholion 4m. Objectioni a novatoribus motae, caerimonias in dispensatione sacramentorum adhibitas ex ritibus Gentilium ac Judaeorum fuisse desumptas, respondet Bellarminus : « Dico *tertio*, non debere mirum videri si nostrae caerimoniae habent aliquam similitudinem cum judaicis ; nam erant illae figurae rerum nostrarum, ut I Cor. x legimus. Eadem ratione non debet esse mirum si interdum nostrae similes sunt ritibus gentilium. Diabolus enim, qui semper simia Dei esse voluit, imitari conatus est judaicos ritus a Deo institutos, ut Tertullianus notat, quos rerum nostrarum figuras esse diximus. Dico *quarto*, licet in externo symbolo sit aliqua similitudo inter nostros ritus et ritus gentilium et judaeorum, absolute tamen maximum esse discrimen. Nam a fine et intentione sumunt externae actiones speciem suam. Ritus gentilium fiebant ad cultum daemoniorum, nostri fiunt ad colendum verum Deum; ideo tantum interest inter illos et nostros, quantum inter sacrum et sacrilegium, quantum inter pietatem et

(1) Aug. « Ipsam religionem, quam paucissimis et manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus (quidam) premunt, ut tolerabilior sit conditio Judaeorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis praesumptionibus subjiciuntur. » *Epist.* LV *ad Januar.*, 29. M. XXXIII, 221.

(2) August. « Quod autem instituitur praeter consuetudinem, ut quasi observatio sacramenti sit, approbare non possum... Omnia itaque talia, quae neque sanctarum Scripturarum auctoritate continentur, nec in Conciliis episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universae Ecclesiae roborata sunt, sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur ita ut vix aut omnino numquam inveniri possint causae, quas in eis instituendis homines secuti sunt, sine ulla dubitatione resecanda existimo ubi facultas tribuitur. »

impietatem, et quantum inter Deum et diabolum. Nam etiam sacrificia erant eadem gentilium et judaeorum, et tamen erant illa idololatrica, ista pia et religiosa. Et hoc modo respondent Hieronymus Vigilantio, et Augustinus Manichaeis. Ritus autem judaici boni erant, sed Christum venturum praenuntiantes ; nostri item sunt boni, sed ab illis diversi, quia partim sunt in memoriam rerum praeteritarum, partim ad significandam gloriam futuram [1] ».

172. — **Scholion 5m.** Quaeres quare caerimoniae, in dispensatione sacramentorum adhibitae et in verbis consistentes, fieri soleant lingua latina, non vero vernacula ?

Resp. 1. *Nulla ratio obstat quin fiant latine.* Nulla enim ratio peti potest a) ex parte Dei, ad quem diriguntur orationes, uti patet ; b) ex parte fidelium. Etenim α) ob usum linguae latinae nullo fructu sacramentali privantur ; nam sacramenta operantur ex opere operato. β) Neque privantur alio fructu : nam praeterquam doceri solent significationem caerimoniarum, possunt intentione se conjungere cum ministris orantibus.

2. Datur positiva ratio servandi linguam latinam. Ex hoc enim usu nascuntur vera commoda ; ex usu autem linguae vernaculae enascerentur incommoda. Etenim a) per usum unius linguae latinae, adeoque eorumdem ritualium, melius consulitur conjunctioni omnium ecclesiarum in unico ritu celebrando. — b) Difficilius invigilaret Ecclesia in conservandis iisdem formis sacramentorum, cum innumerae sint linguae vernaculae et idiomata ejusdem linguae a fidelibus usurpata. — c) Libri rituales et liturgici saepe deberent mutari, quoties nempe notabiliter mutaretur lingua.

Appendix de sacramentalibus.

173. — Postquam actum est de caerimoniis in administratione sacramentorum adhiberi solitis, expedit nonnulla adjicere de sacramentalibus, inter quae annumerantur praefatae caerimoniae.

De nomine. Quae nunc *sacramentalia* vocantur, prioribus Ecclesiae seculis saepe dicebantur *sacramenta*. Concilium Lateranense III, anno 1179 celebratum, sacramenta appellat exsequias defunctorum et ecclesiasticorum investituram [2] ; circa idem tempus Hugo a s. Victore

(1) Bellarm. *De sacram.* l. II, c. xxxii. — (2) Cfr. Héfelé, t. VII, p. 502.

divisit sacramenta in *majora* « in quibus videlicet principaliter salus constat et percipitur », quaeque « ad salutem constituta esse » dicit ; et in *sacramenta minora,* quae « etsi necessaria non sunt ad salutem, proficiunt tamen ad sanctificationem, quia his virtus exerceri et gratia amplior acquiri potest » ; ea « ad exercitationem » constituta dicit, vocatque *sacramenta exercitationis* (1). — Seculo sequenti apud Alex. Alensem primum invenitur vocabulum *sacramentalia* ad significandas caerimonias in administratione baptismi usurpari solitas ; cetera vocat sacramenta, sed sedulo distinguit inter ea quae sunt *sacramentum tantum,* nunc autem vocantur sacramentalia, et ea quae sunt *res et sacramentum,* nunc autem simpliciter sacramenta dicuntur (2). — Tandem s. Thomas sacramentis et sacramentalibus attribuit eam significationem quam deinceps servaverunt.

De re. Praecipuum locum inter sacramentalia occupant omnes caerimoniae sacrae ab Ecclesia adhibitae in administratione sacramentorum et oblatione sacrificii missae. Immo non desunt auctores qui volunt hos solos ritus proprie sacramentalia vocari, reliqua vero non nisi sensu latiori (3). — Sacramentalia etiam vocari solent ea quae remote ad sacramenta ordinantur. Dividuntur communiter a theologis in *constitutiva* seu *consecrativa* et *deprecativa*. — Ea sacramentalia vocantur *constitutiva,* quae consistunt in quadam consecratione seu deputatione sive rerum sive personarum ad cultum divinum, qua, vi institutionis Ecclesiae, vere dicatae sunt Deo et ejus cultui et pro talibus a Deo acceptatae. Hujusmodi sunt ordines minores, tonsura, consecratio virginum, benedictio abbatum, sacratio regum, consecratio templorum, altarium, vasorum sacrorum, benedictio sacerdotalium indumentorum, imaginum sanctorum et multa alia. — Ea sacramentalia vocantur *deprecativa* quibus Dei benedictiones postulantur pro fidelibus. Modo postulantur pro ipsis immediate, uti in benedictione a sacerdote data, in exorcismo personae, in signo crucis ; modo postulantur mediante re in hunc finem benedicta : sic postulantur cum benedictio impertitur aquae, domui novae, frugibus terrae etc.

De fine et efficacia. Inquirendum venit quaenam bona sacramentalibus conferantur et quinam operandi modus eisdem sit adscribendus.

Primus effectus continetur *remissione venialium peccatorum.* — Ad

(1) Hugo a s. Vict. l. I, p. IX, c. VII ; l. II, p. IX, c. I. — (2) Alex. Alens. p. IV, q. V, m. III, a. 4, § 1 ; p. IV, q. VIII, m. X ; ib. q. V, m. I, a. 2. — (3) Cf. Suarez, *De sacram.* d. XV, s. I.

modum operandi quod spectat, fuerunt quidam scholastici, praesertim ex schola thomistica ut Ledesma, Soto, Victoria, Valentia qui censuerunt sacramentalia ex insita vi et ex opere operato remittere peccata venialia. Haec autem sententia non videtur gloriari posse suffragio antiquiorum: minime enim cohaeret cum doctrina Hugonis a s.Victore, aliena videtur ab Alensi, aperte contradicit s. Thomae. Ex professo enim docens quomodo venialium remittantur haec scribit : « Ad remissionem peccati venialis non requiritur novae gratiae infusio; sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale vel explicite vel saltem implicite, sicut cum aliquis ferventer movetur in Deum. Et ideo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum. *Uno modo* in quantum in eis infunditur gratia : quia per infusionem gratiae tolluntur venialia peccata... Et hoc modo... universaliter per omnia sacramenta novae legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. *Secundo* in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum. Et hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris et oratio dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum... *Tertio modo* in quantum sunt cum aliquo motu reverentiae in Deum et ad res divinas. Et hoc modo benedictio episcopalis, adspersio aquae benedictae, quaelibet sacramentalis unctio, oratio in ecclesia dedicata, et si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum » (1). — Secundum Angelicum sacramentalia remittunt venialia, et quidem non modo quoad reatum culpae, verum etiam aliquousque *quoad reatum poenae* : « Per praedicta tolluntur quidem peccata venialia quantum ad culpam... Non autem per quodlibet praedictorum semper tollitur totus reatus poenae... Sed reatus poenae remittitur per praedicta secundum modum fervoris in Deum, qui per praedicta excitatur, quandoque magis, quandoque autem minus » (2).

Secundus effectus sacramentalium reponitur *in variis auxiliis, sive materialibus sive spiritualibus,* quibus fideles adversus daemonum insidias et nequitiam defenduntur; in variis bonis sive animae sive corporis. Quid singulis conferatur, discernere est ex orationibus quae in sacramentalibus administrandis recitandae ab Ecclesia praescribuntur. — Ad modum hos effectus operandi quod spectat, tria sunt dicenda : a) Indubium est multa bona conferri *ex opere operantis,* idque ex parte *ministri* et ex parte *subjecti.* Cum enim hi ritus sint pii ac honesti, si minister et subjectum sunt in statu gratiae et sancta intentione

(1) D. Th. III, q. LXXXVII, a. 3. — (2) Id. Ib. ad 3m.

omnia fiunt, sunt aptissimi ad meritum et ad satisfactionem. Praeterea hi ritus sunt aptissimi ad excitandam devotionem circa Deum et res divinas; ideoque praedicti effectus dicuntur a Suarez (1) connaturaliter sequi. — Verum b) ille non minus praxi Ecclesiae quam sensui fidelium contradiceret, qui omnem aliam efficaciam a sacramentalibus abjudicaret. « Cur enim, e. g., ait Palmieri (2), potius aqua lustrali quam communi utendum est cum populus aspergitur, si hujus usus bonus effectus ex devotione solum et merito benedicentis aut ejus qui benedicitur, pendet? » Ex alia tamen parte communiter negant auctores ullam efficaciam *ex opere operato* ritui alicui sacro per Ecclesiam ipsam posse annecti. Insuper etiamsi Ecclesia esset ornata hac potestate, nulla est ratio opinandi Ecclesiam esse hac potestate usam in condendis sacramentalibus. Quamobrem c) media ineunda est via, qua nempe sacramentalibus *specialis aliqua virtus spiritualis tribuatur*, non quidem per modum qualitatis eisdem intrinsecus inhaerentis, sed eadem extrinsecus afficientis. Haec porro virtus extrinsecus sacramentalia afficiens est repetenda tum ex speciali potestate a Christo Ecclesiae collata ad daemones jubendos a certis personis aut rebus abstinere; tum etiam ex ipsa crucis et nomine Christi virtute, sub cujus invocatione conficiuntur et adhibentur sacramentalia; tum demum ex virtute impetrationis qua pollet Ecclesia sacramentalia instituens: cum enim Ecclesia sit dilecta Christi sponsa ejusque meritorum thesauro gaudeat, maxima apud Deum pollet auctoritate, meritoque se pro reverentia exaudiendam esse sperat. Cum autem triplex hujusmodi virtus a meritis sive administrantis sive suscipientis sacramentalia sit independens, et innitatur dignitati Ecclesiae, ideo sacramentalia participant aliquid de efficacitate ex opere operato. Dicendum tamen est effectus superius enumeratos magna ex parte pendere a dispositionibus tum ministri tum subjecti sacramentalia suscipientis aut in usu adhibentis.

Quaeres cur ipsemet Christus non instituerit sacramentalia, praesertim ea sacramentalia inter quae offertur sacrificium missae et administrantur sacramenta? — Respondet Suarez: « Neque ex Scriptura neque ex Traditione constat Christum Dominum ejusmodi caerimonias instituisse. Quin potius dogma est receptum ab omnibus theologis Christum in lege nova nulla praecepta praeterquam fidei et sacramentorum

(1) Suarez, d. xv, s. 4. — (2) Palmieri. *Op. mor.* n. 86.

dedisse... Hoc etiam pertinuit ad perfectionem legis evangelicae. In vetere enim lege, quia erat lex servitutis magis consistens in exterioribus oneribus quam in interiore gratiae spiritu, plurimae caerimoniae fuerunt divina institutione traditae ac praeceptae; at vero lex nova est lex gratiae et spiritus; et ideo solum in ea tradidit Christus quae ad gratiam obtinendam sunt necessaria media vel utilia instrumenta; reliqua vero Ecclesiae suae disponenda commisit. » (1).

SECTIO POSTERIOR.

De Ministro.

D. Th. III, q. LXIV, a. 4 sqq. — Suar. d. XIII. — Lugo d. VIII, s. 2-4. — Vasq. d. CXXXVII, CXXXVIII. — Bellarm. de sacr. l. I, cc. XXIV-XXVIII.

174. — Minister secundarius intelligitur esse ille qui, potestate a Christo et ab Ecclesia accepta, ponit sive totum ritum sacramentalem, sive partem praecipuam, nempe formam.

Non tantum quaedam exiguntur ex parte materiae et formae, quaedam vero ex parte subjecti; sed adhuc quaedam ex parte ministri, ad hoc ut sacramentum sit validum, h. e. ad hoc ut reapse exsistat illud signum cui Christus annexuit vim significandi infallibiliter gratiam et eam conferendi, sive etiam ut ritus qui peragitur sit moraliter actio Christi. — De iis omnibus quae exiguntur in ministro cujuslibet sacramenti, agit praesens tractatus; de iis vero quorum alia exiguntur in aliis sacramentis agunt varii tractatus sacramentorum in specie.

Porro inquiritur a) quid non requiratur ad hoc ut validum sit sacramentum novae legis: Probabitur *neque sanctitatem neque fidem requiri.* Quaeritur b) quid requiratur: Probabitur *requiri intentionem internam faciendi id quod facit Ecclesia.*

Observa. Ministro competit ratio causae ministerialis respectu gratiae. Haec causalitas videtur esse duplex: a) Minister prae se fert personam Christi, adeo ut ejus verba et gesta sint quadamtenus verba et gesta Christi. Jamvero dignitas personae principaliter operantis per ministrum secundarium, est causa moralis principalis gratiae sacramentis collatae et praeterea est causa moralis transsubstantiationis in Eucharistia. Ergo minister est et ipse causa ministerialis gratiae. b) Minister effi-

(1) Suarez: *De sacram.* d. XV, s. 3. n. 2.

cienter et physice causat signum sacramentale, quod ob dignitatem quam a persona Christi mutuat, movet infallibiliter Deum ad dandam suam gratiam. Itaque est causa physica illius signi quod est causa moralis instrumentalis gratiae.

ARTICULUS I.

Utrum sanctitas et fides requirantur in ministro.

D, Th. l. c. a. 9. — Suar. d. xiii, s. 4. — Vasq. d. cxxxvii. — Bellarm. l. I, c. xxvi.

§ 1. Status quaestionis.

175. — NOTIONES. 1. Nomine *sanctitatis* intelligitur status gratiae. — *Fides* opponitur *infidelitati;* infidelitas est duplex: a) *totalis*, qua nulli revelato adhaeretur; invenitur in pagano, in rationalista; — b) *partialis*, qua uni alterive revelato dumtaxat detrectatur fides; invenitur in haeretico. — Opponitur infidelitati duplex fides: a) *totalis*, qua quis omnia revelata pro veris habet propter auctoritatem Dei revelantis; b) *partialis,* qua quis multis quidem revelatis credit, nonnullis vero assentiri renuit.

QUAESTIO. Non quaeritur utrum *licite* sacramenta conficiant ii qui fideles non sunt, aut gratia sanctificante sunt destituti. Id enim per se licitum non esse demonstrat theologia moralis. — Verum quaeritur num *sanctitas, fides totalis aut saltem fides partialis exigantur ad validitatem sacramenti,* h. e. num, quando homo paganus aut haereticus aut peccator, ceteris requisitis instructus, materiam et formam conficit cum debita intentione, num, inquam, *ex institutione Christi illud signum sit verum sacramentum, infallibiliterque demonstret et causet gratiam.* — Quae quaestio sic etiam non raro proponitur: *Num rebaptizandi sunt hi qui ab haeresi veniunt ad veram Ecclesiam.*

176. — SENTENTIAE. A. *Sententiae heterodoxae:* 1 Seculo III° *invalida esse sacramenta haereticorum* docuerunt: a) In Africa, Agrippinus episcopus Carthaginiensis et ejus successor s. Cyprianus cum multis episcopis (1); b) in Asia Firmillianus cum multis aliis episcopis. — Hi tamen non ideo ab unitate Ecclesiae se separaverunt; quare numquam

(1) Cfr. Euseb. *Hist.* l. VII, c. ii; Vincent. in *Commonit.*; Aug. *De bapt.* II, vii. M. xliii, 133. Cypr. *ep. ad Quiut., ad Pomp., ad Jubaian.*

habiti sunt tamquam haeretici. Nec desunt qui cum Augustino (1) affirmant Cyprianum revocasse sententiam suam. Plerique tamen existimant eum martyrio fuisse coronatum, antequam id praestare potuerit. Ceteri autem episcopi Africae, moti auctoritate s. Stephani P., ad doctrinam catholicam sunt regressi. — 2. Seculo v° in Africa Donatistae ; contendebant requiri *fidem* et *sanctitatem* in ministro sacramenti (2). Mox catholicos ipsos tamquam haereticos habebant, ideoque eos ad se conversos rebaptizabant (3). Eodem ferme tempore Luciferani pro valido quidem habebant baptismum ab haereticis collatum, sed irritam docebant ordinationem. — 3. Seculo XII apostolici negabant homines malos posse efficaciter sacramenta administrare (4). — 4. Seculo XIII° Waldenses bonis laicis concedebant ministeria sacramentorum, illaque denegabant malis sacerdotibus. Eodem seculo Albigenses idem tenuerunt atque apostolici (5). — Seculo XIV° et XV°, Wicleff asserebat invalida esse sacramenta collata tum a peccatoribus sive occultis sive publicis, tum ab iis qui in praesenti quidem erant boni, verum mali aliquando futuri erant (6).

Ad Lutherum quod attinet, interdum affirmat spiritum Christi, qui recipitur in baptismo, esse fundamentum potestatis sacramenta administrandi. Ex his sequitur deesse hanc potestatem, ubi desit Spiritus Christi. Attamen ipse Lutherus, ultra doctrinam catholicorum in quaestione de ministro progressus, eo devenit ut affirmare non erubuerit ipsum diabolum posse valide administrare sacramenta. In *Confessione Augustana* (art. 8) fatetur sacramenta hypocritarum et malorum hominum esse efficacia. — Idem habet Calvinus (7).

Hussitis et Anabaptistis tribui solet error Donatistarum ; at Hussitis perperam tribui videtur ; Anabaptistarum vero doctrina est obscurior quam ut aliquid de hac re affirmari possit (8).

B. *Sententia catholica* est illicite quidem, verumtamen *valide conferri sacramenta ab haereticis et a peccatoribus,* dummodo cetera ad validitatem requisita adsint. — Sane potuisset Christus annectere vim significandi infallibiliter et causandi gratiam iis solis ritibus qui a fidelibus et a

(1) Aug. *ep.* XCII, *ad Vincent.* n. 38, 40. M. XXXIII, 320 ; *De bapt.* II, v. — (2) Cfr. Aug. l. II *adv. ep. Parmen.* c. X ; l. II *adv. Crescon.* c. XXVIII, M. P. L. t. XLIII, col. 63 et 487. — (3) Cfr. Aug. *De unico bapt.* c. XIII. M. ib. 606. — (4) Cfr. Bernard. *Serm.* LXVI in *Cant.* — (5) Cfr. s. Antoninus in *Summa theol.* p. IV, tit. II, c. VII, § 2, 5. — (6) Cfr. Conc. Constant. sess. VIII ; Thom. Waldens. t. II, c. XIV. — (7) Calv. *Inst.* l. IV, c. XV, § 16 ; *Antid. conc. Trid.* ad can. 12, sess. VII. — (8) Cfr. Bell. l. I, c. XXVI.

sanctis conficerentur. At convenientissime in utilitatem hominum praeplacuit ei contraria agendi ratio.

De fide definita est *sanctitatem non requiri* ad validitatem; neque requiri *fidem totalem* ad validitatem baptismi. — *Theologice certum* est fidem *etiam partialem validitati nullius sacramenti* esse necessariam.

De *sanctitate ministri* haec habet Tridentinum in sessione VII: « Si quis dixerit ministrum in peccato mortali exsistentem, modo omnia essentialia quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum » A. S, Can. 12. — Propositio contradictoria videtur esse: *Aliquod* sacramentum confertur. At mens Concilii est propositionem contrariam esse veram, adeoque omne sacramentum a sacerdote malo confici valide.

De fide ministri haec habet in sessione VII de Baptismo: « Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, A. S. » Can. 4.

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS XXI[a]. — Ut valide conficiatur sacramentum, neque fides requiritur in ministro, neque sanctitas.

177. — *Thesis ex sola Scriptura non probatur,* ut notavit Augustinus ([1]). Solent tamen adduci nonnulla testimonia quibus confirmari aliquibus videtur haec doctrina. — Sunt autem sequentia: a) Matth. XXIII, 2, 3: « Super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei. Omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate et facite; secundum opera vero eorum, nolite facere. » E quibus liquet, aiunt, potestatem *jurisdictionis* mansisse ministris iniquis veteris legis. Concludi potest a pari hanc potestatem non auferri ministris N. L., adeoque non auferri potestatem *Ordinis.* — b) I Cor. IV, 1: « Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. » Insinuat Paulus inter eos qui efficaciter dispensant mysteria et sunt Christi ministri, inveniri posse qui fideles non sunt, qui prave funguntur munere. — c) In Apocalypsi invitantur ad paenitentiam, non vero ad baptismum, hi qui doctrinam Nicolaitarum fuerant secuti.

([1]) Aug. *De unico baptismo*, c. XI. M. XXXIII, 604. *Cont. Crescon.* I, XXXIII. M. XLIII, 466.

178. — Prima pars. NON REQUIRITUR FIDES.

A. *Non requiritur fides totalis, adeoque non obstat haeresis.*

Prob. Arg. I^m. Petitur *ex praescriptione.* Diu ante ullam litem motam seculo III, credebat universa Ecclesia validum esse sacramentum ab haereticis collatum, dummodo adfuerint tum intentio et potestas in ministro, tum requisita ad validitatem in subjecto, in materia et in forma. Ergo revera ad validitatem sacramenti non requiritur fides totalis in ministro.

Prob. ant. a) Teste Vincentio Lirinensi (1), cum Agrippinus episcopus Carthaginiensis doceret et decerneret rebaptizandum esse eum qui ab haeretico baptizatus ad Ecclesiam veniret, cuncti in Ecclesia reclamaverunt et obstiterunt, dicentes doctrinam et decretum Agrippini esse rem novam, contra divinum canonem, contra morem et instituta majorum. — b) Stephanus Papa, ad S. Cyprianum scribens, vetat ne quid innovetur ultra id quod traditum a majoribus erat, adeoque ne baptismus iteretur ei qui a quacumque haeresi ad Ecclesiam veniret (2). — c) Augustinus contra Donatistas scribit consuetudinem non

(1) VINCENT. LIRIN. « Quondam igitur venerabilis memoriae Agrippinus Carthaginiensis Episcopus primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiae regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem atque instituta majorum, rebaptizandum esse censebat... Cum ergo undique ob novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc bonae memoriae Papa Stephanus, Apostolicae sedis antistes, cum ceteris quidem collegis suis, sed tamen prae ceteris restitit, dignum ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat. Denique in epistola, quae ad Africam missa est, idem his verbis sanxit: « Nihil innovandum nisi quod traditum est... Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique nisi usitatus et solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas. » *Commonit.* IX. M. P. L. t. L, 645.

(2) STEPH. P. « Si quis ergo a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in paenitentiam; cum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum. » — « Quaerendum non esse quis sit ille, qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus fuerit, gratiam consequi potuerit, invocata Trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus Sancti. Multum proficit nomen Christi, ut quicumque et ubicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi. » Cfr. CYPR. *Epist. ad Pompeium*, I. M. III, 1128. *Epist.* FIRMIL. *ad Cypr.* IX, XVIII. M. III, 1162, 1169. — Non negat Cyprianus consuetudinem; verum ait, « Non est de consuetudine praescribendum, sed ratione vincendum » (*Epist.* LXXI *ad Quint.* n. 2, M. III, 1106). Et alibi: « Qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis oppununt, quasi consuetudo major sit veritate » (*Epist.* LXXIII ad *Jubaianum*, n. 13, M. III, 1117). Inde ex praedecessoribus suis solum Agrippinum inter rebaptizantes citat (ib. n. 3, M. 1112). Ad Stephanum scribens fatetur in ipsa Africa dari episcopos qui, tenaces antiquae consuetudinis, africanis decretis acquiescere noluerunt (*Epist.* LXXII *ad Steph.* n. 3, M. III, 1050). — Asserit quidem Firmilianus in Ecclesiis Asiae Minoris usum rebaptizandi jam diu invaluisse; at nullum profert argumentum. Appellat quidem ad synodum Iconii, verum ipsemet fatetur hanc synodum esse congregatam ad consensum hac in re inducendum. (*Epist. ad Cypr.* M. III, 1170).

rebaptizandi et consequenter ut validum habendi baptismum haereticorum, ab universali Ecclesia custodiri, adeoque ab Apostolis traditam fuisse. Perperam vero a Donatistis objici auctoritatem Cypriani, cum ideo hac ratione egerit, quod consuetudo Ecclesiae corrumpi coeperat per Agrippinum et nondum fuerat theoretice discussa, sed sola consuetudine servata (1).

Arg. II^m. Petitur *ex Conciliis* declarantibus validum esse baptismum ab haereticis collatum, dum materia et forma non corrumpantur.

a) Concilium Arelatense, a° 314, statuit interrogandum esse eum qui ab haeresi veniret, baptismumque ejus non esse iterandum, modo hic in nomine ss. Trinitatis fuerit collatus (Denz. n. 16).

b) Concilium Nicaenum validum per se esse asseverat baptismum haereticorum. Etenim α) sanctus Augustinus frequenter testatur Concilium, quod appellat plenarium orbis terrae, damnasse sententiam Donatistarum (2). Jamvero aliud Concilium generale non novit Augustinus quod de hac re tractaverit, praeter Nicaenum. Nam Constantinopolitanum I^m de hac re non tractat; Sardicense continuatio fuit Nicaeni; Ephesinum fuit coactum, Augustino jam vita functo. Praeter haec aliud non fuit Concilium generale. *Confirmatur* quia Augustinus dicit Concilium, quo haec quaestio decisa est, fuisse celebratum antiquam ipse nasceretur. Jamvero hoc de solo Nicaeno est verum. — β) Hieronymus affirmat Nicaena Synodo omnes haereticos esse susceptos, exceptis Pauli Samosateni discipulis (3); horum verborum sensus est haereticos susceptos esse sine baptismo iterato. Qui excepti sunt, substantialiter corrumpebant formam sacramenti. — Re vera γ) canon 19us Nicaeni jubet Paulianistas rebaptizari, e quo concluditur ceterorum baptismum non fuisse iterandum; canon autem 8us statuit manus esse

(1) Augst. « Nolite ergo nobis objicere auctoritatem Cypriani ad baptismi repetitionem; sed tenete nobiscum exemplum Cypriani ad unitatis conservationem. Nondum enim erat diligenter illa baptismi quaestio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque schismaticis et haereticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est, sanare quod vulneratum est, non curare quod sanum est; quam consuetudinem credo ex apostolica traditione venientem, sicut multa quae non inveniuntur in litteris eorum neque in conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur. Hanc ergo saluberrimam consuetudinem per Agrippinum praedecessorem suum dicit s. Cyprianus quasi coepisse corrigi; sed sicut diligentius inquisita veritas docuit, quae post magnos dubitationis fluctus ad plenarii concilii confirmationem perducta est, verius creditur per Agrippinum corrumpi coepisse, non corrigi. » *De bapt.* II, VII, 12. M. XLIII, 133.

(2) Aug. De bapt. III, III, IV, V, VII, IX. M. XLIII, 128 sq. — (3) Hier. *Dial. cont. Luciferanos* in fine. M. XXIII.

tantum imponendas Catharis ad Ecclesiam accedentibus, eos in clero sic manere (1).

c) Decreta Liberii et Siricii, de baptismo haereticorum, declarant rebaptizari non posse eos qui ab Arianis receperant baptismum, hoc vetari per Apostolum et contradicere canonibus et decretis a Liberio post Concilium Ariminense ad provincias missis. Declarant in Ecclesia Romana nonnisi manus imponi Arianis et Novatianis. (Denz. n. 21).

d) Concilium Carthaginiense I sub Constantino Magno rebaptismum prohibuit (cap. 1). — Laodicenum, a. 364, Cataphrygas rebaptizandos, Novatianos vero et Quartodecimanos chrismate tantum ungendos statuit (can. 7. 8). — Arelatense II, a. 452, Paulianistas et Photinianos baptizari, Arianos et Bonosiacos cum chrismate et manus impositione recipi jubet (can. 16, 17).

B. *Nulla requiritur fides adeoque non obstat omnimoda infidelitas* (2).

1. Non requiritur fides totalis, seu non obstat haeresis. Ergo non requiritur fides partialis, seu non obstat infidelitas. Non videtur enim cur, non obstante uno, obstaret alterum. Ratio enim cur fides totalis requireretur, esset quod extra veram Ecclesiam non dantur sacramenta. Haec autem ratio non valet, cum sacramenta haereticorum sint valida. Ergo etiam non valet haec ratio, ubi invocaretur ad exigendam fidem partialem, seu ad contendendum infidelitatem omnimodam obstare validitati sacramentorum.

2. Patres contra Asiaticos aut Afros propugnantes valorem sacramentorum ab haereticis collatorum, numquam distinguunt inter haereticos qui nonnisi unum dogma negabant et alios qui multa dogmata negabant; sed eorum omnium sacramenta esse valida dicebant, dummodo materia et forma non corrumpantur. Deinde rationes afferunt quae aeque valent de sacramentis infidelium. Ergo Patrum judicio ne partialis quidem fides requiritur ad validitatem sacramentorum.

---

(1) Cfr. Nicaeni *decreta*, can. 8 et 9 de baptismo collato a Paulianistis et a Catharis. Denz. n. 19, 20. — Innocentius I (ep. xvii ad episcopus Macedoniae c. v) de canone eo haec habet: « Ex canone Nicaeno baptizandos esse Paulinistas ad Ecclesiam venientes, non vero Novatianos: « Quod idcirco distinctum esse ipsis duabus haeresibus, ratio manifesta declarat, quia Paulianistae in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti minime baptizant, et Novatiani iisdem nominibus tremendis venerandisque baptizant, nec apud istos de unitate potestatis divinae, hoc est, Patris et Filii et Spiritus Sancti, quaestio aliquando mota est. » Denz. n. 63. M. XX, 531. Cfr. Aug. *De haeresibus*, c. xliv. M. XLII, 34.

(2) S. Augustinus, quoniam suo tempore fides Ecclesiae de valore baptismi ab infideli collati nondum explicite erat enuntiata, nihil ausus est defendere uti testis fidei; attamen significat se uti doctorem privatum censere baptismum esse validum. Cfr. *De bapt.* VII, liii, 102. M. XLIII, 242. *Cont. epist. Parmen.* II, xiii, 30. M. 72.

3. Arguitur ex decretis Nicolai P. I atque ex responsis ad consulta Bulgarorum. Interrogabatur Pontifex quid esset agendum circa eos de quibus nesciebatur utrum a *pagano* an a Christiano baptizati essent; respondet Nicolaus eos non esse denuo baptizandos, ubi constat hos esse baptizatos in nomine ss. Trinitatis, aut in nomine Christi (1).

4. Decretum pro Armenis declarat ministrum baptismi esse sacerdotem; in casu tamen necessitatis diaconum, laicum, mulierem, immo etiam *paganum* et haereticum posse baptizare, dummodo servetur forma Ecclesiae et intendatur fieri quod facit Ecclesia (2). Ergo in casu necessitatis licitus est baptismus infidelis. Ergo semper est validus.

179. — **Secunda pars.** NON REQUIRITUR SANCTITAS, ADEOQUE NON OBSTAT STATUS LETHALIS.

Arg. I^m. Non exigi sanctitatem ministri asserunt explicite aut implicite Patres, Concilia, Romani Pontifices: a) Patres et Concilia non requirunt fidem. Ergo a fortiori non requirunt sanctitatem. Sane non existimant esse in statu gratiae omnes haereticos sacramentorum ministros. Dicunt autem absolute valida esse sacramenta ab iis collata. — b) Donatistae non solum fidem, sed etiam sanctitatem requirebant in ministris. Augustinus non accipit unam partem, alteram rejicit, sed utramque ex aequo impugnat (3). Immo disertis verbis propugnat valorem baptismi a peccatore collati (4). — c) Concilium Lateranense IV, a° 1215, contra Albigenses definit sacramentum Eucharistiae confici a sacerdote rite consecrato; sacramentum autem baptismi tam parvulis quam adultis, in forma Ecclesiae a quocumque rite collatum, proficere ad salutem. Nulla fit restrictio ex infidelitate aut peccato. (Denz. n. 357).

Arg. II^m. Non exigi sanctitatem explicite defendunt Concilia et Pontifices Romani.

a) Professio fidei ab Innocentio III a° 1210 praescripta Waldensibus ad Ecclesiam catholicam reducibus, agnoscit valide confici sacra-

(1) NICOLAUS I: « A quodam Judaeo, nescitis utrum Christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de iis sit agendum consulitis. Hi profecto si in nomine Sanctae Trinitatis, vel tantum in Christi nomine, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt, (unum quippe idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius), constat eos non esse denuo baptizandos. » Denz. n. 264. — (2) Cfr. Denz. n. 591.

(3) AUG. *Cont. ep. Parmen.* II, x. M. XLIII, 61, sq. *Cont. Crescon. gramm. donat*: II, xx et sq., M. ib. 481, 487.

(4) AUG. « Quos baptizavit Judas, Christus baptizavit; sit ergo quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hic est qui baptizavit »: *In Joh.* tract. v, n. 18. M. XXXV, 1421.

menta a sacerdote peccatore, non nocere malitiam episcopi vel presbyteri ([1]). b) Inter errores Fraticellorum, a° 1316 damnatos a Johanne P. XXII, habetur quod sacerdotes mali non valide conferant et conficiant sacramenta ([2]). c) Martinus V et Concilium Constantiense damnaverunt a° 1418° hunc articulum Wicleffi, qui est quartus inter quadraginta quinque: « Si episcopus vel sacerdos exsistat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat. » (Denz. n. 480). — d) Professio fidei Orientalibus praescripta ab Urbano VII et Benedicto XIV, profitetur sacramentum baptismi a *quocumque* et quandocumque sub debita materia et forma et intentione collatum, esse validum. (Denz. n. 878). — Demum e) Concilium Tridentinum in sessione VII[a] eamdem veritatem perspicue definivit de omni sacramento (can. 12), et in sessione XIV de ministro sacramenti paenitentiae (cap. VI).

180. — **Utraque pars** probatur *ratione theologica*.

Arg. I[m] ostendit ab *inconvenienti* non requiri sanctitatem internam neque fidem internam.

1. Eo quod sanctitas requireretur in ministro, saepissime dubium esset movendum a) num baptismus valide conferretur; b) num peccata lethalia sacramento paenitentiae vere delerentur; c) num verum sacrificium Missæ offerretur; d) num revera Sanctissimus exponeretur; e) num valide sacerdos fuisset ordinatus, adeoque num valide ab eo conficerentur sacramenta. — Eadem inconvenientia sequerentur non raro ex eo quod fides interna requireretur ad valorem sacramenti. Atqui profecto Christus noluit fideles, in quorum utilitatem instituta fuerunt sacramenta, tam gravibus obnoxios esse dubiis et malis. Ergo ([3]).

2. Non requiritur ut minister non sit peccator *publicus* aut *haereticus*. — Ut enim arguit Augustinus, si potestas ministrandi sacramenta non deficit in peccatoribus occultis ob defectum gratiae vel fidei, non debet

([1]) Innoc. III. « Sacramenta quoque, quae in ea celebrantur, inaestimabili atque invisibili virtute Spiritus Sancti cooperante, licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum Ecclesia eum recepit, in nullo reprobamus, nec ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benevolo animo tamquam a justissimo amplectimur, quia non nocet malitia episcopi vel presbyteri neque ad baptismum infantis, neque ad Eucharistiam conferendam, vel ad cetera ecclesiastica officia subditis celebrata. » Denz. n. 370.

([2]) Joh. XXII. « Quarta hujusmodi impiorum blasphemia de praedictorum Waldensium venenato fonte prorumpens, sacerdotes rite etiam et legitime secundum formam Ecclesiae ordinatos, quibuslibet tamen criminibus pressos, non posse conficere vel conferre ecclesiastica sacramenta confingit. » Denz. 416.

([3]) Cf. Aug. *Cont. litt. Petili*. I, III; II, V. M. XLIII, 247, 260.

deficere ob famam aut notitiam istius defectus. Etenim a) ista fama est extrinseca ministro et accidentalis ; b) interdum indicat minorem culpabilitatem in ministro, cum ex hypocrisi saepe occulta maneant peccata et haeresis; c) saepe perplexitas erit quanta debeat esse publicitas status ministri, utrum ad invaliditatem sacramenti opus sit indignitatem esse notam ei qui suscipit sacramentum etc. ; d) saepe qui dicitur ab hominibus malus esse, coram Deo est bonus, et e converso.

Arg. II^{m}. Si haereticus aut peccator privatur potestate valide conficiendi sacramenta, hoc esset vel quia ea fit indignus; vel quia non decet Deum uti homine peccatore aut haeretico ad producendam gratiam, vel quia subjecto sacramenti non expedit a tali ministro accipere sacramentum. Atqui ob nullum ex his motivis dici potest minister haereticus aut peccator privari potestate. Ergo.

Prob. 1^{a} pars min. a) Peccator est indignus fide ; haereticus est indignus charactere baptismali aut sacerdotali. Attamen non privantur iisdem. Ergo a fortiori ex eo quod peccator et haereticus sunt indigni potestate administrandi sacramenta, perperam concluderetur eos hac privari. *A fortiori*, inquam, siquidem potestas in sacramenta est gratia gratis data ob bonum aliorum, quos decet non puniri ob indignitatem ministri ; ceteris vero donis in sacerdote haeretico aut peccatore remanentibus continetur gratia interna gratum quadamtenus faciens. — b) Non adeo raro aliae gratiae gratis datae sunt collatae peccatoribus, licet indigni his fuerint. Sic Caiphas dicitur prophetasse, quia erat pontifex anni illius (Joh. XVIII). Ergo ex indignitate ministri sacramenti non petitur ratio cur deesse dicatur haec potestas.

Prob. 2^{a} pars min. a) Saepe Deus ad peccatores convertendos utitur sermone sacerdotum lethalibus gravatorum, aut aliorum hominum facinorosorum. Ergo non potest dici auferri a peccatore aut haeretico potestatem in sacramenta, quia non decet Deum tali instrumento uti. — b) Quod Deus utatur tali instrumento, hoc commendat Dei bonitatem. — c) Hoc etiam commendat efficaciam virtutis Dei et sacramentorum, cum indignitas instrumenti conficientis et administrantis sacramenta non impediat eorum effectum. Ex his nempe apparet non eum esse qui plantat aut irrigat, sed Deum esse qui dat incrementum.

Prob. 3^{a} pars min. Ex primo argumento constat fidelibus expedire ut valida sint sacramenta ab haereticis aut peccatoribus collata, nedum contrarium sit tenendum ([1]).

([1]) Cf. AUG. *Cont. litt. Petili.* l. c. ; *Cont. Cresc.* III, VIII, M. XLIII, 500 ; *De bapt.* III, XI et IV, XX. M. *ib.* 145, 171.

Arg. III^{m}. Sacramentum operatur gratiam ex opere operato, eo nempe quod Christus est persona principaliter operans et quod ritus sacramentalis est moraliter actio Christi ; nullatenus vero ex bona dispositione, ex sanctitate, et fide ministri. Ergo non videtur cur fides aut sanctitas ministri, cui nulla inest ratio meriti, forent conditiones sine quibus adimpletis actio ministri non esset moraliter actio Christi.

181. — Scholion 1^{m}. Qui sciens volensque suscipit sacramentum a ministro haeretico, praeter casum necessitatis, ponit obicem et proinde suscipit quidem sacramentum, characterem etiam recipit in tribus sacramentis, verum gratiam non recipit. Licet enim valide sacramenta conferantur, illicite tamen eadem conficiuntur. Hinc illicite ab aliis petuntur. Praeterea illicitum est in sacris communicare cum haereticis et schismaticis.

Scholion 2^{m}. Saepe apud Patres et Concilia legitur manus esse imponendas iis qui ab haeresi redeunt ad Ecclesiam. Manuum impositio non erat collatio sacramenti confirmationis, sed vel absolutio sacramenti paenitentiae, vel ritus quo exterior fiebat reconciliatio (1).

Satisfit difficultatibus.

182. — Obj. 1°. Ex Script. In Eccli. XXXIV, 30 legitur : « Qui baptizatur a mortuo et iterum tangit eum, quid proficit lavatio ejus ? »

Resp. a) Augustinus per mortuum intelligit idolum, asseritque verba Eccli. esse adversus caeremonias gentium. — b) Verumtamen hic videtur esse horum verborum sensus : « Quando quis baptizatur et mundatur ab immunditia quam contraxit contactu mortui, nihil ei prodest ablutio, si iterum tangit mortuum ». E quo exemplo ostenditur parum prodesse dolorem et paenitentiam ei qui paulo post ad peccata redit. Statim enim addit sapiens : « Sic homo qui jejunat in peccatis suis et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se ? orationem illius quis exaudiet ? »

Obj. 2°. Ex traditione. Inter canones Apostolorum, 45us haec habet : « Episcopum aut presbyterum haereticorum suscipientem baptisma, damnari praecipimus. Quae enim conventio Christi ad Belial ? Aut quae pars fidelis cum infideli ? »

(1) Aug. « Manus autem impositio, si non adhiberetur ab haeresi venienti, tamquam extra omnem culpam judicaretur ; propter caritatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus Sancti, sine quo non valent ad salutem quaecumque alia sancta in homine fuerint, manus haereticis correctis imponitur. » *De bapt.* l. V, c. XXIII, n. 33. M. XLIII, 193.

Resp. 1. Permitti potest canonem adversari doctrinae in thesi propugnatae ; tunc autem *negatur auctoritas horum canonum*, de qua haec accipe : a) In Ecclesia orientali varia concilia ediderunt canones, qui passim in ecclesiis particularibus fuerunt conditi, non ab apostolis, sed a viris aetatis apostolicae, aut aetatis subsequentis. Hi canones, in unum collecti, et appellati apostolici, editi sunt in synodo coacta Iconii in Lyconia et in synodo coacta Synnadis in Phrygia. — b) Ecclesia universalis numquam hos canones recepit (1). Concilium quidem Trullanum, quod Trullum in palatio Caesareo auctoritate privata coegerunt, post Concilium V de tribus capitulis, episcopi nonnulli Constantinopoli commorati, approbat canone suo secundo istos canones apostolicos ; verum Ecclesia auctoritatem Concilii Trullani non agnoscit, nonnullos quidem recepit ex ejus decretis, canonem tamen secundum et plura alia decreta repudiavit. — 2. Canon *ad sententiam orthodoxam trahi potest,* idque duobus modis, sc. vel dicendo damnari episcopum qui pro valido habet baptismum haereticorum quorumlibet, etiam corrumpentium formam ; vel dicendo damnari episcopum qui permittit positive, quasi licitum esset, ut haeretici administrent sacramenta.

Obj. 3°. S. Athanasius asserit baptismum ab Arianis datum esse vanum, inutilem, inane simulacrum baptismi christiani, tum quia Ariani, qui negabant divinitatem Christi, exponebantur vehementer ne corrumperent formam, tum quia adulti, baptismum ab Arianis expetentes, erant male dispositi, proindeque non recipiebant gratiam (2).

Resp. Non negari ab Athanasio validitatem baptismi Arianorum ob infidelitatem constat a) quia ipse ad Ruffinianum scribit non esse rebaptizandos Arianos, sed recipiendos cum impositione manuum ; b) sane Athanasium non latebant canones Nicaeni quo jubebatur non iterari Novatianorum baptismus. — c) Neque eum latebat statutum Concilii Alexandrini, cui ipse anno 362 praefuit, et quod vult « nihil amplius ab illis exigi, quam ut execrentur Arianam haeresim, confiteanturque SS. Patrum in Nicaea fidem (3). » — d) Neque eum latuit canon 8 Concilii Arelatensis, cum istud celebratum fuerit paulo antequam ipse exul vitam ageret in Gallia. — Quamobrem respondetur *distinguendo majorem:*

(1) S. Isidorus Hisp. de canonibus Apostolicis seculo vii aiebat : « Canones qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec sedes Apostolica recepit, nec sancti Patres illis assensum praebueruut pro eo quod ab haereticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab auctoritate canonica atque apostolica eorum gesta constat esse remota, atque inter apocrypha deputa. » (Apud Gratianum, dist. XVI, c. 1).

(2) Athan. *Serm. II, contra Arianos*, n. 42. — (3) Cfr. Labb. t. II, p. 812 D.

Secundum Athanasium baptismus Arianorum erat vanus quoad *effectum, Conc.;* quoad *valorem, Neg.*

Obj. 4° S. Basilius pro valido non habet baptismum omnium haereticorum etiam formam non corrumpentium; ob auctoritatem tamen aut consuetudinem nonnullarum ecclesiarum, speciatim Romanae Ecclesiae duxit non rejiciendum esse nonnullorum eorum haereticorum baptismum. Ceteros invalide baptizare docebat. Etenim in I^a *epistola canonica* ad Amphilochium scribit: « Quoniam multis asiaticis omnino visum est, propter multorum oeconomiam et dispensationem, eorum baptisma suscipi, suscipiatur. Existimo itaque, quoniam nihil de illis (Encratitis) aperte dictum est, eorum baptisma a nobis rejiciendum esse » (can. 1). Et in canone 47 *epistolae secundae canonicae,* dicit: « Ipsos in Ecclesiam non admittimus nisi in nostrum baptisma fuerint baptizati. Etenim ne dicant: *In Patrem et Filium et Spiritum Sanctum baptizati sumus;* qui videlicet Deum esse effectorem malorum existimant, exemplo Marcionis et reliquarum haeresum » ([1]). Deinde rationem suam agendi confirmat consuetudine antiquorum, quos dicit baptismum haereticorum penitus rejecisse, schismaticorum vero, utpote adhuc ex Ecclesia (h. e. ex fide) exsistentium, admisisse (l. c.).

Resp. Basilii haec videtur fuisse sententia: 1. Certo invalidus erat baptismus eorum haereticorum qui circa ss. Trinitatem errabant. Inter hos annumerabantur Pepuzeni ([2]). — 2. Ceterorum baptismus potest admitti aut rejici, secundum quod diversis Ecclesiarum consuetudinibus admittitur, aut rejicitur. Antiqui, uti saltem Basilius opinatur, rejiciebant baptismum haereticorum; multae ecclesiae, speciatim Romana, admittunt nonnullorum haereticorum baptisma. Ipse rejicit baptismum Encratitarum, quoniam nil de eo fuit statutum. Hanc tamen regulam se mutaturum dicit, si adversatur utilitati (oeconomiae) communi. — 3. Nulla definitio fidei neque universalis lex disciplinaris de hac re fuit statuta. Optandum autem est ut Concilio generali de hac re provideatur ([3]).

([1]) Cf. Migne P. G. XXXII, 670, 731.

([2]) « Pepuzeni ergo sunt aperte haeretici: nam in Spiritum Sanctum blasphemaverunt, Montano et Priscillae Paracliti appellationem nefarie, impudenterque attribuentes... Qua igitur ratione eorum baptismi admittatur, cum in Patrem et Filium et Montanum aut Priscillam baptizent? Non enim baptizati sunt, qui in ea, quae nobis tradita non sunt, baptizati fuere. » M. XXXII, 667.

([3]) Sic concludit canonem 47: « Quamobrem, si hoc placuerit, oportet episcopos plures in unum convenire, et ita demum canonem edere, ut et is qui agit, periculo careat, et qui respondet, in dando ejusmodi quaestionibus responso, auctoritatem habeat. »

Ex hoc ultimo patet Basilium existimasse quaestionem non diremptam esse canone 8 concilii Arelatensis I (a° 314) et can. 8 et 19 Nicaeni (a° n. 325). Probabiliter existimavit canonem Arelatensis esse disciplinarem et non respicere nisi occidentem ; ad canonem 8 et 19 Nicaeni quod attinet, non agunt nisi de Catharis (Novatianis) et de Paulianistis.

Obj. 5°. Optatus Milevitanus asserit schismaticorum quidem baptismum esse validum, *haereticorum autem invalidum* (1).

Resp. Advertendum est Optatum id non affirmare nisi de baptismo haereticorum corrumpentium formam. Etenim a) in eodem opere docet omnem eum qui juxta Christi institutionem baptizat, valide baptizare (2). — b) Se loqui de solo baptismo haereticorum qui formam baptismi corrumpunt, innuit in ipso loco unde hauritur objectio, siquidem haereticos, de quibus facit sermonem, dicit esse *satis extorres* a domo veritatis (3). — c) Demum appellat haereticos « verissimi symboli desertores ; » symbolum autem tunc temporis intelligebatur invocatio ss. Trinitatis quae fit in baptismo. Apud Augustinum enim legitur : « Quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerunt » (4).

183. — Obj. 6°. Ratione theologica. Qui non est minister Christi, non conficit valide sacramentum. Constat quia Christus est minister principalis sacramentorum. Atqui haereticus non est minister Christi. Qui enim non est minister Ecclesiae, ille non est minister Christi ; sed haeretici non sunt ministri Ecclesiae. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad probat. *Dist. maj.* Qui *nec proprie nec minus proprie* est minister Ecclesiae, ille non est minister Christi, *Conc.;* qui non est *proprie* minister Ecclesiae, *Neg. — Cdt. min.*

Inst. Atqui haereticus non est etiam improprie minister Ecclesiae.

Prob. a) Qui non est membrum Ecclesiae, non est ejus minister etiam improprie. Atqui haereticus non est membrum Ecclesiae. Ergo. — b) Sequeretur Christum non dedisse sacramenta soli verae Ecclesiae. Sed consequens est falsum. Ergo.

---

(1) Opt. Milevit. *Cont. Parmen*, l. I, n. 10, sq. M. XI, 899.

(2) Id. « In quo baptizarentur gentes a Salvatore mandatum est; per quem baptizarentur, nulla exceptione discretum est. Non dixit Apostolus : vos facite, alii non faciant ; quisquis *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizaverit, Apostolorum opus implevit.* » *Cont. Parmen*, V, VII.

(3) Id. Docet « haereticos a domo veritatis satis extorres, solos habere varia et falsa baptismata, quibus inquinatus non possit abluere, immundus emundare. »

(4) Aug. *De bapt.* VI, XLVII, 23.

Resp. Ad 1m probat.: *Dist. maj.* Qui non est membrum *neque de facto neque de jure*, seu qui neque est neque debet esse membrum Ecclesiae, ille esse nequit ejus minister etiam improprie, *Conc.;* qui non est de facto membrum Ecclesiae, id tamen est *de jure*, *Neg. Cdt. min.*

Ad 2m probat.: *Dist. maj.* Sequeretur Christum non dedisse soli Ecclesiae potestatem ac usum *simul valida et licita*, *Neg.;* non dedisse soli Ecclesiae *potestatem validam, Subd.* non dedisse soli Ecclesiae h. e. *extra Ecclesiam posse recipi potestatem* valide conficiendi sacramenti, *Neg.;* posse *exerceri extra Ecclesiam* valide potestatem quae in Ecclesia est recepta, *Conc. — Cdt. min.*

Inst. Atqui ab iis solis qui in Ecclesia sunt, valide exercetur potestas conferendi sacramenta. Haec enim potestas non tradita est nisi apostolis et successoribus immediatis et mediatis. Atqui successores apostolorum non sunt ii qui versantur extra Ecclesiam. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Haec potestas non est tradita nisi apostolis et successoribus h. e. *iis quibus eadem potestas traderetur ab apostolis* et qui ita succedunt apostolis in potestate sua, *Conc.;* successoribus h. e. iis tantum *qui in vera Ecclesia succederent apostolis in munere suo*, *Neg. — Cdt. min.*

Observa. 1. Minister Christi ille est qui agit ejus nomine et auctoritate, estque ejus instrumentum. — 2. Proprie minister Ecclesiae est ille qui accepit ab Ecclesia potestatem et ea utitur in Ecclesia. Minus proprie ille qui in Ecclesia, immediate aut mediate, accepit potestatem, et hac potestate utitur extra Ecclesiam. Quare haeretici et pagani (si agitur de baptismo) possunt esse, minus proprie tamen, ministri Ecclesiae; acceperunt in Ecclesia jus (potestatem moralem) conferendi valide, non tamen licite, sacramenta extra Ecclesiam. — 3. Christus dedit sacramenta soli Ecclesiae, quatenus a) potestas ea conferendi non datur nisi ab Ecclesia; b) in sola vera Ecclesia licite administrantur a ministris, et recipiuntur a subjecto. Quare illicite, valide tamen, conferuntur extra Ecclesiam sacramenta Ecclesiae. — 4. Christus dedit Apostolis et successoribus eorum potestatem conficiendi sacramenta; itaque eam tribuit mediate iis quibus successores apostolorum eam tribuunt.

Obj. 7°. Eo quod validus esset baptismus haereticorum, sequeretur Deum suscipere filios a sponsa adultera. Atqui Deus non suscipit filios nisi a sponsa Christi vera, nullatenus a sponsa adultera. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Deus a sponsa adultera filios susciperet *per accidens* et vi baptismi sponsae verae, collati ab eo qui potestatem accepit a

sponsa vera, *Conc.*; id fieret *per se*, *Neg.* — *Cdt. min.* Deus non suscipit *per se* filios nisi a sponsa vera, *Conc.*; *per accidens* non suscipit filios ab alio, sensu modo explicato, *Neg.* Uti Sara ex utero Agar ancillae genuit Abrahae Ismaelem, sic Ecclesia ex utero ancillae, nempe haereos, gignit Deo et Christo filios, beneficio baptismi cujus administrandi potestatem accepit haeresis a vera Christi sponsa.

Obj. 8°. Haeretici nullum habent jus in sacramenta. Ergo usus juris validus non est.

Resp. *Dist. maj.* Non habent jus h. e. *non licite* conficiunt sacramentum, *Conc.*; *non valide* conficiunt, *Neg.*

Obj. 9°. Juxta Apost. in I Tim. II sicut unus est Deus, una fides et una Ecclesia, ita unus est baptismus. Atqui hoc falsificatur, si extra veram Ecclesiam habetur validus baptismus. Ergo.

Resp. Unus est baptismus eo quod unus est ejus institutor nempe Christus; unus est in cujus virtute datur, idem Christus; unus est cujus nomen invocatur, nempe Deus; unus est cui concreditus est usus licitus. Hinc *negatur minor.*

Obj. 10°. *Exigitur sanctitas in ministro.* Nemo dat quod non habet. Atqui minister improbus non habet gratiam. Ergo eam non dat sacramento.

Resp. *Dist. maj.* Nemo dat quod non habet *neque formaliter neque virtualiter,* nulla virtute nec *principali* nec *instrumentali, Conc.*; nullus dat id quod non habet *formaliter*, *Neg.* — *Cdt. min.* Minister improbus non habet *formaliter* gratiam, seu ipse ea non ornatur, *Conc.*; non habet eam *virtuatiter*, seu caret potestate eam producendi virtute Dei, *Neg.*

ARTICULUS II.

De intentione ministri.

D. Th. III, q. LXIV, a. 8 et 10. — Suar. d. XIII, s. 2 et 3. — Lugo. d. VIII, s. 2, 3 et 4. — Vasq. d. CXXXVIII. — Bellarm. l. I, cc. XXVII, XXVIII.

§ 1. — Notiones. — Quaestiones.

184. — NOTIONES. 1. Intentio, vi vocis, est actio in objectum tendendi. — Vi rei, est idem ac actus quo voluntas vult fieri actiones, sive internas sive externas, easque ordinat in certum finem. Cum nihil sit volitum, nisi praecognitum, intentio praesupponit cognitionem, saltem confusam, actionis et finis. — Intentio dividitur tum subjective, tum objective.

2. Multiplex datur intentio *subjective* inspecta: actualis, virtualis, habitualis, interpretativa. Prima actu adest cum ponitur actio quam respicit. Ceterae actu absunt. — Secunda ante actionem fuit elicita et vi seu virtute illius ponitur actio, in qua dicitur virtualiter permanere. — Tertia fuit et ipsa elicita ante actionem, sed actio, quam antea intentio voluit in finem ordinari, non tamen ponitur vi istius intentionis. — Quarta non fuit elicita adeoque non ordinavit actionem in finem, sed elicita fuisset, actionemque in finem ordinasset, si cogitatio de hac re occurrisset.

3. Intentio, si agitur de re sacramentaria, dividitur ratione *objecti* in quod fertur, in externam et internam. — Ad hanc divisionem praenotandum est sacramentum posse considerari a) *materialiter* pro signo sensibili, complexu materiae et formae ; b) *formaliter* uti nempe est sacramentum, seu uti ritui sensibili annexa est vis infallibiliter significandi et per se causandi gratiam.

a) Intentio *externa* explicite intendit seu vult solum objectum externum, nempe ritum sensibilem, sacramentum materialiter sumptum. Adest itaque cum a *scienter et volenter efficitur signum sacramentale.* Concipi potest esse duplex prouti excluderetur positive omne aliud objectum, aut ab eo tantum praescinderetur.

b) Intentio *interna* praeter objectum externum intendit, explicite aut implicite, objectum internum, sc. finem sacramenti, gratiam, sacramentum formaliter sumptum. — Practice internam intentionem implicitam efformat ille qui vult ut actio sua sit sacramentalis, aut sacra. — Practice imprimis efformat implicite intentionem internam ille qui *intendit facere quod facit Ecclesia,* h. e. qui vult ponere ritum ex christianorum opinione sacrum, aut facere id quod christiani hoc ritu facere consueverunt. — Practice intentionem internam explicitam habet ille qui non tantum scienter et volenter ponit et dicit verba, sed adhuc *vult id quod verbis exprimitur*, scilicet vult absolvere a peccatis, si sermo sit de paenitentia, vult panem fieri corpus Christi, si sermo sit de Eucharistiae ministro dicente supra panem : *hoc est corpus meum.*

QUAESTIO. Duplex movetur quaestio : 1. Utrum ad validitatem sacramenti exigitur ut a ministro conficiatur *serio, scienter* et *volenter,* adeoque utrum exigatur intentio, sive interna sive externa ; an validum etiam sit sacramentum quod non serio sed jocose conficitur, aut sine ulla intentione puta a dormiente, a penitus distracto. 2. *Qualis intentio ministri* requiritur ad valorem sacramenti ? — Quae quaestio duo involvit : a) qualis esse debeat *subjective* inspecta, utrum

nempe actualis, an virtualis etc. Quae quaestio in theologia morali examinatur. — b) Qualis esse debet *objective* inspecta, seu in quodnam objectum tendere debeat, utrum nempe sufficiat ut terminetur ad solum objectum externum seu sacramentum materialiter consideratum, excluso etiam positive omni alio objecto ; an aliquatenus se porrigere debeat ad objectum internum seu sacramentum formaliter sumptum.

185. — SENTENTIAE. — *Circa I^m quaestionem* duae sunt sententiae:

Prima est protestantium. Asserunt *nullam requiri intentionem* ad hoc ut validum sit sacramentum. Quare sacramentum revera exsistit etiamsi jocose, irrisorie, ficte conficitur. Sic Lutherus, Calvinus, Mart. Kemnitius (1). Id caput doctrinae novatorum logice fluit ex reliqua doctrina. Si enim sacramentum non confert gratiam ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, quatenus est excitativum fidei, aeque hunc finem attingere valet sive conficiatur cum intentione, sive jocose.

Secunda est catholicorum. Affirmant *requiri intentionem.* Itaque ritus sacramentalis a dormiente, a penitus distracto et nesciente quid faciat, aut ab agente irrisorie positus, nullam confert gratiam. Quae sententia est *de fide definita* a Tridentino, sessione VII. « Si quis dixerit in ministris dum sacramenta conficiunt et conferunt non requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia. A. S. » (can. 11).

186. — *Circa II^m quaestionem*, catholici in duas sententias abeunt :

Prima est Ambrosii Catharini. Asserit *sufficere externam intentionem,* quae scilicet terminatur ad objectum externum, ad sacramentum materialiter sumptum a Christo institutum, dummodo serio et cum apparatu sacro peragatur ; sive aliter asserit sufficere ut minister *sciens volensque conjungat cum aliquo apparatu externo, materiam et formam, juxta institutionem Christi.* Ante Concilium Tridentinum eamdem sententiam jam tradiderant Aureolus, seculo XIV ineunte, et Sylvester Prieras, incunte seculo XVI. Postea acriter eamdem sententiam propugnaverunt nonnulli theologi post Marium Scribonium in Gallia et in Belgio sub fine seculo XVII et seculo XVIII, Contenson, Farvacques, Du Hamel, Juenin, Serry, Drouin. In Germania inde a seculo XVIII eidem doctrinae adhaererunt Stattler, Dobmayer, Weibler, Glossner, L. Haas (2).

(1) LUTH. *De captiv. babyl.* cap. de bapt. *De missa privata.* — CALV. *Antid. Conc. Trid* sess. VII, can. 11. — KEMNIT. *Exam.* p. II, p. 141, 154.

(2) AMBR. CATH. in opusc. *De necessaria intentione in perficiendis sacramentis.* — AUREOLUS in 4 d. 5, q. 1, a. 1. — SILV. PRIERAS, *Summa Sylvestrina,* sub. verb. *Baptisma,* a. 3, q. XI et XVI. — SERRY : *Vindiciae Catharini.* — JUENIN, *De sacram.* diss. I, q. V, c. II, a. 3, § 1. — DROUIN, *De re sacramentaria,* l. I, q. VI, c. III, sect. 2. — GLOSSNER: *Lehrbuch der Kathol. Dogmatik,* II, 299. — L. HAAS: *Die nothevendige Intention des Ministers zur giltigen Verwaltung der heiligen Sacramente.*

Observa. 1. Haec intentio vocatur externa, non quasi excluderet actus internos, hos enim supponit et includit, sed tantum quia ejus objectum est unice externum seu sensibile. — 2. Haec verba : « Intentio mere externa sufficit, » possunt intelligi dupliciter : a) Minister qui sciens volensque conjungit materiam et formam, sicuti Christus instituit, confert per se gratiam, etiamsi *explicite excludit* ulteriorem intentionem, aliumve finem, seu etiamsi interius corde dicit : « Nolo ut gratia conferatur, nolo ut sacramentum sit moraliter actio Christi. » — b) Confert gratiam etiamsi *praescindit* ab alio fine, ab ulteriori intentione. Requiritur tamen ut hæc non positive excludatur.

Secunda sententia est communis inter catholicos. Asserit *requiri intentionem internam,* quae versetur non modo circa objectum externum seu ritum sensibilem a Christo institutum, sed adhuc, saltem implicite, circa objectum internum, finem sacramenti, gratiam, sacramentum formaliter sumptum. Quomodo practice efformetur intentio interna fuit supra dictum. — Sententia haec nequit dici definita a Tridentino. Huic enim Concilio interfuit Catharinus, et scopus Concilii fuit damnare sententiam haereticorum, juxta quos validum est sacramentum, etiamsi jocose conficeretur, quod negat Catharinus (1).

Observa. Juxta Tridentini formulam minister debet *intendere facere id quod facit Ecclesia.* — In sententia Catharini sensus hujusce propositionis hic est : « Minister debet velle conjungere materiam et formam quas Christus et Ecclesia volunt conjungi. » — In sententia communi sensus est : « Minister debet velle per ritum sacramentalem facere id quod Christus et Ecclesia per eam faciunt. » Attamen nequit dici sensum formulae Tridentini esse, sacramentum non esse ratum nisi minister *intendat explicite finem sacramenti,* seu id propter quod sacramentum est institutum. Nam a) Tridentinum non dicit ministrum debere intendere id quod *intendit* Ecclesia. b) Vetus Ecclesia non rebaptizabat eos qui a Pelagianis baptizabantur, neque tempore Concilii Tridentini rebaptizabantur hi qui a Zwinglianis et Calvinianis baptizati erant. Attamen hi non intendunt explicite finem sacramenti seu deletionem peccati originalis. Illius enim exsistentiam negabant Pelagiani, ceteri autem asserebant illud deleri non posse (2).

---

(1) Cfr. Pallavicini, *Hist. Conc. Trid.* l. IX, c. VI; l. XII, c. X.

(2) Cfr. inter errores 41 Martini Lutheri damnatos a Leone X, errorem 2m, Denz. n. 626.

§ 2. Ad valorem sacramenti requiri intentionem ministri ostenditur.

Thesis XXII[a]. — Ut validum sit sacramentum, requiritur ut minister illud conficiat cum intentione faciendi id quod facit Ecclesia.

187. — Prob. Arg. I[m]. Petitur ex *ratione theologica,* et duplici modo proponitur :

1. Sacramentum non est validum, seu non exsistit illud signum cui Christus annexuit vim infallibiliter significandi gratiam et per se eam conferendi, nisi sit moraliter actio Christi, seu nisi minister agat personam Christi. Atqui sacramentum non est moraliter actio Christi, minister non agit personam Christi, nisi detur intentio, seu nisi ritus ponatur a sciente et volente. — *Prob. min.* In tantum non exigeretur intentio, in quantum ritus sacramentalis ex se, citra ullam intentionem ministri, determinaretur ad esse actionem moralem Christi, proindeque in quantum minister eum conficiens necessario ageret personam Christi. Atqui evidens est hunc ritum non determinari ad hoc ex seipso. Ergo.

2. Ut sacramentum sit validum, oportet ut sit usus potestatis ministerialis. Atqui ut sit hujuscemodi usus, requiritur intentio, seu requiritur ut ritus ponatur a sciente et volente. — *Prob. min.* Non habetur usus potestatis ministerialis, nisi habeatur explicite aut implicite voluntas utendi hac potestate. Hoc enim est commune usui omnis potestatis moralis, omnis juris et omnis jurisdictionis. Atqui non habetur voluntas utendi hac potestate, sine intentione. Re quidem vera qui accepit potestatem ministerialem, qui vicibus Christi fungi potest, non actu ejus personam gerit, sed habere debet animum seu intentionem agendi in nomine et in persona ejus, quotiescumque abluit, ungit, pronuntiat determinata verba; si enim haec suo nomine faceret, aut ritum materialiter poneret, aut haec dormiendo faceret, quis serio contenderet eum gerere personam Christi, ejus vicibus fungi? Hinc requiritur ut velit hac potestate uti, proindeque ut vi istius volitionis ponat ritum sacramentalem a Christo institutum.

188. — Arg. II[m]. *Auctoritate.* Requiri intentionem asserit a) Florentinum in decreto pro Armenis: « Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. »

(Denz. n. 590). — Idem asserit b) Martinus P. V. in Bulla *Inter cunctas,* qua referuntur articuli 39 de quibus interrogandi erant hi qui suspecti erant errorum Wicleffi et Huss. Articulus 22 sic sonat: « Utrum credat quod malus sacerdos cum debita materia et forma et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, vere conferat alia sacramenta » (Denz. n. 566). Hic articulus supponit ad valorem sacramenti requiri ea omnia quae citantur. — c) Leo P. X. in Bulla *Exsurge Domine* (a° 1520), qua damnantur 41 errores Lutheri. — Error 12^{s} hic est: » Si per impossibile confessus non esset contritus, *aut sacerdos non serio, sed joco absolveret:* si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus » (Denz. n. 636). Ergo exigitur ut sacerdos non joco agat, sed vere velit.

189. — **Arg. III^{m}.** *Ex absurdis sententiae contrariae.* Sequentia ab Holtzclau in theologia Wirceburgensi enumerantur: Sequeretur enim 1° quod mater vel ancilla baptizaret infantem, quem in balneo lavat a sordibus sub invocatione SS. Trinitatis, qua felix et fausta sit infanti ablutio corporis. Sequeretur 2° quod sacerdos ad mensam verba consecrationis ex Scriptura sacra legens, consecraret omnem in mensa praesentem panem. Sequeretur 3° quod rebaptizaret, qui in theatro ageret personam Sylvestri Pontificis Constantinum M., aut quicumque alius a Sylvestro fuerit, baptizantis : quae sane quam ridicula, tam absurda sunt (n. 169).

Satisfit difficultatibus.

190. — **Obj. 1°. Ratione.** Ibi datur sacramentum validum, ubi ponitur tota essentia sacramenti. Atqui tota poni potest citra ullam intentionem, siquidem sacramentum essentialiter constat ex rebus tamquam materia et ex verbis tamquam forma.

Resp. *Dist. maj.* Ibi datur sacramentum validum ubi ponitur tota essentia *sacramenti formaliter sumpti, Conc.; materialiter* sumpti, *Neg. Cdt. min.* — Ad probationem respondetur *Conc. maj. Dist. min.* Sine intentione poni possunt elementa inclusa in definitione sacramenti *materialiter sumpti, Conc.; formaliter sumpti. Neg.* — Ad probationem respondetur eodem modo.

Fit etiam haec responsio: *Dist. maj.* Ibi datur sacramentum validum, ubi ponitur tota essentia sacramenti *a quacumque causa. Neg.;* a causa quae *potestatem accepit* a Christo et *ea utitur modo debito, Conc.* — *Cdt. min.* — Ad probationem respondetur eodem modo.

Inst. Atqui poni potest tota essentia sacramenti formaliter sumpti sine intentione. Intentio enim non est de definitione sacramenti, siquidem sacramentum est signum sensibile. Atqui sequeretur contrarium ex eo quod sine intentione nequiret poni essentia sacramenti. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Intentio non est de definitione *essentiali* sacramenti seu non est una ex causis intrinsecis, *Conc.;* non est ex causis extrinsecis, proindeque non intrare valet in definitione has causas superaddenti, *Subd.* si sermo sit de sacramento materialiter sumpto, *Conc.;* si de *formaliter* sumpto, *Neg. Cdt. min.*

Observa. 1. Alia traditur definitio sacramenti materialiter considerati, alia vero sacramenti formaliter sumpti. — Duplex fieri potest definitio sacramenti utroque modo considerati, altera nempe definit rem per solas partes essentiales seu causas intrinsecas, altera supperaddit causas extrinsecas. — Sacramentum materialiter sumptum definitur secundum partes essentiales: signum sensibile constans ex rebus et ex verbis. — Formaliter sumptum definitur secundum easdem partes signum... infallibiliter demonstrativum et per se practicum gratiae, vel etiam signum quod moraliter actio est Christi, usus potestatis ministerialis. Per haec addita essentia sacramenti materialiter sumpti fit essentia veri ac proprie dicti sacramenti.

2. Sine intentione dari potest sacramentum materialiter sumptum, siquidem non exigitur intentio ut exsistat ritus qui sit fundamentaliter aptus ut ei annectatur significatio sacramentalis. — Verum sine intentione, immo sine interna, dari nequit sacramentum formaliter sumptum; sacramentum enim materialiter sumptum recipit formam sacramenti seu fit *infallibiliter* demonstrativum et practicum gratiae, eo quod est *actio moraliter Christi*, usus potestatis ministerialis, seu quod conficitur a gerente personam Christi; jamvero ut hujusmodi fiat, exigitur ut minister ponat signum sciens et volens, immo ut sciens et volens utatur potestate sua ministeriali. — Patet intentionem non esse partem sacramenti, neque esse de definitione essentiali ejus, sed se habere ad sacramentum veluti causam ad effectum.

Obj. 2°. Intentio esset necessaria vel ad hoc ut sacramentum significet gratiam; vel ad hoc ut conferat gratiam. Atqui ad neutrum est necessaria. Ergo. — *Prob. 1ª pars min.* Sacramentum est signum. Atqui ut signum significet, necessaria non est intentio. Ergo. — *Prob. 2ª pars min.* Sacramenta causant significando seu id quod significant. Ergo si opus non est intentione ad significandam gratiam, non est opus intentione ad conferendam gratiam.

Resp. *Conc. maj. neg. min.* Ad prob. 1ae partis minoris, *Dist. maj.* Sacramentum est signum *infallibiliter* significans gratiam, *Conc.; aptitudinaliter* tantum, *Neg.* — *Cdt. min.*

Ad probationem 2ae partis minoris, *Dist. ant.* Sacramenta causant id quod *infallibiliter* significant, *Conc.;* id quod nonnisi *aptitudinaliter* significant, *Neg.*

Obj. 3°. Illud sacramentum est validum quod est instrumentum quo Christus gratiam in cordibus gignit. Atqui necessaria non est intentio ministri ut Christus per sacramentum gignat gratiam. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* Non est necessaria ex natura rei, *Conc.;* non est necessaria *ex voluntate positiva Christi* instituentis ut sacramenta forent actiones morales ipsius, usus potestatis ministerialis, *Neg.*

191. — Obj. 4°. Ex auctoritate. *Ex Augustino* (1): — Juxta Augustinum validus est baptismus *fallaciter* administratus et susceptus. Atqui talis baptismus caret intentione. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Validus est baptismus fallaciter h. e. *sine intentione*, petitus et datus, *Neg.* Petitus fallaciter *ab eo qui fide caret,* et administratus ab ministro *cui deest fides, Conc.* Quaestionem de intentione ne tangit quidem Augustinus in iis verbis unde petitur objectio.

---

(1) Aug. « Solet etiam quaeri, utrum approbandum sit Baptisma, quod ab eo qui non accepit, accipitur, si forte hoc curiositate aliqua didicit quemadmodum dandum sit: et utrum nihil intersit quo animo accipiat ille cui datur, cum simulatione, an sine simulatione: si cum simulatione, utrum fallens, sicut in Ecclesia, vel in ea quae putatur Ecclesia; an jocans, sicut in mimo: et quid sit sceleratius, in Ecclesia fallaciter accipere, an in haeresi vel schismate sine fallacia, id est, animo non simulato; et utrum in haeresi fallaciter, an in mimo cum fide, si quisquam inter agendum repentina pietate moveatur. Quanquam talem si etiam illi conferamus qui in ipsa catholica fallaciter accipit, mirum si dubitatur quis cui praeferendus sit; quid enim prosit animus veraciter dantis fallaciter accipienti, non video. Sed arbitremur aliquem etiam fallaciter dantem, cum et tradens et accipiens fallaciter agant in ipsa unitate catholica, utrum hoc magis Baptisma sit acceptandum, an illud quod in mimo datur, si quis exsistat qui fideliter subito commotus accipiat: an quantum ad ipsos quidem attinet homines, plurimum distet inter credentem in mimo, et irridentem in Ecclesia; ad ipsius autem sacramenti integritatem nihil intersit. Si enim nihil interest ad integritatem Sacramenti in ipsa Catholica, utrum id aliqui fallaciter an veraciter agant, cum tamen hoc idem utrique agant: cur extra intersit, non video; quando ille qui accipit, non simulatione palliatus, sed religione mutatus est. An plus valent ad confirmandum sacramentum illi veraces inter quos agitur, quam ad frustrandum illi fallaces a quibus agitur, et in quibus agitur? Et tamen si postea prodatur, nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio aut paenitendo sanatur. *De baptismo,* l. VII, c. liii, n. 101. M. XLIII, 242.

« Sed nobis tutum est, in ea non progredi aliqua temeritate sententiae, quae nullo in catholico regionali concilio coepta, nullo plenario terminata sunt: id autem fiducia securae vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri et Salvatoris Jesu Christi, universalis Ecclesiae consensione roboratum est. Verumtamen si quis forte me in eo concilio constitutum, ubi talium rerum quaestio versaretur, non praecedentibus talibus, quorum sententias sequi mallem, urgeret ut dicerem quid ipse sentirem: Si eo

In hoc loco Augustinus varias tractat quaestiones: 1. An valide baptizat ille qui ipse non est baptizatus. — 2. An valide baptizatur ille qui accipit baptismum cum simulatione h. e. fallaciter, sive in Ecclesia sive in ea quae putatur esse vera Ecclesia. — 3. An valide baptizatur is qui in Ecclesia accipit baptismum cum simulatione h. e. jocose, mimice. — 4. An validus est baptismus, si tum minister tum subjectum agunt fallaciter. — 5. An validus est, si uterque jocose agit ?

Augustinus praemittit animadversionem generalem: Tutum est non progredi temerario in quaestione quae nullo Concilio plenario terminata est. — Haec animadversio respicit præsertim primam quaestionem. — Deinde respondet affirmative ad primam, secundam, quartam quaestionem: « Sicut jam praeteritis majorum statutis non dubito etiam illos habere baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia. » Circa quod responsum, est notandum statuta majorum intelligi illa quae decisa jam fuerant *circa fidem non requisitam in ministro*. — Porro fallaciter agit ille qui animum non Christianum gerens, ductus timore vel spe temporali, simulat se velle esse Christianum, ideoque baptismum petit, licet fidem catholicam non teneat, immo neget veritatem sacramenti. Itaque solutionem de ministro extendit Augustinus *ad fidem non requisitam in subjecto*. — Ut baptismus sit validus, sufficit ut minister velit dare et subjectum accipere hunc ritum quem sciunt haberi sacrum apud Christianos ; esset tantum invalidus si expresse non vellent agere nisi materialiter. — Ad tertiam et quintam quaestionem censet Augustinus divinum judicium esse implorandum. Ipse vero, vi principii ab initio enunciati, nihil affirmat.

---

modo affectus essem, quo eram cum ista dictarem; nequaquam dubitarem habere eos Baptismum, qui ubicumque et a quibuscumque illud, verbis evangelicis consecratum, sine sua simulatione, et cum aliqua fide accepissent: quanquam eis ad salutem spiritualem non prodesset si caritate caruissent, qua catholicae insererentur Ecclesiae. *Si* enim *habeam,* inquit, *fidem ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum* (I Cor. XIII, 2). Sicut jam praeteritis majorum statutis, non dubito etiam illos habere Baptismum, qui, quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia, ab eis in quorum societate id accipitur, de quibus dictum est, *Ex nobis exierunt* (I Joan. II, 19). Ubi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicre et mimice et joculariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus qui sic daretur : divinum judicium per alicujus revelationis oraculum, concordi oratione et impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse censerem : ita sane ut post me dicturos sententias, ne quid jam exploratum et cognitum afferrent, humiliter exspectarem : quanto magis ergo nunc sine praejudicio diligentioris inquisitionis, vel majoris auctoritatis, illud dixisse accipiendus sum ? » Ib. n. 102.

§ AD VALOREM SACRAMENTI REQUIRI INTENTIONEM INTERNAM OSTENDITUR.

THESIS XXIII[a]. — Ut sacramentum sit validum, non sufficit intentio mere externa, terminata nempe ad solum ritum externum cum apparatu sacro peractum ; sed necessaria est intentio interna, quae nempe, implicite saltem et in confuso, pro objecto habeat effectum seu finem sacramenti.

192. — Prima pars. NON SUFFICIT INTENTIO EXTERNA, SED EXIGITUR INTENTIO INTERNA.

Prob. I. Ratione theologica. Arg. I[m]. In sententia Catharini ut sacramentum sit validum requiritur et sufficit a) ut a ministro Ecclesiae uniantur voluntario materia et forma a Christo institutae; b) ut hoc fiat cum apparatu sacro. Atqui istud posterius non exigitur ad validitatem sacramenti; prius vero non sufficit neque seorsim ab altero, neque conjunctim cum eo. Ergo falsa est sententia Catharini, adeoque ad validitatem sacramenti exigitur intentio interna.

Prob. 1[a] pars min. Non exigitur apparatus sacer. Etenim a) id non requiritur, sine quo ritus sacramentalis potest esse moraliter actio Christi. Atqui sine apparatu sacro potest esse hujuscemodi. — Si hoc negaretur, probatio peteretur ex seq. — b) Potest fieri et factum est ut Evangelii praeco apud infideles degens, aut etiam sacerdos inter eos degens fideles qui infensos se praebent rei christianae, cogatur ritum sacramentalem conferre absque ullo apparatu, immo irrisorie, secundum externas apparentias; si tamen habet intentionem internam, sacramentum in Ecclesia semper est habitum pro valido. Ergo non requiritur intentio externa.

Prob. 2[a] pars min. Non sufficit ut minister sciens et volens ponat ritum, sive cum apparatu sive sine eo. Ut hoc sufficeret, exigeretur ut ritus sacramentalis determinaretur ad esse moraliter actionem Christi, usum potestatis ministerialis, eo quod minister sciens et volens eum ponit, cum apparatu sacro, aut sine eo. Atqui hoc non obtinet. — *Prob. min.* a) Non datur usus potestatis moralis, neque juris exercitium, nisi quis intendat et velit uti potestate sua ac exercere jus. Atqui eo quod minister ponit ritum sciens volensque, et adhibet ritum sacrum, non tamen hoc ipso vult uti potestate sua, gerere personam Christi; immo potest hunc ritum peragere cum voluntate contraria. — Et re quidem vera, sacramenta non sunt signa naturalia, sed ex se sunt indifferentia ad plura significanda; inde determinanda sunt ad hoc ut sint moraliter

actiones Christi, infallibiliter significent gratiam et actu eamdem conferant. Etiam supposita divina institutione, determinanda adhuc sunt ad hoc ut sint moraliter actiones Christi et usus potestatis ministerialis : secus nulla exigeretur intentio, ne externa quidem, quod adversarii tenent pro falso; non autem determinantur per apparatum sacrum, siquidem ea conficiens cum apparatu sacro potest ea referre ad alium usum, et nolle uti potestate sua. — b) Si episcopus cum apparatu sacro exercitaret ordinandos et omnes ritus solemniter perageret, daretur intentio externa Catharini, et tamen nullum esset sacramentum quia ritus non determinaretur ad esse usum potestatis ministerialis. Ergo non sufficit intentio externa.

Arg. II^m. Ex sententia Catharini sequeretur sacramentum administrari non posse sub conditione. Sed hoc esse falsum in confesso est. — Illud sequi in sententia Catharini perspicuum est quia ille qui sub conditione baptizat, *absolute* et serio vult ponere ritum externum. Sed ubi rite conjungitur materia et forma cum apparatu et cum intentione ponendi ritum, ibi in sententia Catharini habetur sacramentum. Ergo sacramentum absolute poneretur, non vero conditionate. — Patet in sententia propugnante necessitatem intentionis non mere externae sed etiam internae ad validitatem sacramenti, sine negotio administrari sacramentum sub conditione. Absolute enim intenditur ritus externus, verum conditionate tantum intenditur ut iste ritus sit usus potestatis ministerialis et ut conferat gratiam.

II. Auctoritate. Arg. I^m. Ex *Tridentino:* « Non debet paenitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit contritio, aut *sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit:* putet tamen se propter suam solam fidem... esse absolutum » (1). — Alii volunt de una agi intentione; contra alii volunt animum *serio agendi* esse intentionem externam, animumque vere absolvendi esse intentionem internam. Omnino tamen permittimus unam a Tridentino praescribi intentionem ministri, eamque significari tum animo serio agendi tum animo vere absolvendi, ita nempe ut posterius explicet quid sit serio agere. Verum contendimus hanc intentionem esse *internam.* Illud enim perspicuum est tum quia ille, qui non habet nisi intentionem externam, non gerit animum vere absolvendi, siquidem ponitur gerere posse aut animum *non absolvendi* aut nullum animum circa absolutionem impertiendam; tum ex sententia novatorum his verbis damnata. Lutherus quidem volebat

(1) Trid. Sess. XIV, c. vi.

validum esse sacramentum externo joco peractum; at Calvinus et Kemnitius (1) postulabant externam gravitatem et debita adjuncta externa, adeoque intentionem externam. Itaque Patres Tridentini, damnando totam doctrinam novatorum, invalidum esse volunt non modo ritum cum joco externo confectum, sed etiam ritum cum joco interno seu sine animo vere absolvendi confectum.

Arg. II^{m}. Petitur ex damnata propositione 28^{a} inter propositiones 31 prohibitas ab Alexandro VIII, a° 1690. Talis est: « Valet baptismus collatus a ministro qui *omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo, quod facit Ecclesia.* » (Denz. n. 1185). Qua propositione damnari opinionem Catharini, secundum unum ex duobus modis quibus intelligi potest, constat ex his duobus: a) Illud decretum emanavit e Congregatione Inquisitionis, cujus auctoritati nulla auctoritas privati Doctoris aequiparari potest. Decretum est latum in congregatione generali coram Alexandro VIII, qui ipse statuit has propositiones esse damnandas. Porro hoc decreto damnata est sententia a Farvacques ex s. Ordine Augustiniensium proposita; hic autem nonnisi Catharini sententiam defendebat (2). — b) Benedictus XIV dicit hoc decreto opinioni Catharini grave vulnus fuisse inflictum (3).

Arg. III^{m}. Juxta Florentinum, Constantiense, Tridentinum requiritur in ministro intentio faciendi id quod facit Ecclesia. Porro haec formula intelligenda est eo modo quo communiter intelligebatur. Atqui communiter intelligebatur de intentione non mere externa. — *Prob. min.* a) Supponunt Concilia materiam et formam exterius conjungi et quidem serio, neque jocose; supponunt itaque intentionem externam; ei superaddunt intentionem faciendi id quod facit Ecclesia. — b) In Schola duplex distinguebatur intentio: Prior existimabatur non esse necessaria ad valorem sacramenti; dicebatur *specialis* seu de objecto determinato; erat nempe ea qua minister explicite vult conferre effectum sacramenti. Posterior pro necessaria habebatur; eratque intentio *confusa et generalis* faciendi quod facit Ecclesia. Atqui haec intentio est sane ea qua minister vult facere id quod facit Ecclesia *per sacramentum*, quodcumque illud est, qua vult se exhibere verum ministrum Ecclesiae; nullatenus vero est intentio Catharini, siquidem haec nullatenus est confusa,

(1) Calv. *Antidot. Conc. Trid.* Sess. vii, can. 11. — Kemnit. *Exam.* etc. ad eumd. can. (2) Cfr. Henno, ex Ordine Fratrum minorum, *De sacram.* d. IV, q. II, a. 2, prob. 3^{a}. — Berti, ex Ordine Augustiniensium, *De theol. discipl.* l. XXX, c. xvi. — S. Alphonsus, *De Sacram. in genere*, c. II, n. 23. — (3) Bened. XIV, *De synod. dioeces.* l. VII, c. IV, n. 8, 9.

generalis, sed omnino distincta et de objecto singulari seu speciali. Ergo Schola non intelligebat formulam ecclesiasticam de intentione Catharini ([1]).

193. — Secunda pars. SUFFICIT INTENTIO IMPLICITA FINIS.

Prob. Ecclesia ratum habuit baptismum collatum ab atheo, a pagano, a Judaeo, a Donatista, a Lutherano. Atqui paganus et atheus censentur non intendere explicite collationem gratiae supernaturalis; Lutheranus et Donatista non intendunt explicite facere quod facit Ecclesia Romana. Ergo non requiritur explicita intentio finis.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

194. — Obj. 1°. *Ex notione sacramenti.* Eo quod intentio interna requireretur ad valorem sacramenti, consequens foret eam esse de definitione sacramenti. Atqui hoc est falsum. Sacramentum enim secundum totum esse suum physicum est res sensibilis. Atqui intentio non est de definitione talis rei. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Intentio interna esset de definitione *essentiali* sacramenti, *Neg.;* de definitione tradente non modo causas intrinsecas, sed etiam *extrinsecas, Subdist.;* esset de definitione sacramenti *materialiter* considerati tradente has causas, *Neg.;* sacramenti *formaliter* considerati, *Conc. — Cdt. min.*

Obj. 2°. Illa intentio sufficit, quae terminatur ad essentiam sacramenti. Atqui intentio externa terminatur ad hanc essentiam, quippe quae totaliter consistit in rebus et verbis. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Sufficit intentio quae terminatur ad essentiam sacramenti *formaliter* sumpti qua sacramenti seu qua infallibiliter

([1]) « Si aliquis uteretur forma debita verborum et haberet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, ut sumatur verbum confuse: i. e. si intendit facere quod consuevit Ecclesia, baptismus esset. » ALTISSIODORENSIS, (l. IV, q. VII). — « Exprimitur generalis intentio in verbo baptizandi, et illa expressio sufficit ad intentionem Ecclesiae, scilicet ad faciendum quod facit Ecclesia, licet non credat hoc aliquid valere. » ALBERTUS M. (in 4 d. 6, a. 11.) — « Sufficit intentio generalis faciendi quod facit Ecclesia, verbis expresa, nec requiritur specialis. » PETRUS DE TARANTASIA qui fuit INNOCENTIUS V (in 4 d. 6, q. 1, a. 2). — « Necessarium est intervenire intentionem ministri, qua intendit illo actu et verbo talem effectum dare (specialis intentio) vel saltem quod facit Ecclesia facere (generalis), vel saltem quod Christus instituit dispensare ». S. BONAVENTURA (in 4 d. 6, q. 1, a. 2, quaest. II). — « Intentio vel specialis vel generalis; specialis autem intentio est ut iste baptizandus mundetur, generalis autem est facere illud quod facit Ecclesia. » S. BONAV. *(Compendium theol. verit.).* — « Intentio finis ultimi (gratiae) nullo modo requiritur.... requiritur tamen intentio respectu finis proximi (ut baptizatus fiat Christianus) et hoc vel in particulari vel in generali, in particulari, ut si intendat istum intrare legem christianorum servandam; in generali, si intendit facere circa istum, quod christiani solent facere circa suos. » SCOTUS (in 4 d. 6, q. V). Cfr. FRANZELIN, *Tract. de Sacram. in genere*, Thesis XVI, p. 206 ad calcem.

demonstrativi et practici gratiae, *Conc.;* sacramenti *materialiter* sumpti, *Neg.* — *Cdt. min.* — Ad probationem respondetur eodem modo. — Respondetur adhuc alio modo uti dictum est ad obj. 1ᵐ adv. th. XXIᵐ.

Inst. Atqui sufficit intentio terminata ad sacramentum materialiter inspectum. Etenim :

Obj. 3°. Juxta multa Concilia, ut validum sit sacramentum, sufficit intentio faciendi id quod facit Ecclesia. Atqui talis est intentio externa Catharini. Ecclesia enim jungit materiam et formam juxta ritum a Christo institutum. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem distinguitur : Ecclesia *modo qualicumque* haec jungit, *ultra hoc nihil* intendit et operatur, *Neg.;* Ecclesia materiam et formam jungit *nomine Christi, Conc.*

Obj. 4°. Valor sacramenti est independens a probitate ministri. Atqui hoc falsificatur a sententia impugnata. Ergo.

Prob. min. Ad summum defectus intentionis dici potest improbitas.

Resp. a) *Dist. maj.* Sacramentum est independens ab improbitate qua aliquid *essentiale* omittitur aut corrumpitur, *Neg.;* est independens ab improbitate, dummodo salva conserventur essentialia, *Conc. Cdt. min.* b) *Dist. maj.* Sacramenti valor est independens ab improbitate *per se,* ratione improbitatis, *Conc.; per accidens* irritari nequit ratione illius cui inest improbitas, *Neg.* Valor sacramenti est independens a probitate ministri, eo sensu quod si improbus minister ponit omnia ea quae requiruntur, validum est sacramentum, sua improbitate non obstante. Verum si ex improbitate omittit aliquid essentialiter requisitum, sive illud sit intrinsecum sacramento, sive sit extrinsecum et quadamtenus causa ejus, sacramentum sane est invalidum.

Obj. 5°. Si exigitur intentio interna, dicendum erit invalidum esse sacramentum ab infideli confectum. Atqui hoc adversatur superiori thesi.

Probatur major quia infidelis nequit habere intentionem internam. Nam qui non credit conferri gratiam sacramento, non potest habere intentionem internam, qua intendit conferre gratiam.

Resp. *Dist. maj.* Si exigitur intentio interna, sacramentum ab infideli collatum esset invalidum *per se* et ratione infidelitatis, *Neg.; per accidens,* si omittuntur essentialiter requisita, *Conc.* — Ad probationem majoris respondetur distinguendo : Qui non credit conferri gratiam, non potest *explicite* intendere gratiam, *Transm.;* non potest intendere *implicite,* intentione nempe quae est implicita in intentione faciendi id quod facit Ecclesia, *Neg.* — *Cdt. min.*

Qui non credit conferri gratiam sacramento, potest tamen validum conficere sacramentum. Etenim a) potest nihilominus intendere facere et conferre id quod facit et confert Ecclesia; putat quidem nihil conferri ab Ecclesia ; hoc tamen non obstat quin velit idem. Ejus enim intentio est quasi conditionata, aequivalenter enim sibi dicit : « Si Ecclesia aliquid facit et confert, volo idem facere et conferre ; » cum purificetur conditio, inde confertur gratia. — b) Sufficit ut velit actionem suam esse sacram, usum potestatis ministerialis ; jamvero hoc potest velle, etiamsi non credit gratiam conferri sacramento.

Obj. 6°. Nequit dici necessaria ea intentio qua fit ut nutet indefectibilitas Ecclesiae. Atqui nutaret eo quod ad valorem sacramenti requireretur intentio interna. Sequeretur enim fieri posse ut ordinationes sint invalidae ; sic autem nutaret indefectibilitas Ecclesiae.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* Nutaret, nisi invigilaret Deus, *Transm. ; secus, Neg.* Ad probationem *distinguitur major* eodem modo.

Providentia divina speciali modo invigilat ut perduret Ecclesia usque ad consummationem seculorum. Irritos facit conatus hostium exterorum. Irritos etiam redderet conatus hostium domesticorum qui molirentur ruinam Ecclesiae per praeposteras intentiones in administrandis sacramentis. Quare indirecte certum est baptismum fuisse valide collatum, ubi id exigitur indefectibilitate Ecclesiae.

Obj. 7°. Eo quod ad valorem sacramenti exigeretur intentio interna, sequeretur eum qui sacramenta recipit perpetuo debere esse anxium ne invalidum recipiat sacramentum, ob defectum intentionis internae ministri. Ergo.

Resp. Non est cur anxius quis sit ne defuerit intentio interna ministro baptismi. Etenim a) datur certitudo moralis baptismum fuisse collatum cum debita intentione. b) Baptismo flaminis potest suppleri baptismus fluminis quoad remissionem P. O. — Ceterum ob idem motivum anxii esse deberemus quod debita forma non conjungatur cum debita materia, ne substantialiter corrumpatur forma, ne in sacrificio Missae mustum pro vino adhibeatur.

Obj. 8°. Ecclesia semper vigilantissima fuit circa modum quo sacramenta administrarentur; numquam inquisivit an cum interna intentione fuerint administrata. Ergo practice censet Ecclesia sufficere intentionem externam.

Resp. Ecclesia pluribus inculcavit requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia ; nihil amplius requirimus ; eo quod ritus bene servantur, concludit Ecclesia intentionem hanc adfuisse. Hinc negatur consequens.

Obj. 9°. In foro civili sententia judicis enuntiata materialiter, cum intentia interna contraria non ferendi judicialiter sententiam, est valida vi hujus materialis pronuntiationis. Ergo idem est dicendum de sententia a ministro sacramenti Paenitentiae enuntiata in foro interno, adeoque de omni ritu sacramentali.

Resp. 1. Omnes theologi, inquit Lugo [1] « nullum actum legitimum validum judicant, quando fit absque interno consensu. Sic professionem fictam dicunt non esse validam in foro interno, licet in externo apud omnes valida existimetur. Sic matrimonium animo ficto celebratum, sic sponsalia, sic contractus omnes valorem non habent, si interius desit animus obligandi se, quantumvis velit quis proferre verba exterius ad decipiendum. Unde quoties postea constat de fictione interna, matrimonium, vel professio, vel quidquid id est, declaratur nullius valoris, prout Summi Pontifices de facto declararunt; neque in hoc est controversia aliqua apud theologos vel juristas. »

2. Ut validus sit actus procedens a potestate humana, per se requiritur ut adsit voluntas ponendi actum vi istius potestatis. Ob bonum commune censetur adesse voluntas, ubi forma exterior est servata ; inde si forsan exercitium potestatis laborat interno vitio, acquirit valorem, accedente rei publicae consensu. — Pariter Deus requirit intentionem ut habeatur usus potestatis ministerialis; sed cum ipse introspiciat corda, non censet eam adesse ubi deest ; verum alio modo prospicit bono communi, alioque modo supplet id quod in ministro defuit.

195. — Obj. 10°. Innocentius IV haec scribit : « Non est necesse quod baptizans sciat quid sit Ecclesia quae baptizat.... nec quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia : immo si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia.... quia formam servat, nihilominus baptizatus est » [2].

Resp. 1. Innocentius IV illa scripsit tamquam doctor privatus. Constat duobus : a) ex communi omnium Doctorum sententia. Testis sit Diplovatacius : « Licet Innocentius exsistens Pontifex composuerit dictum apparatum, tamen sententiae ipsius non habent vim legis aut canonis.... et refert Ostiensis (in cap. Solet de sent. excom. in 6°) quod saepe audivit Innocentium dicentem, quod non intendebat, ut

(1) Lugo, *De Sacram.* d. VIII, s. 2, n. 18.

2 Innoc. IV, quaest. IX *de baptismo*. Haec verba a nonnullis attribuuntur Innocentio III, sect. XII et inserta dicuntur in III *Decretal.* (tit. *de bapt. et ejus effect.*, cap. *Si quis puerum*). Jamvero Inn. III, neque privatus doctor neque Pontifex, umquam haec verba scripsit.

suae glossae facerent jus » (1). — b) Deinde haec verba non exstant neque umquam exstiterunt in solemnibus juris decretis; sed deprehenduntur in commentariis in Decretales ad cap. si quis puerum (Alexandri III), quos scripsit Innocentius IV jam Pontifex quidem approbatus, sed tamquam doctor privatus.

2. Ceterum Innocentius IV perspicue docet non sufficere intentionem externam, sed requiri intentionem internam, verum non requiri ut intendatur *explicite* finis sacramenti, etc. (2).

Obj. 11°. Angelicus sibi objecerat : « Non potest homini esse nota intentio alterius. Si igitur intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti, non posset homini ad sacramentum accedenti esse notum quod sacramentum suscepisset. » Respondet duplicem esse opinionem : « *Quidam enim dicunt quod requiritur mentalis intentio* in ministro, quae si desit, non perficitur sacramentum. Sed hunc defectum in pueris... supplet Christus qui interius baptizat ; in adultis autem, qui intendunt sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides et devotio. Sed hoc satis posset dici quantum ad ultimum effectum, qui est justificatio a peccatis; sed quantum ad.... characterem, non videtur quod per devotionem accedentis possit suppleri... Et ideo alii *melius dicunt quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiae* cujus est minister ; *in verbis autem quae profert, exprimitur intentio Ecclesiae,* quae sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exprimatur ex parte ministri vel recipientis sacramentum (3).

Alibi idem sanctus Doctor : « In baptismo, ait, et in aliis sacramentis, quae habent in forma actum exercitum, non requiritur *mentalis* intentio,

(1) Diplovatacius, in praefat. ad *Comment. Innocentii IV.* Ed. Juntas 1578. Cf. Bened. XIV, in praefat. ad 2m edit. operis *De Synodo dioecesana.* Cf. Franzelin, *De Sacram. in genere,* Th. XVII, p. 246, 247. — (2) Haec habet Pontifex n. 2 : « Si formam veram dicat et non credat illam veram formam sed aliam, non erit baptizatus, et hoc *ideo quia non intendit baptizare,* quod ex eo apparet, quia *formam veram dicere non intendit* »..... N. 8. 9 : « Nota quod ad hoc, quod aliquis baptizatus sit, necessarium est, quod baptizans *intendat baptizare* et *non tantum balneare vel carnes lavare;* nec tamen videtur necesse quoad effectum baptismi, quod sciat quid sit baptismus, seu quod ibi infundatur gratia, vel quod sit sacramentum ; nec etiam oportet, quod credat ipsum ; immo etsi contrarium credit et totum reputat truffam et deceptionem, tamen baptismus suum habet effectum. Item non est necesse, quod baptizatus sciat quid sit Ecclesia, quid baptizatus, vel unde sit, nec quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia, immo si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia (sc. catholica), sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est *dummodo baptizare intendat.* Unde si aliquis in casu necessitatis constitutus vel sine necessitate vadat ad Saracenum et dicat : « baptiza me, » et doceat eum formam ; et ille Saracenus baptizet, non credens per immersionem aliquid aliud fieri nisi madefactionem, et intendat eum baptizare vel etiam madefacere *secundum intentionem petentis baptismum, ut baptismus operetur quidquid operari potest, et ipse baptizans tamquam minister conferat quod alii baptizantes conferunt, licet non credat ipsum posse aliquid operari, vere baptizatus est ; sed si hoc non intenderet, non baptizaret.* » — (3) S. Th. III, lxiv, 8, 2m.

sed sufficit *expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta;* et ideo si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est. Non enim sine causa in sacramentis necessitatis, sc. baptismo et quibusdam aliis, actus baptizantis tam sollicite expressus est ad intentionis expressionem » (1).

Resp. S. Thomas in his locis nullatenus affirmat *sufficere intentionem exprimendi verba formae* quae intentio foret mere *externa;* verum affirmat sufficere *intentionem faciendi id quod exprimitur verbis formae,* siquidem his verbis expressit Ecclesia suam intentionem, quae intentio profecta est *interna.* Hanc porro intentionem dicit sufficere in illis sacramentis quae « habent in forma actum exercitum » h. e. quorum forma exprimit actum ministri: *ego te baptizo, absolvo* etc.; negat in iisdem sacramentis exigi intentionem *mentalem*, quae nempe velit aliquid praeter id quod verbis formae exprimitur; tenet itaque in reliquis sacramentis exigi intentionem pure mentalem.

Fideliter declarari mentem Angelici praeceptoris, id est manifestum ex bene multis locis operum ipsius. Sufficiant haec verba ex ipso loco unde petitur objectio, desumpta. In corpore articuli summae theologicae haec scribit: « Quando aliquid se habet ad multa, oportet quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero quae in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi, sicut ablutio aquae, quae fit in baptismo, potest ordinari et ad munditiam corporalem et ad sanitatem corporalem et ad ludum et ad multa alia hujusmodi; et ideo oportet quod *determinetur ad unum, id est ad sacramentalem effectum, per intentionem abluentis;* et haec intentio exprimitur per verba quae in sacramentis dicuntur, puta cum dicit: ego te baptizo. » Et ad 1m: « Requiritur, ait, ejus (ministri) intentio, qua se subjiciat principali agenti: ut scilicet intendat facit quod facit Christus et Ecclesia. » Neque minus clare asserit necessitatem intentionis internae in opere unde adversarii acceperunt alterum testimonium. « Cum unius effectus una sit causa, si ex aliquibus pluribus causis unus effectus procedat, oportet quod illae causae sint aliquo modo factae unum ad invicem. Ad effectum autem sacramenti videmus multa concurrere, scilicet ministrum, formam verborum et materiam. Haec autem non possunt colligari ad invicem, ut sint una causa, nisi per intentionem baptizantis, qui scilicet formam ad materiam applicat, suum vero ministerium ad utrumque et totum hoc ad sacramenti collationem; et ideo requiritur intentio baptizantis (2).

(1) Id. in 4 d. 6, q. 1, a. 2, sol. 1, ad 2m. — (2 D. Th. in 4 d. 6, q. 1, a. 2, sol. 1.

DE BAPTISMO.

1. — **PROLOGUS. Definitio.** Baptismus a βάπτω, βαπτίζω, derivatus, vi vocis significat ablutionem, lotionem. Usu Scripturae significat a) communem lotionem (Cfr. Jud. XII, 7) ; b) purificationem sacram a Judaeis adhiberi solitam (Marc. VII, 3, 4 ; Hebr. IX, 10); c) bona aut mala abunde affluentia, quibus quadamtenus immergitur homo. Hoc sensu Christus de se dicebat se baptismo esse baptizandum (Marc. X, 38), Apostolos Spiritu Sancto esse baptizandos (Act. I, 5). — Usus invaluit ut baptismi nomine significetur sacramentum quo gratia sanctificans primo infunditur, et peccatum originale deletur. Ratio nominis petitur tum ex ablutione corporis, tum ex ablutione animae.

Sacramentum Baptismi varie definitur: 1. *A materia :* lavacrum aquae (Eph. V, 26), sacramentum aquae. — 2. *A forma :* sacramentum Trinitatis. — 3. *Ab effectibus :* lavacrum regenerationis et renovationis (Tit. III, 5), sepultura hominis cum Christo in mortem (Rom. VI, 4), illuminatio (Hebr. VI, 4), sacramentum fidei quo nomine utitur Tridentionum in sessione VI, c. VII, sigillum, signaculum. — Baptismo enim homo iterum generatur ad spiritualem vitam, adeoque vetus homo sepelitur ; recipit fidem quae illuminat ; imprimitur character.

Definitur etiam per partes metaphysicas : *signum sensibile demonstrativum et practicum regenerationis spiritualis.* — Per partes physicas : sacramentum institutum a Christo Jesu ad efficiendam spiritualem hominis regenerationem per ablutionem externam corporis et ss. Trinitatis invocationem.

Divisio. Triplex distinguitur Baptismus : 1. Baptismus *fluminis,* qui solus est sacramentum. — 2. Baptismus *flaminis,* sc. caritas perfecta, aut contritio in eo qui baptizatus non est. — 3. Baptismus *sanguinis,* sc. martyrium non baptizati. — Primus horum baptismorum vocatur baptismus *in re ;* ceteri, *in voto.* Includunt enim implicite votum baptismi realis recipiendi, siquidem caritas est parata implendis omnibus Dei praeceptis.

QUAESTIONES. Quaeritur : 1. Quandonam Christus revera baptismi sacramentum instituerit? — 2. Quaenam sint materia et forma baptismi? — 3. Quodnam sit subjectum baptismi ? — 4. De necessitate baptismi. — 5. De effectibus baptismi. — 6. De ministro baptismi. — 7. De efficacia baptismi sanguinis.

ARTICULUS I.

De institutione baptismi.

D. Th. III, q. LXVI, art 2.

2. — *Christum instituisse* ritum aliquem sensibilem, qui, ratione ablutionis, baptismus vocari convenienter potest, multis testimoniis Scripturae manifestum est. Johannes Baptista qui, Spiritu sancto inspirante, baptismum suum instituerat, ut per paenitentiam pararet viam Christo, de se ipso dicebat: « Ego baptizo in aqua ; medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.... Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto » (Joh. I, 26, 33). Christus Nicodemo dicebat: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei » (Joh. III, 5). Discipulis autem ante ascensionem: « Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare quaecumque mandavi vobis. » (Matth. XXVIII, 19).

Baptismus autem Christi diversus erat a baptismo Johannis. Ex eo colligitur quod a) Apostoli jubebant rebaptizari baptizatos a Johanne (Act. XIX). b) Ex diversitate formae : Christus enim praecipit baptismum tradi sub invocatione SS. Trinitatis, de qua in baptismo Johannis non occurrit mentio. Potissimum diversitas baptismi Christi et baptismi Johannis eruitur c) ex diversa efficacia utriusque baptismi, ex eo scilicet quod Christi baptismus ex opere operato confert gratiam et characterem, uti ostensum est, baptismus autem Johannis caruit virtute per se tribuendi gratiam. De baptismo Johannis haec est luculenta Patrum doctrina: « Nihil coeleste praestabat (baptismus Johannis), ait Tertullianus, sed coelestibus praeministrabat, paenitentiae scilicet praepositus... Agebatur itaque baptismus paenitentiae quasi candidatus remissionis et sanctificationis in Christo subsecuturae. » Chrysostomus « Spiritus Sancti, ait, gratiam hoc solum baptisma (Christi) habet, Johannis vero baptisma hoc dono vacuum erat. » Hieronymus « Johannis baptisma, ait, non tam peccata dimisit, quam baptisma paenitentiae

fuit in remissionem peccatorum, i. e. futuram remissionem, quae esset postea per sanctificationem Christi subsecutura » (1). Ideo Concilium Tridentinum, in sessione VII, *de baptismo,* definivit : « Si quis dixerit baptismum Johannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi, A. S. » Propter hunc canonem censet Suarez baptismo Johannis nullam gratiam fuisse collatam ex opere operato esse veritatem definitam fidei (2). — Diversitas baptismi Christi et baptismi Johannes adhuc constat d) quia baptismus Johannis ne sacramentum quidem erat : Id enim constat tum auctoritate Alberti M., s. Thomae (3), aliorumque multorum, tum quia non fuit lege stabiliter institutus, tum quia nec veteris legis nec novae legis censeri potest sacramentum. Erat autem « continuatio novorum sacramentorum ad vetera, » ut ait Albertus M., aut « quasi quoddam sacramentale disponens ad baptismum Christi, » ut ait s. Thomas (4).

3. — De tempore institutionis baptismi, triplex est sententia : — 1. Juxta Scotum baptismus est institutus ante passionem, at quonam tempore nescitur. — 2. Juxta s. Thomam instituit Christus baptismum cum ipse suscepit baptismum Johannis. — 3. Juxta Estium baptismus est institutus cum Christus ad Nicodemum habuit sermonem a Johanne relatum. — 4. Juxta alios instituit Christus baptismum, cum discipulos misit ad prædicandum in Judaea. — 5. Juxta Alensem, institutio facta est cum Apostoli jussi sunt omnes gentes baptizare. Alensi consentiunt Canus et recentius Dr Oswald (5). Idem docuerunt Tertullianus, Chrysostomus, Leo M., Theophylactus.

Porro 1° Christum aliquatenus condidisse sacramentum baptismi *ante mortem*, colligendum ex duobus videtur : a) Legitur Christum et Apostolos baptismum contulisse (Joh. III, 22 et IV, 1, 2). Hic autem baptismus non erat baptismus Johannis, sed baptismus Christi. Ratio petitur ex aemulatione orta inter discipulos Christi et Johannis et ex responsione Johannis (III, 25 sq.), quae manifestum facit non tantum baptismum Christi esse plane diversum, sed adhuc tanto meliorem quanto nobiliorem originem haberet. Baptismum Christi fuisse *sacramentum* baptismi perpetuo in Ecclesia celebrandum, colligitur tum quia sine ratione assereretur hunc baptismum fuisse ritum tempori illi accommodatum

(1) TERTULL. *De bapt.* X. CHRYS. *Hom.* XII *in Matth.* n. 2. — HIER. *Adv. Lucifer.* n. 7. Cf. PATRITIUS, *De evangel.* l. III, diss. XLIII, n. 42 sq. — (2) SUAR. *De myst. vitae Christi*, d. XXV, s. 1. — (3) ALB. M. In 4 d. 2, a. 6. — S. TH. III, q XXXVIII, a. 1, ad 1^m. — (4) Cf. SUARER, l. c. sect. 4. — (5) S. TH. III, LXVI, a. 2. — SCOT. in 4 d. 3, q. IV. — ESTIUS, in 4 d. 3, § 11. — ALENS. IV *De sacram.* q. VIII, m. 2, a. 3. — CANUS, *De locis theologicis*, VIII, v. OSWALD, *De sacram.* I, 208.

neque retinendum in Ecclesia ; tum quia Johannes praedixerat Christum esse baptizaturum in aqua et Spiritu ; tum quia Christus Nicodemum docuit necessitatem sui baptismi ad salutem. — Idem colligitur b) quia Apostoli ante mortem Christi receperunt Eucharistiam et Ordinem; nulla est ratio dicendi Christum exemisse Apostolos a lege ordinaria, vi cujus nemo est capax recipiendi haec sacramenta, nisi baptizatus fuerit. Immo optima datur ratio dicendi apostolos baptismo ornatos recepisse alia sacramenta: erant enim primitiae familiae Christianae cui homo per baptismum coaptatur.

2. Probabilius institutum est sacramentum baptismi quando Christus in Jordane est baptizatus (Matth. III, 16, 17). Hoc autem asseritur eo sensu quod tunc Christus decrevit ut aqua esset materia baptismi Christiani et invocatio SS. Trinitatis forma ejusdem; non autem hoc sensu quasi Christus sub suo baptismo docuisset materiam et formam baptismi. Innititur haec sententia auctoritati multorum Patrum docentium universas aquas, Christo in Jordane baptizato, esse mundatas et sanctificatas, induisse jus baptismi, concepisse virtutem sanctificandi et regenerandi (1). Confirmatur quia « apparet manifestissima Trinitas, ait s. Augustinus (2), Pater in voce, Filius in homine, Spiritus in columba. In ista Trinitate missi sunt apostoli » (sc. ad baptizandas gentes). — Innititur auctoritati catechismi Concilii Tridentini : « Tunc a Domino hoc sacramentum institutum esse perspicitur, cum ipse a Johanne baptizatus sanctificandi virtutem aquae tribuit... Atque ad eam rem illud maximo argumento esse potuit, quod tunc SS. Trinitas, in cujus nomine baptismus conficitur, numen suum praesens declaravit. Vox enim Patris audita est, Filii persona aderat, et Spiritus Sanctus in columbae specie descendit, praeterea coeli aperti sunt, quo nobis jam per baptismum licet ascendere (3).

ARTICULUS II.

De materia et forma baptismi.

§ 1. De materia.

D. Th. III, q. LXVI, art. 1, 3, 4, 7, 8.

4. — DE MATERIA REMOTA. Solam aquam esse materiam remotam baptismi negaverunt, a) Manichaei, qui aquam a principio

(1) Vid. testimonia Patrum apud Vasquez, *in III part.* d. CXL, c. VI. — (2) Aug. *In Joh.* tract. VI, n. 5. — (3) *Catech. Conc. Trid.* pars II, *de bapt.* n. 19. Cf. S. Th. in 4 d. 3, q. 1, a. 5, sol. II.

malo factam asserebant; b) Seleuciani et Herminiani qui volebant ut ignis pro aqua adhiberetur; c) Flagellantes, seculo XIII, juxta quos quivis homo sanguine per flagellationem sibimetipsi inflictam baptizandus erat; d) Quakeri, qui baptismum per aquam tamquam ritum judaicum rejiciebant. — Nonnulli existimaverunt in casu necessitatis adhiberi posse sive cervisiam (sic in Norvegia nonnulli, tempore Gregorii IX), sive vinum aut lac (sic inter Armenos). — Aquam veram et naturalem esse de necessitate medii, de fide definivit Tridentinum in sessione VII, can. 2. Quae sententia evincitur sequentibus argumentis :

A. Script. 1. *Ex verbis Christi* a) Matth. XXVIII, 19 : « Euntes *baptizantes.* » Baptizari enim, *βαπτίζειν*, juxta usum Scripturae et sensum obvium, est immergere aquae, per aquam abluere ; b) Joh. III, 5 : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto etc. » — Porro sensum obvium esse retinendum constat quia neque excluditur natura rei, nec locis parallelis, nec interpretatione Patrum.

2° *Ex praxi apostolorum :* a) Act. XI, 47 : « Numquid aquam quis prohibere potest ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos ? » Ergo hi qui doctrina Christi jam erant instructi, et supra quos Spiritus Sanctus descenderat, adhuc erant baptizandi. b) Act. VIII, 35-38 : « Ait eunuchus (Philippo) : Ecce *aqua :* quid prohibet me baptizari ?... et descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus ; et baptizavit eum. »

B. Traditione. 1. *Ex Patribus.* a) In libro *Διδαχὴ τῶν δώδεκα Ἀποστόλων*, qui ducitur esse seculi I[1], praecipitur n. VII ut baptizetur in aqua viva (h. e. fluente), deficiente aqua viva, in alia aqua (v. g. cisternae), deficiente aqua frigida, in calida ([1]). b) Justinus Martyr in Apologia I ad Antoninum Pium et ad ejus filios oblata, describens ritus et vitam christianorum, loquitur de baptismo aquae qui suscipitur ab his qui instructi fide se praeparaverunt jejunio et oratione ([2]). Idem docet c) Tertullianus adversus Quintillam, quae Carthagine

([1]) Cf. FUNK, *Doctr. duodecim Apostolorum*, p. 22.

([2]) JUSTINUS : « Quicumque persuasum habuerint et crediderint vera esse, quae a nobis docentur et dicuntur, seque ita vivere posse promiserint, ii precari et jejunantes priorum peccatorum veniam a Deo petere docentur, nobis una precantibus et jejunantibus. Deinde eo ducuntur a nobis, ubi aqua est, et eodem regenerationis modo regenerantur, quo et ipsi sumus regenerati. Nam in nomine Parentis universorum ac Domini Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi et Spiritus Sancti lavacrum in aqua tunc suscipiunt. Dixit enim Christus : « Nisi regenerati fueritis, non intrabitis in regnum coelorum. » — *Apol. I*, n. 61.

docuerat aquam non esse necessariam in baptismo (1) — Videri possunt multa alia testimonia in tractatu de sacramentis in genere, ad thesim de efficacia sacramentorum ex opere operato.

2. *Ex Conciliis.* a) Concilium Lateranenre IV, anno 1215, « Sacramentum baptismi, ait,... consecratur in aqua.... proficit ad salutem. » b) Concilium Florentinum in decreto pro Armenis : « Materia hujus sacramenti est aqua vera et naturalis. »

3. *Ex Romanis Pontificibus :* a) Gregorius IX, a° 1241, in rescripto ad archiepiscopum Nidrosiensem vetat ne ob aquae penuriam in cervisia baptizetur, siquidem in aqua et Spiritu Sancto renasci oporteat (2). b) Innocentius IV, a° 1250, statuit non vere baptizari parvulos quos aliquorum simplicitas in caput ac pectus ac inter scapulas salivae conspersione linivit (3).

5. — DE MATERIA PROXIMA. Est usus seu applicatio aquae, seu ablutio per aquam. Fit triplici modo : *immersione* in aquam, *aspersione* et *infusione.* — A seculo I° ad XII^m^ baptismus conferebatur trina *immersione.* Constat ex Patribus et ex antiquissimis Graecorum Euchologiis et Latinorum Ritualibus. Seculo XIII dicebat Thomas « tutius esse baptizari per modum immersionis, quia hoc habet usus communior » (4). — Attamen in Hispania, initio seculi VII, *una* immersio a catholicis fiebat; ratio erat quia Ariani trina immersione distinctionem naturae Patris, Filii et Spiritus profitebantur. — Aegrotis in extremo vitae periculo conferebatur baptismus *aspersione* vel affusione ; ideo vocabatur baptisma clinicorum. — Seculo XIV abrogata est immersio ab ecclesia latina et inducta est *infusio.* Immersionem servaverunt non pauci schismatici Graeci. Ad reliquas suas accusationes nonnulli Graeci illud quoque addiderunt, quod Latini non baptizarent per immersionem; inde praeter alias causas suae separationis ab Ecclesia latina, hanc etiam causam afferebant, quod apud Latinos non esset legitima sacramenti baptismi administratio. Ita Simeon Thessalonicensis et Marcus Ephesinus (5). Concilium Tridentinum errorem Graecorum respicit cum ait: « Si quis dixerit in Ecclesia Romana, quae omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de baptismi sacramento

(1) TERTULL. « Nuper conversata istic quaedam de Cajana haeresi vipera venenatissima, doctrina sua plerosque rapuit, imprimis baptismum destruens. Plane secundum naturam : nam fere viperae et aspides, ipsique reguli serpentes arida et inaquosa sectantur. Sed nos pisciculi secundum *ἰχθύν* nostrum Jesum Christum in qua nascimur, nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus. Ita Quintilla monstrosissima... optime norat pisciculos necare, de aqua auferens. » *De bapt.* initio. — (2) Cf. RAINALDUS, ad annum 1241, n. 42. — (3) *Decret.* l. III, tit. XLII, c. v. — (4) S. TH. III, q. LXVI, a. 7. — (5) SIMEON THESS. in *Dial. cont haer.* M. CLV, 101. — MARCUS EPHES. Vid. GREG. MAMM. *Contra Ephes.* M. CLX, 136.

doctrinam, A. S. » (1). — Immersionem esse necessariam ad validitatem baptismi asseruerunt adhuc Baptistae ex Anàbaptistis orti.

Rituale romanum, jussu Pauli V editum, pronuntiat baptismum fieri posse per infusionem aut per immersionem aut per aspersionem ; jubet servari primum aut secundum modum, pro consuetudine Ecclesiarum.

THESIS I[a]. — Immersio non requiritur ad validitatem baptismi : sed sufficit infusio aut aspersio.

6. — Prob. 1. *Ex verbo baptizare,* proindeque ex praecepto baptizandi a Christo apud Matthaeum XXVIII, non potest colligi necessariam esse immersionem. Ratio est quia baptizare, *βαπτίζειν*, proprie significat *abluere,* lotionem facere; jamvero ad faciendam ablutionem aut lotionem, necessaria non est immersio, sed sufficit infusio aut aspersio.

2. *Apostolorum praxi :* a) Apostoli baptizaverunt tria millia hominum die Pentecostes (Act. II, 41) : Vix possibile est ut apostoli eos aquae immerserint. b) Idem dicendum videtur de baptismo quem Paulus contulit media nocte custodi carceris et toti familiae ejus (Act. XVI, 25, 33).

3. *Ex praxi primaevae Ecclesiae.* Hujus vestigium deprehenditur a) in libro cuo titulus *Doctrina Apostolorum* : « De baptismo autem, sic baptizate... baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti in aqua viva (i. e. fluente). Sin autem non habes aquam vivam, in alia aqua baptiza ; si non potes in frigida, in calida. Sin autem neutram habes (i. e. si non habes tantum aquae vivae vel alius, sive frigidae sive calidae, ut immergere possis), *effunde* in caput ter aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti » (c. VII). Eamdem praxim testantur : b) Acta s. Laurentii baptizantis Romanum in palatio Decii *aqua ex urceo effusa;* c) Acta s. Bacchi junioris et s. Gratiliani ; d) Acta s. Liudgeri episcopi mulieres hortantis ut infantes morti proximos baptizarent *intinctos aqua et superinfusos* (2) ; e) veteres picturae et sarcophagi quae baptismum infusione collatum exhibent.

4. *Ex doctrina Patrum.* Doctrinam heic traditam docent a) Cyprianus (3),

(1) TRID. Sess. VII, can. 3 de bapt. — (2) Cf. MARTÈNE, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, l. I, c. I, a. 14.

(3) CYPR. haec scribit ad Magnum : « Quaesivit etiam, fili carissime, quid mihi de illis videatur qui in infirmitate et languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitime Christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi. Qua in parte nemini verecundia et modestia nostra praejudicat, quo minus unusquisque quod putat sentiat et quod senserit faciat. Nos, quantum concipit mediocritas nostra, aestimamus in nullo mutilari et debilitari posse beneficia divina, nec minus aliquid illic posse contingere, ubi plena et tota fide et dantis et sumentis accipitur quod de divinis muneribus hauritur... Unde apparet aspersionem quoque aquae instar salutaris lavacri obtinere, et quando haec in Ecclesia fiunt, ubi sit et accipientis et dantis fides integra, stare omnia et consummari et perfici posse, majestate Domini et fidei veritate. » *Epist.* LXXVI.

b) Augustinus [1], c) Gregorius Magnus, qui docet trinam immersionem esse *ex consuetudine Ecclesiae* [2]; d) Walafridus Strabo, seculo IX, qui aperte docet trinam immersionem, tunc in Ecclesia communiter usurpatam, non esse de necessitate sacramenti [3]; demum e) s. Thomas tenens graviter quidem peccare qui aliter ac trina immersione baptizat, eum tamen valide baptizare [4].

7. — Observationes ad difficultates solvendas :

1. Patres nonnulli ex praecepto Christi derivant baptismum immersionis trinae. Verum volunt significare a Christo fuisse praescriptum *baptismum ;* at non declarant impositum esse hunc modum qui tunc adhibebatur.

Bonosiani corrumpebant formam baptismi, baptizantes nempe *in mortem Christi ;* ideoque baptizabant *una immersione.* Pelagius II in ep. ad Gaudentium, contra eos asserit praeceptum evangelicum nos admonere ut baptismum conferatur in nomine Trinitatis ; et ex hoc deducit baptismus convenienter ministrari trina immersione, non unica, ut docebant Bonosiani [5]. Talem esse mentem Pelagii constat quia declarat non esse rebaptizandos eos qui ab haereticis redirent, dummodo in nomine SS. Trinitatis fuerint baptizati, nulla facta mentione de una aut de trina immersione.

2. Distinguitur traditio *apostolico-divina* et traditio *mere apostolica.* Prior versatur circa substantialia ; posterior versatur circa disciplinam et ritum dispensandi sacramenta. Quae derivantur a traditione mere apostolica, possunt mutari ab Ecclesia ob justas causas. Sic

---

(1) AUGUST. « Hoc verbum fidei (invocatiõ SS. Trinitatis) tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum, mundet infantem. » *In Joh.* tract. LXXXV.

(2) GREG. M. « De trina vero mersione baptismatis, nihil responderi verius potest quam ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit Ecclesiae sanctae consuetudo diversa. Nos autem, quod tertio mergimus, triduanae sepulturae sacramenta signamus, ut dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summae Trinitatis veneratione aestimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquis mergere, quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismate vel ter vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus personarum Trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari. » L. I, *epist.* LXIII.

(3) STRABO : « Notandum autem non solum mergendo, verum etiam desuper fundendo, multos baptizatos fuisse, et adhuc posse ita baptizari, si necessitas sit, sicut in passione Beati Laurentii, quemdam urceo allato legimus baptizatum. Hoc etiam solet evenire cum perfectiorum granditas corporum in minoribus vasibus hominem tingi non patitur. » *De rebus ecclesiasticis,* c. XXVI.

(4) III, q. LXVI, a. 8.

(5) PELAGIUS II. « Evangelicum vero praeceptum, ipso Deo et Domino Salvatore nostro Jesu Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis trina etiam mersione sanctum baptisma unicuique tribuere. » *Epist. ad Gaudentium.*

traditio est mere apostolica ut bigami et neophyti a sacris ordinibus excludantur, ut Eucharistia non nisi a jejunis sumatur, atque ut fideles a sanguine et suffocato abstineant; Ecclesia tamen semper sibi integrum esse putavit ea vel retinere, vel in eis justis gravibusque de causis dispensare, vel etiam leges abrogare. — Porro cum Patres nonnulli affirmant trinam immersionem esse ex apostolica traditione, loquuntur de traditione mere apostolica. — Neque contrarium evincitur ex eo quod poenae leguntur latae adversus eos qui semel tantum immergebant aquae, siquidem digni erant poena ob violationem disciplinae Ecclesiae.

3. Immersio, sive unica sive trina, expressius significat baptizatum, secundum veterem hominem, esse consepultum cum Christo. Verum expressior haec significatio non est essentialis sacramento. Essentialis vero est significatio ablutionis internae a macula P. O.; hanc autem ablutionem apte significat infusio aut aspersio aquae sub prolatione formae « Ego te baptizo in nomine Patris etc. »

4. Non defuit ratio ob quam invaluit consuetudo infundendi aut aspergendi aquam, potius quam immergendi in ea. Est triplex: a) Mulierum pudicitia, praesertim postquam desiit in Ecclesia diaconissarum ministerium. b) Magnus non raro baptizandorum numerus. c) Incommoda, quae in septentrionalibus regionibus cum ritu immersionis conjuncta erant.

§ 2. De forma baptismi.

D. Th. III, q. LXVI, art. 5, 6.

8. — SENTENTIAE. A. Sententiae *haereticorum*. Circa formam baptismi varii passim exorti sunt errores: [1] — 1. Gnostici baptizant in nomine Patris ignoti universorum, in veritate matre omnium, in eo qui in Jesum descendit, in unione et redemptione et communione virtutum. Eadem forma utebantur Priscillianistae et Marcosiani. — 2. Montanistarum forma erat: « In nomine Patris et Filii et Montani et Priscillae » (Priscilla habebatur inter eos velut insignis vates). — 3. Sabelliani, osores SS. Trinitatis, Paulianistae (discipuli Pauli Samosateni) et Photiniani, osores divinitatis Filii, haeresim suam in forma baptismi exprimebant, ideoque invalidus erat eorum baptismus. — 4. Ariani primum quidem non corruperunt formam; verum postea

(1) Cf. Wirceburgenses, t. V *de bapt.* n. 34.

a) Anomaei haeresim suam hac forma significarunt : « In nomine Dei increati et in nomine filii creati et in nomine Spiritus sanctificantis et a creato filio procreati ; b) Eunomiani, Aetiani baptizabant in mortem Christi.

B. Sententiae *catholicorum*. 1. Juxta Magistrum et nonnullos theologos antiquiores, v. g. Hugonem, baptismus *in solo nomine Christi* collatus est validus. Huic sententiae adhaesit Cajetanus et Toletus eam theoretice probabiliorem habet ([1]).

2. Juxta Albertum M., Altissiodorensem, Alensem, Scotum, s. Thomam, Bonaventuram ([2]) *Apostoli ex dispensatione divina baptismum contulerunt in nomine Christi;* postea abrogata est dispensatio, adeoque valide non confertur baptismus nisi per invocationem expressam SS. Trinitatis.

3. Communis sententia est in forma baptismi semper ex necessitate medii duo esse requisita : a) ut significetur actio *baptizandi,* b) ut explicite invocentur *tres personae divinae.*

Advertere juvat actionem abluendi vario modo significari : Latini dicunt : « Ego te baptizo.... » Graeci : « Baptizatur servus (vel serva) Dei.... »

THESIS II[a]. — Ad valorem baptismi requiritur ut per formam exprimatur actus baptismi et ut explicite invocentur tres personae divinae.

9. — Prima pars. Ponitur contra paucos theologos seculi XII, sc. Praepositivum, Stephanum Tornacensem episcopum, qui censebant verba « Ego te baptizo » nonnisi ad solemnitatem sacramenti spectare.

Probatur 1° ex decretali Alexandri III ([3]). Seculo XIII, Pontius, Claromontensis episcopus, in cujus dioecesi administratus fuerat baptismus, non prolatis verbis *ego te baptizo,* consuluit tum Mauritium Parisiensem, tum Stephanum Tornacensem episcopum de validitate hujus baptismi. Respondit Mauritius quidem invalidum esse baptismum, Stephanus vero esse validum. Pontius, teste Angelo Manrique ([4]), rem ad Romanum Pontificem detulit. Alexander vero respondit sequenti

([1]) HUG. VICT. *De Sacram.* l. II, pars VI, c. II. — MAG. l. IV, d. III. — CAJET. in comment s. Th. Jubente Pio V, ex editione altera Romana fuerunt expuncta verba Cajetani hanc sententiam exprimentia. — TOLETUS in III[m] part. q. LXVI, a. 6, concl. 5.

([2]) ALTISSIOD. l. IV, fol. 252, col. 4. — ALB. M. in 4 d. 3, a. 2. — S. Th. III, LXVI, 6, 1[m]. — BONAV. in 4 d. 3, pars 1, a. 2, q. II. — SCOT. in 4 d. 3, q. II.

([3]) ALEX. III, cap. *Si quis,* 1. Extrav. de Baptismo. *Decret.* l. III, tit. XLII, c. 1.

([4]) ANG. MANRIQUE, *Annal. Cisterc.* ad a. 1176, c. V. Cf. LAUR. BERTI, *Theol. discipl.* XXXI, 9.

decreto : « Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen ; et non dixerit : « Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen, » non est puer baptizatus. » — Haec decretalis prodiit occasione controversiae de necessitate horum verborum « *Ego te baptizo.* » Primum facta est juris publici circa medium seculi XIII, tempore Gregorii IX, cum prodiit in collectione Raymundi. Hinc mirum est nonnullos theologos, ignoratione excusatos, in opposita sententia perseverasse.

2. Ex propositione damnata ab Alexandro VIII : « Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus : « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ; » praetermissis istis : « Ego te baptizo. » (Denz. n. 1184).

3. Ex praxi Ecclesiae occidentalis et orientalis, semper actum baptismi in forma exprimentis. — Primum quidem leguntur verba *ego te baptizo* apud s. Gregorium Magnum, sec. VI, in suo sacramentario ; verum horum verborum meminit Gregorius tamquam notorum et usitatorum in Ecclesia occidentali.

4. Ratione indicata ab Angelico : « Quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet quod determinetur in verbis formae ad quid fiat. Quod quidem non fit per hoc quod dicitur : « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, » quia omnia in tali nomine facere debemus.... Et ideo si non exprimatur actus baptismi.... non perficitur sacramentum » (1).

10. — Secunda pars. — Probatur ex Matth. XXVIII, 19. *Euntes, ergo docete, baptizantes* etc. Christus his verbis non tantum voluit ut regeneratio spiritualis fierit in nomine Patris etc., h. e. ut baptizandi transcriberentur in nomen Patris, ut Patri et Filio et Spiritui addicerentur seu consecrarentur seu devoverentur ; sed adhuc ut tres Personae divinae expresse invocarentur, seu explicita fieret professio SS. Trinitatis. — Hujusmodi fuisse mentem Christi constat variis :

1. Concilium Arelatense I, anno 314, jussit canone 8° rebaptizari Afros seu Arianos « qui baptizati non fuerint in *Patre et Filio et Spiritu Sancto.* »

2. Nicaenum I, canone 8, jussit non rebaptizari Catharos (Novatianos); canone 19, jubet rebaptizari Paulianistas. — Juxta Innocentium P. I ratio discriminis erat quod hi non baptizabant in nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti ; Novatiani vero iisdem nominibus tremendis venerandisque baptizabant (2).

(1) III, q LXVI, a. 5, ad. 2m. — (2) INN. I, *Epist.* XVII *ad Episcopos Macedoniae.*

3. Decreta RR. PP. dicunt invalidum esse baptismum aliter collatum. Sic Pelagius II (1), Gregorius Magnus et Zacharias (2).

4. Ex Patribus. A. Ita loquuntur Patres de ablutione baptismi et de invocatione SS. Trinitatis, ut ex modo loquendi appareat baptismum deficere, uno ex his deficiente. Patet ex Patribus qui dicunt baptismum esse conferendum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Licet enim absolute « *in nomine* » intelligi possit pro « *in virtute*, » manifestum tamen est Patres loqui de invocatione SS. Trinitatis. Sic liber *doctrina duodecim Apostolorum* : « Sic baptizate : Haec omnia (de quibus in cap. superioribus) postquam antea dixistis, baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti in aqua viva » (3). — Sic etiam Justinus, Athanasius, Nazianzenus, Chrysostomus (4).

B. Alii Patres dicunt requiri invocationem SS. Trinitatis. Sic Ambrosius et Isidorus Hispalensis (5). Sic etiam Tertullianus (6).

C. Patres inquirunt de baptismo in solius Christi nomine collato, et pronuntiant eum esse irritum. Sic Origenes, Cyprianus, Chrysostomus, Augustinus, Basilius, Damascenus (7).

---

(1) Pelagius II : « Si revera hi de haereticis, qui in locis tuae dilectioni vicinis commorari dicuntur, solummodo se in nomine Domini baptizatos fuisse forsan confitentur, sine cujusquam dubitationis ambiguo, eos ad catholicam fidem venientes *in SS. Trinitatis nomine baptizabis*. Sin vero apud dilectionem suam eorum, qui converti volunt, manifesta confessione claruerit quod in nomine Trinitatis fuerint baptizati, sola reconciliationis impensa gratia catholicae sociare fidei maturabis. » *Epist. ad Gaudentium*. Decret. III, de consec. dist. IV, c. XXX.

(2) Greg. M. *Epist. ad Quiricum et ceteros ep. Hiberiae*, l. IX, *ep.* LXVII, al. LXI. M. P. L. t. LXXVII, col. 1205. Zach. *Ep.* XI *ad Bonif.* M. P. L. t. LXXXIX, col. 943. — (3) Liber *Doctrina duod. Apost.* VII. Cf. Funk, p. 20. — (4) Justinus. *Apol. I pro Christ.* n. 61. M. VI, 420. — Ath. *Ep. IV ad Serap.* n. 12. M. XXVI, 653. — Naz. *Or.* XXXIII, n. 17. — Chrys. *Hom. XX in Eph.* n. 2. — (5) Ambr. *De myst.* IV, 20, 21. Isid. Hisp. *De off. eccles.* II, XXV.

(6) Tertull. « Lex tingendi imposita est, et forma praescripta ; Ite docete nationes tingentes eas in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. » *De baptismo*, XIII. M. I, 1215. — « Novissime mandans ut tingerent in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, non in unum; nam nec semel, sed ter ad singula nomina in personas singulas tingimur. » *Adv. Praxeam*, XXVI.

(7) Origenes : « Requiras fortassis etiam hoc, quod cum ipse Dominus dixerit ad discipulos, ut baptizarent omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cur hic Apostolus solius Christi in baptismo nomen assumpserit dicens : « Quicumque baptizati sumus in Christo; » cum utique non habeatur legitimum baptisma, nisi in nomine Trinitatis. » *In Rom.* l. V, VIII. M. XIV, 1039.

Cypr. « Ubi post resurrectionem a Domino Apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizare gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, immo et contra Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi, ubicumque et quomodocumque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena et adunata Trinitate. » *Epist.* LXXIII, n. 12 *ad Jubaianum*. — Citatis verbis Petri (Act. II, 38) : « Paenitemini et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi in remissionem peccatorum, » addit : « Jesu Christi mentionem facit Petrus non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur. » Ib. n. 17.

Chrysost. « Lavacro lavat ejus immunditiam ; in verbo quonam ? in nomine Patris

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

11. — **Obj. 1°** *Ex Script.* Act. II, 38, « Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum ». Ibid. VIII, 12, 16 : « In nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres... Baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. » — Unde sic : Apostoli

et Filii et Spiritus Sancti. » (*Hom.* XX *in Eph.* n. 2). — « Ad Corinthios (Paulus) scribens his verbis utitur : « Sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri » (I Cor. VI, 11). Quid ergo, heus tu, annon isti in Patris nomine baptizati sunt ? Ergo nec abluti nec sanctificati sunt. Atqui baptismo vere tincti fuerant. Cur ergo non dixit : Abluti estis in nomine Patris ? Quia perinde illi erat, modo illius, modo alterius personae meminisse ; idque ipsi in plerisque epistolarum locis in usu fuisse reperies. Etenim in epistola ad Romanos ait : « Obsecro igitur vos per miserationes Dei » (Rom. XII, 1); atqui Filii quoque miserationes sunt : et « Obsecro autem per caritatem Spiritus » (Rom. XV, 30), cum tamen Patris quoque sit caritas. Cur ergo nec Filii, cum de miserationibus loquitur, nec Patris de caritate mentionem fecit ? Quod haec perspicua atque indubitata essent. » *(Hom.* XXX *in II Cor.).*

AUGUST. « Deus adest evangelicis verbis suis, sine quibus baptismus Christi consecrari non potest. » — « Ceterum quis nesciat non esse baptismum Christi, si *verba evangelica*, quibus symbolum constat, illic defuerint ? » *De bapt.* VI, XV, XLVII. Quid vero per verba evangelica intelligat, jam dixerat l. III *de bapt.* (cap. XV) : « Si evangelicis verbis *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* Marcion baptisma consecrabat, integrum erat sacramentum. » Cfr. *Adv. Maxim.* II, XVII. M. XLII, 783.

BASILIUS. Scribit adversus eos qui dicunt sufficere baptismum tantum in nomine Domini et ostendit inane esse argumentum quod petebant ex verbis Scripturae, quibus fideles dicuntur baptizati *in nomine Christi*. « Neminem vero in fraudem inducat illud Apostoli, quod Patris et Spiritus Sancti nomen in baptizatis commemoratione frequenter omittit : neque ideo putet indifferentem esse nominum invocationem : « Quicumque, inquit, in Christum baptizati estis, Christum induistis ; » et rursus : « Quicumque in Christo baptizati estis, in mortem illius baptizati estis... » Videtur tamen interdum Apostolus etiam solius Spiritus fecisse mentionem in baptismate. *Omnes* enim, *in uno corpore, in unum Spiritum baptizati sumus*. His et illud consonat, *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto ;* et, *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto*. At non ideo quis dixerit perfectum esse baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est. Oportet enim inviolabilem semper manere traditionem, quae in vivifica gratia data est... Proinde si in baptismo separare Spiritum a Patre et Filio ut periculosum est baptizanti, ita baptismum accipienti inutile ; quomodo nobis tutum fuerit a Patre et Filio distrahere Spiritum ? Fides autem et baptisma duo sunt modi parandae salutis, inter se cognati et inseparabiles. Nam fides perficitur per baptismum, baptismus vero fundatur per fidem, et utraque res per eadem nomina impletur. Sicut enim credimus in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, sic et baptizamur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ac praecedit quidem professio ad salutem perducens ; sequitur autem baptisma consignans assensum nostrum. » *De Spiritu Sancto*, XII. M. XXXII, 116.

DAMASC. « Qui in Sanctam Trinitatem baptizati non sunt, hi denuo baptizentur necesse est. Etsi enim Apostolus dicit : « In Christum et in mortem ipsius baptizati sumus » (Rom. VI, 3) ; non tamen hoc vult, baptismi invocationem ex his verbis constare debere ; verum hoc demum, baptismum mortis Christi figuram praeferre.... Quare in Christum baptizatum esse nihil aliud indicat, quam in illum credendo salutifera aqua tingi. Fieri non potest ut in Christum credamus, nisi Patris et Filii et Spiritus Sancti confessione imbuti simus. Christus enim est Filius Dei vivi quem Pater unxit Spiritu Sancto, quemadmodum ait divinus David : « Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis » (Ps. XXXXIV, 3). Isaias quoque ex Domini persona loquens : « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me » (Isa. LXI, 1). Enimvero quaenam verborum forma adhibenda esset, Dominus discipulis suis exposuit : « Baptizantes eos, » inquiens, « in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. » *De fide*, IV, IX, M. XCIV, 1119.

baptizarunt in solo nomine Jesu Christi. Ergo non explicite invocabatur SS. Trinitas.

Resp. In his et similibus locutionibus baptizari in nomine Christi significat secundum alios quidem suscipere baptismum *institutum a Christo*, in oppositione ad baptismum Johannis, et *administratum nomine Christi*, *ejus virtute* et *auctoritate* (cfr. Act. XIX, 2-5) ; secundum alios vero et probabilius recipere baptismum *quo quis addicatur in obsequio Christi.*

Obj. 2°. Juxta Hilarium [1] Apostoli jussi baptizare in nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti, tantum in nomine Jesu baptizaverunt. Ergo.

Resp. Hilarius hoc loco tuetur eliminandum non esse omne id quod in sensum pravum detorqueri potest, ideoque ex metu abusus omittendam non esse vocem ὁμοούσιον. Illud probat quia inter varios libros Scripturae apparens oppositio invenitur ; profecto quae ansam falsis interpretationibus exhibent, ideo tamen non sunt eliminanda. Exempli ergo affert Matth. XXVIII et Act. de baptismo. Itaque Hilarius nullo pacto affirmat judicio suo Apostolos solum nomen Filii invocasse.

Obj. 3°. Juxta Ambrosium [2] sacramentum fidei est plenum si una persona comprehenditur sermone, dummodo interna fides habeatur in tres personas. Ergo non requiritur invocatio totius Trinitatis.

Resp. 1. Ambrosius non loquitur de forma a ministro prolata, sed de fidei professione necessaria in adulto baptismum suscipiente et emittenda ante receptionem baptismi [3]. Etenim a) secus Ambrosius pro irrito haberet baptismum collatum a ministro infideli, uti ex verbis ejus est perspicuum ; b) secus valeret baptismus collatus in nomine Spiritus Sancti, quae sane sententia est inaudita. — 2. Alibi invocationem trium personarum ss. Trinitatis ad valorem baptismi necessariam esse disertis verbis defendit Ambrosius [4].

Obj. 4°. S. Stephanus I decrevit contra rebaptizantes valere baptismum collatum in solo Christi nomine ; item approbavit baptisma

---

[1] Hilar. « Pereant quoque, si videtur (quod non ego dixerim sed responsionis necessitas) omnia divina illa et sancta Evangelia salutis humanae, ne se invicem contraria dictorum opinionem compugnent: ne missurus Dominus Spiritum Sanctum ipse de Spiritu Sancto natus legatur: ne mortem gladio denuntiaturus usuris, emi gladium passurus indicat: ne ad inferos descensurus in paradiso sit cum latrone: Ne postremo Apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti jussi, tantum in nomine Jesu baptizaverunt. » *De Synodis*, n. 85.

[2] Ambr. « Si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum, fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum abneges, plenum est fidei sacramentum... quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit ; si Christum dicas, et Deum Patrem, a quo unctus est Filius, et ipsum qui unctus est Filium, et Spiritum Sanctum quo unctus est designasti. » *De Spiritu Sancto.* I, III. M. XVI, 714.

[3] Cf. Ambr. *De mysteriis*, V, 28. M. XVI, 397. Auct. l. *De Sacram.* l. II, n. 7. M. XVI, 429. —

[4] Id. *De myst.* c. IV, n. 20 ; *In Luc.* VIII, n. 67. Cf. Auct. l. *De Sacram.* II, IV, V.

Marcionis, qui in solo hoc nomine baptizabat ; ut colligitur ex epistola s. Cypriani ad Jubaianum (1).

Resp. a) Non omnino liquet utrum Cyprianus hanc sententiam attribuat ipsi Stephano, an quibusdam aliis. b) Quaenam fuerit mens Stephani non dijudicandum fortasse est ex verbis Cypriani sub aestu controversiae prolatis. Stephanus enim defendebat fidem ministri non requiri ad valorem sacramentorum, adeoque baptismum haereticorum per se non esse repetendum. Hoc autem exprimi potest dicendo sufficere ut collatus fuerit baptismus in nomine Christi, h. e. iste baptismus a Christo institutus, adhibitis materia et forma a Christo determinatis. Nihil aliud statuere voluit Stephanus ; at Cyprianus ad falsum sensum verba Pontificis fortasse detorquet. — Quae responsio confirmatur ex epistola Firmilliani ad Cyprianum, in qua Firmillianus crimini vertit Stephano quod putet « quaerendum non esse quisquis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit gratiam consequi poterit, invocata Trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus Sancti. »

Obj. 5°. Nicolaus I in responso ad consulta Bulgarorum (cap. CIV) de baptismo a quodam Judaeo multis collato respondit : « Hi profecto si in nomine sanctissimae Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius), constat eos non esse denuo baptizandos. » (2)

Responsio triplex tradi solet. *Prima :* Nicolaus non est locutus ex cathedra, sed privatam sententiam proposuit. Interrogatus non fuerat de *forma* baptismi, sed de *ministro*, num valeret baptismus a Judaeo collatus vel a pagano. Quae addit de forma, haec dicit ut privatus doctor. — *Secunda :* Alii in responsis Nicolai duo distinguunt, ea nempe quae respiciunt fidem baptizandi, eaque quae ad ministrum pertinent. Verba autem e quibus objectio depromitur, potius spectant ad fidem baptizandi. Loquitur nempe Pontifex de professione fidei in ss. Trinitatem aut in Christum, quae baptismo praemittenda erat ; vel loquitur de baptismo prout homo per eum consecratur ss. Trinitati vel Christo. —

(1) STEPH. P. « Praetereundum hunc locum non putavi, maxime cum in eadem epistola animadverterim, etiam Marcionis fieri mentionem, ut nec ab ipso venientes dicat baptizari oportere, quod jam in nomine Jesu Christi baptizati videantur.... Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, imo et contra Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi ubicumque et quomodocumque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena et adunata Trinitate? » Vid. *epist.* Cypriani *ad Jubaianum* LXXIII, n. 18.

(2) Vid. DENZINGER, *Enchiridion*, n. 264. LABBÉ t. VIII, p. 523, B. C.

Tertia: Certum est Nicolaum rectissime loqui de forma baptismi in resp. c. CIV: Illico enim post verba e quibus movetur objectio, addit Pontifex: « Sed primum utrum christianus an paganus ipse Judaeus exstiterit, vel si postmodum factus fuerit christianus, investigandum est; quamvis non praetercundum esse credamus quid Beatus de baptismo dicat Augustinus: « Jam satis, inquit, ostendimus ad baptismum, *qui verbis evangelicis consecratur*, non pertinere cujusquam vel dantis vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu Sancto aliter sentiat, quam doctrina coelestis insinuat. » Porro verba evangelica baptismum consecrantia profecto sunt ea quae refert Matthaeus XXVIII. — Praeterea in eodem decreto, c. XV ad quaestionem num iterum baptizandi essent qui a Graeco quodam, simulante se esse presbyterum, baptizati erant, respondet: « *Si in nomine summae ac individuae Trinitatis* baptizati fuere, christiani profecto sunt, et eos... iterato baptizare non convenit (1) ».

ARTICULUS III.

De subjecto baptismi.

D. TH. III, q. LXVIII.

12. — Omnes adultos esse capaces baptismi a nemine negatur. Ceterum evidenter id constat tum ex dicendis de necessitate baptismi, tum quia Ecclesia est necessario ineunda adultis sub discrimine salutis, baptismus autem est janua Ecclesiae, ut dicetur agendo de effectibus baptismi. — Verum agitatur controversia circa parvulos usum rationis nondum adeptos. Inquirendum itaque est a) an parvuli possint ac debeant baptizari? b) an possint baptizari, parentibus invitis?

§ 1. PARVULOS POSSE AC DEBERE BAPTIZARI OSTENDITUR.

SENTENTIAE. 1. Negant parvulos baptizari posse: a) Petrobrussiani et Waldenses inter haereticos antiquiores; b) seculo XVI Nicolaus Storckius, Balthazar Pacimontanus et Thomas Munzerus, qui originem dederunt Anabaptistis. Hi asserebant invalidum esse baptismum parvulorum, ideoque eos esse rebaptizandos in adulta aetate.

2. Nonnulli Patres censuerunt magis expedire ut extra casum necessitatis baptismus differretur donec pueri essent rationis compotes. Sic

(1) Vid. HARDUIN, Opusc. *De baptismo in nomine Christi.* ZACCAR. *Thes. theol.* X, 95.

Tertullianus et Gregorius Nazianzenus. Hic invehitur quidem adversus eos qui baptismum usque ad senectutem differebant, putat tamen pueris nonnisi annos tres natis baptismum esse administrandum [1].

3. Tridentinum damnavit errores Anabaptistarum in sessione VII, hisce canonibus : « Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea aetate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo ; anathema sit » (Can. 12). « Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo, inter fideles computandos non esse ; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos ; aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos, non actu proprio credentes, baptizari in sola fide Ecclesiae ; anathema sit » (Can. 13).

THESIS III[a]. — Parvuli baptizari possunt ac debent ante adeptum rationis usum.

13. — Prob. I. Scripturis. Arg. I[m]. Ille potest et debet baptizari, qui vocatur ad regnum coelorum. Constat quia ex verbis Christi apud Johannem III, 5 : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. « Atqui parvuli vocantur ad regnum Dei. Etenim a) juxta ea quae probantur in tractatu de Deo uno, talis est voluntatis salvificae Dei universalitas, ut se extendat non modo ad omnes adultos, sed etiam ad parvulos. — b) Christus apud Matth. XIX, 14 : « Sinite, ait, parvulos et nolite eos prohibere ad me venire ; talium est enim regnum coelorum. » Cf. Marc. X, 14, et Luc. XVIII, 16. Patet sermonem esse non quidem de parvulis humilitate et innocentia, uti volunt anabaptistae, sed de parvulis *aetate*. Etenim a) leguntur parentes obtulisse Christo parvulos aetate, qui a Luca vocantur βρέφη (βρέφος est infans tenellus); b) legitur Christus eos esse amplexus, iis imposuisse manus, eosque benedixisse (Marc. X, 16). Quare, licet Christus voluerit in persona puerorum commendare simplicitatem, imprimis tamen asseruit eos vocari ad regnum coelorum.

Arg. II[m]. Ex Rom. V, 17 : « Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae et donationis et justitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. » — Unde sic : Ad regnum coelorum vocantur a Christo omnes hi qui ob peccatum Adae sunt obnoxii morti. Atqui parvuli sunt obnoxii morti ob peccatum

[1] TERTULL. *De bapt.* XVIII. — GREG. NAZ. *Orat.* IV, *in s. bapt.*

Adae. Patet minor quia in eadem pericopa ex morte parvulorum petit Paulus argumentum ad probandum P. O.

II. Traditione. Arg. I^m. *Ex Conciliis.* Parvulos debere aut posse baptizari statuerunt Milevitanum, Gerundense, anno 517, Bracarense II, anno 572, Lateranense, Viennense, a. 1312, Florentinum in decreto pro Jacobitis, Tridentinum l. c. (1).

Arg. II^m. *Ex Romanis Pontificibus.* Idem decernunt s. Siricius in epistola ad Himerium, et Innocentius III adversus Petrobrussianos (2).

Arg. III^m. *Ex Patribus.* 1. Irenaeus testatur infantulos posse baptizari, siquidem Dominus ad eos quoque salvandos venit (3). — 2. Origenes docuit consuetudinem baptizandi parvulos esse traditionem apostolicam (4). — 3. Cyprianus nomine suo et nomine episcoporum in Concilio Carthaginiensi a. 253 congratorum, scribit non esse exspectandum diem octavum a nativitate ut baptismus confera-

(1) Milevit. can. 2: « Quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat... A. S. » — Gerundense: « De parvulis, qui nuper materno utero editi sunt, placuit constitui, ut si infirmi, ut assolet, fuerint, et lac maternum non appetunt, etiam eadem die, qua nati sunt (si oblati fuerint) baptizentur. » — Bracarense II: « Placet, ut unusquisque Episcopus per Ecclesias suas hoc praecipiat, ut hi, qui infantes suos ad baptismum offerunt, si quid voluntarie pro suo offerunt voto, suscipiatur ab eis: si vero per necessitatem paupertatis aliquid non habent, quod offerant, nullum illis pignus violenter tollatur a Clericis; nam multi pauperes hoc timentes filios suos a baptismo retrahunt. » (Can. 7). — Lateranense IV: « Sacramentum baptismi.... tam parvulis quam adultis in forma Ecclesiae a quocumque rite collatum proficit ad salutem. » (Cap. *Firmiter*). — Viennense: « Baptisma.... credimus esse, tam adultis quam parvulis communiter, perfectum remedium ad salutem. » (Denz. n. 410). — Florent. « Circa pueros vero propter periculum mortis, quod potest saepe contingere, cum ipsis non possit alio remedio subveniri, nisi per sacramentum baptismi, per quod eripiuntur a diaboli dominatu et in Dei filios adoptantur, admonet non esse per quadraginta, aut octoginta dies, seu aliud tempus juxta quorumdam observantiam, sacrum baptisma differendum; sed quamprimum commode fieri potest, debere conferri: ita tamen quod, mortis imminente periculo, mox sine ulla dilatione baptizentur, etiam per laicum vel mulierem, in forma Ecclesiae, si desit sacerdos, quemadmodum in decreto Armenorum plenius continetur. » Denz. n. 603.

(2) Siricius: « Infantibus qui necdum loqui poterunt per aetatem.... sacri unda baptismatis omni volumus celeritate succurri. »

Innoc. III. « Asserunt parvulis inutiliter baptisma conferri.... Absit, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem. » *Decret.* l. III, tit. xlii, c. iii *Majores.* Denz. n. 341.

(3) Irenaeus: « Omnes venit (Dominus) per semetipsum salvare; omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes et parvulos et pueros et juvenes et seniores. Ideo per omnem venit aetatem, et infantibus infans factus, sanctificans infantes, in parvulis parvulus sanctificans hanc ipsam habentes aetatem. » *Adv. haereses,* II, xxii, 4.

(4) Origenes: « Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dare. Sciebant enim illi quibus secreta mysteriorum commissa sunt divinorum, quod essent in omnibus genuinae sordes peccati, quæ per aquam et Spiritum Sanctum ablui deberent. » *In epist. ad Rom.* l. V, n. 9.

tur (1). — 4. Augustinus approbat regulam Cypriani, in epistola ad Hieronymum; praeterea ex baptismo parvulorum probat exsistentiam P. O. adversus Pelagianos (2). — 5. Chrysostomus, comparans baptismum cum circumcisione, asserit eum conferri tum *prima* aetate, tum media, tum ultima; rationem conferendi baptismi parvulis dicit esse quia eo confertur gratia (3).

III. Ratione theologica. Invaliditas aut illiceitas baptismi parvulorum oriretur vel ex parte Dei aut Christi hunc baptismum prohibentis; vel ex parte sacramenti; vel ex parte ministri; vel ex parte infantis; vel ex parte Ecclesiae acquirentis jus in baptizatos. Atqui non oritur 1° *ex parte Dei*, uti patet ex argumentis scripturisticis. Neque oritur 2° *ex parte sacramenti, ministri aut subjecti.* In tantum oriretur ex his, in quantum valor baptismi necessario exigeret intentionem actualem, dispositionem in subjecto. Atqui has quidem exigit in adultis, quia nempe non recipiuntur in Dei amicitia, nisi modo accommodato suomet statui, qui exigit intentionem ad validitatem, attritionem et fidem ad liceitatem; verum baptismus non exigit necessario has dispositiones, ubi impossibiles sunt, licet possibilis sit deletio P. O. et infusio gratiae. — Neque oritur 3° *ex parte Ecclesiae.* Vi baptismi obligantur infantuli ut se submittant praeceptis Ecclesiae, ubi ad annos discretionis pervenerint; sed in hoc non deprehenduntur nisi plurima commoda ac bona. Ergo.

---

(1) Cypr. « In hoc quod tu putabas esse faciendum (infantes ante octavum diem post nativitatem non esse baptizandos), nemo consentit, sed universi potius judicavimus nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam denegandam. » — Adductis variis hujus sententiae rationibus, concludit: « Haec fuit in Concilio nostra sententia, a baptismo atque a gratia Dei, qui omnibus misericors et benignus et pius est, neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa universos observandum sit atque retinendum, tum magis circa infantes ipsos et recens natos observandum putamus. » *Epist.* LIX *ad Fidum.*

(2) August. « B. Cyprianus non aliquod decretum condens novum, sed Ecclesiae fidem firmissimam servans, ad corrigendum eos, qui putabant ante octavum diem nativitatis non esse parvulum baptizandum.... mox natum rite baptizari posse cum suis quibusdam coepiscopis censuit. » *Epist.* CLXVI, (al. XXVIII), n. 23. — « Quia parvulos baptizandos esse concedunt (Pelagiani), qui contra auctoritatem universae Ecclesiae, procul dubio per Dominum et Apostolos traditam, venire non possunt; concedant oportet eos egere illis beneficiis Mediatoris, ut abluti per sacramentum, caritatemque fidelium, ac sic incorporati Christi corpori, quod est Ecclesia, reconcilientur Deo, ut in illo vivi, ut salvi, ut redempti, ut illuminati fiant. » *De pecc. merit. et remiss.* l. I, c. XXVI.

(3) Chrysost. « Nostra circumcisio seu baptismatis gratia medicinam habet citra dolorem, innumeraque bona nobis affert, Spiritus Sancti gratia nos implet, et nullum definitum tempus habet sicut illic (id est, octavum diem in V. T.); sed licet et *in prima* et in media et in ultima aetate hanc non manufactam circumcisionem recipere, in qua non sustinetur labor, sed peccatorum deponuntur onera. » *Hom.* XL *in Gen.* n 4. — « Hac de causa etiam infantes baptizamus, quamvis peccata (personalia) non habeant, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, haereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint. » *Hom. ad Neophytos.* (Cf. s. Aug. *Cont. Julian.* c. VI).

14. — **Scholion 1m.** Erasmus (1) contendit infantes, cum adoleverint, interrogandos esse an ratum habeant id quod susceptores eorum nomine polliciti sunt in baptismo. « Si respondeant, inquit, se ratum habere, tunc publice renovetur ea professio... Quod si non potest obtineri, fortassis expediet illum non cogi, sed suo relinqui animo, donec resipiscat, nec ad aliam interim vocari poenam, nisi ut ab Eucharistia sumenda reliquisque sacramentis arceatur ». Protestantes liberales, ut Wegscheider, Bretschneider aliique, hanc doctrinam volunt ad praxim esse adducendam; Calvino vero id displicet (2). — Haec doctrina proscripta est a Tridentino : « Si quis dixerit hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim poena ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistia aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, A. S. » (3). Merito damnatam esse doctrinam Erasmi manifestum est tum quia homines non modo sponsionibus baptismalibus, sed adhuc jure naturae et jure positivo divino tenentur renuntiare diabolo et pompis ejus ; tum quia baptismus est necessarius ad salutem jure positivo divino, adeoque omnes tenentur, baptismo suscepto, se subjicere Ecclesiae et vitam ducere christianam. Confirmatur quia baptismo confertur infantibus ingens beneficium, nedum injuria iisdem fiat, siquidem tribuitur jus ad regnum coelorum. Confirmatur etiam quia infantes, postquam adoleverint, tenentur adimplere ea quae parentes vel tutores eorum nomine pro bono temporali pacti sunt ; a fortiori itaque tenentur adimplere ea quae pro bono aeterno eorum nomine sunt promissa. Confirmatur denique quia infantes subjiciuntur legibus patriae, neque interrogantur, postquam adoleverint, an easdem leges ratas habere velint (4).

Scholion 2m. *Ad difficultates ex Scripturis* petitas : 1. Non raro fides et paenitentia conjunguntur cum baptismo, quasi essent necessariae dispositiones ad illum. Sic Christus apud Matth. dixit : « Docete omnes gentes, baptizantes eos etc., » et apud Marc. « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; » Petrus in prima praedicatione : « Paenitentiam, ait, agite, et baptizetur unusquisque vestrum ». — Verum ex his locis tantum colligi valet fidem et paenitentiam esse necessarias ut

(1) Erasmus, *Paraphrasis in Evangelium Matthaei*. Praefatio. — (2) Calvinus, *Antidot. Conc. Trid.* in sess. VII, de baptismo. — (3) Trid. *sess. VII*, de baptismo, can. 14. — (4) Cf. Bellarm. *De baptismo*, c. VIII.

adultus licite et fructuose recipiat baptismum ; nullatenus autem sequitur has exigi ad validitatem baptismi adultorum et ad fructuosum baptismum parvulorum. — Constat quia Christus praefata verba ad apostolos protulit cum eos mitteret ad conversionem gentium, Petrus vero concionem habuit ad adultos Judaeos.

2. Ex eo quod in Scripturis nullum disertum prostat exemplum parvulorum baptizatorum, nihil concludi potest contra thesim, cum traditio manifestam faciat consuetudinem parvulos baptizandi. Argumentum enim negativum, ex silentio auctorum petitum, non praevalet argumento positivo. — Ceterum invenitur implicite hujusmodi exemplum, ubi nempe in Act. c. XVI narratur Paulus baptizasse Lydiam purpurariam et custodem carceris cum tota familia ; haud enim improbabile est inter baptizatos fuisse nonnullos infantulos.

§ 2. An parvuli baptizari valeant, invitis parentibus.

15. — An valide baptizantur. Durandus (1) contendit baptismum collatum hebraeorum aut infidelium filiis absque parentum consensu esse irritum. Sed singularis opinio haec Durandi, ait Benedictus XIV (2), numquam aut plausum, aut existimationem nacta est ; quod revera constet baptismum esse ratum, ac validum, quotiescumque baptizantis voluntas cum forma et materia necessaria accedat. — Probatur validum esse baptismum : a) Ratione allata a Sylvio : « Si filiis quorumque infidelium conferatur baptismus, erit validus etiamsi parentes sint inviti, quia subjectum est capax, et minister cum debita intentione adhibet ei materiam et formam. Nihil autem aliud requiritur, ut baptisma parvulorum teneat ; nam intentio parentum est impertinens » (3). b) In tantum invalidus esset baptismus, in quantum intentio parentum exigeretur ad validitatem. Atqui nulla ratione comprobatur defectum voluntatis parvulorum esse supplendum voluntate aliorum ad baptismum offerentium. c) Ceterum, si aliena voluntas supplere debet, heic suppleret voluntas matris Ecclesiae, secundum doctrinam Augustini (4). d) Idem constat ex pluribus responsionibus Congre-

(1) Durand. in 4 d. 4, q. VII, a. 13. — (2) Bened. XIV, in *Decret.* data 28 febr. 1747, de bapt. Judaeor. n. 28. — (3) Sylvius in IV t. in *III part. D. Th.* q. LXVIII, a. 10.

(4) August. « Offeruntur ad percipiendam spiritalem gratiam non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quam ab universa societate sanctorum, atque fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet quod offeruntur, et quorum sancta et individua caritate ad communionem Sancti Spiritus adjuvantur. Tota ergo Mater Ecclesia, quae in sanctis est, pueros gestat, et offert, quia tota omnes, tota singulos offert. » *Epist. ad Bonifac.*

gationis Sancti Officii, quas refert Benedictus XIV in citata Decretali.

Ex praejactis duo consequuntur per modum corollarii : a) Ergo puer qui etiam illicite baptizatus est, parentibus invitis, factus est membrum Ecclesiae catholicae et gaudet juribus quibus in Ecclesia catholica insignes sunt christiani. — b) Ergo auctoritas ecclesiastica habet jus avertendi ab hujusmodi puero pericula perversionis, et praestandi media quibus christiane vivat (1).

16. — An licite baptizantur. Plures casus distingui debent. Vel enim parentes inviti sunt fideles, vel sunt sive infideles sive judaei; si fideles, vel sunt haeretici vel schismatici ; si infideles, vel olim amplexi sunt religionem christianam et apostatae facti sunt, vel numquam fuerunt christiani. Praeterea vel uterque parens est invitus, vel unus dumtaxat. Denique vel agitur de puerulo jam rationis compote, vel de eo qui rationis usum non habet ; si de hoc ultimo, vel versatur in periculo mortis, vel est bene valens.

A. *De filiis fidelium :* a) *Ex fidelibus catholicis* nati baptizantur licite. Parentes enim, cum sint Ecclesiae subditi, cogi possunt ut infantes suos offerant baptismo, ac proinde a fortiori infantes, parentibus renitentibus, baptizari possunt. — b) *Ex haereticis nati,* per se licite baptizantur ab Ecclesia : Etenim ipsi parentes, ratione baptismi suscepti, et infantes, ratione nativitatis ex parentibus baptizatis, Ecclesiae subjiciuntur. — Attamen Ecclesia non solet eos baptizare, utroque parente invito, idque ad vitanda mala majora.

B. *De filiis infidelium.* 1. *Licite baptizatur :* a) puer qui rationis usum habens petit baptismum. In rebus enim religionis jam est sui juris. — b) Filius infidelium qui est mancipium christianorum, secundum doctrinam communem theologorum. Licet enim, aiunt, dominium, quod habet quis in servum, non det illi jus directum et immediatum in ordine ad supernaturalia, jus tamen tribuit ad separandos filios a parentibus, qua separatione posita, nihil obstat quominus pueri illorum mancipiorum baptizari possint (2). — c) Puer a custodia parentum subtractus, sine spe reditus : tunc enim parentes censentur amisisse usum juris paterni, siquidem eo uti nequeunt. A fortiori puer a parentibus derelictus : patet

(1) Inde patet quam injuste hostes Ecclesiae impetiverint Pium P. IX eo quod judaeum puerulum Edgardum Mortara, jam in periculo mortis ab ancilla baptizatum, curaverit, postquam certitudo baptismi rite collati habita fuerit, auferendum e domo paterna, et Romae in domo catechumenorum educandum. — Vide, si lubet, quoad hoc factum, ephemeridem, cui titulus *La Civilta Cattolica*, an. 1858, s. 3, v. XII, p. 385.

(2) Cfr. SUAREZ, *De baptismo*, d. XXV, s. 4; SYLVIUM, *In III part. s. Thomae*, q. LXVIII, a. II, concl. 7.

ex Greg. IX cap. 1. de infantibus, et languidis expositis : « Si a patre, ait, sive ab alio, sciente ipso, aut ratum habente (relegato pietatis officio), infans expositus exstitit, hoc ipso a potestate fuit patria liberatus. » — d) Puer in periculo proximo mortis constitutus : Tunc enim nec puer periculo apostasiae, moraliter loquendo, exponitur ; nec injuria, in tali casu, saltem secundum prudentum existimationem, videtur parentibus irrogari. Benedictus XIV in Decr. superius citata, n. 8, licitam omnino, immo rem oppido laudabilem, Deoque gratissimam esse expresse docet, et S. Francisci Xaverii praxi ac monitis confirmat. — e) Puer cujus baptismo consentit alter ex parentibus ad fidem conversus. Id colligitur ex decreto Gregorii IX de conversione infidelium. Ratio est, quia tunc consensus datur ab eo qui habet jus naturale in puerum ; et quamvis alter repugnet, praevalere debet consensus qui cedit in favorem fidei et in utilitatem pueri. — Idem dicatur si, mortuo patre pueri, avus consentiat, reclamante matre.

2. *Illicite baptizantur* pueri infidelium invitorum extra citatos casus. Est doctrina thomistarum contra scotistas, propugnantes liceitatem baptismi puerorum infidelium in omni casu. — Illiceitas est certa ex auctoritate Benedicti XIV qui in citata Decretali declaravit illicitum esse pueros infidelium, qui aut legibus suis vivunt aut christianorum imperio civiliter tantum subjecti sunt, baptizare, invitis parentibus, extra periculum mortis. — Haec sententia comprobatur a) *praxi Ecclesiae :* « Maximam, ait Angelicus, habet auctoritatem Ecclesiae consuetudo, quae semper est in omnibus aemulanda ; quia et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiae quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque doctoris. Hoc autem Ecclesiae usus numquam habuit quod Judaeorum filii, invitis parentibus, baptizarentur ; quamvis fuerint retroactis temporibus multi catholici principes potentissimi, ut Constantinus et Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi episcopi, ut Sylvester Constantino, et Ambrosius Theodosio, qui nullo modo praetermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi ([1]). » — Idem comprobatur b) *ratione :* Vel puer post baptismum restituetur parentibus vel non ; si restituitur, incurritur periculum perversionis fidei ; si non restituitur, laeditur jus paternum. Ergo non licet dare baptismum.

([1]) S. Th. IIa IIae, q. x, a. 12.

ARTICULUS IV.

De necessitate baptismi.

17. — Duplex distinguitur necessitas ad salutem, praecepti et medii, de qua heic pauca dixisse sufficiat 1. Necessitate *medii* ornatur ea res cujus omissio, *etiam non culpabilis*, secum adducit privationem salutis. — 2. Necessitate *praecepti* ornatur medium cujus *omissio culpabilis* secum adducit privationem salutis. — 3. *Votum baptismi* intelligitur actus aliquis positivus qui implicite continet voluntatem baptismi suscipiendi, ubi datur copia.

SENTENTIAE. 1. Sententia communiter a catholicis recepta duo comprehendit : a) Baptismus fluminis infantibus est necessarius necessitate medii. — b) Baptismus fluminis est necessarius adultis necessitate praecepti. Si omittitur citra culpam, necessarius est necessitate medii baptismus flaminis, cui implicitum est votum baptismi fluminis. — Tridentinum in sessione VII, de baptismo, haec habet : « Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, A. S. » ; et in sessione VI, c. IV ait : « Translatio... in statum gratiae... sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest. » Ex utroque loco sequitur de fide esse certum baptismum *esse necessarium, sive necessitate praecepti, sive necessitate medii.*

2. Pelagiani negabant necessitatem baptismi ad delendum peccatum originale, siquidem exsistentiam istius peccati non admittebant (1) ; attamen admiserunt necessarium esse baptismum ut parvuli *in regnum Dei* ingrederentur ; contendebant enim parvulos, baptismo non suscepto, medium locum occupare, quae est vita aeterna.

3. Si protestantes sibi constarent, nullius esse utilitatis baptismum pro infantulis assererent, siquidem tenent nonnisi fidem justificare et unicum sacramentorum finem esse ut fidem excitent ; pro adultis vero ad summum vindicarent necessitatem praecepti. Nihilominus plerique tenent baptismum esse necessarium tam parvulis quam adultis. Attamen Calvinus docet infantulos genitos a fidelibus nasci sanctos et censendos esse membra Ecclesiae citra baptismum (2) ; secundum Zwinglianos, Socinianos, hodiernosque protestantes qui *liberales* dicuntur, nulla est baptismi necessitas ; eo nempe non continetur nisi initiatio in religionem christianam.

(1) Cf. MILEVIT. II, can. 2. — (2) CALV. *Antid. Conc. Trid.* in sess. VI, c. 1 ; *Instit.* l. IV, c. XVI.

4. Cajetanus (1) docet infantulos justificari et salvari posse *voto baptismi ex fide parentum,* ubi per baptismum eisdem subveniri non potest; censet eos tunc praesertim assequi justitiam, si votum et fides infantibus applicantur a parentibus, adhibito signo exteriori. Refert Pallavicini Patres Tridentinos noluisse quidem hanc sententiam ex professo damnare, e quo consequens est eamdem non mereri censuram haereseos, attamen eosdem Patres noluisse suo silentio declarare hanc sententiam esse tolerandam. Quamobrem plerique theologi eam habent veluti temerariam et erroneam et Pius P. V curavit ut ex operibus Cajetani expungeretur.

5. Nonnulli theologi catholici docent *pie sperari posse Deum ex peculiari gratia et privilegio* exaudire vota parentum pro salute parvulorum qui baptizari non possunt, vel supplere defectus essentiales sacramenti, si qui sint ex parte materiae vel formae vel intentionis ministri. Sic Gerson, Biel, Toletus (2). Haec opinio, licet ab omni censura sit immunis, communiter ut falsa aut improbabilis rejicitur.

6. Censet Klee (3) probabiliter infantes, quibus baptismus conferri nequit, rationis compotes fieri, adeoque baptismo flaminis salvari posse. Haec opinio ut inane figmentum rejici oportet, tum quia miraculum, quod exigitur, nulli fundamento innititur, siquidem voluntas salvifica Dei ad infantulos extensa non postulat hoc miraculum; tum quia controversia, in primis seculis agitata de poenis parvulorum sine baptismo decedentium, ostendit communem persuasionem fuisse solo baptismo deleri P. O.

THESIS IV(4). — Excepto casu martyrii, baptismus fluminis est necessarius necessitate medii parvulis; adultis vero necessarius est necessitate praecepti. Si citra culpam ab adultis fuerit omissus, necessarius est necessitate medii baptismus flaminis.

Baptismum aliquatenus esse necessarium omnibus, colligitur ex Matth. XXVIII et Joh. III et ex doctrina Patrum (4). — Probabimus 1° in

(1) CAJET. in III part. q. LXVIII, a. 2 et 11. — PALLAVIC. *Hist. Conc. Trid.* l. IX, c. VIII. — (2) GERSON, *Serm. de nativ. B. V.* BIEL, in 4 d. 4, q. II, a. 3, dub. 2. TOLET. in III p. q. LXVIII, a. 2. — (3) KLEE, *Theol. dogm.* III, 158.

(4) TERTULL. « Praescribitur nemini sine baptismo competere salutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: Nisi natus quis ex aqua fuerit, non habet vitam. » *De bapt.* c. XII. — CYR. HIER. « Si quis non baptizatur, salutem non habet, praeter solos martyres, qui sine aqua regno coelesti potiuntur. » *Cat. mystag.* III, n. 10. — AMBR. « Credit catechumenus.., sed nisi baptizatus fuerit, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiae munus haurire. » *De myst.* IV.

specie *parvulis* baptismum *fluminis* esse necessarium necessitate *medii* : 2° in adultis baptismum fluminis, sine culpa omissum, suppleri solo baptismo *flaminis*.

18. — **Prima pars. Prob.** Ex Joh. III, 3 : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei. » — Ex his verbis per se solum inspectis erui non posse videtur necessitas medii pro omnibus, etiam pro parvulis, et in omni casu. Secus enim eodem jure quis contenderet usum Eucharistiae esse omnibus necessarium necessitate medii, siquidem Christus eadem formula utens dicit : « Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis » (Joh. VI, 54). — Verumtamen baptismi necessitatem medii pro parvulis a Christo his verbis affirmari, colligitur unanimi Patrum doctrina.

A. Asserunt Patres et Concilia parvulos fieri salvos, si baptismum receperunt ; numquam vero *assignant* aliud medium deletivum P. O. Sic inter alia locutum est Concilium Carthaginiense a. 416 et Milevitanum II^m eodem anno, uti constat epistola ab Augustino nomine Concilii ad Inn. I missa : « Quicumque negat parvulos per baptismum Christi a perditione liberari et salutem percipere sempiternam, A. S. » — Idem Concilium in Epistola ad Innocentium I missa postulat ut damnetur error « non opitulari parvulis ad consequendam vitam aeternam christianae gratiae sacramentum » ([1]). — Sic etiam Concilium Florentinum decreto unionis Graecorum : « Definimus... illorum animas qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt... in coelum mox recipi ;... illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas. » (Denz. n. 588).

B. Patres et Concilia diserte negant parvulos salvos fieri, nisi baptismum fluminis receperint. Sic a) Innocentius I in epistola ad Concilium Milevitanum : « Illud vero quod eos (Pelagianos), Vestra Fraternitas asserit praedicari, parvulos aeternae vitae praemiis absque baptismi gratia posse donari, perfatuum est » ([2]). — b) Concilium Milevitanum II, canone 3, statuit parvulos qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, intrare non posse in regno coelorum, quod est vita aeterna (Denz.

([1]) Aug. *Epist.* XC (al. CLXXV). — Cf. Aug. *Epist.* XXXII (al. CLXXVI), n. 3.
([2]) Cf. Aug. *Epist.* CLXXXII (al. XCIII).

n. 66). — c) Augustinus saepe idem defendit (1), eoque duce, s. Prosper canit : « Sanctis genitoribus ortos nullo salvari studio potuisse suorum » (2).—Demum d) Concilium Florentinum in decreto pro Jacobitis : « Circa pueros vero propter periculum mortis, quod potest saepe contingere, cum ipsis non possit alio remedio subveniri, nisi per sacramentum baptismi, per quod eripiuntur a diaboli dominatu et in Dei filios adoptantur, admonet, » etc. (Denz. n. 603). Insuper in decreto unionis Graecorum. l. c.

19. — Secunda pars. In adultis baptismus fluminis per solum baptismum flaminis suppleri potest.

Affirmamus a) baptismum flaminis h. e. perfectam caritatem seu perfectam contritionem, sufficere ut obtineatur praecipuus effectus baptismi fluminis, nempe remissio culpae originalis. — b) Baptismum flaminis requiri ad salutem, ubi baptismus fluminis dari nequit. Cum baptismus flaminis implicite includat votum baptismi, constat id votum esse necessarium necessitate medii.

I. *Sufficit baptismus flaminis, ubi baptismus realis sine culpa omittitur, ut obtineatur remissio culpae originalis.*

Prob. Quod annexam sibi habet gratiam sanctificantem, remittit reatum culpae. Atqui baptismus flaminis, qui est caritas perfecta et contritio, in non baptizato, annexam sibi habet gratiam sanctificantem. Ergo.

Prob. min. A. *Ex Scripturis.* 1. Legitur in evangelio Johannis XIV, 21, 23. « Qui diligit me (eliciens actum caritatis perfectae), diligetur a Patre meo (habebit gratiam sanctificantem), et ego diligam eum.... Si quis diligit me, sermonem meum servabit et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus. » 2. In V. L. non raro Deus, generalibus verbis utens, promittit justitiam et amicitiam suam iis qui sincera paenitentia se ad ipsum convertunt. Sic speciatim apud Ezechielem dicit : « Si impius egerit paenitentiam ab omnibus peccatis suis.... vita vivet et non morietur... Cum averterit se impius ab

(1) August. a) « Nemo non natus potest renasci in suo parente. » (L. II, *de pecc. mer. et remiss.* c. XXVII, n. 43). Scribit in libro III *de orig. anim.* c. IX : « Noli credere, nec dicere, nec docere, infantes, antequam baptizentur, morte praeventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus. » Demum in epistola CLXVI, al. XXVIII, c. VII, n. 21, ad Hier. scribit : « Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur et parvuli, qui sine sacramenti ejus (baptismi) participatione de vita exeunt, hic profecto et contra apostolicam praedicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur, alias eos in Christo omnino vivificari non posse. » M. XXXIII, 730.

(2) Prosper, *Carm. de ingratis,* c. XXIX

impietate sua quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam: ipse animam suam vivificabit.... Convertimini et agite paenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. » XVIII, 21, 27, 30.

B. *Ex Conciliis.* Secundum Tridentinum caritas perfecta, incluso voto paenitentiae, trahit secum gratiam sanctificantem in eo qui post baptismum gravatur lethali (1). Ergo a pari trahit gratiam in eo qui foedatur solo peccato originali. Manifesta est sequela tum quia non videtur quare major esset potentia caritatis post baptismum, quam ante; tum quia caritas videtur efficacior ad removendam maculam quae sine culpa personali est inducta, quale est P. O., quam ad removendum maculam peccato personali inductam; tum quia habetur paritas inter sacramentum baptismi et paenitentiae: utrumque enim est institutum ad delendum peccatum et gignendam gratiam. Ergo si caritas supplet paenitentiam, potest supplere baptismum. — Praeterea declarat synodus « post Evangelium promulgatum numquam fieri translationem a statu veteris Adam ad statum gratiae sine lavacro regenerationis, aut ejus voto » (2). Ergo cum lavacri voto fit illa translatio de qua Concilium loquitur, adeoque peccatorum remissio et justificatio habetur baptismo flaminis.

C. *Ex Romanis Pontificibus:* Ex damnata propositione 31ª Baii: « Caritas perfecta, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, in catechumenis et paenitentibus potest esse sine remissione peccati ». — Itaque si caritas perfecta elicitur a catechumeno, peccatum remittitur. Jamvero dici non potest impossibile esse ut purificetur conditio. Ergo contingere potest ut caritas deleat peccatum originale. — Arguitur etiam ex propositione damnata 32: « Caritas illa quae est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum ». (Denz. n. 911 sq.).

Innocentius III, consultus de presbytero qui inscius sine baptismo obierat, respondit: « Quia in sanctae matris Ecclesiae fide.... perseveraverit, ab originali peccato solutum.... asserimus ». Cfr. Denz. n. 343 — Idem Innocentius III, consultus de Judaeo qui seipsum baptizaverat, respondet nullum quidem fuisse effectum Baptismi « quamvis, si continuo decessisset, ad patriam protinus evolasset, propter sacramenti fidem (votum) » (3).

(1) TRID. sess. XIV, c. IV. — (2) TRID. sess. VI, IV. — (3) INN. III, *Decret.* l. III, tit. XLII, c. IV.

D. *Patribus.* Baptismum fluminis suppleri posse in adultis per baptismum flaminis diserte testatur Ambrosius, in oratione habita pro obitu Valentiniani II, qui, nondum baptismo suscepto, adhuc catechumenus, necatus fuit (1). Idem testantur Augustinus (2) et Bernardus (3).

II. Requiritur baptismus flaminis ubi etc. Habetur paritas inter Baptismum et Paenitentiam. Atqui extra sacramentum Paenitentiae, sola caritas aut contritio perfecta justificat, cum voto sacramenti. Ergo extra sacramentum Baptismi sola contritio aut caritas primo justificat.

Satisfit difficultatibus.

20. — A. *Baptismus non est necessarius.* **Obj. 1°.** Ex I Cor. VII, 14: « Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem; et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. » Unde sic: Qui nascitur ex parenti fideli, eo ipso est sanctus. Ergo baptismus parvulis non est necessarius ad justitiam.

Resp. *Dist. ant.* Est sanctus *quia recipiet baptismum,* et beneficio parentum fidelium *abundabit mediis ad sanctitatem conducentibus. Conc.;*

(1) Ambr. « Audio vos dolere quod non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, ut, antequam in Italiam venisset, initiaretur, et proxime baptizari se a me velle significavit, et ideo prae ceteris causis me accersendum putavit. Non habet ergo gratiam, quam desideravit? non habet, quam poposcit? certe quia poposcit, accepit.... Quod si (Martyres) suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas »

(2) August. « Invenio, non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. » *De baptismo*, l. IV, XXII. M. XLIII. — « Aliud esse sacramentum baptismi, aliud conversionem cordis, sed salutem hominis ex utroque compleri; nec si unum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse, ut et alterum desit, quia et illud sine isto potest esse in infante, et hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deo sive in illo, sive in isto, quod non ex voluntate defuisset. Cum vero ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem involvit; et baptismus potest quidem inesse, ubi conversio cordis defuerit (in infante): conversio autem cordis potest quidem (adulto) inesse, non percepto baptismo, sed contempto baptismo non potest. Neque enim ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur. » Ib. XXV.

(3) Bernard. « Si quis voluerit et petierit baptizari, sed mortis praeoccupatus articulo forte obtinere nequiverit, dum non desit fides recta, spes pia, caritas sincera, huic ego ob solam aquam, si defuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere spem, nec excidere caritatem, tantum si aquam non contemptus, sed sola, ut dixi, prohibeat impossibilitas. » Productis deinde testimoniis s. Ambrosii et s. Augustini, sic pergit: « Ab his duabus columnis difficile avellor; cum his, inquam, me aut errare aut sapere fateor, credens et ipse, sola fide posse hominem salvari cum desiderio percipiendi sacramenti, si tamen pio implendi desiderio mors anticipans seu alia quaecumque vis invincibilis obviaverit. » *Epist.* LXXVII *ad Hugonem* c. II, n. 6, 8.

secus *Neg.* Alii respondent sic distinguendo : Est sanctus h. e. non est *spurius, Conc.;* est *justus, Neg.*

Obj. 2°. Ex Cypriano : Existimabat irritum esse baptismum haereticorum. Attamen censebat integrum esse cuivis Ecclesiae rebaptizare venientes ab haeresi aut non. Atqui si Cyprianus existimasset baptismum esse necessarium ad salutem, non propugnasset hanc libertatem Ecclesiarum. Ergo.

Resp. Cyprianus censebat hanc quaestionem pertinere ad disciplinam, siquidem nondum ab Ecclesia fuerat decisa, e quo consequi ducebat copiam iterandi aut non iterandi baptismum esse cuilibet Ecclesiae. Ex hoc non sequitur eum duxisse baptismum realem nullatenus esse necessarium. Votum in adultis supplere potest.

Obj. 3°. Deus vult voluntate seria et conditionata salutem parvulorum. Atqui si baptismus fluminis est necessarius necessitate medii, hoc falsificatur: a) Multi enim parvuli perirent sine ulla sua culpa b) Deus non providisset media sufficientia ad eorum salutem.

Resp. Conditio sub qua Deus vult salutem *adultorum,* sunt eorum opera bona, inter quae baptismus fluminis aut flaminis. Juxta alios alia est conditio dependenter a qua parvulorum salus a Deo intenditur. Censemus Deum velle eorum salutem et consequenter baptismum, sub conditione vitae honestae, precum etc., sive parentum sive cognatorum, sive aliorum in Ecclesia. — Quare *Conc. maj. Neg. min.* Ad 1^{m} prob. *Dist.* Infantes perirent absque culpa sua et absque culpa eorum quibus salus sua est alligata, *Neg.;* absque culpa sua propria *Conc.* — Ad 2^{m} prob. *Dist.* Deus non providisset voluntate *absoluta*, media sufficientia *Conc.;* voluntate *conditionata, Neg.*

21. — B. *Defectus baptismi parvulorum suppleri potest.*

Obj. 4°. Nonnulli Patres existimant fidem parentum nunc quoque prodesse parvulis. Sic Augustinus et Bernardus (1). Ergo potest supplere fides parentum defectui baptismi.

Resp. Fides et pietas parentum efficere potest ut proles non moriatur antequam in lucem edatur, ut nata baptismum suscipiat : sic autem prodest; sed eadem fides causa non est ob quam proles in utero matris justificetur sine baptismo.

Inst. In lege naturae parvuli poterant salvari per fidem parentum. Ergo a fortiori in lege nova.

Resp. Requirebatur in lege naturae exterior professio fidei parentum

(1) Aug. *Epist.* xxiii (al. xcviii), n. 2 *ad Bonif.* — Bern. *Epist.* lxxvii, c. ii, n. 9.

qua proles jam nata populo Dei coaptabatur. Secundum varia praestat baptismus sacramento legis naturae et veteris : a) Baptismo inest dignitas causae respectu gratiae, remedium naturae et circumcisio nonnisi conditio erant; b) communiter tutior quis est de baptismo sibi collato, quam de debita dispositione parentum.

Inst. Cum mater praegnans in odium fidei occiditur, salvatur proles ejus. Ergo parentes supplere possunt defectui baptismi.

Resp. Proles salvatur ob proprium martyrium.

Obj. 5°. Durum est omnes infantulos ob defectum baptismi damnari. Sed hoc consequitur ad sententiam defensam. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Damnari h. e. *poenam sensus* subire, flammis cruciari in gehenna, et privari beatitudine *naturali, Conc.;* durum adeoque injustum est infantulos privari *visione Dei,* seu frustrari fine supernaturali, *Neg.*

Contra II^m partem. Obj. 6°. Paulus ante baptismum non fuit justificatus et tamen caritatem perfectam habebat. Ergo baptismus flaminis non supplet baptismum fluminis. — *Prob. 1^a pars ant.* ex Act. XXII ubi Ananias dicit Paulo : « Exsurge et baptizare et ablue peccata tua. » — *Prob. 2^a pars* ex Act. IX ubi narrantur admiranda Pauli conversio, et admirandae ejus dispositiones.

Resp. a) Narrant Acta verba Ananiae existimantis nondum esse abluta peccata Pauli. Qui conferunt sacramenta mortuorum non praesumunt statum gratiae suscipientium. b) Peccata Pauli antea vi caritatis fuerunt abluta intuitu baptismi; hinc aliquatenus dici potest : Ablue peccata h. e. fac id cujus intuitu peccata sunt deleta et, quo non facto, peccatum lethale iterum te contaminaret.

Obj. 7°. Cornelius centurio habuit caritatem ante susceptionem baptismi. Atqui juxta Augustinum non fuit justificatus nisi per baptismum (1).

Resp. Augustinus affirmat in Cornelio fuisse gratiam fidei; non supponit fidem fuisse informatam caritate, ideoque sensus est : « fides Cornelii, quantum est ex se, non sufficiens fuit ad tribuendum jus ad regnum coelorum. » Ergo.

Obj. 8°. Ambrosius et Augustinus variis in locis affirmant catechu-

(1) AUG. « In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum coelorum, sicut in catechumenis, sicut in ipso Cornelio, antequam sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiae. Fiunt inchoationes quaedam, fidei conceptionibus similes; non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est. » *Ad Simplic.* l. I, q. II, n. 2. M. XL, 112.

menos remissionem peccatorum non posse accipere, nisi baptizentur. Ergo supponunt baptismum realem non posse supplere.

Resp. Loquuntur saepius de catechumenis qui culpabiliter baptismum differebant vel contemnebant ; hi sane censeri poterant caritatem non habere. Itaque recte affirmabatur peccata citra baptismum iis catechumenis non remissum iri.

ARTICULUS V.

De effectibus baptismi.

D. Th. III, q. LXIX.

22. — Effectum baptismi exaggeraverunt, seculo IV, Jovinianus asserens baptismo conferri *impeccabilitatem;* seculo XVI, Calvinus dicens veram fidem semel habitam amitti non posse, baptismo autem, tamquam Dei chirographo, certum reddi baptizatum de perpetua adoptionis gratia ; Lutherus qui docuit baptizatum non posse gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere ; alii ex novatoribus qui voluerunt vel baptismum liberare ab observantia legis divinae, eo quod transgressio illius legis, etsi peccatum sit, non imputatur baptizato, si modo fidem habeat ; vel baptismum, in memoriam revocatum, delere peccata post ejus susceptionem admissa. — Falsitas eorum constat ex disputatis in tractatu de gratia sanctificante et in tractatu de paenitentia. — Catholicam sententiam proponit et propugnat sequens thesis :

THESIS V[a]. — Baptismus sine obice receptus : a) delet tum P. O. tum peccata personalia ante baptismum commissa ; b) remittit omnem poenam peccatorum ; c) infundit gratiam sacramentalem et imprimit characterem ; d) inserit corpori mystico Christi et potestati Ecclesiae subjicit.

23. — **Prima pars.** Baptismus delet P. O. et peccata personalia antea commissa, cum reatu poenae aeternae.

Prob. Arg. I[m]. Petitur *ex Scripturis :* a) Joh. III, 5 : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei ; » b) Act. II, 38 : « Paenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum ; » c) Act. XXII, 16, Paulo dicitur : « Exsurge et baptizare, et ablue peccata tua. » d) In I Cor. II, 11, post enumerationem gravissimorum peccatorum, Apostolus subjungit : « Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis ; » e) Eph. V, 25, 26 : « Christus dilexit

Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata; » f) Tit. III, 5; g) Rom. VI, 4, 7, 11. h) Gal. III, 27; i) I Pet. III, 21. — Ex his testimoniis enascitur hujusmodi argumentum : Teste Scriptura, homo per baptismum renascitur ex Spiritu Sancto, regeneratur, renovatur, sanctificatur et mundatur, moritur peccatis, induit Christum. Atqui haec omnia manifeste indicant infundi gratiam sanctificantem et remitti omnia peccata quoad reatum culpae.

Arg. II^{m}. *Ex Conciliis.* Baptismo deleri omne peccatum, tum originale tum personale, testantur: a) Concilium oec. II, CP. I in Symbolo : « Credo in unum baptisma in remissionem peccatorum : Ὁμολογοῦμεν ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν ; » b) Concilium Milevitanum II in canone 2 (Denz. n. 65) ; c) Florentinum in decreto pro Armenis ; d) Tridentinum tum in decreto de peccato originali in sessione V edito (can. 5, Denz. n. 674), tum in decreto de justificatione in sessione VI edito, ubi dicitur justificationem, quae vocatur translatio in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei, fieri non posse, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis aut ejus voto (cap. IV) ; tum in eodem decreto, ubi sacramentum baptismi dicitur causa instrumentalis justificationis quae definitur esse non sola peccatorum remissio sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum (cap. VII).

Arg. III^{m}. *Ex testimoniis Patrum.* Testimoniis citatis inter argumenta thesis XIII, de sacramentis in genere, addimus testimonia Tertulliani, Origenis, Zenonis Veronensis, Gregorii Nysseni, Hieronymi et Augustini (1), quibus clare affirmatur omnia peccata deleri. Sub parte III addentur testimonia Chrysostomi et Nazianzeni.

---

(1) Tertull. « Felix sacramentum aquae nostrae, qua abluti delictis pristinae caecitatis, in vitam aeternam liberamur. » *De bapt.* c. 1.

Origenes: « Si delinquas, ipse tibi conscribis peccati chirographum. Sed vide quia cum semel accessisti ad crucem Christi, et ad gratiam baptismi, chirographum tuum cruci affixum, et in fonte baptismatis deletum est. » *In Gen. Hom.* XIII, 4.

Zeno Veron. « Salvete hodie, nati fratres in Christo, acceptaeque indulgentiae regale beneficium diligenter, fortiter ac fideliter custodite; etenim vester contractus omnis (debitum scilicet culpae et poenae) ablatus; securi gaudete, nihil jam seculo debetis. L. II, tract. XLII.

Greg. Nyss. « Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis et generationis causa. » *Or. de bapt.*

Hier. « Omnia scorta et publicae colluvionis sordes, impietas in Deum, parricidium, et incestus in parentes, atque in extraordinarias voluptates, utriusque sexus, mutata natura, Christi fonte purgantur... Omnia nobis baptismate condonata sunt crimina; nec

24. — Secunda pars. BAPTISMUS DELET POENAS TEMPORALES OB PECCATA REMISSA LUENDAS.

Prob. Arg. I^m. *Ex Patribus.* Id testantur s. Augustinus qui l. c. inquit : « Si continuo (post baptismum) consequatur ab hac vita emigratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quae tenebant. » Idem ait s. Hieronymus l. c. « Post indulgentiam (Baptismi) judicis non est metuenda severitas. » Denique idem Zeno l. c. et Gregorius Nazianzenus.

Arg. II^m. *Ex Conciliis.* Deleri omnem poenam peccatorum docet Tridentinum in decreto de P. O. can. 5: « In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis in iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem; qui... veterem hominem exuentes et novum... induentes, innocentes, immacultati, puri, innoxii ac Deo dilecti effecti sunt, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur. » Id etiam docet Tridentinum in sessione VI ubi explicans discrimen inter sacramentum baptismi et paenitentiae, asserit in paenitentia remanere satisfactionem « pro poena temporali, quae, ut sacrae Litterae docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis qui gratiae Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum Sanctum contristaverunt et templum Dei violare non sunt veriti » (cap. XIV). Cf. Sess. XIV, II, VIII. — Praeiverat Florentinum in decreto pro Armenis inquiens : « Baptizatis nulla pro peccatis praeteritis injungenda est satisfactio ; sed morientes antequam culpam aliquam admittant, statim ad regna coelorum, et Dei visionem perveniunt. » Denz. n. 591.

Arg. III^m. *Ex praxi Ecclesiae.* « Ecclesiae veteris semper hic sensus fuit. Licet enim Ecclesia ante baptismum varia arduaque virtutis exercitia indiceret catechumenis, sive ut probarentur magis, sive ut melius dispositi uberiorem in sacramento gratiam perciperent; numquam tamen iis pro peccatis ante baptismum commissis opera satisfactoria

---

post indulgentiam, judicis metuenda est severitas, dicente Apostolo: « Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, » etc. *Epist.* LXIX, *ad Ocean.* n. 3, 4.

AUG. « Baptismatis munus contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur; et tamen activa quoque peccata quaecumque corde, ore, opere commissa invenerit, tollit. Hac ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus... » *Enchirid. ad Laurent.* c. LXIV.

ID. « Omnia prorsus delicta delet sanctum baptisma, et originalia et propria; dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur. Innovat hominem, qui fecit hominem; donat delicta, qui non quaerit merita. » *Serm. de symbolo*, c. III.

ID. « Si continuo post baptismum sequatur ex hac vita emigratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quae tenebant ». *De pecc. mer. et remiss.* l. II, c. XXVIII.

injunxit; nequidem tum, cum periculum esset, ne ob necessitatem praemature baptizati plura divinae deberent justitiae; hujus vero praxis nequit alia reddi ratio, nisi quod crederetur in Ecclesia per baptismum poenam omnem divinae alias debitam justitiae tolli » (1).

25. — **Tertia pars.** BAPTISMUS INFUNDIT GRATIAM SACRAMENTALEM ET IMPRIMIT CHARACTEREM.

De gratia sacramentali hoc abunde constat ex testimoniis Scripturae et Patrum allatis tum in thesi VIII de sacramentis in genere, ubi actum est de gratia sacramentis collata (n. 67 sq.), tum in thesi XIII, ubi actum est de efficacia sacramentorum ex opere operato. Pleraque enim testimonia citata sermonem instituunt de baptismo (2). — De impressione characteris, id constat ex disputatis in thesi X, de exsistentia characteris (n. 83 sq.). — Hisce testimoniis addere juvat testimonia Chrysostomi et Nazianzeni (3).

26. — **Quarta pars.** A. BAPTISMUS INCORPORAT CORPORI MYSTICO CHRISTI.

Prob. 1. *Ex Scripturis.* I Cor. VI, 15: « Nescitis quoniam corpora

(1) Vid. WIRCEBURGENSES, *De bapt.* n. 123.

(2) Olim controversum fuit num etiam infantibus infunderentur virtutes in baptismo. (Cf. INNOC. III, *Decret.* III, tit. XLII, c. III *Majores;* S. TH. III, q. LXIX, a. 6). Hac de re Viennense definivit: « Opinionem, quae dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tamquam probabiliorem et dictis sanctorum et Doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam. » Occasio hujus decreti fuit libellus accusationis editus contra Petrum Joh. Olivi. Vid. *Archiv für Literatur u. Kirchengeschichte des Mittelalters* von DENIFLE und EHRLE II, 369. Manifestum est controversiam esse finitam decreto Tridentini supra allato, ubi baptismus asseritur esse causa instrumentalis justificationis quae non est sola remissio peccatorum, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis.

(3) CHRYS. « Quemadmodum scintilla mediam in pelagi voraginem incidens, statim exstinguitur et evanescit, aquarum vi demersa: Sic et omnis humana nequitia, cum in piscinam divinorum fluentorum inciderit, citius faciliusque quam scintilla demergitur et deletur. At cur, inquies, si peccata nobis omnia lavacrum remittit, non lavacrum remissionis peccatorum, non lavacrum purgationis, sed lavacrum regenerationis vocatur? Quia non solum nobis peccata remittit, neque solum delicta purgat, sed ita id praestat ac si denuo generati essemus. Etenim nos denuo creat, et format, non ex terra rursum effingens, sed ex alio elemento, aquarum scilicet natura, creans; non enim vas simpliciter abstergit, sed totum conflat denuo.... Quemadmodum si quis auream statuam, tempore, fumo, pulvere, rubigine foedatam, denuo conflaverit, eam nobis purissimam atque fulgentem restituit; sic et naturam nostram Deus, peccati rubigine foedatam multoque affectam delictorum fumo, illa pulchritudine destitutam, quam ipsi ab initio indiderat, denuo conflavit, et in aquas ceu in conflatorium injiciens, et pro igne Spiritus gratiam immittens, hinc renovatos, cum solaribus radiis splendore decertantes educit, contrito vetere homine, novo autem splendidiore, quam vetus erat, condito. »*Cat. I ad Illuminat.* n. 3.

GREG. NAZ. « Baptismus carnis est abjectio, Spiritus assectatio, Verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum oppressio. Baptismus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio, coelestis regni clavis, vitae commutatio, servitutis depulsio, vinculorum solutio, compositionis in meliorem statum conversio. Quid plura commemorare attinet? Baptismus omnium Dei beneficiorum praeclarissimum est et praestantissimum. » *Orat. XL*, n. 3.

vestra membra sunt Christi » ; Gal. III, 27 : « Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis ; » Joh. XV, 4. sq. « Manete in me, et ego in vobis » etc. — Per gratiam sanctificantem manet justus in Christo, uti palmes in vite. Atqui per baptismum primo recipitur gratia Dei. Ergo incorporatur baptizatus in corpore mystico Christi.

2. Christus est caput Ecclesiae, adeoque membra Ecclesiae sunt membra corporis Christi. Atqui per baptismum homo fit membrum Ecclesiae. Ergo incorporatur corpori mystico Christi.

B. BAPTISMUS SUBJICIT POTESTATI ECCLESIAE.

Prob. Arg. I^m. *Ex Scripturis.* a) I Cor. XII, 13 : « In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judaei sive gentiles, sive servi sive liberi. » Ergo omnes baptizati constituunt unum corpus, cujus caput invisibile est Christus, visibile autem ejus vicarius in terra. — b) Act. II, 41 : « Qui ergo receperunt sermonem ejus (Petri), baptizati sunt ; et (hac ratione) appositae sunt (Ecclesiae) animae circiter tria millia. » — c) Matth. XXVIII : « Euntes ergo docete.... baptizantes.... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. » Indivulse cohaerent baptismus et obligatio servandi praecepta dominica, inter quae datur praeceptum obediendi praepositis Ecclesiae.

Arg. II^m. *Ex Conciliis.* a) Florentinum in decreto pro Armenis haec habet : « Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis janua est ; per ipsum enim membra Christi, *ac de corpore efficimur Ecclesiae.* » — b) Tridentinum : « Constat, ait, certe baptismi ministrum judicem esse non oportere, quum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsum *per baptismi januam fuerit ingressus* » (1).

Arg. III^m. Petitur ex *formulis loquendi* usurpatis tum a pastoribus tum ab ovibus. — 1. Per baptismum generantur filii Ecclesiae. Atqui filii parenti sunt subditi et iis obtemperare tenentur. Ergo. — 2. Baptismus est janua Ecclesiae. Ergo baptisma facit hominem membrum istius regni quod est Ecclesia et quod regitur auctoritate a Christo instituta. Ergo baptizati vi baptismi sunt subditi huic auctoritati.

Arg. IV^m. In specie baptizati apud haereticos per se subjiciuntur auctoritati verae Ecclesiae, tamquam ejus membra — Id constat 1° ex formulis generalibus quibus explicatur efficacia baptismi, nullum scilicet ponentibus discrimen inter eos qui in catholica baptizantur aut in haeretica vel schismatica. — Constat 2° ex *non iterabilitate baptismi.* Non

(1) TRID. Sess. XIV, c. II.

iteratur baptismus rite collatus apud haereticos ; ex alia parte nemo fit membrum Ecclesiae nisi per baptismum. Ergo per baptismum, apud haereticos collatum, homo fit membrum Ecclesiae. Confirmatur quia ad veram Ecclesiam venientes non recipiunt novam initiationem, sed tantum haeresim abjurant et per paenitentiam absolvuntur a peccatis post baptismum commissis. — Constat 3° quia secundum doctrinam Patrum Ecclesia filios sibi gignit apud haereticos, per uteros ancillarum, ex eodem semine viri sui Christi. Sic nominatim Augustinus [1]. Atqui filii omnes subjiciuntur auctoritati parentum. Ergo apud haereticos baptizati subjiciuntur potestati Ecclesiae.

Coroll. Ergo puer ab haeretico baptizatus manet filius Ecclesiae Catholicae, quamdiu aetatem adultam adeptus non adhaeserit haeresi.

ARTICULUS VI.

De ministro baptismi.

D. Th. III, q. LXVII.

27. — Baptismus confertur duplici modo : a) publice et cum solemnitate ; b) privatim et sine caerimoniis, cum nempe urget necessitas. Inde minister *solemnitatis* ille est qui baptizat publice cum caerimoniis ab Ecclesia statutis ; *minister necessitatis* ille est qui baptizat privatim in casu necessitatis.

Circa ministrum baptismi sunt tres sententiae : *Prima* est marcionitarum qui feminis tribuebant potestatem conferendi solemniter baptismum. — *Secunda* est Calvini denegantis laicis potestatem baptizandi, etiam in casu necessitatis. — *Tertia* est catholicorum, quae in sequenti thesi enuntiatur :

---

[1] Aug. « Quasi vero ex hoc generet (filios Dei pars Donati) unde separata est (a catholica), et non ex hoc unde conjuncta est. Separata est enim a vinculo caritatis et pacis, sed juncta est in uno baptismate. Itaque est una Ecclesia, quae sola catholica nominatur ; et quidquid suum habet in communionibus diversorum a sua unitate separatis, per hoc quod suum in eis habet, ipsa utique generat, non illae. Neque enim separatio earum generat, sed quod secum de ista tenuerunt : quod si et hoc dimittant, omnino non generant... Ergo ipsa (catholica) generat et per uterum suum, et per uteros ancillarum, ex eisdem sacramentis tamquam ex viri sui semine. Non enim frustra dicit Apostolus, omnia illa in figura esse gesta. Sed qui superbiunt et legitimae matri non adjunguntur, similes sunt Ismaeli, de quo dictum est : « Ejice ancillam et filium ejus, non enim heres erit filius ancillae cum filio meo Isaac. » Qui autem pacifice diligunt legitimam patris sui conjugem, cujus legitimo jure generati sunt, similes sunt filiis Jacob, quamvis de ancillis natis, sed tamen eamdem hereditatem sumentibus. Qui autem de utero ipsius matris intus in unitate nati, negligunt gratiam quam acceperunt, similes sunt Esau filio Isaac, qui reprobatus est, Deo attestante et dicente : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui, » cum ambo ex uno concubitu concepti, ex uno utero nati sint. » *De bapt.* I, x, 14. M. XLIII, 117.

THESIS VII[a]. — Minister ordinarius baptismi solemniter conferendi est solus sacerdos ; ejusdem baptismi minister extraordinarius est diaconus, ad hoc delegatus. Minister baptismi in casu necessitatis conferendi est omnis homo, sive catholicus, sive haereticus, sive infidelis ; ut valide conferatur, sufficit ut cum debita intentione efficianfur ea quae essentialia sunt sacramento.

28. — **Prima pars.** Soli sacerdotes sunt ministri ordinarii baptismi.

A. *Episcopi sunt ministri ordinarii baptismi.* Constat 1° *ex Script.* Matth. xxviii : « Euntes docete... *baptizantes* ». Patet ista verba esse directa Apostolis eorumque successoribus. — Constat 2° *ex Patribus.* Jus baptizandi semper fuit primario episcopis agnitum. « Non licet sine episcopo, scribebat s. Ignatius Martyr, neque baptizare, neque agapem celebrare ; » et Tertullianus: « Dandi quidem (baptismi) habet jus summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri, et diaconi ([1]) ».

B. *Simplices sacerdotes sunt ministri ordinarii baptismi sub episcopo.* Id enim probatur 1° quia simplices sacerdotes per ordinationem sacerdotalem ponuntur in eo statu ut possint esse pastores animarum : in hunc finem eis explicite traditur potestas celebrandi sacrificium Missae et administrandi sacramentum paenitentiae ; porro ut vere sint pastores animarum, non minus necessarium est ut habeant potestatem ordinariam solemniter baptizandi. — Idem probatur 2° ex praxi Ecclesiae, jam ab altissima antiquitate. — Denique eruitur 3° ex decreto Florentini pro Armenis : « Minister hujus sacramenti (baptismi) est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. » Denz. n. 591.

Sacerdotes sunt ministri *sub episcopo*, non quidem eo sensu quod potestatem ab episcopo tunc accipiunt cum mittuntur ad baptizandum, siquidem jure divino accipiunt potestatem in ordinatione ; sed eo sensu quod episcopi jure divino antecellunt presbyteris in ministeriis sacris obeundis et quod simplices sacerdotes subordinantur episcopis quoad usum potestatis, ita nempe ut non licite baptizent, nisi ex jurisdictione ab episcopis immediate aut mediate data.

29. — **Secunda pars.** Diaconus est minister extraordinarius.

A. *Non est minister ordinarius.* Id enim probatur 1° testimonio *Patrum id uno ore profitentium.* Ita Epiphanius inquit : « Neque diaconus ullum

([1]) Ignat. Martyr : *Epist. ad Smyrn.* 8. — Tert. *De bapt.* xvii.

in ecclesiastico ordine sacramentum perficere conceditur ; sed hoc dumtaxat, ut eorum, quae (ab episcopis, vel presbyteris) perficiuntur, sint ministri. » Gelasius I : « Diaconos constituimus propriam servare mensuram, nec ultra tenorem a paternis Canonibus deputatum quidpiam tentare permittimus... Absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, nisi praedictis ordinibus fortasse longius constitutis, necessitas extrema compellat. » S. Isidorus Hispalensis : « Constat baptisma solis sacerdotibus esse tractandum ; ejusque ministerium nec ipsis Diaconis explere est licitum, absque Episcopo vel Presbytero, nisi his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat (1). »

Idem probatur 2° *ratione theologica.* Illius tantum est per baptismum cooptare ex officio in corpus mysticum Christi, cui tradita est potestas in corpus Christi verum et reale. Patet quia potestas cooptandi in corpus Christi mysticum derivatur ex potestate in corpus Christi verum ac reale. Atqui diaconis deest potestas in corpus Christi verum ac reale : « Sicut coelestium ordinum, ait Angelicus, proprietates et eorum officia ex eorum nominibus accipiuntur, ita etiam ex nominibus ecclesiasticorum ordinum accipi potest quid ad unumquemque pertineat ordinem. Dicuntur autem diaconi, quasi ministri, quia videlicet ad diaconos non pertinet aliquod sacramentum principaliter et quasi ex proprio officio praebere, sed adhibere ministerium aliis majoribus in sacramentorum exhibitione. Et sic ad diaconum non pertinet, quasi ex proprio officio, tradere sacramentum baptismi, sed in collatione hujus sacramenti et aliorum assistere et ministrare majoribus. Unde Isidorus dicit : « Ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus et ministrare in omnibus quae aguntur in sacramentis Christi, in baptismo scilicet, in chrismate, in patena et in calice (2). »

B. *Sunt ministri extraordinarii ex delegatione.* Id probatur 1° *Patribus:* a) Hieronymus : « Inde venit, ut sine chrismate et episcopi jussione, neque presbyter, neque diaconus jus habeant baptizandi. » — b) Tertullianus : « Baptismi dandi habet jus summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiae honorem, quo salvo, salva pax est. » — c) Gelasius : « Diaconos quoque propriam constituimus servare mensuram, nec ultra tenorem paternis canonibus deputatum quippiam tentare permittimus: nihil eorum penitus suo ministerio applicare, quae primis ordi-

(1) Epiph. *Haer.* lxxix, n. 4. — Gelas. I, *Epist. ad episc. Lucaniae,* c. vii. — Isid. Hisp. *De offic.* l. II, c. xxiv, n. 9.

(2) S. Th. III, lxvii, art. 1.

nibus proprie decrevit antiquitas. Absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant. » — d) Isid. Hisp. l. c. (1).

Idem probatur 2° tum ex praxi Ecclesiae Romanae, tum ex verbis quae in ordinatione diaconi episcopus ex Pontificali Romano dicit: « Cogitate magnopere ad quantum gradum Ecclesiae ascenditis: diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare. » Praxim istam ab apostolorum aetate esse ortam constat ex Act. VIII, 12, ubi diaconus Philippus legitur administrasse baptismum.

Observa. 1. Argumentum ex Patribus petitum sic adhuc proponitur: Alii negant diaconos posse administrare sacramentum baptismi, alii id licitum esse dicunt in nonnullis casibus. Atqui conciliantur inter se dicendo diaconis non competere potestatem ordinariam, verum iisdem competere extraordinariam.

2. Itaque habent diaconi vi ordinationis suae potestatem aliquam inchoatam, quae compleatur per delegationem ministri ordinarii, episcopi, vel parochi, ut baptizare possint solemniter; secus ac ceteri clerici omnes laicique, quibus nunquam ex delegatione ministerium baptismi solemnis in Ecclesia permissum fuit.

30. — Tertia pars. OMNIS LAICUS SEMPER VALIDE BAPTIZAT, INSUPER LICITE BAPTIZAT IN CASU NECESSITATIS.

Prob. Arg. I^m. *Ex RR. PP.* a) Nicolaus I in resp. ad consulta Bulgarorum ait: « A quodam Judaeo, nescitis utrum Christiano an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de his sit agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine SS. Trinitatis.... baptizati sunt, constat eos non denuo esse baptizandos. » — b) Urbanus II haec habet: « Super quibus consuluit nos tua dilectio, hoc videtur nobis ex sententia respondendum, ut et baptismus sit, si instante necessitate femina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit. » — c) Gelasius I, in epistola ad episcopos Lucaniae, cum dixisset diaconos solum in extremae necessitatis casu licite baptizare, addit: « Quod et laicis christianis facere plerumque conceditur » (2).

Arg. II^m. *Ex Conciliis.* a) In Concilio Lateranensi IV, c. *Firmiter,* legitur: « Sacramentum baptismi, quod ad invocationem individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti consecratur in aqua, tam parvulis quam adultis in forma Ecclesiae a quocumque rite collatum,

(1) HIER. *Dial. Cont. Luciferanos*, n. 9. — TERT. *De bapt.* c. XVII. — GELAS. *Epist.* IX *ad Epist. Lucaniae*, VII. LABB. t. IV, p. 1190.

(2) NICOL. I, l. c. cap. CIV. — URB. II, *Epist. ad Vitalem*, ap. GRATIAN. cap. *Super quibus*, causa XXX, q. 4. — GELAS. *Epist.* l. c., c. VII.

proficit ad salutem. » His verbis validus sane dicitur baptismus a *quocumque* rite collatus; ergo validus est baptismus collatus a laico, immo et ab haeretico, vel infideli. — b) Concilium Florentinum, decreto pro Armenis, docet: « Minister hujus sacramenti est sacerdos cui competit ex officio baptizare. In casu autem necessitatis non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, immo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat, quod facit Ecclesia. » Denz. n. 591.

Arg. III^{m}. *Ex Patribus:* a) Tertullianus: « Baptismus, inquit, aeque Dei census ab omnibus exerceri potest. » Id vero de necessitatis casu intelligit, ut ex eodem loco colligitur, ubi nempe in casu necessitatis de laico inquit: « Reus erit perditi hominis, si supersederit praestare, quod libere potuit. » — b) Hieronymus: « Si necessitas cogit, scimus etiam licere laicis (baptizare); ut enim accipit quis, ita et dare potest. » — c) Augustinus: « Etsi laicus aliquis pereunti dederit (baptismum) necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet, quomodo dandum esset addidicit, nescio an pie quisquam dixerit esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate, si fiat, alieni muneris usurpatio est: si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed etsi nulla necessitate usurpetur, et a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicite datum. » Observandum est laicum venialiter peccare cum baptizat in casu necessitatis, non quidem quia baptizat, sed quoties non adhibet omnem diligentiam in inquirendo vel accersendo presbytero. — d) Isidorus Hisp. docet solis episcopis et presbyteris licitum esse baptizare, « nisi illis procul absentibus ultima languoris necessitas cogat; quod et laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quisquam sine remedio salutari de seculo evocetur » ([1]).

Arg. IV^{m}. *Ratione congrua.* » Ad misericordiam ejus, qui vult omnes homines salvos fieri, pertinet ut in his quae sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inveniat. Inter omnia autem sacramenta maximae necessitatis est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem, quia pueris aliter omnino subveniri non potest, et adulti non possunt aliter quam per baptismum plenam remissionem consequi et quantum ad culpam et quantum ad poenam. Et ideo ut homo circa remedium tam necessarium defectum pati non possit,

([1]) Tertull. *De bapt.* xvii. — Hier. *Dial. adv. Luciferanos*, 9. — August. *Cont. epist. Parmen.* l. II, c. xiii, n. 29. — Isid. Hisp. *De off. eccles.* II, xxiv.

institutum est ut et materia baptismi sit communis, scilicet aqua, quae a quolibet de facili haberi potest, et minister baptismi etiam sit quicumque non ordinatus, ne propter defectum baptismi homo salutis suae dispendium patiatur » (1).

31. — ANNOTATIONES AD DIFFICULTATES. *Ad difficultates adversus I^m partem.* S. Gregorius Magnus hortatur Romanum, tunc temporis Italiae Exarcham, ut ad suam dioecesim remittat Blandum episcopum, quem Ravennae detinebat; et rationem adducit ne infantes moriantur sine baptismo (2). — Ratio cur s. Gregorius urget reditum episcopi ad suam dioecesim, allegando necessitatem baptizandi pueros, est quia tunc temporis episcopi sibi reservabant munus solemniter baptizandi, et quidem in festo Paschatis et Pentecostes. Parentes vero cupientes ut baptismus parvulis suis solemniter administraretur, differebant regenerationem illorum parvulorum, eosque exponebant periculo moriendi absque baptismo. Ideo mutata est disciplina.

Ad diff. adv. III^m partem. 1. Ex Matth. XXVIII tantum concludi potest diaconos et laicos non pollere potestate ordinaria baptizandi; non sequitur eos non valide semper, licite interdum baptizare. Hoc quidem non erui valet ex Matthaeo, sed sufficit ut contrarium non asseratur.

2. Cum Patres antiquiores excludunt feminas a ministerio sacro, et in specie a munere baptizandi (3), intelligi debent loqui de ministerio sacro publice et solemniter in Ecclesia exercendo, non vero in privatis aedibus et in casu necessitatis. Eodem modo vetantur mulieres a functione docendi in Ecclesia; at non vetantur quin instruant privatim de rebus ad salutem pertinentibus. Et re quidem vera in Act. XVIII leguntur Aquila et Priscilla uxor ejus, Judaeo cuidam, Apollo nomine, diligentius exposuisse viam Domini.

3. S. Hieronymus impugnat Luciferanos (4) ex eorum principio, et contra eos arguit ad hominem. Haec est enim Sancti Doctoris ratiocinatio: vos Luciferiani non admittitis baptisma laicorum, et tamen

---

(1) S. TH. III, q. LXVII, a. 3. — (2) GREG. M. l. I, *epist.* XXXIII.

(3) Sic TERTULL. lib. *de bapt.* c. XVII in eas invehitur: « Petulantia mulieris, quae usurpavit docere, utique non etiam tingendi jus sibi pariet? nisi si quae nova bestia evenerit similis pristinae (Quintillae), ut quemadmodum illa baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat. » S. EPIPH. *Haer.* LXXIX, n. 3. ut feminas a baptismi ministerio contra Collyredianos repellat, inquit: « Si sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam praestare in Ecclesia liceret, nulli potius quam Mariae, illud in Novo Testamento committi... debuit; cui tantus honor est habitus, ut gremio, sinuque suo regem omnium ac coelestem Deum, Deique Filium exciperet... verum longe aliter Deo est visum: ac ne baptizandi quidem potestas est illi facta. » Cf. Wirceburgenses, n. 102.

(4) HIER. *Dial. adv. Lucif.* n. 11.

admittitis Arianorum baptisma ; ergo ex principio vestro Arianorum sacerdotes non sunt laici ; ergo vel eorum simul admittatis ordinationes oportet, vel simul rejiciatis baptisma. Itaque nullo modo Hieronymus, loco citato, negat absolute laicis conferendi baptismum potestatem.

4. Concilium Eliberitanum (an. 305) declarat posse « fidelem... baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum, » sed addit si, « lavacrum suum integrum habeat, nec sit bigamus ([1]). » — Concilium illud statuit, quoties plures aderant qui baptizare poterant, praeferendum esse fidelem vita et moribus digniorem adeoque de eo homine loquitur qui inter laicos non tantum valide, sed et licite et digne baptismum valeat administrare. Vid. Wirceb. n. 106.

ARTICULUS VII.

De martyrio.

32. — Martyrium vi vocis idem audit atque *testimonium.* Itaque martyres in Ecclesia sunt *testes fidei ;* sanguine effuso, testimonium reddunt de divinitate Christi, deque divina origine Ecclesiae et dogmatum fidei. — Martyrium definitur : Perpessio mortis vel cruciatus lethalis pro fide Christi aut pro virtute fidei christianae. — *Materia* martyrii est perpessio mortis, cruciatusve lethalis, nempe cruciatus qui de se naturaliter mortem infert. — *Forma* martyrii est motivum ob quod infertur et acceptatur mors, scilicet fides, aut virtus colenda, puta castitas, sigillum sacramentale servandum ; uti enim advertit s. Augustinus « martyres non facit poena sed causa » ([2]).

Quamobrem ad martyrium requiruntur varia : a) *Ex parte tyranni,* ut inferat mortem ob odium fidei, aut virtutis. — Ob hujus defectum, ii proprie martyres non sunt qui, peste infectis inservientes ex caritate, moriuntur, contracta lue. b) *Ex parte martyris,* actuum moralium capacis : α) ut patienter toleret cruciatus, h. e. ut vim vi non repellat ; β) ut acceptet mortem et cruciatum ; γ) ut ea acceptet ob finem honestum fide propositum, proindeque exigitur ne mors acceptetur ob vanam gloriam ab hominibus ob martyrium tribuendam, ob solam impotentiam mortem effugiendi.

Juxta doctrinam communem martyrium vim habet baptismi ad

([1]) Conc. Eliberit. c. xxxviii, Labbé, t. I, p. 974.

([2]) Aug. *Serm.* ii *in ps.* xxxiv, n. 13. — Cf. s. Th. II^a, II^{ae}, q. cxxiv. — Bened. XIV, *De serv. Dei beatif.* l. III, c. xi, sq.

remissionem peccati et poenae. Attamen non imprimit characterem, neque tribuit capacitatem recipiendi alia sacramenta. Si martyr esset peccator, sufficit attritio. Attamen Alensis, Bonaventura, Canus et Vasquez requirunt contritionem perfectam.

THESIS VII[a]. — Tum in infantibus tum in adultis martyrium vices supplet baptismi quoad remissionem culpae omnisque poenae, ita ut vim justificandi habeat quasi ex opere operato, citra caritatem perfectam aut contritionem martyris.

33. — Prima pars. MARTYRIUM SUPPLET VICES BAPTISMI :

I. IN ADULTIS : A. *Quoad remissionem culpae*, probatur ex *Patribus*.

1. Hanc vim martyrii eruunt ex verbis Christi apud Matth. x, 32, 39: « Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est... Qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam. » Sic Augustinus in opere *De civitate Dei* (Cf. infra).

2. Qui annumerat martyrium inter baptismata, censetur ei tribuere vim remittendi culpam peccati. Atqui Patres ita loquuntur. a) Eusebius: « Herais catechuma per ignem *baptismum adepta* ex hac vita migravit. » b) Nazianzenus: « Quartum baptismi genus est quod martyrio et sanguine comparatur et quod eo ceteris est augustius, quod nullis sordibus postea contaminatur. » c) Chrysostomus. d) S. Prosper ([1]).

3. Nonnulli, dum propugant baptismum esse necessarium omnibus, excipiunt martyres. Sic Tertullianus, Cyprianus, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius ([2]).

([1]) EUSEB. *Hist. Eccl.* VI, IV. M. XX, 531. — NAZ. *Or.* XXXIX, 17. M. XXXVI, 355. — CHRYS. *Hom. in s. Mart. Lucian*, n. 2. M. L. 522.

PROSPER : « Fraudati non sunt sacro baptismate Christi
Fons quibus ipsa sui sanguinis unda fuit
Et quidquid sacri fert mystica forma lavacri,
Id totum implevit gloria martyrii. (*Epigr.* LXXXVI. M. LI, 525).

([2]) BASIL. *De Spiritu Sancto*, ad Amphil. XV, 36. — TERTULL. « Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet... hic est baptismus, qui lavacrum et non acceptum repraesentat, et perditum reddit. » *De bapt.* XVI. — « Posuit (Deus) secunda solatia, et extrema praesidia, dimicationem martyrii, et lavacrum sanguinis exinde securum... proprie enim martyribus nihil jam reputari potest, quibus in lavacro ipsa vita deponitur. » In *Scorpiaco*, VI.

CYPR. « Numquid potest vis baptismi esse major aut potior. quam passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur et sanguine suo baptizetur?... Sciant catechumenos (pro fide occisos) non privari baptismi sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis baptismo, de quo et Dominus dicebat se habere aliud baptisma baptizari. Sanguine autem suo baptizatos et passione sanctificatos consummari et divinae

4. Ecclesia martyres, etiam catechumenos, colit tamquam sanctos: Sic s. Emerentianus quadragesimus martyr Sebastae.

B. *Quoad remissionem poenae.* 1. Baptismus fluminis remittit omnem poenam. Ergo cam remittet baptismus sanguinis. Manifesta est sequela quia Patres asserunt nihil martyrio excellentius esse, martyrium dignitate superare baptismum fluminis : Sic Cyprianus l. c. et Chrysostomus (1).

2. Asserunt Patres pro martyribus non esse orandum, orationem esse injuriosam. Sic Augustinus (2). Jamvero proficua iis esset oratio, si aliquid poenae iis luendum maneret.

II. In infantulis. Probatur *1° ex Patribus.* Tribuunt martyrio simpliciter vim justificandi et perducendi ad gloriam. Sic iterum Augustinus in opere *De civitate Dei* (3). Ergo valet pro infantulis qui opere confitentur Christum. — Probatur 2° ex eo quod Ecclesia colit, uti martyres, Innocentes aliosque infantulos in sinu matris occisos, iisque specialem honorem defert, prae infantulis baptizatis. Hoc testantur Origenes, Cyprianus, Augustinus, Leo M., Bernardus (4).

---

sollicitationis gratiam consequi, declarat in Evangelio idem Dominus. » *Epist.* LXXIII *ad Jubaian.* n. 15. M. III, 1124.

Cyr. Hier. « Si quis baptisma non recipiat, salutem non habet, praeter solos martyres, qui etiam sine aqua regno coelesti potiuntur. Redimens enim terram Salvator per crucem et in latere vulneratus sanguinem et aquam emisit, ut alii quidem pacis tempore in aqua baptizarentur, alii vero tempore persecutionis in propriis sanguinibus abluantur. » *Cat.* III, n. 10.

(1) Chrys. « Non miremini quod baptismum martyrium nuncuparim: nam et hic Spiritus advolat cum multa ubertate, ac peccatorum abolitio et animae fit purgatio quaedam mirabilis ac stupenda ; et sicut ii, qui baptizantur aquis, ita qui martyrium patiuntur, proprio sanguine abluuntur. » *Hom. in s. mart. Lucian.* n. 2.

(2) August. « Injuria est pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari. » *Serm.* XVII *de verbis Apostoli.* — « Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos (martyres) commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis inhaereamus. » *In Joh.* tract. LXXXIV.

(3) Id. « Quicumque, etiam non recepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum in eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis. Qui enim dixit: « Nisi quis renatus fuerit, » etc., alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit : « Qui me confessus fuerit » etc. ; et « Qui perdiderit animam suam. » etc. *De civ. Dei*, l. XIII, c. VII.

(4) Auctor sermonis *de symbolo* ad catechumenos: « Necdum loquuntur, et Christum confitentur. Necdum motibus membrorum valent suscipere pugnam, et victoriae jam efferunt palmam.... Praestitit eis Christus, ut pro Christo morerentur; praestitit, ut suo sanguine ab originali peccato diluerentur. Nati sunt ad mortem ; sed continuo mors eos reddidit vitae. » III, c. IV. Inter op Aug. M. XL, 655.

Aug. *De lib. arb.* l. III, c. XXI. « Etiam infantes illos, qui, cum Dominus Jesus Christus necandus ab Herode quaereretur, occisi sunt, in honorem martyrii receptos commendat Ecclesia. »

Leo M. : « Necari omnes Bethlehemi pueros jubet.... Sed quos rex impius eximit mundo, Christus inserit coelo, et quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, jam martyrii tribuit dignitatem. » *Serm. I, De Epiph.* c. III. M. LIV, 237.

34. — **Secunda pars.** JUSTIFICATIO ET GLORIA CONFERUNTUR QUASI EX OPERE OPERATO.

Gratia et gloria martyri conferuntur ob ipsam martyrii dignitatem. Quare martyrium videtur esse *causa moralis* praemii, ideoque nil obstat quin dicatur illud conferre ex opere operato. Attamen cum actio martyrii non sit moraliter actio Christi, dici solet conferre *quasi* ex opere operato. Est sententia quam tradunt Bellarminus, Toletus, Valentia, Lessius, Amicus, Mastrius, Gonet, Billuart, Tournely et recentiores communiter (1). — Plures e veteribus scholasticis vim sanctificandi tribuunt martyrio ex opere operantis, adeoque exigunt actum caritatis ut mors pro Christo habeat veram martyrii rationem et ut peccata lethalia remittantur. Ita docent Alensis, Bonaventura, D. Soto, Bannez, Vasquez, aliique (2).

Prob. 1. Martyrium infallibiliter delet omnia peccata, utut multa et gravia ; confert gratiam et gloriam, sine sacramenti susceptione, licet dispositiones requisitae ad infusionem gratiae, sive caritas perfecta, defuerint. Ergo martyrium confert gratiam et gloriam quasi ex opere operato. — Non requiri caritatem aut contritionem perfectam, sed *sufficere attritionem* probatur a) quia Patres censent praecipuum martyrii effectum esse remissionem culpae, uti ex relatis testimoniis perspicuum est ; sed, si requireretur caritas, jam ante martyrium gratia esset infusa et effectus praecipuus esset corona gloriae. — Idem constat b) quia martyrium non est minoris dignitatis et efficaciae quam baptismus ; sed baptismus confert adulto gratiam dum attritio adsit, confertque regnum coelorum morienti, baptismo suscepto. Ergo.

2. Infantuli, usum rationis nondum adepti, ob martyrium nanciscuntur gratiam et gloriam. Sed id praemium consequi non valent ex opere operantis. Ergo.

BERNARDUS : « Ille pro Christo trucidatos infantes dubitet inter martyres coronari, qui regeneratos in Christo non credit inter adoptivos filios numerari. » *Serm. de Innoc.* n. 2. M. CLXXXIII, 130.

ORIGENES : « Horum (innocentium) memoria semper ut dignum est in Ecclesiis celebratur. »

CYPR. « Christi nativitas a martyriis infantum statim coepit, ut ob nomen ejus a bimatu et infra qui fuerant, necarentur. Aetas, necdum habilis ad pugnam, idonea exstitit ad coronam. » *Epist.* LVI, *ad Thiberitanos.*

(1) BELLARM. *De bapt.* c. VI. — TOLETUS, In III p. q. LXVI, a. II. — SUAR. d. XXIX, s. 1, 2. — VALENTIA, t. III, d. VIII, q. II, p. 2. Eidem sententiae patrocinatur S. TH. in 4 d. 4, q. III, a. 3, sol. III, ad 1^{m} ; II^{3} II^{ae}, q. CXXIV, a. 1, ad 1^{m} ; III, q. LXXXVII, a. 1, ad 2^{m}.

(2) ALENSIS, IV, q. VIII, m. IX, a. 5, § 1. — BONAV. in 4 d. 4, p. II, a. 1, q. 2, 3. — VASQ. d. CLIII.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

35. — **Obj. 1°.** *Contra I^m partem.* Juxta Tridentinum in sessione VI, c. IV, justificatio non confertur sine baptismo. Ergo martyrium non supplet baptismum.

Resp. Tridentinum asserit medium ordinarium ; non excludit extraordinarium.

Obj. 2°. In parvulis non habetur acceptatio mortis, neque actus fortitudinis. Ergo non sunt veri martyres, proindeque vi martyrii gratiam et gloriam non adipiscuntur.

Resp. a) Actus morales non requiruntur nisi in martyre qui est horum capax. Hoc constat ex doctrina Patrum circa infantulos. b) Quia infantuli sunt incapaces actuum moralium, ideo martyrium confert praemium ex opere operato.

36. — **Obj. 3°.** *Contra II^m partem.* Ex I Cor. XIII, 3 : « Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. » Ergo Paulus requirit caritatem in martyre.

Resp. *Dist.* Si non habuero caritatem, h. e. si proximum oderim et schismata foverim, nihil mihi prodest quod corpus torquetur, *Conc.;* si non habuero caritatem habitualem, nihil mihi prodest martyrium, *Neg.* aut *Subd.*, si non habuero ante martyrium caritatem ut dispositionem ad martyrium, nihil mihi prodest, *Neg.;* si non habuero caritatem tamquam effectum martyrii, *Transm.* (1).

Obj. 4°. Ex Joh. XV, 13 : « Majorem hac delectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » Atqui major haec dilectio profecto est caritas. Ergo martyr ponens animam pro Christo habet caritatem.

Resp. Sensus Johannis hic est : Inter actus externos nullus est quo quis magis testetur amorem quam martyrium.

Obj. 5°. *Ex Patribus.* Juxta Cyprianum martyrium non prodest sine baptismo et paenitentia (2). Ergo.

Resp. Mente Patrum non sufficit martyrium iis qui gravi et culpabili negligentia baptismum ante martyrium recipere nolunt.

---

(1) Eodem modo explicantur S. AUG. *De baptismo*, III, XVI et S. THOMAS, III, LXVI, 12, 2^m.

(2) CYPR. « Nec quisquam dicat : qui martyrium tollit, sanguine suo baptizatur, nec pax illi ab episcopo necessaria est, habituro gloriae suae pacem. » *Epist.* LIV, n. 4.

DE CONFIRMATIONE.

1. — Sacramentum Confirmationis vario nomine appellatur : a) Ratione *materiae :* impositio manuum (ἐπίθεσις χειρῶν, cf. Act: VIII, 17 ; Hebr. VI, 2), unguenti mysterium, sacramentum chrismatis, chrisma sanctum, chrisma salutis. — b) Ratione *characteris* animae impressi et signi crucis, quo subjectum sacramenti in fronte signatur : sigillum Domini, signaculum dominicum, spirituale, regium. — c) Ratione *finis :* confirmatio, perfectio (τέλειον, τελείωσις), consummatio, sacramentum plenitudinis gratiae, donum Spiritus (δωρεὰ Πνεύματος). — Nomen *confirmationis* a seculo IV occurrit usu ecclesiastico (1), et in ipsa Scriptura habet fundamentum. Cf. II Cor. I, 21.

Sacramento Confirmationis intelligitur ritus sensibilis qui confertur iis, qui baptismum jam susceperunt, ut fiant milites Christi Jesu, fidem strenue profiteantur, spretis minis et blanditiis mundi. — Talem ritum ab exordiis Ecclesiae exstitisse constat ex testimoniis modo afferendis.

Porro quaeritur a) num Confirmatio sit verum sacramentum a Christo institutum ; b) quaenam sit materia et forma Confirmationis ; c) quisnam sit minister ejusdem. — De effectu Confirmationis nihil superest dicendum praeter ea quae discussa sunt in tractatu de sacramentis in genere circa gratiam sacramentalem et characterem.

ARTICULUS I.

Confirmationem esse sacramentum ostenditur.

2. — Ante Protestantes nemo inventus est inter christianos qui veritatem sacramenti confirmationis sit aggressus. Lutherus confirmationem habere voluit pro ritu quodam ecclesiastico ; Calvinus voluit visibiles quidem et admirabiles Spiritus Sancti gratias ab

---

(1) Cf. *Const. apost.* III, XVII. AMBR. *De myst.* VII, 42. CONC. ARAUS. I, can. 1 et 2. S. LEO M., *Epist.* CLIX *ad Nicet.* c. VII. Cf. KLEE, *Dogmengeschichte*, II, 160.

Apostolis per manuum impositionem secundum praeceptum dominicum fuisse administratas et distributas, at, cessantibus virtutum miraculis, hoc quoque ministerium cessare debuisse. Melanchton, Kemnitius aliique dicunt ritum catholicum esse otiosam caerimoniam ejusque loco esse substituendam catechesim publicam et professionem fidei, qua adolescentes Ecclesiae probati veluti emancipentur et in omnia jura communitatis inducantur (1).

THESIS Ia. — Confirmatio est verum sacramentum.

Est de fide definita, ex Tridentino, sessione VII, can. 1 (2).

3. — Prob. I. Ex Scripturis. Ex Act. VIII, 14, 15 : « Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Johannem; qui, cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum : nondum enim in quemquam illorum venerat; sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. » Act. XIX, Paulus narratur venisse Ephesum et ibi quosdam discipulos invenisse. Eos jam baptizatos opinatus interrogat num, postquam crediderint, h. e. christiani facti fuerint, Spiritum Sanctum acceperint. Cum vero ne cognoscerent quidem Spiritum Sanctum, et solum Johannis baptismum recepissent, Paulus eos primum baptizat, deinde iis confert Spiritum Sanctum manuum impositione.

Unde sic : Ubi signum sensibile, stabiliter institutum, demonstrativum et practicum gratiae, ibi sacramentum. Atqui in Actibus describitur signum hujuscemodi, quod nonnisi Confirmationi convenire potest. Ergo.

1. Spiritu Sancto significari *gratiam sanctificantem* negant Protestantes, voluntque significari gratias gratis datas, nempe donum prophetiae, miraculorum, linguarum. Non negatur gratias gratis datas fuisse etiam concessas fidelibus in primaeva Ecclesia ad publice ostendendam veritatem fidei christianae, et has gratias fuisse datas tunc cum apostoli manus imponebant; id enim disertis verbis asserunt Acta XIX, 6 : « Loquebantur linguis et prophetabant; » et ideo voluit

(1) LUTHERUS, *De captivitate Babyl.* CALVINUS, *Inst.* l. IV, c. XIX, n. 49. Cfr. BELLARM. *De Confirmat.* c. I. MARTENSEN, *Christliche Dogmatik*, § 258.

(2) TRID. « Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam caerimoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quamdam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant; A. S. »

Simon sibi comparare potestatem dandi Spiritum Sanctum quia *viderat* mirabilem effectum. Verum contenditur nomine Spiritus Sancti designari etiam, immo primario et principaliter, gratiam sanctificandem. Id enim ostenditur tripliciter : a) Quoties in Scripturis Spiritus Sanctus dicitur simpliciter et absolute dari, accipi, venire ad fideles, habitare in eisdem, semper intelligitur dona sanctificantia in cordibus diffundens (1). Ergo in primaeva Ecclesia ubi Spiritus Sanctus legitur fidelibus datus, imprimis intelligendus est diffudisse caritatem in cordibus. Interim huic infusioni gratiae annecti gratias gratis datas convenientissimum fuit huic primaevae aetati. — b) Christus promiserat Spiritum Sanctum, ut fidelibus tribueret *robur ad sanctificationem.* Id enim est manifestum ex Joh. VII, 38, 39: « Qui credit in me... flumina de ventre ejus fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum : nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. » Nomine enim fluminum aquae vivae significatur abundantia gratiae. Idem est manifestum ex iis locis ubi divus Salvator promittit discipulis Spiritum Sanctum veluti Paracletum qui eos in adversis consolaretur, et veluti virtutem quae eos in fide confortaret (Joh. XIV, 16 sq. et XV, 26 sq.; Luc. XXIV, 49; Act. I, 8 et IX, 31). Jamvero fideles dicendi sunt accepisse in Act. VIII id quod fuerat a Christo praenuntiatum et promissum. — c) Christi promissio est omnino universalis, ad omnes fideles et ad omnia tempora se extendens ; sed charismata erant donum extraordinarium et primordiis Ecclesiae potissimum accommodata (2) ; ergo Spiritus Sancti nomine significatur primario gratia gratum faciens.

2. Gratia est collata *per impositionem manuum uti per causam.* Colligitur varia ratione : α) Ex effectu infallibiliter secuto : « Tunc imponebant manus et accipiebant Spiritum Sanctum. » β) Simon Magus intelligit huic ritui competere talem virtutem, emere enim voluit potestatem conferendi Spiritum Sanctum per impositionem manuum. Petrus autem non negavit apostolos hac virtute instrui, immo potius id confirmavit; verum negavit eam pecunia emi posse. Respondit enim Petrus Simon: « Pecunia tua tecum sit in perditionem ; quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri » (VIII, 18-20). γ) Philippus diaconus, qui baptizaverat Samaritanos, non potuit conferre Spiritum Sanctum. Jamvero si apostoli, oratione sua et ex opere operantis

(1) Cf. Joh. VII, 37-39 ; Act. V, 32 et XV, 8 ; Rom. V, 5 ; I Cor. II, 12 et III, 16 ; Gal. V, 22 ; I Thess. IV, 8 ; II Tim. I, 14. — (2) Cf. Aug. *De bapt.* III, XVI ; *In epist. Joh.* tract. VI, n. 10.

contulissent gratiam, non videtur cur Philippus id non praestare potuisset (1).

3. Impositio manuum fuit *stabiliter instituta* ad conferendum Spiritum Sanctum. Exigi enim Dei institutionem est manifestum quia solus Deus annectere potest signo sensibili virtutem conferendi gratiam. Hanc institutionem esse perpetuam constat a) quia Spiritus Sanctus a Christo fuerat promissus perenniter, veluti omnibus et omni tempore dandus; apostoli itaque imponentes manus ut Spiritum Sanctum darent, secundum Christi monitum, adhibent ritum quo semper erat dandus Spiritus Sanctus. Idem est manifestum b) quia ex Actis VIII et XIX constat apostolos duxisse collationem Spiritus Sancti per impositionem manuum pertinere ad munus apostolicum ordinarium. Cum enim Samaritani ad fidem conversi baptismum acceperant, necdum Spiritum Sanctum acceperant, statim ad eos mittunt Petrum et Johannem ut Spiritum Sanctum eis conferrent (VIII 14, 15). S. Paulus petit a discipulis, quos rite baptizatos esse ducit, num Spiritum Sanctum acceperint (XIX, 2). Confirmatur demum c) quia « cum vidisset... Simon quia per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam dicens : Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. » VIII, 18, 19.

4. Itaque agitur de aliquo sacramento. Porro non agi de Baptismo manifestum est tum quia ritus sensibilis est diversus, tum quia in Actis Apostolorum manus non leguntur esse impositae nisi eis qui jam baptizati erant. Non agi de caerimonia Baptismo annexa constat quia haec ab omni baptizante, saltem a Philippo diacono, fieri potuisset, impositio autem manuum non fiebat nisi ab apostolis. Neque obstat quod manus impositione conferebatur Spiritus Sanctus qui Baptismo confertur : Spiritus Sanctus enim confertur Baptismo quidem prout remittit peccata et primo sanctificat, Confirmatione vero prout confert augmentum gratiae sanctificantis et jus ad gratias actuales fini Confirmationis congruas.

II. **Ex Patribus.** E baptismo egressis conferri Spiritum Sanctum impositione manuum aut chrismatione, clarissime testantur Patres et Concilia quorum testimonia enarrabuntur articulo sequenti. Notasse sufficiat Ambrosium et auctorem librorum *de sacramentis* (2).

(1) Cf. ESTIUS, in 4 d. 7, § 5.

(2) AMBR. *De myst.* c. VI : « Post haec utique ascendisti ad sacerdotem : considera quid secutum sit, nonne illud quod ait David : « Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron ? » — Et capite VII concludit : « Unde repete quia accepisti

III. Ratione congrua. Petitur *ex analogia vitae spiritualis cum vita corporali:* « Vitae corporali et naturali tria sunt per se necessaria... Oportet enim primo quod, per generationem seu nativitatem, res aliqua vitam accipiat ; secundo quod per augmentum ad debitam quantitatem et robur perveniat ; tertio, ad conservationem vitae... est necessarium nutrimentum... Sic igitur et in vita spirituali primum est spiritualis generatio per baptismum ; secundum est *spirituale augmentum perducens ad robur perfectum* per sacramentum confirmationis ; tertium est spirituale nutrimentum per Eucharistiae sacramentum » (1). « Perfectio autem spiritualis roboris in hoc proprie consistit, quod homo fidem Christi confiteri audeat coram quibuscumque, nec inde retrahatur propter confusionem aliquam vel terrorem... Sacramentum igitur quo spirituale robur regenerato confertur, eum quodammodo instituit pro fide Christi propugnatorem. Et, quia pugnantes sub aliquo principe ejus insignia deferunt, hi qui confirmationis sacramentum suscipiunt, signo Christi insigniuntur, videlicet signo crucis, quo pugnavit et vicit » (2).

ARTICULUS II.

De essentia Confirmationis.

4. — In Ecclesia Latina Confirmatio sic administratur secundum *Pontificale Romanum:* Primum episcopus super praesentes confirmandos Spiritum Sanctum invocat et, extensis versus eos manibus, dicit orationem : Omnipotens sempiterne Deus, etc. Tum « summitate pollicis dextrae manus chrismate intincta dicit : Signo te signo crucis : quod dum dicit, producit pollice signum crucis in frontem illius (confirmandi); deinde prosequitur : et confirmo te chrismate salutis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. » — In Ecclesia Graeca minister confirmationem administrans, inungit per modum crucis frontem confirmandi aliaque membra, dicens : Σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου (3). —

signaculum spiritale, Spiritum sapientiae et intellectus, Spiritum consilii atque virtutis, Spiritum cognitionis atque pietatis, Spiritum sanctum timoris : et serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus et dedit pignus Spiritus in cordibus tuis (II Cor. IX, 2), sicut apostolica lectione didiciste. »

De sacramentis : « Sequitur baptismum spiritale signaculum, quod audistis hodie legi ; quia post fontem superest ut perfectio fiat ; quando ad invocationem sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur, Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus sancti timoris. » L. III, c. II, n. 8.

(1) S. Th. *Summa contra gentiles*, l. IV, c. LVIII. — (2) Ib. c. LX. — (3) Cf. Goar, *Euchol.* p. 356.

Jacobitae et Armeni solam unctionem adhibent; aliae Ecclesiae Orientales praeter unctionem adhibent impositionem manuum [1].

Quaeritur in quibusnam partibus reponatur essentia Confirmationis. Quaestio praesertim respicit materiam. — Porro dantur tres sententiae. *Prima* tenet materiam contineri *sola manuum impositione;* unctionem vero esse additam ad expressiorem significationem effectus sacramentalis. Ita opinantur Isaac Habert, Jac. Sirmondus, Jac. de Sainte-Beuve et alii. — *Secunda* sententia tenet materiam contineri *sola unctione.* Qui ei adhaerent explicant impositionem manuum, qua usi sunt apostoli ad conferendum Spiritum Sanctum, alii quidem dicendo apostolos ex privilegio omisisse unctionem et solas manus imposuisse quando Spiritus Sanctus super fideles modo visibili descendit, rationem privilegii esse quia tunc inutile erat signum sensibile quod unctione continetur: ita s. Thomas [2]; alii vero dicendo Christum nonnisi generice determinasse materiam Confirmationis, specificam determinationem esse relictam Ecclesiae, quae modo impositionem manuum, modo unctionem veluti materiam adhibuit: ita Tapper, Estius aliique. — *Tertia* sententia tenet materiam integram contineri *tum manuum impositione, tum unctione.* Inter eos qui ita censent, nonnulli dicunt ad materiam pertinere eam manuum extensionem quae praevia est chrismationi; plerique volunt eam impositionem manuum esse de materia sacramenti quae includitur in ipsamet chrismatione, ita nempe ut unus idemque ritus vocetur a Patribus modo impositio manuum modo chrismatio sive unctio. Ita censent Hugo Victorinus [3], Maldonatus, Tournely, Berti, Billuart, Wirceburgenses, recentiores communissime. Ab hac sententia non separantur ii theologi qui solam unctionem quidem affirmant esse materiam sacramenti, verum significant unctione contineri impositionem manus [4].

THESIS II[a]. — Materia Confirmationis constat impositione manus et unctione chrismatis. Ea porro manus impositio ad materiam pertinet quae in ipsamet unctione includitur.

5. — Prima pars. IMPOSITIO MANUS AD MATERIAM PERTINET.

Probatur 1° ex testimoniis Scripturae supra allatis ad probandam

(1) Cfr. DENZINGER, *Rit. orient.* I, 59. — (2) S.TH. III, q. LXXII, a. 2, ad 1[m] et a. 4, ad 1[m]. (3) HUG. VICT. *De sacram.* l. II, p. VII, c. II. — (4) Cf. BELLARM. *De Confirm.* c. IX; SUAR. d. XXXIII, s. 4, n. 8.

veritatem institutionis sacramenti confirmationis. Probatur 2° auctoritate Conciliorum et Patrum, disertis verbis loquentium de impositione manus veluti pertinentis ad essentiam hujus sacramenti. De impositione manus loquuntur, inter Concilia, Eliberitanum initio seculi IV, Coloniense anno 1536, Rhemense anno 1583, Narbonnense anno 1609 (1); inter Patres, Cyprianus, Hieronymus, Beda (2). De impositione manus loquitur adhuc Innocentius III, in professione fidei praescripta Waldensibus (Denz. 370). Denique impositionis manus simul ac chrismationis mentionem faciunt Tertullianus, Augustinus, Rabanus Maurus, Amalarius, Fortunatus quorum testimonia tradentur ad II^m partem.

6. — Secunda pars. UNCTIO CHRISMATIS AD MATERIAM PERTINET.

Probatur 1° ex *Scripturis*. De unctione mentio fit in I Joh. II, 20 : « Sed vos unctionem habetis a Spiritu Sancto, » quae verba ab Augustino de Confirmatione sunt exposita ; de eadem fit sermo in II Cor. I, 21 : « Qui... confirmat nos vobiscum in Christo et qui unxit nos Deus... et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris, » ubi juxta Ambro-

(1) CONC. ELIBERIT. « Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum, ita ut, si supervixerit, ad episcopum eum perducat, ut *per manus impositionem*, perfici possit. » Can. 38, Labbe I, 974.

CONC. COLONIENSE : « Omnes fideles.. *per manus impositionem* episcoporum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni christiani inveniantur. » In part. VII, c. VIII. Cf. Labbe, t. XIV, 533.

CONC. RHEMENSE : « Quamvis unusquisque per Baptismum catalogo fidelium sit adscriptus... tamen... nonnisi *per impositionem manuum* episcopi plus roboris et gratiae recipit. » In c. IX. Cf. ib. t. XV, 891.

NARBONNENSE : « Sanctorum Patrum institutionibus constare... post baptismum in hoc sacramento, quo, *per impositionem manuum* episcopi, Spiritus Sanctus diffunditur in corda fidelium, robur atque fortitudinem dari. » In c. XV. Cf. ib. t. XV, 1587.

(2) CYPR. in *epistola ad Jubaianum* (epist. LXXIII, n. 9), impugnans errorem rebaptizantium, de Confirmatione scribit : « Illi enim qui in Samaria crediderunt, fide vera crediderunt, et intus in Ecclesia, quae una est, et cui soli gratiam baptismi dare et peccata solvere permissum est, a Philippo diacono, quem iidem Apostoli miserant, baptizati erant. Et idcirco quia legitimum et ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat, sed tantummodo quod deerat, id a Petro et Johanne factum est, ut oratione pro eis habita et *manu imposita*, invocaretur et infunderetur super eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur ; ut qui in Ecclesia baptizantur, praepositis Ecclesiae offerantur, et per nostram orationem et *manus impositionem* Spiritum Sanctum consequantur et signaculo dominico consummentur. »

HIER. Sic unum ex Luciferanis loquentem inducit ; « An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus Sanctus ? Exigis, ubi scriptum sit ? In Actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar praecepti obtineret. » Ad haec respondens Hieronymus rem totam ultro concedit. « Non quidem, inquit, abnuo, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe a majoribus urbibus per Presbyteros et Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus Sancti *manus impositurus* excurrat. » *Dial. cont. Lucif.* n. 8.

BEDA « Illa unctio, quae *per manus impositionem* ab episcopis fit, Confirmatio dicitur. » *Exposit. ps.* XXVI.

sium sermo fit de Confirmatione. — Probatur 2° Conciliis et Patribus chrismationem veluti materiam Confirmationis traducentibus. Sic loquuntur Concilium Florentinum in decreto pro Armenis : « Secundum sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo et balsamo... per episcopum benedicto ; » Tridentinum aiens : « Si quis dixerit injurios esse Spiritui Sancto eos qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, A. S. » (1); Concilium Carthaginiense anno 255 celebratum, in epistola synodica scribens : « Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut, accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei et habere in se gratiam Christi possit » (2); praeterea Concilium Loadicenum quod celebratum est circa annum 371 : « Oportet eos qui illuminantur, inungi supercaelesti chrismate et esse regni Christi participes ; » demum unctionem pro materia habent Concilium Hispalense II (a. 619), Toletanum IV (a. 633) canone 57, Cabilonense II (a 813) canono 27, Meldense (a 845) canone 99. — De unctione aut chrismatione mentionem faciunt inter Patres aut scriptores ecclesiasticos Cyrillus Hierosolymitanus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Pacianus, Maximus, Innocentius I (3). Demum tum chrismationem tum manus impositionem velut materiam Confirmationis habent Tertullianus, Cyprianus, Augustinus,

(1) Trid. Sess. VII, can. 2 de confirmat. — (2) Cf. M. III, 1078.

(3) Cyr. Hier. « Vobis quoque similiter, postquam ex sacrorum laticum piscina adscendistis, datum est *Chrisma*, illius antitypum, quo unctus est Christus : quod est nimirum Spiritus Sanctus... Sicut panis Eucharistiae post invocationem Sancti Spiritus non est communis panis, sed Corpus Christi : ita et sanctum istud *unguentum*, non amplius nudum, neque commune unguentum est post invocationem ; sed Christi donarium, et Spiritus Sancti, praesentia divinitatis ejus, efficiens factum. Quod symbolice fronti, aliisque sensibus tuis illinitur. Ac dum *unguento* visibili inungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima sanctificatur. » *Cat. mystagog.* III, 1, 3.

Cyr. Alex. « Data est nobis ceu in pluvia aqua vivens sacri baptismatis, et tamquam in frumento panis vivus, et tamquam in vino sanguis. Accessit item *usus olei*, qui per s. Baptisma in Christo justificatis ad consummationem conferret. » *In Joel* II, 23. M. LXXI, 374.

Inn. I. « De consignandis vere infantibus manifestum est, non ab alio quam ab episcopo fieri licere ; nam presbyteri, licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Haec autem pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum, quae asserit, Petrum et Johannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Nam presbyteris (seu extra episcopum, seu praesente episcopo baptizent), Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, *tamen frontem ex eodem oleo signare*, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum. » *Epist.* XXV, *ad Decentium.* c. III, Cf. Labbe, t. II, p. 1246.

Theodoretus, *In Cant.* I, 2. — Pacianus, *Serm. de bapt.* — Maximus, *Schol. ad cap.* II, *Dion. de eccl. hier.*

Rabanus Maurus, Amalarius Fortunatus (1), demum Clemens IV in professione fidei Michaeli Palaeologo proposita : « Aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi confertur, chrismando renatos » (Denz. n. 388).

7. — Tertia pars. MANUS IMPOSITIO INCLUDITUR IN UNCTIONE.

Probatur 1° ex Innocentio III qui haec scripsit : « Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur et robur. Unde cum ceteras unctiones simplex sacerdos vel presbyter valeat exhibere, hanc nonnisi summus sacerdos, i. e. episcopus, debet conferre, quia de solis apostolis legitur quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant » (2). Manifestum itaque est secundum Pontificem impositionem manus includi in unctione. — Alibi « Sacramentum confirmationis, ait, quod chrismando renatos soli debent episcopi per manus impositionem conferre » etc. (3).

Probatur 2° quia Patres non raro affirmant modo unctionem fieri manum imponendo, modo manus impositionem fieri ungendo seu chrismando. Sic loquuntur Beda, Rabanus Maurus, Ratramnus, Amalarius, Hugo Victorinus (4).

---

(1) TERTULL. *De bapt.* VI, VII, VIII. *De resurr. carnis,* VIII. Cf. *De sacram. in genere,* ad thes. XIX, n. 159 *Adv. Marc.* I, XIV.

CYPR. « Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut, accepto chrismate, i. e. unctione, esse unctus Dei et habere in se gratiam Christi possit. » *Ep.* LXX, *ad Jubaianum,* n. 2.

AUGUST. *De bapt.* XVI, 21 : « Quis nunc hoc exspectat, ut ii, quibus *manus ad accipiendum Spiritum Sanctum imponitur,* repente incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter et latenter intelligitur propter vinculum pacis eorum cordibus divina caritas inspirari, ut possint dicere : quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. » — *De Trinitate* XV, XXV, 46 : « Neque aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis Praepositis etiam nunc servat Ecclesia. » — *Contra litt. Petiliani.* II, CIV; « Sacramentum *Chrismatis*... in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus : sed potest esse et in hominibus pessimis. Discerne ergo visibile sacramentum, quod esse et in bonis et in malis potest, illis ad praemium, illis (istis) ad judicium, ab invisibili unctione caritatis, quae propria bonorum est (quam in solis bonis visibile sacramentum producit). »

RABAN. MAUR. « Episcopus baptizatum *per manus impositionem cum ipso Chrismate* consignat. » *De instit. cleric.* I, XXVIII, M. CVII, 313.

AMALAR. FORTUN. « Ut ab episcopis solis inungatur per manus impositionem, ab Apostolis assumptum est. » *De off. eccles.* I, XXVII, M. CV. 1052.

(2) INN. III. Cf. *Decret.* l. I, tit. XV, de sacra unctione, § 7.

(3) Id. tit. IV, c. 4, de consuetud.

(4) BEDA : « Illa unctio quae per manus impositionem fit ab episcopo et vulgo confirmatio dicitur. » *In Ps.* XXVI. M. XCIII, 614.

RAB. MAURUS : « Episcopus baptizatum per manus impositionem cum ipso chrismate consignat. » *De instit. cleric.* I, XXVIII, M. CVII, 313.

RATRAMNUS : « Gratia Spiritus Sancti per impositionem manuum tribuitur ab episco-

Probatur 3° quia Graeci, apud quos invenitur sacramentum validum ([1]), non habent aliam unctionem praeter eam quae in unctione includitur ; apud Graecos itaque haec est de ratione materiae. Ergo idem obtinet apud Latinos, siquidem Christus non determinavit aliam speciem pro Graecis, aliam pro Latinis.

Confirmatur quia Benedictus XIV refert consuetudinem in nonnullis regionibus vigere etiam eos ad confirmationem admittendi qui post primam manuum impositionem in Ecclesiam ingrediuntur ([2]).

8. — SCHOLION. Adaequata sacramenti forma his vel aequivalentibus verbis continetur : « Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. » Constat quia praefata verba exprimunt quid fiat unctione et impositione manuum quam comitantur et qua continetur tota materia et quid toto ritu conferatur ; constat etiam quia in decreto pro Armenis haec forma proponitur et invenitur in bene multis documentis inde a seculo VIII ([3]).

Forma Graecorum : « Σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου, signaculum Spiritus Sancti, » in qua supplendum est vocabulum *datur,* invenitur in canone 7 Concilii CP. I ([4]) ; invenitur in Ritualibus Graecorum et apud Graecos schismaticos, uti constat ex responsione Jeremiae patriarchae ad theologos Tubingenses.

ARTICULUS III.

De ministro confirmationis.

9. — Distinguitur minister ordinarius confirmationis et minister extraordinarius. Prior habet potestatem completam ad valide confir-

---

pis, quod tunc fit, quando frontes baptizatorum chrismate sancto liniuntur ab episcopis. » *Contra opposita Graecorum*, IV, VII. M. CXXI, 333.

HUG. VICT. « Christianus unctione chrismatis per impositionem manus in fronte signatur. » *De sacram.* l. II, p. VII, c. II.

([1]) BENEDICTUS XIV : « Nemini fas est asserere in Ecclesia graeca non adesse sacramentum confirmationis. Si quis enim hanc opinionem tueretur, huic manifesto obstaret vetus orientalis disciplina, quam Apostolica sedes optime perspectam habuit nec umquam damnavit aut improbavit. » Encycl. *Ex quo primum*, data 1ª martii 1756 ad episc. ritus graeci, § 51.

([2]) Id. *De synod. dioec.* l. XIII, c. XIX, n. 17.

([3]) Cf. MARTÈNE, *De antiquis Eccl. ritibus,* l. I, c. II, a. 4 ; edit. BASSAN. I, 92 sq. Cf. adhuc S. TH. qui rationes congruas tradit III, LXXII, 4.

([4]) Hic canon videtur excerptus esse ex epistola Ecclesiae Constantinopolitanae ad Martyrium, episcopum Antiochenum et additus esse canonibus Concilii. Eum recepit Synodus Trullana (can. 95). Cf. VAN ESPEN, *Commentar. in canones*, p. 194 ; HEFELE, *Conciliengeschichte* II, 27.

mandum. Est itaque is qui vi sui ordinis et muneris, sine speciali commissione Romani Pontificis, potest valide administrare confirmationem. Posterior nonnisi inchoatam habet potestatem, ideoque legitima indiget dispensatione. Juxta Photium (1), Waldenses, Wicleffitas, Hussitas, Calvinum, Lutherum (2) et alios, minister ordinarius est quivis sacerdos. E catholicis idem docuit Armachanus e quo Wicleffus errorem suum hausisse fertur (3).

De fide definitum est a Tridentino episcopum, eumque solum, esse ministrum ordinarium confirmationis (4).

Juxta s. Thomam ex dispensatione Romani Pontificis simplex sacerdos confirmare potest. Estius negat. Sententia Aquinatis Dominico Soto et Gregorio de Valentia visa est esse de fide, plerisque nonnisi certa videtur.

THESIS III[a]. — Solus episcopus est minister ordinarius Confirmationis. Simplex sacerdos esse potest minister extraordinarius ex delegatione Romani Pontificis.

10. — Prima pars. SOLUS EPISCOPUS EST MINISTER ORDINARIUS.

Probatur 1° *Scriptura.* Etenim Act. VIII, 17, Petrus et Johannes manus imposuerunt iis qui a diacono Philippo erant baptizati. Paulus confirmavit eos qui ab aliis erant baptizati (Act. XIX, 6). Probabile est Apostolos esse usos potestate episcopali. — Idem 2° probatur *Traditione.* Id enim asserunt Concilium Eliberitanum Cyprianus, Hieronymus, Augustinus (5). — Nicolaus I jussit iterum confirmari eos qui a presbyteris Bulgaris, sententiam Photii secuti, confirmati erant. Hi enim delegari a Photio non potuerant, siquidem Bulgari a Patriarcha Constantinopolitano non pendebant. — Innocentius I idem est professus epistola ad Decentium (c. III), et Inn. III in epistola ad Lucium, legatum Constantinop., qua vetat ne presbyteri id sacramentum administrare praesumant. — Gregorius IX, in epistola ad ep. Barensem, decretum Innocentii III confirmat. — Innocentius IV consultus de ritibus Grae-

(1) Cf. HERGENRÖTHER, *Photius*, I, 644. — (2) LUTH. in l. *De captiv. babyl.* CALV. *Instit.* IV, XIX, 10. — (3) ARMACHANUS, *Quaest. armen.* l. XI, c. IV, sq. Cf THOMAS WALDENS. *Doctr. fid.* t. II, c. CIV. — (4) TRID. « Si quis dixerit sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, A. S. » Sess. VII, can. 3. — « Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi ; vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem, A. S. » Sess. XXIII. can. 7. — (5) CYPR. *Epist.* LXXIII *ad Jubaian.* n. 9. — HIER. *Dial. adv. Lucif.* n. 9. — AUG. *De Trin.* l. XV, c. XXVI, n. 46. — CONC. ELIBERIT. Can. 38. — Cf. LABBE, t. I, p. 974.

corum, in epistola ad Othonem, Cardinalem Legatum in regno Cypri, de confirmatione dicit eam administrari a solis episcopis.

11. — Secunda pars. SIMPLEX SACERDOS POTEST ESSE MINISTER EXTRAORDINARIUS EX DELEGATIONE ROMANI PONTIFICIS.

Negant simplices presbyteros delegari posse a Romano Pontifice ad confirmandum Hugo a s. Victore, Albertus M., Durandus, Hadrianus, Estius, de Sainte-Beuve et alii (1). — Dubie loquuntur Scotus et Biel. — Affirmant s. Thomas, Alensis, s. Bonaventura, Mastrius et alii Scotistae, Berti aliique Augustinienses, Toletus, Bellarminus, Suarez, Lugo (2), quorum sententia nunc est omnino certa, ita ut sine temeritate in dubium vocari nequeat.

Probatur 1° *Conciliis,* Tridentino nempe et Florentino in decreto pro Armenis. Dicendo episcopum esse ministrum *ordinarium,* innuunt dari posse ministrum *extraordinarium;* ratio est quia ubi non datur locus ministro extraordinario, Concilia solent loqui de ministro simpliciter (3). Praeterea subjungit Florentinum : « Legitur tamen aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum. » Cf. Denz. n. 592.

Probatur 2° *praxi Romanorum Pontificum,* Gregorius M. a. 593 scribens ad Januarium Calaritanum, episcopum in Sardinia, vetuerat ne presbyteri infantes baptizatos chrismate signarent in fronte, sed ut eos ungerent in pectore et ut episcopi eosdem postea ungerent in fronte (4). Cum multi hac prohibitione offensos esse audiret, anno sequenti ad eumdem rescripsit Pontifex: « Pervenit ad nos, quosdam scandalizatos fuisse quod presbyteros chrismate tangere eos qui baptizandi (vel baptizati) sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiae nostrae fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, *ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus*

(1) HUG. VICT. *De sacram.* l. II, p. VII, c. II. — ALB. M. in 4 d. 7, a. 4. — DURAND. in 4 d. 7, q. III et IV. — HADRIANUS, in 4 d. 7, a. 3 — ESTIUS, in 4 d. 7, § 21, 22.

(2) S. TH. III, q. LXXII, a. II. — ALENS IV, q. IX, m. V, a. 1, § 3. — BONAV. in 4. d. 7, dub. 1. — MASTRIUS, d. II, q. VIII, a. 3. — BERTI, *De theol. disc.* l. XXXII, c. VII. — LUG. *Resp. mor.* l. I, dub. VI.

(3) In schemate disputationibus Patrum proposito deerat vox « ordinarium; » postulatum est a Patribus ut adderetur et sententia communis de facultate delegata servaretur illaesa. Cf. THEINER, *Acta authent. Conc. Trid. I*, 430, 445, 447. Secundum eumdem historicum « fere omnes Patres in s. Thomae sententiam veniebant, quam praestantiores scholastici amplectebantur, posse hujusmodi facultatem Pontificia delegatione ad simplices sacerdotes extendi. »

(4) GREG. M. *Epist.* l. IV, ep. VIII.

baptizandos chrismate tangere debeant, concedimus. » Non agi de mera baptismi caerimonia, sed de sacramento confirmationis, constat tum quia nonnisi haec vocari solebat *unctio in fronte* et sic a reliquis unctionibus distinguebatur (1), tum quia simplices sacerdotes semper et ubique peragere potuerunt omnes caerimonias baptismi. — Post Gregorium, potestatem confirmandi simplicibus sacerdotibus delegaverunt Nicolaus IV, Johannes XXII, Urbanus V, aliique, quos commemorat Benedictus XIV (2). Nunc solet concedi Praefectis Apostolicis qui non sunt episcopi. Porro haec praxis a Pontificibus observata, haec disciplina et consuetudo generalis nequit esse contraria fidei, siquidem Ecclesia errare nequit in universali sacramentorum administratione. « Quare, ut ait Benedictus XIV, non videtur hodie fas esse potestatem, de qua olim disceptabatur, Summo Pontifici abjudicare » (3).

Probatur 3° *praxi Ecclesiae graecae.* Diu ante tempus Photii sacerdotes ex dispensatione confirmabant pueros modo baptizatos. Quae consuetudo a RR. PP. non fuit reprobata in Concilio Lugdunensi et Florentino. Quod confirmatur a Benedicto XIV : « Aliis in locis, in quibus chrismatio data a sacerdotibus graecis non est a Sede Apostolica expresse improbata, ea pro valida est habenda ob tacitum saltem privilegium a Sede Apostolica illis concessum; cujus quidem privilegii praesumptionem inducit ipsamet conniventia et tolerantia Romanorum Pontificum, qui praedictum morem Graecorum scientes non contradixerunt nec unquam illum damnarunt » (4).

Confirmatur 4° ratione a s. Thoma allata : « Omnis operatio in corpus mysticum sacramentalis, per quam gratia datur, dependet ab operatione sacramentali super corpus Christi verum, et ideo solus sacerdos potest absolvere in foro paenitentiali et baptizare ex officio. Et ideo dicendum quod promovere ad illas perfectiones, quae non respiciunt corpus Domini verum, sed solum corpus mysticum, potest a Papa, qui habet plenitudinem pontificalis potestatis, committi *sacerdoti,* qui habet actum summum super corpus Domini verum, non autem diacono, vel alicui inferiori, qui non habet perficere corpus Domini verum, sicut nec absolvere in foro paenitentiali » (5).

(1) Cf. Innoc. I, *Epist. ad Decent.* c. III. — (2) Bened. XIV, *De synod.* l. VII, c. VII, n. 5, 6. Cf. Pallavicini, *Hist. Conc. Trid.* l. IX, c. VII. — (3) Ib. n. 7. — (4) Ib. n. 9. — (5) S. Th. in 4 d. 7, q. III, a. 1, sol. III.

DE EUCHARISTIA.

1. — OBJECTUM. Christus Jesus in eo jam ut tormenta et cruentam mortem subiret, coenam in coenaculo parari jusserat. Astantibus discipulis, accepit panem, benedixit, gratias egit, fregit, dedit discipulis dixitque : « Hoc est corpus meum; » similiter accepit calicem et dixit : « Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » Tunc dedit praeceptum discipulis ut idem facerent : « Hoc facite in meam commemorationem » (1). Porro his verbis instituit Christus *sacramentum* in quo sub speciebus panis et vini ipse cum divinitate et humanitate praesens foret usque ad consummationem seculorum, quod solemni cultu in Ecclesia adoraretur, atque cibus foret animarum. Iisdem verbis instituit *sacrificium* incruentum, cujus Christus Jesus simul foret hostia et principalis sacerdos, quo renovaretur memoria sacrificii crucis et applicarentur merita in cruce parta vivis et vita functis.

Merito huic sacramento et sacrificio applicantur verba Ps. CX, 4 : « Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus. » Patefacit enim Deus egregio modo attributa sua, imprimis potentiam et bonitatem ; praeterea memoriam renovat ceterorum beneficiorum collatorum per Incarnationem ; denique nova beneficia addit. — *Potentia* Dei manifestatur : Intellectui enim impervium prorsus est quomodo humanitas Christi infinities multilocari queat et esse illocaliter praesens ; impervium etiam est quomodo tota substantia panis et vini converti possit in corpus et sanguinem Christi, quomodo accidentia panis et vini conservari queant absque subjecto. — *Bonitas* Dei et Jesu Christi manifestatur : Hoc enim sacramento unigenitus Filius Dei quotidie immolatur pro nobis, nobiscum manet ut sit socius noster in peregrinatione ad patriam, intra nos ingreditur ut sit cibus animarum. — Renovatur memoria ceterorum beneficiorum : In

(1) Cfr. MATTH. XXVI, 26 sq. — MARC. XIV, 22 sq. — LUC. XXII 19 sq. — PAUL. I, *Cor.* XI, 23 sq.

mente enim revocatur mysterium Incarnationis, et vi institutionis istius mysterii fit memoria sacrificii crucis.

2. — NOMINA. Varia nomina fuerunt imposita huic mysterio : Eucharistia (1), gratia, actio gratiarum. Hoc nomine vocatur tum quia Christus illud sacramentum instituens gratias egit Patri suo, tum quia in ejus celebratione gratiae aguntur Deo, tum quia in memoriam revocat maximum Dei donum fidelibus collatum : continet enim auctorem et fontem gratiae, D. N. J. C., estque pignus aeternae vitae (2).

Coena, Coena Dominica, Mensa Domini, Pascha. Sic vocatur a tempore et a loco institutionis.

Communio, synaxis, sacramentum pacis et caritatis, viaticum (3), vita ipsa, quae nomina ex effectibus petuntur.

Novum Testamentum, quia est donum a Christo in novo foedere collatum, vel etiam id quo nova lex sancitur.

Sanctissimum Sacramentum, Sacramentum Altaris, Sacramentum sacramentorum, mysterium mysteriorum.

Benedictio et fractio panis, a ritibus adhiberi solitis.

Panis coelestis, panis Christi, panis Angelorum, panis mysticus, panis animae, panis vitae aeterna. Sic vocatur tum a speciebus panis, tum quia est alimentum animarum.

Corpus Christi et Sanguis Christi, celebratio Corporis et Sanguinis Christi. Ratio nominis est manifesta.

3. — FIGURAE. Eucharistia diversis modis praefigurata fuit. Si in ea consideratur id quod est *sacramentum tantum*, nempe panis et vinum, « potissima hujus figura, ait Aquinas (4), fuit oblatio Melchisedech, qui obtulit panem et vinum » ; aliae figurae continentur tum panibus propositionis (I Reg. XXI), tum pane subcinericio quem man-

(1) Hoc nomine jam antiquissimi Patres utebantur, v. g. auctor libri cui titulus est *Doctrina duodecim Apostolorum* (Opera Patrum Apostolicorum. Ed. FUNCK 1887. cap. IX), s. Ignatius Martyr (*Epist. ad Philadelph.* n. IX), s. Cyprianus (*Epist.* X et XI), s. Cyrillus Hierosolymitanus (*Catech.* I *Mystag.*).

(2) CHRYS. « Optima, ait, beneficiorum custodia est ipsa memoria beneficiorum et perpetua gratiarum actio : propterea et tremenda et salutaria illa mysteria, quae in omni synaxi celebramus, Eucharistia nuncupantur ; sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum divinae erga nos bonitatis ostendunt, nosque ad debitas semper Deo gratias exsolvendas impellunt ». *Hom.* XXV *in Matth.* n. 3.

(3) Vocatur viaticum a Patribus Nicaenis (can. 13) et a Concilio Carthaginensi IV (can. 77) ; cujus nominis rationem affert s. Thomas : « Hoc sacramentum est praefigurativum fruitionis Dei, quae erit in patria, et secundum hoc dicitur *viaticum*, quia hic praebet nobis viam illuc perveniendi. » III, q. LXXIII, a. 4.

(4) ID. ib. a. 6.

ducavit Elias (III Reg. XIX, 8). — Si consideratur id quod est *res et sacramentum,* scilicet corpus Christi verum, « figurae ejus fuerunt omnia sacrificia veteris testamenti, praecipue sacrificium expiationis, quod erat solemnissimum. » — Si consideratur in Eucharistia id quod est *res tantum*, scilicet effectus hujus sacramenti, « fuit praecipua ejus figura manna, quod habebat in se omnis saporis suavitatem..., sicut et gratia hujus sacramenti quantum ad omnia reficit mentem » ; praeterea Eucharistia uti *res tantum* praefigurata fuit ligno vitae a Deo in medio paradisi plantato (Gen. II, 9). — Agnus paschalis fuit figura Eucharistiae sub triplici hujusce respectu : Eucharistia, uti est sacramentum, figurabatur agno, prouti manducabatur agnus cum panibus azymis ; uti est res et sacramentum, praefigurabatur eodem agno uti hic immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel ; uti est res tantum, praefigurabatur agno, prouti per sanguinem agni paschalis protecti sunt filii Israel a devastante angelo, et educti de servitute aegyptiaca.

PARTITIO. Quae de mysterio Eucharistiae sunt dicenda in tres partes distribuentur :

Prima pars aget *de reali praesentia Christi Jesu* secundum divinitatem et secundum humanitatem sub speciebus panis et vini.

Secunda pars tractabit de Eucharistia uti est *sacramentum*, variasque quaestiones de partibus constitutivis, de subjecto, de ministro, de fructu examinabit.

Tertia demum pars disseret de Eucharistia uti est *sacrificium.*

PRIMA PARS.

DE REALI PRAESENTIA CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI JESU IN EUCHARISTIA.

PARTITIO. Inquiritur 1° an et quo modo Christus *sit praesens* in mysterio Eucharistiae. — 2° Quo modo *fiat praesens;* seu enucleatius a) utrum Christi humanitas constituatur praesens per conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem Christi. — b) Quaenam sit indoles philosophica transsubstantiationis. — c) Utrum ita convertatur panis et vinum, ut eorum accidentia remanere dicenda sint. — Quare prior haec pars in quinque capita distribuetur.

CAPUT I.

De veritate realis praesentiae Corporis et Sanguinis Christi Jesu in Eucharistia.

ARTICULUS I.

Status quaestionis.

BELLARM. *de Euch.* l. I, c. 1.

4. — Sententiae haereticae. Veram et realem praesentiam Christi in Eucharistia denegarunt aut in dubium vocarunt, praeter eos qui, ut Simoniani, Menandriani (sec. I aut II), et Manichaei denegaverunt Verbum assumpsisse veram carnem, non pauci alii :

Seculo IX ineunte, in ecclesia Gallica, Johannes Erigena Scotus negavit dogma praesentiae realis. — Liber *de Eucharistia,* quo

Scotus hunc errorem edocuit et quem scripsit contra s. Paschasium Radbertum, deperditus est; verum, testibus Hincmaro Rhemensi, Adrevaldo monacho et Ascelino, Scotus negavit sacramentum altaris esse verum corpus et sanguinem Christi (1). — Scotum reapse errasse circa Eucharistiam adhuc constat tum quia Berengarius saepe laudat ipsius doctrinam, tum quia liber ejus proscriptus fuit in Synodis Vercellensi, Parisiensi, Romana (a. 1050), tum quia ab ipso Berengario flammis traditus est, anno 1059, in Synodo Romana (2).

Seculo XI, Berengarius, archidiaconus ecclesiae Andegavensis, solet dici primus negasse praesentiam Christi in Eucharistia, eo quod primus hunc errorem propagaverit. — Primum defendit Berengarius Eucharistiam nonnisi figuram esse corporis et sanguinis Christi. Itaque pater est sacramentariorum. Hic error damnatus est in variis Synodis, nempe in Synodo Romana sub Leone IX anno 1050, in Vercellensi et in Parisiensi eodem anno, in Turonensi et Florentina sub Victore II anno 1055. Denique haeresim suam ejurare coactus est in Concilio Romano, sub Nicolao II, a° 1059. — Praeterea professus est Christum secundum humanitatem esse quidem in Eucharistia, verum simul cum pane et vino. Itaque dogma transsubstantiationis negavit, estque pater Lutheranorum (3). Brevi, cum verbotenus visus sit haereticam

(1) Hincmarus Rhemensis refert Scotum docuisse « quod sacramentum altaris non verum corpus et sanguis sit Domini, sed tantum memoria veri corporis et sanguinis ejus. » *De praedestinatione*, c. XXXI.

Adrevaldus monachus scripsit *Opusculum de corpore et sanguine Domini contra ineptias Johannis Scoti*. Refertur hujus opusculi fragmentum apud d'Achéry (*Spicil. I*, 150) in quo veritas realis praesentiae demonstratur ex veterum Patrum sententiis.

Ascelinus refert Scotum docuisse « hoc, quod in altari consecratur, neque vere corpus, neque vere sanguinem Christi esse, sed omnia hic specie geri, non rei veritate. » *Epist. ad Berengarium*. Cf. Mansi, *Coll. Conc.* XIX, 777.

(2) Cf. Mansi, l. c. col. 773, 782, 901.

(3) A Berengario negatam fuisse veritatem praesentiae realis corporis et sanguinis Christi omnino constat ex ipsomet opere ipsius *De sacra coena*, quod a Lessing detectum est (ed. Vischer, Berolini 1834), ubi ait non minus tropica locutione dici : « panis, qui ponitur in altari, post consecrationem est corpus Christi et vinum sanguis, » quam dicitur « Christus est leo, Christus est agnus. » Id etiam testantur tum Adelmannus, qui in epistola ad Berengarium narrat eum tenere id « quod quotidie in universa terra super sanctum altare immolatur, non esse verum corpus Christi neque verum sanguinem, sed figuram quamdam et similitudinem » (M. CXLIII. 1290); tum Lanfrancus, quo teste, fatetur quidem Berengarius Eucharistiam constare sacramento visibili et invisibili re sacramenti ; at hanc rem invisibilem, sc. corpus Christi, elevatam in coelo et sedentem ad dexteram Patris, coelo devocari non posse ; neque etiam panem sustolli in caelum, proindeque panem nequaquam converti in corpus dominicum (*De corpore et sanguine Domini*, X, XXI). — Retractans fidei professionem, in Concilio Romano a. 1079 emissam, confitetur quidem in altari esse verum corpus Christi et sanguinem, panem et vinum a consecratione esse corpus et sanguinem Christi (*Epist. ad Adelmannum*, apud Martène *Anecd.* IV, 109); verumtamen verbis ludit impius vir : non aliter enim asserit in altari haberi verum corpus Christi, panem vocari corpus Christi, nisi quia panis acquirit

mentem retractasse, iterum haeresim revocare debuit, a° 1079, in altero Concilio Romano sub Gregorio VII. (Denz. n. 298). — Fertur ipsum erroris sui paenituisse et in communione Ecclesiae obiisse, anno 1088.

Refutarunt Berengarium Lanfrancus, episcopus Cantuariensis, Guitmundus episcopus Aversanus, Algerus Leodiensis monachus Cluniacensis, quorum primus, judicio Petri Cluniacensis, scripsit bene, plene, perfecte ; secundus melius, plenius, perfectius ; tertius optime, plenissime, perfectissime (1). Praeterea Berengarium refutarunt Adelmannus episcopus Brixiensis, Hugo episcopus Lingonensis, Deoduinus episcopus Leodiensis, Durandus abbas Troarnensis, Gulielmus abbas s. Theodorici.

Praeter hanc haeresim, docuit etiam Berengarius parvulos non esse baptizandos, quare dicitur pater Anabaptistarum; demum docuit matrimonia non esse indissolubilia.

Seculo XII, Petrus Bruis ejusque discipulus Henricus monachus apostata, e quibus Petrobrussiani et Henriciani nomina sua traxerunt, contendunt in ultima coena dumtaxat corpus Christi fuisse praesens sub specie panis; ab hoc tempore fideles fuisse in errorem inductos a sacerdotibus. — Petrum Bruis refutavit Petrus Cluniacencis ; Henricum vero refutavit s. Bernardus (2).

Seculo XIII Albigenses et seculo XIV Flagellantes idem dogma denegaverunt. — Ad Wicleffum quod attinet, aliis quidem in locis videtur tueri praesentiam realem (3), aliis contra negare (4) : certo negat transsubstantiationem. Quare Concilium Constantiense utrumque dogma contra ipsum definivit (Denz. 477-479).

Seculo XVI, dogma praesentiae realis Christi Jesu aggressi sunt Protestantes. Dividuntur in duas sententias.

Prima est sententia *Lutheranorum* (5).

---

virtutem supernaturalem a corpore Christi derivatam, aut quia, ut Lanfrancus refert (op. cit. c. XXII), volebat Berengarius « panem vinumque dominicae mensae Christi carnem ac sanguinem propterea vocari, quod in memoriam crucifixae carnis et de latere effusi sanguinis in Ecclesia celebrentur, ut dominicam passionem per hoc admoniti semper recolamus. »

(1) Vid. Migne, P. L. t. CXLIX, 150. Varia contra Berengarium scripta inveniuntur ap. Migne, vol. cit. et seq.

(2) S. BERNARDUS, *Epist.* XXIV et *Serm.* LXVIII *in Cant.*

(3) WICLEFF : *Trialog.* l. IV, c. VI et X.

(4) *Ib.* l. IV, c. VII.

(5) Evolvitur sententia Lutheranorum non paucorum : Verba consecratoria a sacerdote prolata nihil efficiunt; sed vis permanens verborum pristinae institutionis et praeceptum peragendi hunc ritum a Christo fidelibus datum constituunt Dominum sub speciebus, eo quod hisce verbis suis talem vim creatricem indiderit Christus, ut quamdiu fideles ritum a Domino peractum renovarent, non desinerent efficaciam suam exercere. Effica-

Lutherus testatus est se libenter negaturum fuisse praesentiam realem Christi ; verba tamen institutionis esse clariora quam ut hoc tentare posset (1). Attamen veram fidem turpavit tum dicendo Christum secundum humanitatem esse *ubique*, adeoque in pane et vino praesentem eum esse non vi verborum consecrationis, sed vi omnipraesentiae, tum negando transsubstantiationem (2), tum vetando ne Christus in Eucharistia adoraretur (3).

Secunda sententia est eorum qui *sacramentarii* sunt vocati, quia tenent non dari in Eucharistia nisi signum corporis et sanguinis Domini. — Horum duces fueruni Carolostadius, Zwinglius, Oecolampadius, Bucerus. — Judicio Zwinglii, pastoris Tigurini, Eucharistia est « nihil aliud quam commemoratio, qua iis, qui se Christi morte et sanguine firmiter credunt Patri reconciliatos esse, hanc vitalem mortem annuntiant, hoc est, laudant, gratulantur et praedicant » (4). — Sacramentariis adhaeserunt Sociniani, Armeniani, Anabaptistae, Mennonitae et Quakeri.

Calvinus obscuro modo proponit sententiam suam. Haec est ejus summa : α) In caelo solum corpus Christi habetur, *in coena solum symbolum corporis ;* quare panis vinumque tantum distat a corpore Christi, quantum caelum a terra (5). — β) Corpus Christi et symbolum conjuncta sunt non tantum in ratione signi, sed etiam quia nobis symbolum exhibet cum signo *verum Christi corpus et sanguinem.* Sola fide comprehendi potest quomodo fiat ista conjunctio, ideo est mysterium (6). — γ) Non ipsum corpus Christi ad nos descendit, sed *quaedam vis substantialis* ex Christi corpore in caelis exsistente ad nos derivatur per spiritum ejus, tamquam per canalem quemdam, propter quam

---

ciam verborum institutionis comparant cum virtute verborum creationis ; « Germinet terra herbam virentem et facientem semen », vi quorum singulis annis, vere novo, terra herbis variisque graminibus vestitur. — Verba autem a sacerdote prolata, licet omni virtute careant, non sunt tamen omittenda, sed alta et clara voce coram fidelibus dicenda aut immo decantanda, tum propter Domini mandatum, tum ad roborandam fidem astantium et ad benedicenda panis et vini elementa, sicut insinuat Apostolus : « Calix benedictionis quem benedicimus ».

Cum Christus Dominus varias sanctae coenae partes velut totum aliquod constituerit, inde necesse est totum ritum cum omnibus suis partibus adimpleri. Cum tres partes essentialiter requirantur, sc. consecratio, distributio, sumptio ; inde si, consecratione peracta, reliqui ritus omittuntur, necessario inefficax et nulla est consacratio. Finita communione, desinit Christus esse praesens sub signo sensibili. Quamobrem carpunt morem Ecclesiae colligendi et venerandi particulas panis guttulasque vini, exponendi Sanctissimum et publice deferendi Eucharistiam. Volunt nempe Eucharistiam non esse sacramentum permanens, sed in usu constitutum.

(1) Lutherus, *Epist. ad Argentinenses.* Cf. De Wette, *Luth. epist.* II, 577. — (2) Id. *De captiv. Babyl.* cap. Sacramentum altaris. — (3) *De Eucharistia ad Waldenses.* — (4) Zwinglius : *De vera et falsa religione,* inter opp. III, p. 257, 263. — (5) Calv. *Instit. christ. relig.* l. IV, c. XVII, n. 21. — (6) Ib. n. 10, 11.

manducantes Eucharistiam redduntur participes corporis Christi (1). — δ) Communicatio hujus virtutis corporis Christi fit per *per solam fidem*. Fides enim apprehendit Christum in caelo exsistentem, eum nostrum facit, adeo ut Christum manducemus, h. e. ut participemus bona ipsius. Igitur per Eucharistiam conjungimus corpori Christi, non realiter, sed *cogitatione, intentionaliter* (2). — ε) E praejactis sequitur improbos homines non percipere corpus Christi, licet symbola percipiant, immo juxta Calvinum soli praedestinati percipiunt symbola externa cum re per symbolum significata (3). — ζ) Sacramentum Eucharistiae tantum testatur et confirmat corpus Christi (h. e. ejus dona) et fidem haberi, ubi reapse habentur, nullatenus autem illud sacramentum dat ipsum corpus Christi aut fidem (4).

Tentaverunt protestantes unionem constituere inter Zwinglianos et Calvinianos. In hunc finem Melanchton Confessionem Augustanam mutavit, et modum loquendi ancipitem adhibuit, cui se subscribere posse testatus est Calvinus (5). At incassum : novae enim disceptationes sunt initae. — Hoc seculo XIX, gubernium civile, in Borussia aliisque Germaniae partibus, coegit Lutheranos et Calvinianos in unam eamque externam communionem *Evangelicorum*, in qua quisque de Coena opinaretur uti sibi esset visum. At multi inique ferentes vim sibi illatam, condiderunt communionem separatam. Contra praecipui theologi protestantes defendunt eumdem esse fructum Eucharistiae, sive praesentia realis credatur sive rejiciatur, adeoque nihil obstare quin ex hominibus diversissimae fidei una fieret communio (6).

In Anglia Henricus VIII, tantum abest ut praesentiam realem denegaverit, ut contra anno 1539 negationem transsubstantiationis vetuerit,

(1) Ib. n. 12. — (2) Ib. n. 31-34. — (3) Ib. in l. *De cons. cum Tigur.*

(4) CALV. *Inst.* IV, XVII, § 2, 5. — In tractatu *de coena Domini* summatim enuntiat sententiam suam : « Uno ore fatemur omnes, nos, cum juxta Domini institutum fide sacramentum recipimus, substantiae corporis et sanguinis Christi vere fieri participes. Quomodo id fiat, alii aliis melius definire et clarius explicare possunt. Ceterum hoc imprimis tenendum, ut carnalis omnis imaginatio excludatur, animum oportere sursum in caelos erigere, ne existimemus Dominum nostrum J. C. eo dejectum esse, ut in elementis corruptibilibus concludatur. Rursum ne vis sacrosancti hujus mysterii imminuatur, cogitare debemus id fieri occulta et mirabili Dei virtute, Spiritumque ipsius vinculum esse hujus participationis, quae etiam ob eam causam spiritualis appellatur. »

(5) Articulus X primae formulae Confessionis Augustanae, secundum textum germanicum, sic sonabat : « De coena Domini docetur, quod verum Christi corpus et sanguis sub speciebus panis et vini in coena adsint et ibi distribuantur et sumantur. » Melanchton, anno 1540, hanc formulam substituit : « De coena Domini, docent quod cum pane et vino vere exhibeantur corpus et sanguis Christi vescentibus in coena Domini. » Cf. MÜLLER, *Die symbolischen Bücher der evangelisch-lutherischen Kirche.*

(6) Cf. I. A. DORNER, *System der chrislichen Glaubenslehre* II, § 145,4. — K. HASE, *Hutterus redivivus*, § 123, p. 260.

indicta negatoribus poena mortis. Verum, Henrico vita functo, Cranmer novam Confessionem promulgandam curavit, qua non modo transsubstantiatio, sed etiam praesentia realis aperte excluditur; hanc negationem dogmatis christiani confirmavit Elisabetha, anno 1562 (1). Duce Pusey, conati sunt restaurare fidem in praesentiam realem ii qui Ritualistae vocantur, ob imitationem rituum catholicorum.

5. — Sententia catholica, a Tridentino definita, est « in almo Sanctae Eucharistiae sacramento, post panis et vini consecrationem, *Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum atque hominem, vere, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri.* » Ideo dicitur anathema ei qui « negaverit in sanctissimae Eucharistiae sacramento contineri *vere, realiter* et *substantialiter* corpus et sanguinem una cum anima et divinitate D. N. J. C., ac proinde totum Christum ; sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute (2) ».

His vero verbis Tridentinum perstringit singulos errores, non modo sacramentariorum, sed etiam Lutheranorum : a) Corpus Christi adest *post consecrationem :* Lutherani ubiquistae volebant illud adesse etiam antea. — b) Corpus Christi adest *vi consecrationis :* Juxta ubiquistas adest vi omnipraesentiae. — c) *Corpus* Christi, ejus *anima* et *divinitas* adsunt. Apud Lutherum (3) in dubium revocatur num per naturalem concomitantiam sanguis, anima et divinitas adsint in pane, num aliud praeter sanguinem adsit in vino. — d) Chistus *vere* adest in Eucharistia : Juxta sacramentarios, adest metaphorice, ut in signo seu in figura. — e) Adest *realiter :* Juxta Calvinum et Zwinglium, adest intentionaliter, quatenus fide apprehenditur. — f) Adest *substantialiter :* Calvinus aliquando asserebat Christi virtutem, non vero substantiam adesse. — g) Christus *continetur sub speciebus ;* unde quamdiu perseverant species, tamdiu iis subest Christus, quod iterum negabatur a Luthero.

---

(1) Articulus XXVIII Confessionis ab Elisabetha retractatae sic sonat : « Corpus Christi datur, accipitur et manducatur in coena tantum caelesti et spirituali ratione. Medium autem, quo corpus Christi accipitur et manducatur in coena, fides est. » — In ecclesia anglicana praescriptum quidem est ut « communicantes eam genuflexi recipiant, tamen ne eadem genuflexio... male accipiatur vel depravetur... declaratur nullam per eam vel intendi vel fieri adorationem sive sacramentalis panis vel vini, quae ibi corporaliter recipiuntur, sive corporalis cujusdam praesentiae carnis et sanguinis naturalis Christi. Sacramentalis enim panis et vinum in sua proprietate naturalis substantiae permanent, ideoque adorari non debent... et naturale corpus et sanguis Christi salvatoris in caelo sunt, non hic; simul enim esse in pluribus locis veritati naturali corporis Christi adversatur. » *Book of common prayer*, by J. H. Blunt, p. 199.

(2) Trid. Sess. XIII, *De Euch.* cap. 1, can. 1. — (3) Luth. in l. ad Waldenses, *De Euch.*

Sententiam catholicam demonstraturi, praesentiam realem corporis et sanguinis Christi probabimus primo quidem Scripturae eloquiis ; — deinde testimoniis Patrum et Conciliorum. — Demum ostendetur convenientia institutionis Eucharistiae.

ARTICULUS II.

Praesentia realis probatur Scripturae eloquiis.

Triplex argumentum scripturisticum afferri solet : *Primum* petitur ex verbis Christi apud Johannem capite VI, quibus nempe divus Salvator institutionem Eucharistiae promisit. — *Secundum* petitur ex verbis quibus apud Matthaeum, Lucam, Marcum et Paulum ad Corinthios, Christus Eucharistiam instituit. — *Tertium* petitur ex figuris Eucharistiae, quae in veteri Scriptura leguntur.

§ 1. Promissa a Christo est Eucharistiae institutio (1).

6. — Expositio textus. — *Adjuncta orationis.* Christus multiplicatos panes in cibum jusserat porrigi quinque hominum millibus. Quo signo praestito, multi ex Judaeis admiratione rapti Jesum tamquam prophetam agnoverunt, eumque regem facere voluerunt. Jesus autem fuga se ex eorum manibus eripuit et se contulit in montem. Discipuli vero trans mare Capharnaum remigarunt. Vento magno flante, vident Jesum ambulantem supra mare fieri proximum navi. — Turbae viderant discipulos solos ascendisse navim, aliamque navim ibi non adesse ; inveniunt Jesum in synagoga Capharnaum. Cum nescirent miraculum ambulationis supra aquas, dixerunt ei : « Rabbi quando huc venisti ? » (14, 15). — Jesus eos arguit quod ex intentione minus recta ipsum quaererent : « Quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturati estis ».

Occasione oblata utitur Christus ut Capharnaitas adhortetur ad operandum (h. e. ad sibi comparandum), non quidem cibum qui perit, sed cibum qui permanet in vitam aeternam, quemque dabit mundo ipse Filius hominis, quem Deus Pater signavit in baptismo suscepto.

---

(1) Cf. Salmeron : *Commentarii in evangel. historiam* t. VIII, tract. XIV sq. — P. Patrizi : *Commentatio de pane vitae.* — Commentarii in hunc locum PP. Maldonat, Cornelii a Lapide. — P. Corluy : *Spicilegium*, t. II, p. 336 et sqq. — Toletus : *In Joh.* VI. — Wiseman : *Lectures on the Real Presence*, lect. I-IV.

Quisnam vero sit iste cibus et quomodo permaneat, seu quomodo elargiturus sit aeternitatem beatam, nondum explicat divus Salvator. Attentas facit mentes ad ea quae modo revelabuntur ; excitare videtur Judaeos ut ipsum interrogent (VI, 27).

Judaei dixerunt : « Quid faciemus ut operemur opera Dei ? » (VI, 28). Quibus verbis duplex sensus attribui potest : Etenim vel dicentur Judaei intellexisse sibi operandum esse cibum aeternum, h. e. opera Dei, nunc autem petere quaenam sint haec opera ; vel dicentur petere quaenam opera bona praestare debeant ut sibi procurent hunc cibum qui in aeternum permanebit et quem Christum ipsis elargiturus est. Respondet Jesus et dixit eis : « Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. » — Quo audito, petunt Judaei quodnam fecerit miraculum in testificationem missionis suae divinae, adduntque : « Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est : Panem de caelo dedit eis manducare » (VI, 31). Non una explicatio profertur horum verborum. *Prima* haec est : Multiplicatio panum et promissio de cibo aeterno elargiendo, in memoriam revocat Judaeis miraculum mannae in deserto. Videntur dicere : Moyses, licet merus homo fuerit, annis quadraginta dedit patribus nostris manna de caelo. Multiplicatio igitur panum modo facta, minorem potentiam cum prodat, nobis non est argumentum missionis divinae. *Altera* haec est : Traditio apud Judaeos exstabat iterum manna e caelo esse elapsurum, jubente Messia ; multiplicatio panum in memoriam revocat hanc traditionem ; quare petunt Judaei ut novo hoc miraculo missionem suam confirmet Messias.

Petitio Judaeorum occasionem tribuit Jesu promittendi institutionem Eucharistiae. Miracula paulo ante patrata videbantur ipsi conciliasse animos et fidem eorum. Attamen duxit Christus adhuc proxime praeparandos esse animos ad excipiendum tantae rei nuntium. Sermo, qui sequitur, in duas partes distribui potest. De prima parte duplex interpretatio proponitur; pars secunda clare enuntiat promissionem Eucharistiae.

Expositio primae partis. (VI, 35-48, vel 35-52). Postquam dixerat Jesus : « Non Moyses dedit vobis panem de caelo, sed Pater meus dat vobis panem de caelo verum. Panis enim Dei est qui de caelo descendit et dat vitam mundo » ; inchoat primam partem : « Ego sum panis vitae; qui venit ad me non esuriet et qui credit in me non sitiet unquam... Qui credit in me, habet vitam aeternam. »

1. Juxta alios Christus loquitur in hac parte *de pane quem Pater dat mundo*. In parte sequenti loquitur de pane quem *ipse dabit* fidelibus.

Persona ipsius, doctrina quam proponit, est panis a Patre concessus, hic panis secundum fructus suos permansurus est in aeternum. Per fidem in Personam et in doctrinam, unusquisque recipit quadamtenus hunc panem, seu fructum aeternum colligit : (non esuriet, non sitiet, habebit vitam aeternam, resuscitabitur etc.). Sic ad summam rei quod attinet, Wiseman, Franzelin, Wirceburgenses.

2. Juxta alios Christus in hac parte affirmat *se esse panem verum* de caelo, se nutrire animas et vires iis conferre quibus ad vitam aeternam perveniant. Qua vero ratione Christus sit hujuscemodi panis, hoc explicaturus est in altera parte. Interim praeparat animos et non pauca inserit ad exigendam fidem in verba sua. Quam fidem ut sibi tribuant, promittit credentibus vitam aeternam. Sic Toletus, Cornelius a Lapide, P. Corluy.

Expositio secundae partis (48-60). 48 : Ego sum panis vitae. 49 : Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. 50 : Hic est panis de caelo descendens : ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. 51 : Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi. 52 : Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum : et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. 53 : Litigabant ergo Judaei ad invicem, dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ? (1) 54 : Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. 55 : Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam : et ego resuscitabo eum in novissimo die. 56 : Caro enim mea, vere est cibus : et sanguis meus, vere est potus. 57 : Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. 58 : Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me et ipse vivet propter me. 59: Hic est panis, qui de caelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. 60: Haec dixit in synagoga docens, in Capharnaum.

His verbis Christus Jesus testatur carnem suam, postea immolan-

(1) Capharnaitici errabant circa modum quo Christi caro dicebatur manducanda ; existimabant Christum permansurum esse localiter extensum, adeoque dentibus esse distrahendum in varias partes ; haec manducatio vocari solet *capharnaitica*. Christus respondens Capharnaiticis iterum iterumque affirmat carnem suam esse vere et realiter manducandam ; non corrigit errorem quia hic error non versabatur circa substantiam rei revelatae, quam inculcare intendebat.

dam pro salute mundi, esse panem quem ipse tribuet hominibus; hanc carnem esse manducandam, haud secus atque manna deserti manducabatur; manducantes hanc carnem adepturos esse vitam aeternam, adeoque hanc carmen merito vocari panem qui in aeternum sit permansurus, meritoque carnem dici cibum, sanguinem vero potum; frustrandos a vita aeterna esse eos qui carnem suam manducare detrectaverint.

Ad v. 52, advertendum est graece haec haberi : *καὶ ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μου ἐστίν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς.* Conveniunt interpretes sensum primae partis esse : « panis quem ego dabo *manducandum ;* » quoad alteram partem, alii asserunt sensum esse : « est caro mea quam ego dabo *manducandam ;* » alii dicunt sensum esse : « est caro quam dabo *immolandam,* » adeoque censent totius versiculi hunc esse sensum : « caro, quae immolabitur in cruce pro salute mundi, tradetur manducanda ad instar panis. » — Utraque expositio a Franzelin conjungitur : « Panis quem ego dabo manducandum, caro mea est quam ego dabo vobis et pro vobis, in illa ipsa manducatione immolatam pro mundi vita. » ([1])

Manducatio carnis Christi, de qua in altera hac parte sermonis dominici, est *metaphorica* secundum haereticos, non excepto Luthero. Alii aliter metaphoram explicant : Secundum alios manducare Christum est spiritualiter nutriri per *fidem* in carnem ejus et sanguinem seu in humanitatem : Sic Calvinus ([2]) et Hengstenberg. — Secundum alios est spiritualiter nutriri per *mortem cruentam* Christi : Ait nempe Christus animas nutriri tum sermonibus ipsius tum exemplo mortis cruentae : ita Grotius, Kuinoel, Tholuck. — Secundum alios est *activa susceptio vitae novae quae datur ob merita mortis Christi :* ita, ut videtur, Olshausen.

Secundum sententiam inter catholicos communem in hac parte sermonis sui promittit Christus institutionem Eucharistiae adeoque nomine carnis Christi manducandae et sanguinis bibendi intelligendus est ipsemet Christus vere, realiter et substantialiter praesens sub speciebus eucharisticis. Patres Tridentini manifeste huic interpretationi adhaerent ([3]), licet eam definire noluerint. — Ab ea non discedunt nisi paucissimi catholici ob rationes postea exponendas.

([1]) Franzelin, *De Eucharistia*, Pars I[a], *De sacramento Euch.* Thesis III. — ([2]) Calv. *Inst. IV*, xvii, §§ 1 et 5. — ([3]) Trid. Sess. XXI, cap. 1 et Sess. XIII, cap. vi.

THESIS I[a]. — Christus Jesus, in sermone quem s. Johannes refert (cap. VI, 48-60), pollicitus est se carnem suam et sanguinem vere et realiter esse fidelibus porrecturum in cibum et in potum, adeoque promisit institutionem Eucharistiae.

Ex argumentis constabit hanc veritatem esse *de fide divina* et *de fide catholica.*

7. — Prob. Arg. I[m]. Si Christus Jesus significare intendit carnem suam esse vere et realiter manducandam, sanguinem suum esse bibendum, non potuit clarius mentem suam aperire; si autem voluit loqui de manducatione metaphorica, nempe de fide habenda in ipsum, aut de donis supernaturalibus conferendis ob merita sua iis qui crederent in ipsum, non potuit loqui obscurius. Ergo dicendum est a Joanne VI, 48-60, promitti institutionem Eucharistiae.

I. *Si intendit Christus significare realem carnis suae manducationem et sanguinis potationem, non potuit clarius loqui.*

1. Omnia ab initio sermonis dominici, intellecta sensu obvio, prae se ferunt hunc sensum: a) « Quaeritis me... quia manducastis ex panibus... Operamini... cibum... qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis » (26, 27). — « Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de caelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur » (49, 50). — b) « Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita... Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam » 52-55 ; hac vita caret is qui carnem meam non manducat. Idem pluries post repetit et rationem dat : c) « Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus » (56).

2. Judaei, nempe doctores, scribae, pharisaei, qui sub prima parte sermonis jam murmuraverant, quia Jesus dixerat se descendisse de caelo, nunc litigant (ἐμάχοντο), seu inquirunt inter se de modo quo hoc fieri posset : « Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum » (53). E qua litigatione perspicuum est eos intellexisse agi de reali manducatione. Christus autem id, quod auditores impossibile esse autumant, se revera facturum esse iterum iterumque asseverat, sexies eadem re repetita, nedum duxerit corrigendum esse modum quo verba sua intellexerant auditores. Immo esum carnis suae necessarium dicit saluti; respondet enim litigationi Judaeorum: « Amen, amen, dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis

(1) Aug. *In Joh.* tract. XXVII, n. 3.

ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis » (54). Jamvero si in pravum sensum detorsissent sermonem, Christus non omississet tradere veram verborum suorum significationem, quod statim ostendetur.

3. Audito Christi sermone cum declarationibus, multi ex discipulis narrantur a Christo discessisse, dicentes : « Durus est hic sermo, et quis potest eum audire ? » (v. 61, 67). Ratio cur abierint videtur quidem divo Thomae esse quia Christus sibi attributa divina adscripserat ; verum melius ab Augustino dicitur esse quia verba Christi sensu obvio intellexerant. Quomodo enim potuisset videri tam durum credere in Christum post tam insignia miracula in confirmationem divinae missionis patrata ? — Christus vero iterum confirmat hanc interpretationem, nedum eam corrigat. Dicit enim : « Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt... Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo » (64-66). Jamvero si falsus fuisset sensus obvius, si manducatio realis carnis suae non fuisset significata a Christo, certo Christus non permisisset discipulos, ob pravam intellectionem verborum suorum, a se discedere. Illud evincitur tum eo quod citra culpam suam male interpretati essent Christi sermonem, siquidem manducationem metaphoricam suspicari non poterant ; tum ex sapientia et bonitate Christi, qui sane errorem discipulorum detexisset et genuinum verborum suorum sensum aperuisset ; tum eo quod alibi passim Christus aut explicat sermonem suum male intellectum aut eum confirmat bene intellectum, etiam cum scandalo audientium. Sic Nicodemo male rem intelligenti explicuit verba : « Oportet vos nasci denuo » (Joh. III) ; apud Joh. X explicat parabolam de pastore, ovibus, ostio ; apud Joh. XVI, 19 explicat verba : « Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me » (16) ; apud Matth. XII, 16 sq. explicat parabolam seminantis et zizaniorum. Contra persistit in inculcanda veritate ab auditoribus bene intellecta, licet eisdem dura, apud Matth. IX, 2 sq. Joh. VI, 42 sq. ib. VIII, 12 sq. et 52 sq.

4. Confirmatur *ex adjunctis*. Christus hanc veritatem enuntiat post multiplicationem panum, iis qui huic miraculo interfuerant. Nullum miraculum erat aptius ad ostendendum Judaeis non esse impossibile ut Christus corpus et sanguinem daret fidelibus in cibum et in potum. Post istud miraculum, obvia erat haec significatio verborum Christi.

II. *Si Christus intendit loqui de manducatione metaphorica per fidem, aut alia quapiam ratione, non potuit obscurius loqui.* — Obscure loquitur ille qui verbis suis tribuit significationem prorsus novam, quam astantes

nullatenus valent suspicari. Atqui si Christus loqui voluit de necessitate manducationis metaphoricae ad habendam vitam aeternam, nempe de necessitate fidei et donorum supernaturalium fide comparandorum, tribuit verbis suis « nisi manducaveritis etc. » significationem prorsus inauditam et quam astantes non potuerunt suspicari. Ratio est quia in idiomate illius gentis quam Christus alloquebatur et ex usu Scripturae *manducare carnem* usurpatur vel sensu proprio, vel, ubi occurrit sensu metaphorico, idem audit ac *summo odio aliquem prosequi, injuris afficere* (1); *bibere sanguinem* vel proprie dicitur, vel, ubi occurrit metaphorice, significat *nefandum scelus committere,* aut *poenam immanem luere.* Haec eadem verba, praeter sensum obvium et hunc sensum metaphoricum, non habent alium sensum. Ergo si Christus loqui voluit de fide aut de donis supernaturalibus, dicendus esset annectere significationem prorsus inauditam et quam astantes non potuerunt suspicari.

1. Probatur de locutione *manducare carnem* a) Ps. XXVI, 2 : « Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas ; qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt. » — b) Job. XIX, 22: « Quare prosequimini sicut Deus et *carnibus meis saturamini.* » Quorum verborum significatio tradetur solvendo objectionem 5^m^. — c) Mich. III, 3 : « Qui comederant carnem populi mei. » Sensus est : Numquid, o principes tam Judae quam Israelis, non vestrum est scire et facere judicium h. e. procurare ut cuique suum tribuatur ? At vos ipsi estis primi qui violenter tollitis pelles filiorum Jacob, insuper carnem eorum et ossa h. e. tam avare et ferociter rapitis substantiam et facultates subditorum, e quibus hi sibi victum et consequenter carnem, pellem et ossa hauriunt, ut non tantum illos excoriare, sed et excarnificare, immo exossare atque in frusta concisos devorare velle videamini. Ita Chaldaeus. — d) Ubi Daniel III, 8 et VI, 2, in Vulgata habet *accusare* et apud LXX interpretes διαβάλλειν, in textu chaldaico legitur: *Comedebant frusta* (carnem) Judaeorum, comederant frusta Danielis. — e) Luc. XVI, 1 : « Homo quidam erat dives qui habebat villicum ; et *hic diffamatus est* apud illum. » Syrus vertit « *comedebantur et frusta ejus.* » Cf. ib. XI, 54; XVI, 1. — f) Matth. XXVII, 12: « Et cum *accusaretur* a principibus sacerdotum. » Syrus habet : Cum *frusta carnis ejus comederent* principes sacerdotum. Cf. ib. XII, 20 ;

(1) Diabolus a Syris veluti nomine proprio *comestor carnis* appellatur (Cfr. Matth. IV, 1 ; Luc. IV, 2 ; Act. XIII, 10 ; Eph. IV, 27). Idem est hujus metaphorae usus in lingua arabica (Cfr. *Koran,* Sura XLIX, 12). Ratio hujus metaphorae traditur a WINER : « Assimilantur calumniatores, obtrectatores et sycophantae canibus rabidis, qui frusta corporibus avulsa avide devorant. » *Lexic. manual. hebr. et chald.*

Marc. xv, 3. — Confirmatur quia Gesenius in lexicon hebr. et Chald. habet : « Tropice alicujus frusta comedere exprimit obtrectationem, calumniam. »

2. Probatur de locutione *bibere sanguinem*. a) I Reg. xiv, 33 : « Nuntiaverunt Sauli dicentes quod populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. » Sumitur sensu proprio ; arguitur scilicet populus peccati contra praeceptum in Levit. xix a Deo datum. — b) Ezech. xxxiii, 25 : « Haec dicet Dominus Deus : qui in sanguine comeditis et oculos vestros levatis ad immunditias vestras et sanguinem funditis. » Dicuntur Judaei in sanguine comedisse sensu proprio contra Levit. xix. — c) Sap. xi, 7 : « Pro fonte quidem sempiterni fluminis, humanum sanguinem dedisti injustis. » Sumitur iterum sensu proprio : dicuntur nempe Aegyptii bibisse aquam similem cruori, Nilo in sanguinem verso per virgam Moysis. — d) Is. xlix, 26 : « Et cibabo hostes tuos carnibus suis et quasi musto sanguine suo inebriabuntur, et sciet omnis caro quia ego Dominus salvans te, et.... redemptor tuus fortis Jacob. » Est catachresis, ait Tirinus, pro « mutua caede se conficient et fraterno sanguine madebunt. » — e) Apoc. xvi, 6. « Qui sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt, et sanguinem iis dedisti bibere ; digni enim sunt. » Indicatur *immanem poenam esse luendam* iis qui martyres ad tormenta traxerunt.

3. Confirmatur assertum de utraque locutione, quia Christus Jesus loquitur de re futura : *dabit* carnem suam manducandam. Atqui si significasset fidem adhibendam in missionem suam, dona supernaturalia requisita ad salutem, locutus fuisset de re praesenti. Cum enim alibi agit de fide, exigit ut audientes ipsi credant et fiant justi.

8. — **Arg. II^{m}.** *Ex Traditione.* Nefas est secundum Tridentinum ut quis in rebus fidei et morum interpretari audeat contra eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, aut contra unanimem consensum Patrem. — Secundum Vaticanum, fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio, tamquam divinitus revelata, credenda proponuntur ([1]). — Atqui in sermone Christi, apud Johannem relato, agitur de rebus fidei (exigit enim Christus fidem in dicta sua) et morum (imponit Christus praeceptum manducandi carnem suam et bibendi sanguinem) ; universalis autem consensus Patrum explicat haec verba de vera et

([1]) Trid. Sess. IV, *Decretum de editione et usu sacrorum librorum.* — Vatic. Sess. III, cap. III.

reali manducatione carnis Christi, eamque interpretationem proponit ut rem divinitus revelatam. Patres enim tum Latini tum Graeci, cum exponunt fidelibus dogma praesentiae realis Christi in Eucharistia, provocant ad Johannem capite VI.

A. PATRES GRAECI. *Origenes :* « Tunc, ait, in aenigmate erat manna cibus ; nunc autem in specie caro verbi Dei est verus cibus, sicut et ipse dicit : Caro mea vere est cibus est sanguis meus vere est potus (1). »

Basilius : « *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis...* quod qui accedit ad communionem, non considerans hac ratione, secundum quam corporis et sanguinis Christi participatio datur, is nullam ex ea utilitatem capiat ; et quod qui indigne sumit, damnatus sit (2). »

Epiphanius : « Ei (Abrahae) Melchisedech occurrit, ac panem ipsi vinumque obtulit. Quo facto mysteriorum significationes praefiguravit, quae Domini figuram exprimebant, qui dixit : *Ego sum panis vitae* (3). »

Gregorius Nyssenus : « Sin aliquis etiam ad mysterium respiciens dicat cibum et potum proprie Dominum nominari, ne id quidem a germana significatione recesserit : vere enim caro ejus est cibus et sanguis ejus vere est potus (4). »

Cyrillus Hierosolymitanus (5) in suis catechesibus, *Chrysostomus* et *Cyrillus* Alexandrinus in suis commentariis luculenta exhibent testimonia.

B. PATRES LATINI. *Tertullianus :* « Panis est Sermo Dei qui descendit de caelo. Tum quod et corpus ejus in pane censetur... Christus enim panis noster est, quia vita Christus et vita panis. *Ego sum,* inquit, *panis vitae* (6). »

Cyprianus : « Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus et Eucharistiam quotidie in cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes a caelesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso praedicante et monente : *Ego sum panis vitae* etc. Quando ergo dicit, in aeternum vivere si quis ederit de pane ejus, ut manifestum est eos vivere qui corpus ejus attingunt et Eucharistiam jure communicationis accipiunt, ita contra timendum est et orandum ne, dum quis abstentus separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute, comminante ipso et dicente : Nisi ederitis carnem Filii hominis... (7). »

---

(1) ORIG. *Hom.* VII *in Num,* n. 2. M. XII, 613. — (2) BASIL. *Mor. Reg.* XXI, 1. M. XXXI, 738. 740. — (3) EPIPH. *Haer.* LV. 6. M. XLI, 981. — (4) NYSS. *De perf. christiani forma.* M. XLVI, 268. — (5) CYR. HIER. *Cat. mystag.* IV, 3, 4. M. XXXIII, 1098 sq. — (6) TERTUL. *De orat.* n. 6. M. I, 1160. — (7) CYPR. *De orat. domin.* 18. M. IV, 531.

Hilarius : « Ipse enim ait : *caro mea vere esca, et sanguis meus vere est potus : Qui edit carnem meam* etc. De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione et fide caro est et vere sanguis est. Et haec accepta atque hausta efficiunt ut et nos in Christo et Christus in nobis sit (1). »

Auctor ll. de sacram. « *Ego sum,* inquit, *panis vivus qui de caelo descendi.* Sed caro non descendit de caelo, hoc est, carnem in terris assumpsit ex virgine. Quomodo ergo descendit panis a caelo? et panis vivus? Quia idem Dominus noster Jesus Christus consors est et divinitatis et corporis ; et tu qui accipis carnem, divinae ejus substantiae in illo participaris alimento (2). »

Hier. « Si ergo panis qui de caelo descendit, corpus est Domini, et vinum quod discipulis dedit, sanguis illius est novi testamenti, judaicas fabulas repellamus.... Nec Moyses dedit nobis panem verum ; sed Dominus Jesus : ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur (3). »

Augustinus, in tract. in Joh., distinguit « cibum visibilem, sacramentum et virtutem sacramenti. » Cibus visibilis est id quod sensibus apprehenditur, seu species panis ; sacramentum, res occulta et sacra, distinctum a virtute sacramenti (ab effectu collato), esse nequit nisi corpus Christi. Ceterum alibi Augustinus rem ita diserte explicat. Etenim in sermone CXXXII haec verba explicans « caro mea vere est esca, » invitat catechumenos ut se disponant ad revelationem horum verborum accipiendam ; ad fideles autem dicit : « *Qui jam manducant carnem Domini et bibunt sanguinem* ejus, cogitent quid manducent et quid bibant ; ne sicut dicit Apostolus, judicium sibi manducent et bibant. » Demum in opere *de civitate Dei* scribit : « Quamobrem, quod ait Dominus Jesus : « Hic est panis qui de caelo descendit, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur »..... quomodo sit accipiendum merito quaeritur.... Haeretici et schismatici, ab hujus unitate corporis separati, possunt idem percipere sacramentum, sed non sibi utile, immo vero etiam noxium (4). »

Citat praeterea Maldonatus pro interpretatione eucharistica Theodoretum, Theophilum, Procopium, Gaudentium, Maximum Taur., Leonem, Prosperum, Hesychium, Isodorum, Eusebium Emiss., Cassiodorum, Johannem Damascenum, Theophylactum, Euthymium, Rupertum.

(1) HILARIUS, *De Trinit.* VIII, 14-17. M. X, 246-249. — (2) AUCT. ll. *De sacram.* VI, 1. M. XVI, 555. — (3) HIER. *Epist.* CXX (al. CL) *ad Hebid.* M. XXII, 986. — (4) AUGUST. *In Joh.* Tract. XXVI, n. 11. M. XXXV, 1611. Cfr. tract. XXVII, n. 11 infra inter diff. — *Serm.* CXXXII (al. *de Verb. Dom.* XLVI). M. XXXVIII, 734 sq. *De civ. Dei*, XXI, XXV, 2. M. XLI, 741.

Addere juvat multos horum Patrum scribere commentarios vel disputationes in quibus sensus litteralis est exponendus, non vero mysticus aut accommodatitius.

Confirmatur. Ex eo quod caput VI^m^ Johannis non ageret de Eucharistia, sequeretur a) Johannem, evangelistam primarium et diligentissimum in mysteriis exponendis, nil scripsisse de Eucharistia, ejus enim institutionem non narrat. — Sequeretur b) Christum nullibi explicasse fructum Eucharistiae ; tamen baptismi fructum saepe explicat. — Demum sequeretur c) nullibi exstare praeceptum divinum de Eucharistia sumenda. — Sed haec videntur dici non posse. Ergo.

9. — Scholion I^m^. Patres Tridentini disertis verbis agnosunt Christum Jesum apud Johannem VI loqui de manducatione reali corporis sui. Nam, ubi sermonem faciunt de fine ob quem Christus instituit Eucharistiam, dicunt : « Sumi autem voluit sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius qui dixit, *qui manducat me et ipse vivet propter me* (Joh. VI, 58) » ([1]). Alibi asserunt fideles ad communionem sub utraque specie non astringi jure divino, siquidem neque ex verbis institutionis « neque ex sermone illo apud Johannem VI, recte colligitur utriusque speciei communionem a Domino praeceptam esse » ([2]). Attamen declarant Patres Tridentini se definire nolle in hoc capite Johannis agi de Eucharistia ; illico enim addunt verbis modo relatis : « Utcumque juxta varias sanctorum Patrum et Doctorum interpretationes intelligatur. » Ratio non definiendi erat quod nonnulli scriptores, licet paucissimi et certissime a veritate aberrantes, uti Gabriel, Nicolaus Cusanus, Thomas Cajetanus, Ruardus Tapperus, C. de Alliaco, Joh. Hesselius, Corn. Jansenius Gandavensis, negarunt in hoc loco agi de Eucharistia ([3]). Quare, cum Salmeron petiisset ut Synodus definiret hoc loco Johannis agi de Eucharistia, responsum ipsi fuit a Patribus : « Cum Ecclesia geminae interpretationis opulentia fruatur, eam ad unius paupertatem non esse redigendam » ([4]). Ratio cur nonnulli negaverint in hoc sermone Christi agi de Eucharistia, erat quia, hac interpretatione admissa, consequi videbatur communionem sub utraque specie esse a Christo praeceptam.

10. — Scholion II^m^. Quaeres quisnam sit nexus inter vv. 61-65 ? — 61 : Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire ? 62 : Sciens autem Jesus apud semetipsum

([1]) Trid. sess. XIII, c. II. — ([2]) Ib. sess. XXI, c. I. — ([3] Cfr. Bellarm. *De Euch.* l. I, c. V. — ([4]) Cfr. Pallavicini *Istoria del Concilio di Trento*, t. III, l. XVII, nn. 7, 11, 13, 22.

quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat? 63 : Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius ? 64 : Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam: verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. 65 : Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. »

Resp. Discipulis jam aliquousque durus videri poterat sermo primae partis, praesertim tamen durus videbatur sermo ubi explicite proponebatur manducatio corporis Christi. Christus iis respondet : « Hoc vos scandalizat. Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius. » His verbis aut Christus provocat ad divinitatem suam ut probet veritatem sermonis, aut unam rem mirabilem probat per aliam rem mirabilem. Deinde addit : « *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* » Varia datur interpretatio : a) Spiritus, h. e. id quod in me divinum est, vivificat edentes me ; *caro* h. e. id quod mere humanum est, per se solum nihil prodest ad illam vitam ; quae autem dixi vobis, spiritum sonant divinum vivificantem qui in me est. — b) Proponitur etiam alia interpretatio : Judaei intelligebant agi de manducatione carnis sensibilis seu manentis cum extensione locali, eamque dici esse utilem ad salutem, etiamsi nulla daretur caritas in manducante ; haec vero manducatio nuncupatur *Capharnaitica*. Christus heic diceret : Non proderit haec manducatio, seu caro non porrigetur hoc modo ; spiritus vivificat : proderit manducatio carnis illocaliter praesentis ad modum spiritus, eaque facta cum caritate (1). — Demum c) vox *caro* in hoc versu non significat corpus Christi, adeoque *negatur suppositum*. Juxta Chrysostomum, Thomam, Jansenium, Calmet, πνεῦμα et σαρξ significant *spiritualem et carnalem intelligentiam verborum Christi*. Inde hic est sensus : *Intelligere verba Christi, duce spiritu, i. e. duce supernaturali fide, hoc vivificat ; intel-*

(1) Augustinus in haec verba dominica scribit : « *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam?...* O Domine, magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris, « Nisi quis manducaverit carnem meam et biberit sanguinem meum non habebit in se vitam ? » An vita non prodest quidquam ?..... Quid est ergo, *non prodest quidquam caro ?* Non prodest quidquam, sed *quomodo illi intellexerunt ; carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur aut in macello venditur, non quomodo Spiritu vegetatur*. Proinde sic dictum est : *caro non prodest quidquam*, quomodo dictum est : *Scientia inflat*. Jam ergo debemus odisse scientiam ? Absit. Et quid est, *scientia inflat ?* Sola, sine caritate ; ideo adjunxit : *Caritas vero aedificat*. Adde ergo scientiae caritatem, et utilis erit scientia, non per se, sed per caritatem. Sic etiam nunc, caro non prodest quidquam, sed sola caro : accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit caritas ad scientiam, et prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret.... Spiritus ergo est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam : *sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do ad manducandum carnem meam.* » *In Joh. Evang.* tract. XXVII, n. 5. M. XXXV, 1617.

ligere autem ea sub lumine naturali (caro) *nullam offert utilitatem.* Et ratio est quia verba a Christo prolata pertinent ad supernaturalem illum ordinem : « Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. »

Solvuntur difficultates.

11. — **Obj. 1°.** Apud Joh. VI agi de Eucharistia colligi deberet ex verbis *manducare carnem Christi et bibere ejus sanguinem,* pluries repetitis, ex adjunctis orationis, ex Patribus. Atqui ex nullo horum colligitur.

A. *Non ex adjunctis.* Adjuncta enim proxima consistunt in eo quod Judaei Capharnaum et discipuli intelligunt sensum obvium et quod contenduntur a Christo non corrigi. Atqui ex eo quod Christus non corrigit modum quo Judaei et discipuli verba ipsius intellexerant, perperam concluditur eos attigisse verum sensum horum verborum seu verum sensum esse litteralem. Etenim apud Joh. II, 19, dixit Jesus : « Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud » ; porro haec verba dixit Christus sensu metaphorico de corpore suo resurrecturo tertia die ; Judaei vero intelligebant sensu proprio ; Christus autem non correxit pravum modum intelligendi. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* In eo tantum consistunt adjuncta quod discipuli *non corriguntur* a Christo, *Neg.;* quod praeterea *confirmantur* positive a Christo, *Conc.* — Ad rationem additam, quae ex Joh. II, 19 petitur, respondetur *negando paritatem.* Etenim disparitas datur quoad tria : a) Christus non tenebatur corrigere modum quo verba de templo excitando intellecta fuerant ; contra ubi discipuli abibant propter sermonem ipsius, nonne tenebatur corrigere, si male intellectus fuisset hic sermo ? b) In sermone apud Joh. II, Christus non confirmat pravam intellectionem ; contra apud Joh. VI Christus confirmat interpretationem quam Judaei et discipuli tribuebant verbis suis. c) Eventus postea docuit in Joh. II agi de templo corporis; eventus autem non docuit agi apud Joh. VI de manducatione spirituali, sed contra confirmavit aliam interpretationem.

Inst. Atqui a) etiamsi Christus ap. Joh. VI confirmaret Judaeos, immerito concluderetur eorum persuasionem fuisse veram. b) Christus non confirmat. — *Prob. 1ª subsumptio.* Etenim apud Johannem cap. IV narratur Christus Samaritanae haec verba dixisse : « Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo et dedisset tibi aquam vivam. » Aqua metaphorice accipiebatur a Christo pro fide et justitia; Samaritana intelligebat verba Christi

sensu proprio; respondit enim : « Domine neque in quo haurias habes, et puteus altus est; unde ergo habes aquam vivam ? » Christus non corrigit, immo videtur potius confirmare. Addit : « Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum. » Samaritana eodem sensu intelligit haec verba. Dixit enim : « Domine da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire » (Joa. IV, 10-15). Ergo etiamsi Christus confirmaret discipulos apud Joh. VI, perperam concluderetur sermonem recte fuisse intellectum a discipulis.

Resp. Nullibi Christus confirmat pravam interpretationem verborum suorum. Etenim repetit id quod dixerat, eo fine ut Samaritana suspicetur male prius verba Christi intellecta fuisse. Cum iterum in pravum sensum ea detorqueat, tandem veritatem declarat Christus, cum dicit aperte se esse Messiam (25, 26) et proinde se afferre salutem Judaeis et mundo.

Obj. 2°. *Prob. 2ª subsumptio :* Christus *non confirmat* discipulos. Christus respondet v. 64 discipulis scandalizatis : « Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. » Sensus est : Spiritualis mei manducatio vivificat, materialis quam excogitatis, nihil confert. Ergo Christus corrigit modum quo Judaei intellexerunt et ostendit agi de manducatione metaphorica.

Resp. a) Haec verba, quorum obscura est significatio, nequeunt esse norma secundum quam explicanda sunt verba clarissima. — b) Negatur sensum esse eum quem tuetur objectio et respondetur *distinguendo antecedens :* Spiritualis manducatio, sc. *apprehensio per fidem,* vivificat, *Neg.;* spiritualis, *opposita nempe capharnaiticae, vera tamen et realis* sumptio corporis Christi praesentis ad modum spiritus, *Conc. — Dist. cons.* Christus ostendit agi de manducatione metaphorica, si hoc nomine intelligitur manducatio opposita capharnaiticae manducationi, *Conc.;* si intelligitur hoc nomine *fides in Christum, Neg.* — c) *Negatur suppositum.* Cf. n. 10, sub littera c).

12. — Obj. 3° B. *Non ex verbis manducare* etc. In secunda parte sermonis Christi agitur de eadem manducatione atque in prima. Atqui in prima fit sermo de metaphorica per fidem. Ergo.

Respondetur triplici modo : a) Conceditur agi de eadem manducatione, sed negatur manducationem primae partis esse metaphoricam. Juxta hunc modum respondendi, in prima parte Christus dicit quidem se futurum esse cibum, at non explicat qua ratione; discipuli ancipites haerere debebant circa modum intelligendi et exspectare explicationem tradendam per Christum. Haec autem proponitur a Christo in altera

parte sermonis. — b) Negatur agi de eadem manducatione in utraque parte sermonis Christi. Aperiuntur rationes ob quas defendatur diversitas manducationis; sunt autem sequentes: α) Christus est reapse cibus animarum utroque modo, per fidem nempe et per usum Eucharistiae; itaque nulla est ratio a priori ostendens non fieri sermonem successive de utraque. β) Si res a posteriori consideratur, ex argumentis allatis constat in secunda parte fieri sermonem de manducatione reali; in prima vero parte dantur indicia ob quae dicatur agi de manducatione panis metaphorica. Non tantum enim verba *ego sum panis* optime patiuntur hunc sensum: *ego sum cibus per fidem*, sed praeterea in prima parte Christus se dicit panem quia homines in se credere debent, ad se venire (v. 35); est panis jam datus et quidem a Patre (32, 33); nullibi loquitur de carne et de sanguine quibus contineretur iste cibus; denique Judaei verba Christi sic intelligunt. Murmurantes enim quod Christus se dixerit panem qui de caelo descendit, dicebant: « Nonne hic est Jesus, filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic, quia de caelo descendi? » — c) *Distinguitur:* Admitti potest agi de eadem manducatione, dummodo dicatur in prima parte sermonis proponi obscuriori modo eam manducationem quae clare proponitur ut vera et realis in secunda parte, *Conc.;* potest admitti agi de eadem, si constat agi in prima parte de manducatione metaphorica per fidem, *Neg.* Secunda enim pars est clara; prima est obscura; jamvero sensus loci ex se clari non determinatur per locum obscurum. Quare, si aliunde determinaretur sensus primae partis, et probaretur agi de manducatione per fidem, sequeretur de duabus diversis manducationibus fieri sermonem in duabus partibus sermonis Christi.

Inst. Atqui evidens est agi de eadem manducatione in utraque parte; evidens etiam est manducationem primae partis esse metaphoricam. Ergo nulla solutio.

Prob. 1^m. In prima parte, panis, qui recipitur, dicitur esse Christus et dicitur cibus (v. 35); hic panis manducatur et qui eum manducat, non moritur sed vivit in aeternum (vv. 50, 52). — In secunda parte, caro quae manducatur et sanguis qui bibitur dicuntur esse Christus, dicuntur etiam panis qui descendit de caelo (51, 52), et cibus et potus (v. 56); qui carnem manducat et bibit sanguinem, dicitur habere vitam aeternam (55). Unde sic: Datur parallelismus realis inter utramque partem: eadem assignatur causa, Christus nempe et ejus receptio seu manducatio; idem effectus: vita aeterna. Ergo agitur de eadem manducatione.

Prob. 2^m^. Manducatio *primae partis* est *spiritualis* per fidem. Constat ex vv. 35, 40, 52. « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum » (v. 52). « Ego sum panis vitae; qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet unquam » (v. 35). « Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam (v. 40). Ex his arguitur dupliciter: a) Ubi idem est effectus, ibi eadem est causa. Atqui vita aeterna dicitur tribui per fidem et per sumptionem panis. Ergo sumptio panis est fides. — b) Manducatio panis exstinguit esuriem. Atqui esuries est defectus fidei. Ergo manducatio extinguit defectum fidei adeoque stat in fide. — *Prob. min.* Qualis specifice sitis, talis esuries. Atqui sitis stat in defectu fidei. Ergo.

Respondetur iterum triplici modo :

1. *Negatur utraque pars instantiae.* Ratio negandi est quia neutrum est evidens : quare pars secunda sermonis Christi, quae est clara, non debet explicari ad normam partis primae, quae est obscura.

2. *Negatur prima pars instantiae et conceditur pars altera.* — Ad probationem, *distinguitur antecedens :* Datur parallelismus realis *quoad omnia, Neg.*, quoad nonnulla, immo multa, *Conc.* In utraque parte dicitur sumi Christus ut sumptio gignat vitam; verum dicitur sumi alio modo in alia parte : sumitur nempe quatenus in eo creditur in prima parte, sumitur realiter in altera parte.

3. *Conceditur prima pars instantiae et negatur pars altera.* — Ad primam probationem : a) *Dist. maj.* Ubi idem est effectus, eadem specie est causa *principalis*, *Transm.;* eadem est causa *instrumentalis*, *Subd.* si sermo fit de instrumento *physice* agente, *Conc.; moraliter* agente, *Neg. Cdt. min.* — b) *Transm. ant. Dist. min.* Dicitur vita aeterna conferri *remote et radicaliter* per fidem, *Conc.; proxime, Neg.*

Vita aeterna datur hominibus a Deo tamquam causa physica principali, a Christo, propter merita in cruce parta, tamquam causa morali principali. Multiplex est causa moralis instrumentalis; inter has causas reperiuntur fides, usus sacramentorum, actus variarum virtutum. Inde nil impedit quin vita aeterna dicatur conferri per fidem in una parte sermonis Christi, per Eucharistiam in altera. — Ceterum fides non confert immediate vitam aeternam sed tantum radicaliter et mediate, nempe per sacramenta et opera bona quorum est radix.

Ad *secundam* probationem haec fit responsio : Sic explicari potest v. 35 : « Ego sum panis vitae, qui venit ad me, in me credendo, non esuriet, nam illico satiabitur pane eucharistico (quod explicatur in

altera parte sermonis), et qui credit in me non sitiet umquam, siquidem hic cibus famem et sitim satiabit tribuendo vitam aeternam. »

Obj. 4°. Christus eum solum sensum tribuit verbis, quem discipuli potuerunt intelligere. Atqui discipuli non potuerunt intelligere alium praeter sensum metaphoricum. Ergo.

Prob. 1ª pars min. Coena Domini instituta est pridie passionis Christi; sermo autem, qui refertur a Johanne VI, habitus est anno integro ante Christi passionem. Ita Lutherus et Kemnitius. Ergo in hoc loco neque agitur de Eucharistia, neque discipuli rem sic intelligere potuerunt.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem *conceditur antecedens; negatur 1ª pars consequentis, et distinguitur 2ª pars:* Discipuli non potuerunt intelligere *modum* quo Eucharistia instituenda erat, *Conc.;* non intellexerunt Eucharistiam *promitti*, *Neg.*

Uti Christus ante mortem promisit Petro claves regni caelorum et explicuit significationem et vim clavium (Matth. XVI), has tamen Petro nonnisi post resurrectionem contulit (Joh. XXI); ita etiam prius promisit Eucharistiam, quam eam instituit. Apostoli ex Joh. VI non potuerunt quidem intelligere modum quo Christus corpus et sanguinem in cibum et potum esset traditurus fidelibus, sed intellexerunt hoc aliquo modo factum iri a Christo.

Obj. 5°. *Prob. 2ª pars min.* Prima pars sermonis metaphorice intelligenda erat a discipulis. Ergo optime cognoverunt alteram partem sermonis esse metaphorice intelligendam.

Resp. a) *Neg. ant.* Excipitur tamen haec propositio: « *Ego sum panis* », quae intelligitur idem esse ac: « *Ego sum cibus animae.* » Intellexerunt Apostoli, audita altera parte sermonis, Christum se dicere cibum ratione Eucharistiae postea instituendae. b) *Conc. ant. Neg. cons.* Christus explicat quomodo sit cibus animarum, dicendo in secunda parte carnem suam esse manducandam; contra non explicat metaphorice manducationem carnis suae, neque suspicari poterant apostoli sensum figuralem.

Obj. 6°. Verba manducare carnem Christi, sunt accipienda metaphorice, significantque Christum fidelibus esse *amandum ardenter.* Colligitur ex Job XXXI, 31: « Si non dixerunt viri tabernaculi mei: quis det de carnibus ejus ut saturemur? » Nonnulli Patres existimant haec verba dicta esse a domesticis Job, et significari amorem ardentissimum suum erga Job.

Resp. *Dist.* Citata verba *in ipso Job* significant amorem domestico-

rum in Job, *Neg.;* Patres sic interpretati sunt haec verba, *Subdist.* ob verba Johannis ab ipsis intellecta prius sensu obvio et consequenter manifestantia caritatem Christi erga discipulos, *Conc.;* secus, *Neg.*

Sensus verborum quae leguntur in libro Job hic est : Quis reperiet aliquem qui de victu ejus non sit saturatus ? — Nonnulli Patres duxerunt ea esse verba odii domesticorum in Job; alii, verba horum domesticorum in hostes Job; alii tuentur interpretationem objectionis. Hi derivaverunt hanc interpretationem ex verbis Christi apud Joh. sensu obvio intellectis. Eo quod Christus seipsum praebet in cibum et in potum, significat caritatem suam ergo fideles, quae caritas postulat redamari. Hinc juxta hos Patres pro synonymis habentur « manducandam praebere carnem, » et « amare amarique. » Hoc sensu accommodaverunt praefata verba ad Eucharistiam.

Obj. 7°. Manducantibus panem promittitur vita aeterna. Atqui haec nequit promitti nisi fidei et caritati. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Eucharistiae promittitur vita aeterna quia praeservat a lethali, confortat voluntatem et fundat jus ad gratias actuales plures et validiores, etc. *Conc.;* promittitur vita aeterna, quasi nihil ulterius exigeretur, nempe status gratiae ante receptionem Eucharistiae et ejus conservatio post receptionem, *Neg.; Cdt. min.*

Manducantibus carnem Christi promittitur vita aeterna tum quia non manducantes incurrunt damnationem, eo quod negligunt adimplere praeceptum Christi sub gravi obligans, tum quia Eucharistia alit vitam spiritualem, expellit peccata venialia et praeservat a lethalibus, siquidem confortat voluntatem et est titulus fundans jus ad auxilia gratiae actualis plura et validiora. — Usus Eucharistiae confert ista dona per se; per accidens impediuntur, si sumitur ab habente obicem. De hujusmodi subjecto dicit Paulus manducari judicium (I Cor. XI).

13. — Obj. 8°. *Non ex Patribus.* — *Augustinus* exponit locum Johannis de manducatione metaphorica. Asserit enim manducare carnem Christi idem esse ac uniri Christo per caritatem (1); manducationem esse spiritualem et figuralem (2). Atqui haec sonant metaphoricam manducationem. Ergo.

Resp. *Dist. 1ª pars : Fructus* et *dispositio* manducationis habetur in caritate secundum Augustinum, *Conc.;* ipsa manducatio est caritas, *Neg.* — *Dist. 2ª pars :* Manducatio dicitur spiritualis et figuralis, quia

(1) AUG. *In Joh. Evang.* tract. XXVI, n. 18, 19. M. XXXV, 1614. — (2) ID. *De doctr. christ.* IV, XVI, 24. M. XXXIV, 75.

non est capharnaitica, Conc.; quia non est *vera ac realis* seu quia *non intus suscipiuntur* corpus et sanguis Christi, *Neg.*

Ex locis supra citatis constat quaenam sententia Augustini menti adhaeserit. In locis modo citatis asserit quidem manducare carnem esse uniri Christo per caritatem, manducationem esse spiritualem et figuralem; verum ibi supponit Christum realiter manducari, agitque *de fructu et dispositione requisita*, et *de modo quo fit manducatio.* Fructus enim Eucharistiae et dispositio requisita est caritas. Deinde manducatio est figuralis et spiritualis hoc sensu quod *non est capharnaitica*, qua dentibus premeretur caro Christi. Talem esse Augustini sententiam abunde liquet ex conclusione totius capitis (1).

Obj. 9°. Tridentinum noluit definire in Joh. VI agi de Eucharistia. Ergo agnoscit traditionem non esse universalem.

Resp. a) *Dist. ant.* Noluit definire et tamen clare ostendit judicio suo in Joh. VI agi de Eucharistia, *Conc.;* et hoc non clare manifestat, *Neg.* b) *Conc. ant. Dist. cons.* Ergo agnovit consensum Patrum non esse *moraliter unanimem, Neg.;* non esse *physice* unanimem, *Trans.* Ob paucissimos Patres, paucissimosque scholasticos, rem dirimere noluit Tridentinum.

§ 2. Instituta est a Christo Eucharistia (2).

14. — Expositio textuum. *Adjuncta.* Appropinquabat dies festus azymorum, qui dicitur Pascha. Jam principes sacerdotum et scribae pacti erant pecuniam dare Judae si Jesum ipsis traderet. Jesus autem omnium praescius misit Petrum et Johannem qui pararent Pascha in coenaculo magno strato, quod ipsis commodaret homo quidam quem obvium haberent ferentem aquae amphoram. In ultima hac coena, Christus Jesus agnum paschalem cum discipulis manducavit, deinde

(1) August. « Hoc totum quod Dominus de carne et sanguine suo locutus est, et quod in ejus distributionis gratia vitam nobis promisit aeternam, et quod hinc voluit intelligi manducatores et potatores carnis et sanguinis sui, ut in illo maneant et ipse in illis, et quod non intellexerunt qui non crediderunt, et quod spiritualia carnaliter sapiendo scandalizati sunt... hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, dilectissimi, ut carnem Christi et sanguinem Christi non edamus tantum in sacramento, quod et multi mali; sed usque ad spiritus participationem manducemus et bibamus, ut in Domini corpore tamquam membra maneamus, ut ejus spiritu vegetemur, et non scandalizemur, etiam si multi modo nobiscum manducant et bibunt temporaliter sacramenta, qui habebunt in fine aeterna tormenta. » *In Joh. Evang.* tract. XXVII, M. XXXV, 1620.

(2) Cfr. S. Th. III, LXXVIII, 5. — Suar. *De Euchar.* d. XLVI, s. 3. — Vasq. In III^m p. d. CLXXIX, c. VI. — Bellarm. *De sacram. Euchar.* l. I, c. VIII-XI. — Wiseman : *Dem. evangel.* T. XVI ab initio dissert. in praesent. realem. T. XV. p. 1104, 1159, 1232-1286. — Franzelin, Th. IV et VI.

eorum pedes lavit, mox iterum mensae accubuit et sacramentum, sacrificiumque Eucharistiae instituit.

Institutio narratur a Matthaeo, Marco, Luca et Paulo in ep. ad Cor.

Matthaeus institutionem Eucharistiae ita refert (XXVI, 26-29) : « Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite : Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis : non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. » Graecus textus verba consecrationis sic refert : *Τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου — Τοῦτο γάρ ἐστιν τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.*

Marcus XIV, 22-25 ait : « Manducantibus illis, accepit Jesus panem ; et benedicens fregit, et dedit eis, et ait : Sumite : Hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis : et biberunt ex illo omnes. Et ait illis : Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei » — Graecus textus : *Τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου — Τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον.*

Lucas haec habet XXII, 14-20 : « Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis : Desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice, gratias egit, et dixit : Accipite, et dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat. Et accepto pane, gratias egit, et fregit et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens : Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur ». Textus graecus sic habet : *Τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον. — Τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.*

Paulus qui totam suam scientiam de vita terrestri Christi acceperat ab ipso Christo glorificato revelatione immediata (Cfr. Gal. I, 12) ad Corinthios scribens (I Cor. XI, 23-25), Eucharistiae institutionem ita refert : « Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit : Accipite et manducate : Hoc est corpus meum,

quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine; hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. » In textu graeco: Τοῦτό μου ἐστιν τὸ σῶμα τὸ ὑπερ ὑμῶν κλώμενον. Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. — Τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐστιν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι. Τοῦτο ποιεῖτε, ὁσάκις ἂν πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

Ad verba Matthaei et Marci « Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur ; » et haec *Lucae et Pauli:* « Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis fundetur, » notasse juverit haec verba Exodi XXIV, 5 et sqq. « Misitque (Moyses) juvenes de filiis Israel, et obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis et misit in crateras ; partem autem residuam fudit super altare ; assumensque volumen foederis, legit, audiente populo, qui dixerunt : Omnia quae locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, et ait : *Hic est sanguis foederis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* »

Notasse etiam juverit verba Pauli ad Hebraeos IX, 19-22: « Lecto enim mandato legis.... accipiens sanguinem vitulorum et hircorum.... ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit ; et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio. »

Ex hac collatione apparet hunc esse sensum verborum Christi apud Matthaeum et Marcum: « Hic est sanguis meus, quo effuso confirmatur novum foedus messianicum et fit remissio peccatorum; » apparet etiam hunc esse sensum verborum Christi apud Lucam et Paulum : « Quod continetur in hoc calice est id quo sancitur novum Testamentum, sancitur nempe in meo sanguine qui in calice continetur et pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. » Talem esse sensum Lucae et Pauli apparet etiam ex collatione cum Matthaeo et Marco ; denique ex eo quod τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, refertur ad ποτήριον adeo ut sensus sit *calix effunditur pro vobis,* quod verum non est nisi calix sumatur pro sanguine Christi. — Attamen juxta alios is est sensus : Id quod continetur in calice est donum novum, quod vobis datur in meo sanguine, qui pro vobis sacrificaliter offertur.

QUAESTIO. Quaeritur an verba « Hoc est corpus meum ; hic est

sanguis meus novi Testamenti, » significent corpus et sanguinem Christi *vere ac realiter fuisse constituta in ultima coena sub speciebus panis et vini ;* num realiter iterum *fiant praesentia in altari, cum sacerdos pronuntiat eadem verba* vi praecepti Christi : « Hoc facite in meam commemorationem. » Quaeritur itaque an verba Domini sint intelligenda secundum sensum *litteralem, obvium* et *proprium,* an secundum sensum *improprium* et *metaphoricum.*

15. — Sententiae haereticorum [1]. Anno 1577 prodiit libellus in quo ducentae numerantur haereticorum expositiones verborum : *Hoc est corpus meum.* Inter has eminent eae novem quarum tres fundantur in in pronomine « *hoc,* » duae in verbo « *est,* » tres in nomine « *corpus,* » una in adjectivo « *meum.* »

1ª est Andraeae Carolstadii : Ex pronomine *hoc* facit adverbium *heic* et dicit sensum esse : *Hic sedet corpus meum.* Addit se doctum fuisse hunc sensum a Patre caelesti. Lutherus contra Carolstadium scripsit librum qui inscribitur *Contra caelestes Prophetas.*

2ª est Buceri et aliorum. Pronomen *hoc* significare dicunt *totam actionem coenae,* adeoque sensum esse : « *Haec actio est (repraesentat) corpus Christi.* »

3ª est Joh. Langi [2]. *Hoc* significari existimat *panem metaphorice acceptum*, adeoque verba Christi hunc facere sensum : *Corpus meum est cibus, seu nutrit animas.*

4ª est Zwinglii [3]. Juxta ipsum *est* tropice accipiendum est pro *significat*, adeoque sensus est : « Hoc significat corpus meum. » Asseruit spiritum aliquem sibi, dum dormiebat, revelasse verbum « *est,* » significare idem atque *est* in Ex. XII, 11 : « Est enim phase (id est transitus) Domini. »

5ª est Petri Boquini [4] aientis verbum *est* significare *dicitur*, sensumque esse : *Hic panis dicitur corpus meum,* nempe hic panis *moraliter unitur* cum corpore meo in caelis degenti, ratione cujus unionis dicitur esse

(1) Lutherus scripsit : « Hoc diffiteri non possum, quod si quis ante quinquennium mihi persuadere potuisset, nihil esse in sacramento praeter panem et vinum, ille magno me beneficio devinctum haberet. Saepius enim in hac materia discutienda multum desudans, omnibus nervis extensis, me ex his Christi verbis extricare et expedire conatus sum, cum ipse perspicerem hac re imprimis papatui me valde molestum fore. Verum effugere nequeo, nulla evadendi relicta via : textus enim Evangelii nimis apertus est et patens. » — In *Apologia de coena Domini* acriter reprehendit Lutherus istos omnes qui verbis Domini alienum sensum affingere studebant : « Ex his sacrosanctis vocabulis : *Hoc est corpus meum*, Doctor Carolstadius misere detorquet pronomen *hoc ;* Zwinglius autem verbum substantivum *est* macerat; Oecolampadius nomen *corpus* excruciat; alii totum textum excarnificant. »

(2) *Annot. ad II Apol. Justini.* — (3) *De vera et falsa religione*, cap. De Eucharistia.. — (4) *Examen libri Heshusii,* non procul ab initio.

corpus meum. Uti nempe, ait, ob unionem hypostaticam habetur communicatio idiomatum, qua divina et humana de se mutuo praedicantur in concreto (Deus est homo, homo est Deus, immortalis est mortalis, mortalis est immortalis) ; sic ob unionem duarum rerum dissitarum, nempe panis et corporis Christi, datur communicatio idiomatum qua unum dicitur esse alterum.

6ª est Joh. Oecolampadii qui tropice interpretatur « corpus, » dicitque illud significare *figuram corporis,* adeoque sensum esse : *Hoc est figura corporis mei.*

7ª est Joh. Calvini ([1]), qui contendit corpus metonymice significare *figuram* et *signum corporis.* Idem ferme affirmat Petrus Martyr, mente cujus « corpus » idem dicit ac « *sacramentum corporis.* »

8ª est nonnullorum Calvinistarum, juxta quos corpus significat *corpus mysticum* h. e. *Ecclesiam,* adeoque sensus est: Accipite et manducate, quia *vos, discipuli mei, estis corpus meum mysticum.*

9ª est ea quam jocose excogitavit Lutherus ([2]) et proposuit ut irrideret sacramentarios. Sensus verborum Christi poneretur esse : « *Hic panis est corpus a me factum.* » Hunc sensum serio defendit Joh. Campanus.

Sententia catholica. Juxta doctrinam catholicam, Christi Domini verba sunt accipienda sensu *litterali, proprio* et *obvio* proindeque significant corpus et sanguinem Christi esse *vere, realiter, substantialiter praesentia sub re quae sensibiliter apprehendebatur et quam Christus manibus tenebat, aut quae in calice continebatur.* — Talem vero sensum horum verborum tenendum esse praescripsit Tridentinum in sessione XIII, cap. I et IV ([3]).

His verbis non tantum significatur praesentia realis, at iisdem *causatur haec praesentia.* Haec autem causalitas, ex disputatis de sacramentis in genere, dicenda est esse non quidem physica, sed moralis. — Praeterea iisdem verbis significatur in fine prolationis ipsorum jam non praesentem esse substantiam panis et vini, sed solas apparentias seu species panis et vini, adeoque *significant transsubstantiationem* istarum substantiarum in corpus et sanguinem Christi. Hanc vere transsubtantiationem non tantum significant, sed eam moraliter *causant.* — Demum per eadem verba in mysterio altaris verum *offertur sacrificium.* — Im-praesentiarum tamen ab his quaestionibus praescindemus, et solam praesentiam realem corporis et sanguinis Christi tuemur.

([1]) *Inst.* IV, XVII, 21. — ([2]) In libro *Quod verba Domini firmiter stent.*

([3]) Inter catholicos unus Cajetanus declaravit verba illa, seclusa Ecclesiae auctoritate, ad veritatem praesentiae realis confirmandam non sufficere : « Non apparet, ait, ex Evangelio coactivum aliquod ad intelligendum haec verba proprie » (*Comm.* in III, q. LXXV, art. 1). Haec tamen assertio in editione, cura Pii V emendata, fuit expuncta.

THESIS II[a]. **In sanctissimae Eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem Domini Nostri Jesus Christi, manifestissime constat ex verbis institutionis, uti referuntur a Matthaeo (XXVI, 26-28), Marco (XIV, 22-24), Luca (XXII, 19, 20), et Paulo (I Cor. XI, 24, 25).**

Ut probetur thesis, duo sunt demonstranda.

1. Christus Jesus in ultima coena corpus et animam suam praesentia stitit sub symbolis panis et vini (abstractione facta utrum hoc symbolum sit substantia panis et vini, an solae species). Id probatur duobus argumentis, quorum unum quidem petitur ex verbis dominicis, alterum vero ex adjunctis orationis.

2. Christus Jesus apostolis et successoribus dedit potestatem sistendi humanitatem suam praesentem sub iisdem symbolis, deditque praeceptum ut hac potestate uterentur. — Illud ultimum, supposito primo, eruitur ex verbis : *Hoc facite in meam commemorationem.* Solemne enim erat Christo verba sua tali modo dirigere ad successores apostolorum. Sic apostolos jussit praedicare evangelium omnibus gentibus et baptizare omnes gentes, promisit se cum illis futurum usque ad consummationem seculorum, se in caelo remissurum peccata quae ipsi in terra remitterent etc. Quare sufficit primum argumentis adornare.

16. — Prob. Arg. I[m]. Petitur *ex verbis institutionis.* Si Christus reapse significare intendit corpus et sanguinem suum esse vere, realiter, substantialiter praesentia sub symbolis vini et panis, non potuit adhibere verba magis perspicua; contra si non intendit significare corpus et sanguinem esse sub his symbolis vere praesentia, ex industria discipulos decepit. Ergo his verbis Christus significat humanitatem suam esse praesentem sub symbolis panis et vini. — Manifestissima est sequela. Heic enim supponitur in aliis tractatibus divinitatem Christi invictis argumentis demonstrari; divinitate autem Christi admissa, jam absurdum foret asserere Christum in re tam gravi voluisse discipulos suos decipere. — Annotare juvat cum inutile opus aggredi qui vellet probare dogma praesentiae realis ad persuadendos eos qui Christi divinitatem denegarent.

Prob. ant. 1. *De consecratione corporis.* a) In ultima coena, ubi praesentes fuerunt Matthaeus et Petrus (qui institutionem Eucharistiae narravit Marco), visus est Christus accepisse panem ἄρτον *(masculini generis)* et dixisse τοῦτό *(neutri generis)* ἐστιν τὸ σῶμα μου. Post resurrectionem apparuit Paulo eumque edocuit doctrinam evangelicam;

Paulus vero eam retulit discipulo suo Lucae ; uterque autem refert eadem verba Christi. Porro horum verborum sensus est : « Haec res indeterminate sumpta, quam manibus gesto, est corpus meum. » Jamvero α) si Christus significare vult corpus suum jam fieri praesens sub his symbolis, pronum erat dicere : « id quod manibus teneo et videtur esse panis reapse jam est corpus meum ; » contra si res quam manibus tenebat nonnisi figura erat corporis dominici et proinde si panis substantia non convertebatur, sed ei annectebatur tantum aliqua vis significandi corpus Christi, potius dixisset : « *Hic panis, οὗτος*, est, seu significat, corpus meum. » Ergo. — β) Cum emphasi aliqua apud Matthaeum et Marcum adhibetur articulus *τό* adeo ut sensus videatur esse : « Hoc est ipsum corpus meum, ipse sanguis meus. » Atqui si Christus voluisset dicere praesens fieri sub speciebus panis ipsummet corpus suum, id clarius significare non potuit.

b) Apud Paulum legitur : *τοῦτό μου ἐστὶν τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον*, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Manifestum est verba *quod pro vobis frangitur* referri ad *corpus meum;* porro ex usu biblico constat sensum esse *quod vobis frangitur in cibum* (Cf. Th. de sacrificio Missae); porro corpus Christi in cruce mortuum nequit dici in cibum esse porrectum; optime vero corpus Christi sub speciebus praesens dicitur in cibum porrigi (Cf. Joh. VI). Ergo. — *Neque dicas* a) sensum esse : « Hoc est figura corporis mei quod pro vobis in cibum porrigitur. » Si enim corpus Christi non porrigitur in cibum in Eucharistia, nullibi, fatentibus adversariis, porrigitur in cibum. *Neque dicas* b) sensum esse : « Hoc, quod est figura corporis mei, porrigitur vobis in cibum ; » manifestum enim est verba *τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον* referri ad *τὸ σῶμα*, nullatenus vero ad *τοῦτό*.

2. *De consecratione sanguinis* dicitur : a) apud Matthaeum et Marcum : Hoc (indeterminate) aut hic calix (sc. quod in calice continetur) est sanguis meus, est nempe sanguis novi testamenti (h. e. juxta alios donum quod vobis porrigo in nova lege, vel melius juxta alios, id quo sancitur seu confirmatur novum testamentum), est etiam id quod pro multis effundetur in remissionem peccatorum. — b) Apud Paulum et Lucam : Id quod continetur in hoc calice est novum testamentum in meo sanguine confirmatum (*διατιθεμένη*), sc. est id quo confirmatur seu sancitur novum testamentum, sancitur nempe meo sanguine ; est etiam id quod pro multis effunditur. — Inde apparet Matthaeum et Marcum in recto quidem indicare id quod in calice continetur, in obliquo autem effectum illius quod in calice continetur, quod nempe N. T. san-

citur ; contra Lucas et Paulus in recto indicant effectum, in obliquo illud quod est in calice.

Unde sic arguitur : Si Christus voluisset significare sanguinem suum fieri praesentem, clarius id significare non potuit. Etenim a) calix est *effusus* pro peccatis, *sancit novum Testamentum.* Sed hoc est verissimum de sanguine vero Christi ; falsum autem est de nuda figura sanguinis ; haec enim figura quomodo dici posset esse effusa, sancire novum Testamentum ? b) Sanguinem effundi ex usu Scripturae significat sanguinem in *verum sacrificium offerri.* Et re quidem vera, sanguinis effusionem significare sacrificium colligitur ex multiplici Scripturae loco : ex Hebr. passim ; Act. xx, 28 ; Rom. iii, 25 et v, 9 ; Eph. i, 7 ; Col. i, 14, 20 ; Act. xx, 28 ; I Pet. i, 2, 19 ; I Joh. i, 7 ; Apoc. i, 5. Itaque sacrificatur id quod in calice continetur ; atqui hoc iterum verissimum est de vero sanguine Christi : oblatus enim est in cruce et est capax ut in Eucharistia iterum offeratur in sacrificium ; contra figura sanguinis nullatenus dici potest offerri in verum sacrificium. Ergo.

17. — Arg. II^m^. Petitur *ex adjunctis institutionis :* Si Christus his verbis : « Hoc est corpus meum ; hic est sanguis meus, seu quod continetur in calice est sanguis meus, » non tribuit sensum obvium et proprium, sed improprium et metaphoricum, tenebatur hanc significationem metaphoricam apostolis aperire. Atqui non aperuit, uti perspicuum est. Ergo verba Christi accipi non possunt sensu metaphorico, sed accipi debent sensu obvio et proprio, et consequenter declaratur realis praesentia corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini. — Constat major quia Christus Dominus intelligendo verba sua sensu metaphorico et non declarando se ea accipere metaphorice, certo praesciebat apostolos ea verba intellecturos esse sensu obvio, adeoque falsissimo. Porro prorsus admitti nequit Christum usum esse verbis quae praesciebat intelligenda esse sensu falso. Ergo admitti nequit Christum haec verba metaphorice dixisse.

A. *Christus praescivit apostolos interpretaturos esse verba sua sensu obvio.*

1. *De facto* Apostoli sensu obvio intellexerunt verba Christi : a) Quomodo secus explicaretur quod Matthaeus, Marcus, Lucas, Paulus, scribentes alio tempore et in alia regione, referant verba Christi et quod numquam ne insinuetur quidem sensus metaphoricus ? — b) Apostoli excludunt significationem metaphoricam : α) Paulus enim in I Cor. xi, 27-29, narrata Eucharistiae institutione, haec subdit : « Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, *reus erit corporis et sanguinis Domini....* Qui manducat et bibit indigne, judicium

sibi manducat..., *non dijudicans* (h. e. non discernens a cibo communi) *corpus Domini.* » Optime intelligitur eum esse reum mortis qui indigne manducat ipsum corpus Christi; verum si quis in statu lethali memoriam dumtaxat facit mortis Christi, quomodo exin dignus fit damnatione? β) Idem Paulus in I Cor. x, 16 ostendit se accipere verba Christi secundum sensum proprium : « Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? » Declarat enim Apostolus quid sit ista res quae prima fronte videtur esse panis ; his speciebus communicari dicit fidelibus corpus et sanguinem Christi. Ut fideles ab ethniorum epulis deterreret, proponit ipsis calicem consecratum esse communicationem (κοινωνία) sanguinis Domini et panem consecratum esse participationem (κοινωνία) corporis Domini, adeoque calicem qui bibitur et panem qui manducatur esse ipsammet unionem cum Christo. Quare pergit Apostolus : « Quoniam unus panis, unum corpus multi (οἱ πολλοί) sumus, omnes, qui de uno pane participamus. » Quorum verborum sensus est: Nos fideles, quamvis multi simus, unum tamen panem mysticum et unum corpus mysticum constituimus ; ratio autem hujus unitatis est quia omnes de uno pane participamus; omnes vero de uno pane participamus quia panis quem frangimus est unum idemque corpus Christi omnes inter se et cum ipso Christo conjungens in uno corpore mystico.

2. Certum erat apostolos intellecturos fuisse verba dominica secundum sensum obvium, nisi significatio metaphorica a Christo explicaretur. Etenim a) saepe apostoli intelligebant sensu proprio ea verba quorum metaphoricus sensus erat tamen satis perspicuus. Exempla praebent Matth. xvi, 11; Joh. iv, 32, 33; Joh. xi, 12 et xiv, 7-9; Luc. xxii, 36, 38. Peculiariter id verum est de sermone sub ultima coena habito. Christus enim eos jam non servos sed amicos appellat, quibus nota facit quaecumque a Patre audivit. Quare apostoli Domino aiunt : « Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis » (Joh. xvi, 29). Ergo Christo optime notum erat verba sua iterum sensu proprio esse intelligenda. — b) Ex miraculis Christi ipsis apparebat possibilitas ut Christus humanitatem suam constitueret praesentem sub symbolis panis et vini ; neque ullo dubio apostolorum mentes erant percellendae. — c) Christus apostolis promiserat se esse daturum carnem suam manducandam et sanguinem bibendum. — d) Substantia panis et vini quae, negata praesentia reali, permanere dicenda est, ex natura rei non est signum corporis et sanguinis Christi, adeoque non accipi poterat ab apostolis ut signum, nisi Christus hoc diceret.

B. *Christus nequit dici usus esse verbis quae praescivit in falsam significationem esse trahenda.*

1. Instituit Christus ritum religiosum perpetuo duraturum ; immo ritum qui futurus erat quasi centrum cultus novi et vinculum praecipuum quo fideles inter se colligandi erant, quo ipsamet Eucharistia erat devote adoranda a quoquo optimo christiano, veluti ipsummet corpus et sanguis Filii Dei. Itaque si Christi verba non sunt vera nisi metaphorice, et si tamen sensu proprio intelliguntur, idololatria foedissima erat inde secutura usque ad finem mundi, hujusque auctor ipse Christus erit dicendus. Ergo impium est dicere Christum usum esse verbis quae praesciisset in falsum sensum esse trahenda a discipulis suis.

2. Materia de qua agitur est pactum, testamentum, sacramentum, lex, dogma. Ergo Christus non utitur modo loquendi quem certo praescit falso esse intelligendum ; immo quia conditur pactum, testamentum, sacramentum, lex, dogma, dicendus est Christus uti terminis obviis et propriis, non autem metaphoricis.

Prob. ant. et cons. a) Sacramenta cetera Deus et Christus instituunt verbis secundum significationem propriam. Sic instituta sunt circumcisio, esus agni paschalis, expiationes et sacrificia ; sic etiam terminis propriis agitur de baptismo apud Matthaeum, Marcum, Johannem. Ergo Christus, cum instituebat Eucharistiam, usus non est terminis metaphoricis. — b) Eucharistiam esse testamentum superius est declaratum et aperte dicitur tum a Matthaeo : « Hic est enim sanguis meus novi testamenti, » tum a Paulo et a Luca : « Hic est calix novum testamentum in sanguine meo. » Jamvero nihil solet magis clare exprimi ab hominibus quam testamentum, siquidem secus ansa litibus praebetur. Et revera in Exodo XXIV et in Hebr. IX, 19 sq. perspicuis verbis legitur institui vetus testamentum. Sic etiam Jacob in Gen. XLIX, 29 sq., postquam obscuriori modo singulis filiis fata sua vaticinatus erat, clarissimis verbis ultimam voluntatem exprimit. Ita etiam perspicua testamenta condunt rex David (III Reg. II, 2 sq.), Tobias (Tob. IV, 2 sq.), Mathatias (I Mach. II, 49 sq.). Ergo clarissimis verbis Christus condidit Testamentum, ubi agitur de re tanti momenti. — c) Eucharistiam esse praeceptum divinum constat ex verbis promissionis et institutionis. — d) Dogmata praecipua verbis claris, obviis, propriis enuntiari solent in Scripturis. Uti enim notat Bellarminus (1)

(1) BELLARM. *De Euch.* l. I, c. IX.

« tropi locum habent, vel in prophetiis ad rem obscurandam, vel in laudationibus ad rem ornandam, vel denique in cohortationibus ad rem amplificandam, non autem in dogmatibus, quae praecise credi, aut servari debent. Unum autem ex praecipuis dogmatibus Christianae religionis in illis verbis : *Hoc est corpus meum*, contineri, nemo hactenus negavit. »

Satisfit difficultatibus.

Sacramentarii, ex ratione sacramenti, ex verbis a Christo subnexis : « hoc facite in meam commemorationem, » ex comparatione cum quibusdam locutionibus Scripturae, quas sacramentales dicunt, demum ex tropica locutione quam adhiberi aiunt a Luca et Paulo, suadere nituntur panem et vinum verbis institutionis appellari signum corporis et sanguinis Domini, nequaquam autem illud quod in Eucharistia exhibetur ipsum corpus esse ipsumque sanguinem Christi.

18. — Ad objectionem quam petunt adversarii *ex locutionibus sacramentalibus* passim in Scriptura occurrentibus, varia sunt praemittenda :

1. Omnis propositio affirmat convenire subjecto id, quod per praedicatum significatur ; praedicatum autem potest sumi sensu proprio et sensu metaphorico. — Si sumitur sensu proprio, ipsa res, ex usu communi significata, subjecto inest ; si sumitur metaphorice, alia res, praeter eam quae termino praedicati proprie significatur, subjecto inest ; terminus praedicati pro hac altera re supponit, ob aliquam relationem quae exstat inter hanc rem et id pro quo proprie terminus praedicati supponit. — Praeter alias hujuscemodi relationes, habetur relatio signi ad signatum, similis ad simile : Sive aliter a) propositio enuntiare potest subjecto inesse non quidem id quod praedicatum in sensu proprio significat, sed vim significandi id pro quo supponit praedicatum in sensu proprio : hoc sensu dicitur, indigitata imagine B. V. : « En Beata Virgo, » seu « Haec res est B. V. ; » sensus profecto est : haec res habet vim significandi B. V. M. seu est signum aut repraesentatio B. M. V. b) Significari potest subjecto inesse similitudinem aliquam cum re pro qua praedicatum in sensu proprio supponit, seu proprietatem quae potissimum relucet in alio ; hoc sensu dicitur : « Petrus est leo, » h. e. est similis leoni ; in eo relucet fortitudo qua leo est insignis.

Utrum praedicatum accipiendum sit sensu proprio, an metaphorico, sive utrum res proprie significata per praedicatum insit subjecto, an similitudo cum ea aut vis illud significandi, hoc elucescere debet vel ex

natura rei (tales sunt imagines sculptae aut pictae), vel ex praecedenti institutione legentibus aut audientibus aut videntibus cognita (tales sunt typi varii V. L., talia etiam sunt vexilla variarum gentium), vel ex manifesta indole orationis (tales sunt parabolae).

2. Superius ostendimus naturam rei et adjuncta orationis probare sensum proprium esse accipiendum in verbis institutionis Eucharistiae, nedum metaphoricum suadeant : *Natura rei* hoc ostendit. Substantia enim panis ex natura sua non est signum corporis Christi ; Christus autem non declarat se ad libita tribuere hanc vim substantiae panis et vini; immo contrarium declarat. E consulto enim non dicit : « Hic panis, hoc vinum est corpus et sanguis » ; sed *hoc,* indeterminate sumptum, est jam corpus meum, adeoque desinit esse panis ; hoc, quod continetur in calice, est sanguis meus, cessatque esse vinum. — *De adjunctis* sufficienter est modo dictum.

19. — Porro nullum lapidem non movent osores mysterii Eucharistiae, ut ostendant verba institutionis metaphorice esse accipienda. In hunc finem congregant ex Scripturis plurima eloquia, quibus unum dicitur esse alterum non sensu proprio sed metaphorico, quatenus nempe unum est signum alterius illud notum faciens, aut prae se fert alterius similitudinem.

Circa ista testimonia, quibus innituntur adversarii, contendimus quotiescumque sensus metaphoricus sit admittendus, hoc suaderi sive rei natura, sive adjunctis. Praecipua testimonia sunt sequentia; opponuntur verbis institutionis a Calvino, Klebitio, Petro Martyre [1].

1. Gen. XVII, 10 : « *Hoc est pactum meum*, quod observabitis inter mé et vos, et semen tuum post te : Circumcidetur ex vobis omne masculinum. » Igitur dicitur *circumcisio esse pactum.* — Haec verba duplici modo explicari possunt : a) Pactum dici potest accipi pro « *signo pacti, foederis*, » adeo ut sensus sit : « In signum pacti quod initur inter me et te semenque tuum, circumcidetur omne masculinum. » Haec interpretatio suadetur contexta oratione et natura rei : *α) Contextu :* subnectitur enim immediate : « Et circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit *in signum foederis inter me et vos.* » Suadetur *β) natura rei :* si enim foedus fit inter Deum et populum electum, istud foedus nequit totum quantum reponi in hac caeremonia. — b) Pactum, foedus, de quo in Gen. XVII, comprehendit quaedam praestanda per populum et quaedam beneficia a Deo conferenda; de beneficiis jam

(1) Cf. BELLARM, l. I, c. XI.

dixerat Deus, « Eris pater multarum gentium etc.; » de praestandis populo heic agit dicendo : « Hoc est pactum : circumcidetis etc. » Hinc sensus vocis *pactum* est *pars pacti, praeceptum ad te respiciens;* nempe pars pacti quod inter me et te semenque tuum initur, pars, inquam, quae te et semen tuum respicit, est circumcisio masculinorum; praeceptum vobis adimplendum est ut circumcidatur omne masculinum.

2. Gen. XLI, 26 : « *Septem boves pulchrae et septem spicae plenae, septem ubertatis anni sunt.* » — Contexta oratio et natura rei ostendunt septem boves pulchras et spicas plenas *significare*, notos facere, septem annos ubertatis. Impossibile enim est ut bos aut spica sit annus. Pharao in somnis viderat has boves et spicas; petit a Josepho, non *quid sit* bos aut spica, sed *quid significaverint.*

3. Ex. XII; 11. « Sic autem comedetis illum (agnum paschalem) : Renes vestros accingetis et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus et comedetis festinanter, *est enim Phase (id est transitus) Domini* » (1). Igitur caerimonia paschatis dicitur esse Phase, transitus Domini. — Contextus ostendit hunc esse sensum : Haec solemnitas perpetuo *appellanda est phase Domini.* Deus nempe imposuit nomen huic ritui solemni comedendi agnum paschalem. Ratio nominis illico additur a Deo : « Et (nam) transibo per terram Aegypti nocte illa percutiamque omne primogenitum... et transibo vos » (v. 12). Solemnitas est instituta in memoriam liberationis populi et transitus Domini, quo Deus transit domus filiorum Israel tunc cum percussit omne primogenitum Aegyptiorum et ideo nomen *phase* huic solemnitati a Deo est impositum. Confirmatur vv. 26, 27 : « Et cum dixerint vobis filii vestri : Quae est ista religio ? Dicetis eis : Victima transitus Domini est, quando transivit per domos filiorum Israel in Aegypto, percutiens Aegyptios et domos nostras liberans. »

4. « *Semen est verbum Dei* » (Luc. VIII, 11). « *Ego sum ostium* » (Joh. X, 9). « *Ego sum vitis, vos palmites* » (Joh. XV, 5). Natura rei et contexta oratio optime explicant metaphorice sumi haec verba : metaphoram indicat aut explicat ipse Christus.

---

(1) Haec objectio aliquam celebritatem nacta est ob originem suam. Narrat Zwinglius sibi solutionem difficultatis fuisse suggestam tempore quo disputabat cum scriba catholico coram senatu Turingensi : « Visus sum mihi (nocte 13 apr. 1525) denuo in somnis cum scriba contendere sicque obmutui, ut, quod verum sciebam, probare non possem. Ibi subito visus est monitor adesse — ater an albus fuerit, nihil memini — qui diceret : quin, ignave, responde ei, quod in Exodo legitur : Est phase, h. e. transitus Domini. Simul expergefactus lecto exsilii, locum diligenter inspexi, de eo mox coram Ecclesia disserui, illeque sermo omnibus piis, qui adhuc nonnihil haerebant, omnem nebulam discussit. » Cf. Hospinian. Zwinglian. *Hist. Sacrament.* II, 59.

5. I Cor. x, 1-4. « Patres nostri... omnes mare transierunt... Et omnes eumdem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spiritali, consequente eos petra : *petra autem erat Christus).* » — Duplex interpretatio fit verborum ultimorum : a) Juxta Chrysostomum ([2]) dux Judaeorum erat Christus qui secundum divinitatem comitabatur Judaeos per desertum toto peregrinationis tempore, eos defendebat, iis dedit potum feriendo petram materialem; ratione hujusce facti vocatur « *Petra.* » — b) Translatio nominis petrae ad Christum habet analogiam cum aliis V. L. locis ubi Deus vocatur petra. Cf. Deut. xxxii, 4, 15, 18 (hebr.); ps. xvii, 3 (xviii, 3); Is. xvii, 10, xxv, 4 (hebr.) Ex natura rei constat Christum non esse petram sensu proprio, unde *vocatur* Petra ob factum ad quod Paulus alludit.

20. — Obj. 1°. In tantum ex verbis institutionis Eucharistiae eruere-tur praesentia realis Christi sub symbolis panis et vini, in quantum verba *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus,* sensu obvio forent accipienda, non autem sensu metaphorico. Atqui significatio horum verborum est metaphorica. Ergo.

Prob. min. ex locutionibus sacramentalibus a Deo et a Christo in V. L. et in N. L. adhibitis. — In V. L. Deus dicit ad Abraham in Genesi : « Hoc est pactum meum, circumcidetur omne masculinum. » — Deus per Joseph dicit ad Pharaonem : « Septem boves pulchrae et septem spicae plenae sunt septem anni ubertatis. » — In N. L. Christus dicit : « Verbum Dei est semen, Ego sum ostium ovilis, Ego sum vitis vos palmites; » Paulus ait : « Petra erat Christus. » Jamvero Deus et Christus adhibent has locutiones in sensu tropico pro signis rerum quae significantur terminis sensu proprio acceptis. Ergo in verbis institutionis Christus loquitur eo modo qua Scriptura solet de mysteriis loqui.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* Significatio verborum Christi dicenda est metaphorica, nisi contrarium evidenter concludatur ex diversis *verbis* inter se collatis, ex *natura rei* et *ex adjunctis* orationis, *Conc.; his obstantibus, Neg. Dist. cons.* — Ad probationem respondetur *distinguendo :* In aliis testimoniis significatio est metaphorica et hoc evidenter *patet ex natura rei et ex adjunctis, Conc.;* secus, *Neg.*

21. — Ad objectionem quam movent adversarii *ex consecratione calicis* apud Lucam : *τοῦτό τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον* ; et apud Paulum I Cor xi, 25 : *τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι,* haec veniunt observanda :

([2]) Chrys. in h. l. M. LXI, 191. Cf. Cornely, Comment. in h. l.

Nihil obstat quin sermo sumatur sensu proprio quoad substantiam, et nonnullae expressiones metaphoricae occurrant; nihil enim est magis assuetum hominibus quam haec ratio loquendi. Utrum sermo quoad substantiam sit accipiendus sensu proprio, an metaphorico, dijudicatur ex verbis, ex materia subjecta et ex adjunctis; ex eadem norma discernitur utrum peculiaris terminus accipi debeat proprie an metaphorice. — Porro ostensum est ex verbis, ex subjecta materia et ex adjunctis sermonem Christi apud quatuor auctores sacros esse intelligendum sensu proprio ad substantiam rei quod attinet. — Occurrunt tamen in consecratione calicis, apud Lucam et apud Paulum, duo aut tres termini metaphorici, hoc enim constat applicatione ejusdem regulae. Verum, quod summa attentione est dignum, *iidem tropi exigunt ut substantia rei narratae intelligatur sensu proprio*, scilicet ut *ipse sanguis Christi*, non vero ejus *figura*, dicatur contineri in calice. — Hi autem tropi sunt ποτήριον, διαθήκη, ἐκχυνόμενον.

Ποτήριον dicitur effundi : Natura rei ostendit continens metonymice supponere pro contento ; quod etiam tenendum est a sacramentariis. Idem ostenditur locis parallelis Matthaei et Marci, aientium τοῦτό ἐστιν αἷμά μου... ἐκχυνόμενον. Patet enim idem dici his verbis : τοῦτο τὸ ποτήριον ἐν αἵματί μου... ἐκχυνόμενον.

Διαθήκη. *Testamentum* varias significationes accipere potest juxta Maldonatum. Potest nempe hoc nomine designari sive a) foedus ; sive b) res de quo foedus fiebat; foedus autem continet duo: α) donum et obligatio unius partis ; β) donum et obligatio alterius partis ; sive c) instrumentum quo foedus fit, aut symbolum quo sancitur. Foedus proprie sumptum stat in acceptatione utriusque partis; nequit autem dici sanguinem esse hujuscemodi acceptationem. Restat itaque ut id quod in calice continetur dicatur esse testamentum prouti est donum quod Christus confert, aut id quo foedus novum sancitur. — Quidquid autem dicatur, exigitur ut sanguis Christi ipse contineatur in calice, non autem nuda ejus figura.

Ἐκχυνόμενον. Sive sumatur sensu proprio sive metaphorico, exigitur ut substantia narrationis intelligatur sensu proprio, sc. ut sanguis Christi dicatur contineri in calice. Si enim sensu *proprio* intelligitur, sensus totius propositionis est : Quod continetur in calice, fuit realiter effusum pro vobis in cruce ; sed nonnisi sanguis Christi est effusus in cruce, adeoque sanguis Christi dicendus est contineri in calice. — Si *metaphorice* sumitur, tunc sensus est : « Quod continetur in calice pro vobis sacrificaliter offertur » ; ulterius vel affirmatur sacrificaliter oblatum

in cruce et tunc ἐκχυνόμενον refertur ad ποτήριον materialiter, vel affirmatur sacrificaliter oblatum prouti continetur *in calice* et tunc refertur ad ποτήριον formaliter. Ostensum est modum consuetum loquendi suadere ut ἐκχυνόμενον sumatur metaphorice pro « *sacrificaliter oblatum* », et ostendetur postea in adjunctis deprehendi indicia ostendentia ἐκχυνόμενον referri ad ποτήριον formaliter ; sed utraque interpretatio metaphorica exigit ut sanguis Christi dicatur realiter praesens in calice ; hic enim solus fuit sacrificaliter oblatus in cruce, et solus potest dici offerri in sacrificium in actione missae.

Obj. 2°. *Ex consecratione calicis.* Apud Paulum et Lucam occurrit jam duplex expressio tropica : Ποτήριον enim metonymice sumitur pro eo quod continetur in calice, sive dicatur esse sanguis Christi, sive vinum. Deinde ποτήριον vocatur διαθήκη ; sed neque calix, neque id quod in eo continetur, valet esse testamentum, sed figura testamenti aut ejus signum aut causa etc. — Praeterea qui defendunt praesentiam realem, adhuc admittunt tertium tropum, sc. referunt τὸ ἐκχυνόμενον ad ποτήριον formaliter sumptum, seu aiunt hunc sensum esse : quod continetur in calice effunditur pro vobis seu sacrificaliter offertur prouti in eo continetur ; sic autem intelligunt haec verba, quia secus non assereretur verbis consecrationis Christi sanguinem *in Missa* offerri in sacrificium, sed tantum assereretur sanguinem Christi in calice contentum offerri sacrificaliter *in cruce.* — Unde sic : Apud Paulum et Lucam duplex aut triplex tropus admittitur. Ergo nihil obstat quin omnia tropice intelligantur, etiam verba : *Hoc est corpus meum.* Quomodo enim potest defendi in brevi sermone misceri modum loquendi proprium et modum metaphoricum ?

Resp. a) *Dist. ant.* Occurrunt varii tropi in consecratione calicis et omnes tropi exigunt ut sanguis Christi sensu *proprio* dicatur contineri in calice, uti ostensum est inter argumenta, *Conc. ;* secus, *Neg. Dist. cons.* — b) *Conc. ant. Neg. cons.* Nihil enim obstat, uti supra dictum est, quin sermo quoad substantiam rei sumatur sensu proprio et simul quidam termini occurrant metaphorice.

22. — Ad objectiones quae petuntur ex pronomine « *hoc,* » quaeres pro quo « *hoc* » supponat in his verbis : *hoc est corpus meum.*

A. *Ad responsionem praenota :* 1. Cum affirmatur formam aliquam inesse rei, res significari potest duplici modo per subjectum propositionis : a) Connotata aliqua forma : Sic dicitur : « Hic homo est doctus, aut hic est doctus ; » b) nulla connotata forma, adhibito pronomine *hoc* modo indeterminato ; sic dicitur : « Hoc est marmor, sc. haec res est mar-

morea. » Subjectum *hoc* adhibetur ut attentio audientium dirigatur ad rem individuam, cujus natura fit nota per praedicatum.

2. Cum propositio est *theoretica,* seu simpliciter affirmat praedicatum convenire subjecto, *praesupponitur* veritas objectiva propositionis, seu unum convenit alteri independenter a loquente et antecedenter ad locutionem. — Cum autem propositio est *practica,* seu cum ipsa efficit id quod significat, veritas objectiva non praesupponitur, sed *fit.* Igitur in fine propositionis praedicatum convenit subjecto, in initio non convenit.

B. *Responsio quaestioni:* In verbis consecrationis pronomen *hoc* nullam formam *determinate* significat ; Christus auditores attentos facit ad rem praesentem; haec res in initio propositionis est substantia panis et vini, in fine est corpus et sanguis Christi. Propositio enim Christi est practica.

Observa 1. In Summa III, q. LXXVIII, a. 2, Angelicus dicit pronomen *hoc* demonstare species sensibiles panis, quae solae manent cum mutatur panis in corpus Christi ; verum Aquinas in a. 5, ad 2^{m} explicat pronomine *hoc* non ita demonstrari accidentia ac si sensus esset : Haec accidentia sunt corpus meum, sed eo demonstrari substantiam sub illis accidentibus contentam, quae substantia in initio sermonis erat panis, in fine autem sermonis Domini est humanitas Christi. Quae explicatio ad praejactam explicationem haud aegre trahitur.

Observa 2. Juxta Alensem et Bonaventuram *hoc* supponit pro *pane* et *vino* convertendis, adeoque pro eo quod subest rei indigitatae in initio propositionis. Juxta Scotum supponit pro corpore et sanguine Christi, proindeque pro eo quod in fine subest rei indigitatae (1).

Obj. 3°. In propositione *hoc est corpus meum,* terminus *hoc* supponit pro pane adeoque sensus est: *hic panis est corpus meum.* Atqui, hoc habito, significatio est metaphorica, seu sensus est : *hic panis est figura corporis mei ;* aperte enim absurdum esset panem dicere corpus Christi. Ergo. — *Prob. maj.* Secus vel *hoc* supponeret pro corpore, et sensus esset *hoc corpus est corpus meum ;* vel supponeret pro speciebus panis et vini et sensus esset *hae species sunt corpus meum.* Atqui prima propositio est tautologica, itaque ea non est significatio propositionis. Secunda est falsa; de accidente enim non affirmari potest ratio substantiae. Ergo.

Resp. 1. *Dist. maj.* Terminus *hoc* supponit *formaliter* pro pane, seu connotat clare hanc formam, *Neg. ;* audientes attentos facit ad rem indeterminate sumptam, quae reapse est panis, *Subdist.* quae est panis

(1) ALENS. t. IV, q. x, memb. 4, a. 2, § 3. BONAV. in 4 d. 8, p. II, a. 1, q. 1. — SCOT. in 4 d. 8, q. II.

in initio propositionis, *Conc.; in fine* ejusdem, *Neg.* Propositio enim est practica; efficit ut res fiat corpus Christi. *Cdt. min.* Si terminus *hoc* supponeret *formaliter* pro pane, significatio esset metaphorica, *Transm.; Si attentionem excitat ad rem quae reapse est panis, Subd.* propositio est metaphorica, si res indeterminate significata *in initio propositionis* est reapse panis, *Neg.;* si *in fine* est panis, *Conc.* — Ad probationem respondetur eodem modo *distinguendo majorem* et sic *contradistinguendo minoris primum assertum :* Tautologica est propositio : Haec res *indeterminate sumpta* in fine sermonis est corpus meum, *Neg.;* tautologica est propositio : Hoc corpus meum *determinate sumptum* est corpus meum, *Conc.* Alterum membrum sic *distinguitur :* Falsa est propositio : Haec accidentia *formaliter sumpta* sunt corpus meum, *Conc.;* falsa est haec propositio : *Quod substat his accidentibus* est corpus meum, *Neg.*

Respondetur aliter 2° : *Transmittendo majorem* et sic *distinguendo minorem :* Si propositio est *theoretica*, verba *hic panis est corpus meum*, habent significationem metaphoricam, seu sensus est : Hic panis est figura corporis mei, *Conc.;* si propositio est *practica, Neg.* Christus enim verbis suis transsubstantians panem et vinum potuisset dicere « hic panis est corpus meum »; « est » enim tunc significat : « fit, » seu sensus est : « Quod nunc est panis, jam erit et est corpus meum. »

Respondetur 3° *transmittendo majorem et negando minorem.* Etiamsi verba non essent operatoria physice aut moraliter illius quod significant, nihilominus significatio non foret metaphorica. Sensus enim esset : « Hic panis, quem manibus teneo, omnipotentia Patris, jam non erit panis sed erit corpus meum. »

Inst. Atqui terminus *hoc* supponit pro pane in fine verborum.

Obj. 4°. *Probatur dupliciter :* a) Secus mutatur suppositio termini « hoc ». Atqui hoc nequit admitti. Ergo. — b) Objectum seu veritas objectiva praesupponitur actui facultatis, sc. judicio et propositioni de objecto. Atqui ad verba Christi praesupponi nequit objectum, nisi illud objectum etiam in fine verborum Christi sit panis. Ergo.

Resp. *Distinguitur 1ª probatio :* Secus mutatur suppositio *formalis, Neg.;* mutatur suppositio *materialis*, seu alia est res indicata termino *hoc* in fine atque in initio, *Conc.* — *Cdt. min.* — Non mutari suppositionem formalem, exinde est manifestum quia nulla forma determinate indicatur termino « hoc »; mutari suppositionem materialem, constat quia propositio est practica, si autem nulla daretur mutatio rerum, propositio dicenda esset theoretica.

Ad 2ᵐ probationem respondetur : a) *Retorquetur argumentum.* Panis non

est ex natura sua signum corporis Christi ; inde fit hujusmodi verbis Christi. Quare opponi potest adversus hanc sententiam eadem prorsus difficultas. — b) *Distinguitur major :* Objectum praesupponitur judicio et propositioni, si sunt *theoretica*, *Conc.*; si sunt *practica*, *Neg.* — *Conc. min.* — *Neg. cons.*

23. — Ad objectiones quas petunt adversarii *ex contextu variorum locorum ubi de Eucharistia* fit sermo et *ex ratione sacramenti*, haec praenotentur:

Christus unitur speciebus, non modo localiter, sed adhuc ratione influxus quem in eis efficienter exercet. Ratione istius unionis corpus Christi potest *frangi* et *manducari*, sanguis vero *bibi*. Compositum enim agit in organa ratione specierum ; ita vero agit ut tendat ad hoc ut assimiletur corpori sumentis et ut species reapse ei assimilentur ; jam vero haec sufficiunt ut veritas sermonis verificetur, nulla vi illata verbis dominicis.

Ratione ejusdem unionis corpus Christi dici potest *sacramentum*, seu pars principalis materiae hujus sacramenti. Non enim exigitur ut tota materia sacramenti sit per se sensibilis, sed sufficit ut una pars sit per se sensibilis, altera vero uniatur huic priori parti ; neque exigitur ut omnes partes sacramentales significent immediate gratiam, sed sufficit ut aliae significent mediate, aliae vero immediate. Species autem sunt sensibiles per se, corpus Christi unitur speciebus, supernaturaliter in iis agendo vi potentiae obedientialis. Hoc autem dato et hac praesentia Christi speciebus uniti cognita per verba consecrationis, mens devenit facile in cognitionem gratiae sacramentalis conferendae per sumptionem compositi ex speciebus et ex corpore Christi.

Ratione ejusdem unionis cum speciebus, corpus Christi vocatur panis in I Cor. x, 16, 17 : « Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est ?... Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus ». His verbis compositum ex speciebus panis et ex corpore Christi nominatur modo nomine unius partis, modo nomine alterius ; cum nominatur nomine specierum, dicitur *panis* quia ratione specierum apparet esse panis. Manifestum est in ipso hoc loco clare affirmari praesentiam realem, nedum ex eo seria difficultas peti valeat.

Apud Lucam XXII, 17 sq. legitur : « Et accepto calice, gratias egit et dixit : Accipite et dividite inter vos. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. » — Immerito affirmant sacramentarii vocari et esse vinum, id quod a Christo in institutione Eucharistiae porrectum fuit apostolis. Etenim a) haec verba a Christo

sunt dicta ante institutionem Eucharistiae de vero vino quod apostolis bibendum offerebat, uti colligitur ex integro loco Lucae attente perspecto. b) Dato haec verba fuisse dicta de Eucharistia, explicarentur dicendo corpus Christi vocari vinum ratione specierum, haud secus ac corpus Christi vocatur panis a Paulo in I Cor. x.

Obj. 5°. Determinatur significatio verborum consecrationis per verba quae praecedunt, per verba quae sequuntur, immo per verba ipsius consecrationis qualia deprehenduntur apud Paulum et Lucam. Porro a) *ante consecrationem* dicit Christus : « Manducate et bibite ». Itaque porrigit Christus id quod reapse est manducandum et bibendum. b) *In consecratione :* Luc. XXII, 17 sqq. « Et accepto calice, gratias egit et dixit : Accipite et dividite inter vos. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat ». — b) *Post consecrationem* ap. Matth. XXVI, 29 et Marc. XIV, 25 : « Dico autem vobis : Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei ». Demum apud Paulum l. c. Eucharistia vocatur panis.

Ex his ita arguitur : Illa significatio est attribuenda terminis *corporis* Christi et *sanguinis*, qua sola integer sermo Christi rite explicatur. Atqui totus sermo Christi rite explicatur, si corpus et sanguis Christi supponunt pro figura et signo eorumdem ; secus omnia violenter sunt explicanda. — *Probatur minoris 1ª pars :* Figura corporis Christi, nempe panis, vere manducatur, frangitur, datur in cibum ; figura sanguinis, nempe vinum, vere bibitur et effunditur pro remissione peccatorum, quemadmodum aqua in baptismo effunditur pro remissione P. O. Ergo omnia rite explicantur. — *Probatur minoris 2ª pars :* Si agitur de corpore Christi vere praesenti sub speciebus, omnia violenter explicantur. Christus enim, si sacramentaliter est praesens, *non manducatur nec bibitur,* non enim dividitur in partes, non agit in organa, non patitur influxum corporei agentis, non assimilatur substantiae comedentis ipsum, non *frangitur* neque *datur in cibum.*

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem *1ae partis minoris* conceditur varia memorata posse attribui pani et vino ; verum sic non explicatur integer sermo Christi, siquidem non explicantur ea quae in argumentis fuerunt allegata. — Advertere insuper juvat sanguinem Christi saepe in scripturis dici effusum pro peccatis ; aqua etiam saepe in N. L. dici deleri P. O. ; contra nullum dari locum ubi vinum dicitur effundi in hunc finem. E quo concludere licet nonnisi violenter et contra usum Scripturae attribui vino vim sacramentaliter remissivam pecca-

torum. — Ad probationem 2ae *partis minoris :* Christus unitur speciebus non modo localiter sed adhuc ratione influxus efficientis quem in eas exercet. Ratione istius unionis, corpus Christi potest dici *manducari* et *frangi,* sanguis vero *bibi.* Compositum enim agit in organa ratione specierum ; ita autem agit ut tendat ad assimilari corpori sumentis et ut species reapse assimilentur. Haec autem sufficiunt ut veritas sermonis verificetur et nulla vis inferatur textui. — Inde respondetur *distinguendo :* Christus *ratione sui* non frangitur, nec manducatur, *Conc.; compositum ex speciebus et ex carne aut sanguine Christi* non frangitur, nec manducatur, nec bibitur, *Neg.*

Ad testimonia allata. Ad. I Cor. : *Dist.* Paulus Eucharistiam vocat panem *simpliciter, Neg. ; secundum quid,* cum addito, *Subd.* huic rei imponitur nomen panis *ob species sensibiles* panis ibi remanentes, *Conc. ;* ratione *substantiae panis remanentis,* vel quia Christus realiter praesens non esset, *Neg.* Ratio negandi est quia paulo ante clarissime contrarium fuit dictum a Paulo ; insuper in aliis mutationibus interdum servatur nomen rei quae antea adfuit.

Ad rationem ex Luca XXII petitam respondetur : a) *Negatur suppositum.* Haec verba a Christo fuerunt prolata ante institutionem Eucharistiae, de vino quod apostolis porrigebat. — Dato haec fuisse dicta a Christo in institutione Eucharistiae, respondetur b) *distinguendo :* Id quod continetur in calice vocatur vinum *ratione specierum* remanentium, *Conc. ;* ratione *substantiae, Neg.* Manifeste contrarium dicitur alibi ab evangelistis. — Similiter ad rationem ex Marco XIV et Matthaeo XXVI respondetur haec verba prolata fuisse a Christo de vino quod per coenam sumptum fuerat.

24. — **Obj. 6°.** *Ex ratione sacramenti.* Apostoli intelligere potuerunt a Christo institui sacramentum. Atqui sacramentum reapse est institutum a Christo, si panis et vinum sunt signa corporis et sanguinis Christi ; contra nullum sacramentum instituitur, si Christus realiter fit praesens. — *Prob. 1a pars min.* Ibi datur sacramentum, ubi invenitur ritus sensibilis a Christo institutus et conferens gratiam. Atqui posito panem et vinum esse signa corporis et sanguinis Christi, deprehenduntur haec tria. De duobus prioribus res est manifesta. De tertio constat quia manducatio panis conferre potest gratiam haud secus ac ablutio aquae in baptismo. — *Prob. 2a pars min.* Si corpus Christi est realiter praesens et si instituitur sacramentum, profecto ipsum illud corpus erit aut totum sacramentum aut pars praecipua. Atqui impossibile est ut corpus Christi sit sacramentum. Quod enim non est sensibile,

illud non est sacramentum ; sed si corpus Christi est realiter praesens, non est sensibile. Ergo.

Resp. Profecto si Christus assumpsisset panem et vinum in nudum signum corporis sui, instituisset nihilominus verum sacramentum; sed negatur hanc institutionem factam fuisse ; quare panis et vinum non esse valent nisi aptitudinaliter sacramentum. Idcirco, concessa prima parte minoris, *negatur altera pars.* Ad hujus probationem, concessa majore, iterum *negatur minor.* Ad probationem minoris respondetur *distinguendo:* Quod non est sensibile *neque unitur rei sensibili* non est sacramentum, *Conc.;* quod non est per se sensibile, *sed tamen unitur rei sensibili, Subd.* id non est *totum sacramentum,* neque *tota materia, Conc.;* non est *pars materiae, Neg. — Cdt. min. — Dist. cons.* Ergo corpus Christi praesens sub speciebus non potest esse totum sacramentum, neque tota materia, *Conc.;* non potest esse *pars materiae, Neg.*

Inst. Atqui a) quod non est sensibile per se, non est pars materiae sacramentalis ; b) corpus Christi non unitur speciebus.

Prob. 1m. Quod non ducit ad cognitionem gratiae, non est signum adeoque non est pars sacramentalis. Atqui quod non est sensibile per se, illud non est signum gratiae etc. Ergo.

Prob. 2m. Corpus Christi uniretur intrinsecus speciebus aut extrinsecus. Atqui nequit uniri *intrinsecus,* secus enim intrinsecus afficeretur extensione, colore, sapore, calore quae deprehenduntur in hisce speciebus. Neque uniri valet *extrinsecus:* Haec enim unio consisteret in mutua Christi specierumque actione et passione. Atqui Christus, si esset praesens, neque agere in species neque ab iis pati posset. Esset enim illocaliter praesens ad instar spiritus. Atqui secundum hunc modum praesentiae non potest agere nec pati. Ergo.

Resp. *Ad 1m: Dist. maj.* Quod *nec immediate nec mediate* ducit in cognitionem gratiae, non est signum gratiae nec pars sacramenti, *Conc.;* quod non immediate ducit in hanc cognitionem, licet conducat *mediate,* non est etc. *Neg. — Cdt. min.* — Verbis consecrationis scitur Christum esse praesentem sub speciebus ; hac cognitione posita, praesentia Christi sub speciebus ducit in cognitionem gratiae conferendae.

Ad 2m: Conceditur corpus Christi non uniri intrinsecus speciebus ; negatur illud non uniri extrinsecus. Ad probationem : *Conc. maj. Dist. min.* Christus non posset *naturaliter* agere in species, *Conc.;* non posset agere *supernaturaliter,* vi potentiae obedientialis, *Neg.* Ad probationem respondetur eodem modo.

25. — Obj. 7° ex verbis: « Hoc facite in meam commemorationem ».

Eucharistia est instituta in memoriam Christi. Atqui hoc requirit ut humanitas Christi non sit realiter praesens sub symbolis panis et vini. Secus enim fieret memoria illius qui est praesens. Sed solius absentis fit memoria. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* In Eucharistia fit memoria Christi *prouti olim visibiliter degit in terra et passione morteque sua homines redemit*, *Conc.*; fit memoria Christi *secundum statum sacramentalem*, *Neg.* — Ad probationem : *Dist. maj.* Secus *unus status* alicujus praesentis esset memoria *alterius status* ejusdem personae, *Conc.; idem status* alicujus personae esset memoria sui, *Neg.* — Christo triplex est status : a) status quo degebat in hac terra per vitam mortalem, seu status *visibilis* ; — b) status *gloriosus* in caelo ; — c) status *sacramentalis* in quo invisibiliter nobiscum manet. Status sacramentalis Christi est memoria status in quo Christus olim visibiliter degebat in hac terra, passus est ac mortuus.

Obj. 8°. Si Christus voluisset dicere : « Hoc est signum corporis mei », non aliter potuisset loqui. Etenim in lingua syro-chaldaica non exstat vocabulum peculiare quod supponit pro « *significare* ». Ergo.

Resp. 1. *Transm. ant.* et *negatur consequens.* — 2. *Neg. ant.* — Falsum est verbum copulativum *est* supponere etiam pro *significat* in lingua syro-chaldaica. Etenim card. Wiseman (1) probat, ex scriptoribus syriacis, quadraginta ad minimum esse vocabula quae respondeant hisce terminis « signum, figura, symbolum, significare ». Ipse auctores syri probant praesentiam realem Christi in Eucharistia ex discrimine quod exstat inter verbum « est » et « significat » (2). Ceterum dato id verbum etiam supponere pro significare, saltem non amisit significationem propriam ; itaque propositio *hoc est corpus meum*, praecise sumpta, ad summum dici posset ambiguae significationis ; proinde ex adjunctis determinanda foret vera significatio. Demum ex scriptoribus sacris tres scripserunt idiomate graeco, ubi sane haec difficultas non occurrit.

Obj. 9°. Cum Judaei pascha celebrarent, pater familias frangens panem azymum eumque distribuens aiebat : « Hic est panis angustiae, quem patres nostri in terra Aegypti comederunt ; qui esurit, veniat et comedat » etc. ; dicebat etiam, agnum paschalem distribuens : « Hoc est corpus agni paschalis. » Atqui panis azymus et agnus nonnisi signum sunt panis angustiae et agni paschalis. Ergo.

Resp. Neutra formula in usu erat apud Judaeos, vivente Christo.

---

(1) Wiseman, *Hor. syr.* p. 3, sq. lect. VII de *praesentia reali*. — (2) Cf. Asseman, *Bibl. orient.* I, 180.

Priorem commemorat primus Maimonides, seculo XII, qui testatur eam non fuisse adhibitam, stante templo (1). Praeterea nulla est paritas cum verbis eucharisticis. Adjuncta enim ostendunt hunc esse sensum hujus formulae : Hic est panis quem Deus nos comedere jubet in memoriam illius angustiae quam patres nostri in exitu ex Aegypto experti sunt, quando prae festinatione farinam conspersam fermentare non poterant (Cf. Ex. XII, 34). Judaei jussi sunt eumdem specie panem azymum manducare ; quapropter paterfamilias aiebat : His est panis etc. — Posterior formula non invenitur in Talmude (2). — Manifestum est hunc esse sensum : Hic est ipse agnus paschalis, idem specie, quem patres Judaeorum in Aegypto comederunt.

Obj. 10°. Nisi apostolis venisset in mentem *corpus* figurate accipi debere, turbati fuissent de re tam prodigiosa. Atqui tranquille et quiete leguntur participasse sacram illam carnem. Ergo (3).

Resp. a) Praeparatae fuerant apostolorum mentes sermone promissionis. b) Testes fuerant miraculorum Christi et ipsi in nomine ejus miracula patraverant. Hinc omnia a Christo fieri posse pro certo habebant, eo vel magis quod fidem habebant in divinitatem ejusdem.

Obj. 11° Si corpus in illa sententia « Hoc est corpus meum », accipitur proprie, vel significat solum corpus, vel totum Christum. Atqui si *solum* corpus significat, erit alicubi corpus Domini sine anima, sanguine et Deitate ; si totum Christum, ergo erit confusa battologia : « Hoc est corpus meum ; hic est sanguis meus », idem significabunt ; de pane poterit dici : « Hoc est calix » ; de calice : « Hoc est corpus ». (4)

Resp. Verba citata significant corpus et sanguinem Christi prouti revera sunt, proin uti informantur anima rationali et uniuntur hypostasi Verbi. Hinc corpus explicite dicit corpus, implicite sanguinem, animam, Verbum ; sanguis dicit explicite sanguinem, implicite corpus, animam etc.

§ 3. De figuris Eucharistiae in V. L.

Bellarm. l. I, c. III, IV.

THESIS III[a]. — Realis corporis et sanguinis Christi praesentia in Eucharistia demonstratur ex figuris Eucharistiae, quas vetus Testamentum exhibet.

26. — **Prob.** Figurae sacramenti Eucharistiae debent esse inferiores re figurata ; porro ut sint inferiores, oportet ut Christus sit realiter praesens in Eucharistia. Utrumque assertum venit probandum.

(1) Cf. Schöttgen, *Horae hebr. et talmud. in Matth.* XXVI, 26, t. I, p. 227. — (2) Cf. Bickell, *Messe und Pascha*, p. 55. — (3) Cf. Calv. *Inst.* IV, XVII, 23. — (4) Cf. Calv. l. c.

A. *Figurae Eucharistiae debent esse inferiores sacramento.* Colligitur ex s. Paulo ad Colossenses scribente : « Nemo ergo vos judicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniae, aut sabbatorum ; *quae sunt umbra futurorum:* corpus autem Christi » (II, 16, 17). Ad Hebraeos: « Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere » (x, 1). — Unde sacrificium vetus est umbra novi sacrificii, lex vetus legis novae, caeremoniae bonorum Testamenti novi. Ergo si dantur in V. L. figurae sacramenti altaris, non erunt nisi umbra ejus adeoque erunt inferiores. — Idem colligitur ex Hieronymo qui in capite primo ad Titum : « Tantum, ait, interest inter panes propositionis et corpus Christi, quantum inter umbram et corpora, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum et ea ipsa quae per exemplaria figurabantur. »

B. *Ut Eucharistia superet sui figuras, exigitur praesentia realis.* Aliae enim figurae sacramenti Eucharistiae sunt excellentiores pane, sc. agnus paschalis, sanguis testamenti, manna deserti ; aliae vero, si non sunt superiores, saltem non sunt inferiores, sc. panis a Melchisedech oblatus, panis propositionis, panis primitiarum, panis subcinericius Eliae. Ergo ut res figurata sit superior, oportet eam esse ipsummet corpus Christi.

Figurae Eucharistiae excellentiores pane :

1. *Agnus paschalis.* — Eum *figurasse Eucharistiam* docent Tertullianus, Isichius, Hieronymus, Chrysostomus, Cyprianus, Augustinus, Leo, Gregorius (1). Idem colligitur ex Matth. XXVI et Luc. XXII. Quare enim Christus instituit Eucharistiam post esum agni paschalis, nisi ut significaret antiquam observantiam adimpleri et tolli novo hoc ritu ?

Agnus paschalis est *excellentior pane* a) ratione *rei naturalis* ut ex se patet ; b) *ut signum : α*) Agnus enim ille paschalis, anniculus sine macula qui jubebatur immolari et manducari, aptius significat corpus Christi quam panis. Aptius significat mortem Christi, ejus innocentiam, mansuetudinem etc. *β*) Esus agni magis etiam est aptus ad significandam gratiam, ad excitandam fidem.

2° *Sanguis testamenti.* Postquam Moyses mandata legis proposuerat

(1) TERTULL. L. IV *cont. Marcion.* ; ISICHIUS In c. XXIII Levit. ; HIER. in c. XXVI Matth. ; CHRYS. *Hom. de prodit. Judae* ; CYPR. *de unit. Eccl.* ; AUG. l. II *contra litt. Petill.* c. XXXVII ; LEO. *Serm.* VII *de pass. Dom.* ; GREG. *Hom.* XXII *in Evang.*

populo, cum aspersit sanguine dicens : « Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his. » Ex. XXIV, 8. — Porro sanguinem esse pane excellentiorem ostenditur uti modo idem est ostensum de agno. — Hic sanguis fuit *figura Eucharistiae.* Nam a) juxta Matthaeum Christus usus est iisdem fere verbis ac Moyses : « Hic est sanguis meus novi Testamenti. » Ante prolationem verborum legem suam aut partem legis proposuerat : « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem » (Joh. XIII, 34). b) Apud Lucam XXIV, dicit Christus « Hic est calix novum testamentum in sanguine meo. » His verbis abrogavit Christus vetus testamentum quod sanciebatur sanguine ; illud autem testamentum figura erat novi ; quare id quo sanciebatur, erat figura illius quo sancitum est novum testamentum.

Observa. Reapse in coena institutum esse novum testamentum suadetur quia tunc occurrerunt omnia essentialia testamenti : Testamentum enim fit ab homine adhuc vivo, coram testibus, per instrumentum publicum ; porro haec omnia in coena contigerunt.

3. *Manna.* Manna, de qua in Ex. XVI, fuisse *figuram Eucharistiae,* colligitur a) ex verbis Christi apud Johannem VI : « Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de caelo descendens : ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur ». b) Ex I Cor. X, 1-6 ubi Apostolus mare rubrum comparat baptismo, et manna Eucharistiae. c) Ex similitudine quae habetur inter manna et Eucharistiam : α) Manna dabatur in deserto, cum Israelitae ad terram promissam tendebant. Eucharistia datur in deserto hujus vitae, ut tribuat, augeat, reficiat vires quibus ad patriam caelestem properare valeamus. β) « Manna, inquit Bellarminus, id habuit singulare ut licet aliqui multum, aliqui parum collegisse viderentur, omnes tamen eamdem mensuram invenirent (Exod. XVI), quod certe aptissime quadrat in Eucharistiam, cum idem sit sacramentum, eadem virtus, idem fructus in magna parte signorum, et in parva ». γ) Manna et aqua de petra contradictiones sunt passae, quibus factum est ut multi perierint usu istius escae quae vires addere debebat (Cfr. Ps. LXXVII, Num. XX et XXI). Jamvero tempore Pauli jam nonnulli, indigne sumentes Eucharistiam, dormiebant, quod a plerisque intelligitur de morte corporali. Sane qui indigne accipiunt Eucharistiam rei fiunt corporis et sanguinis Christi.

Manna *est praestantior pane Eucharistiae.* Etenim a) est praestantior si respicitur *secundum originem et effectum* sensibilem : α) panis fit manu

hominum, manna vero manu angelorum aut ipsius Dei. Dicitur enim manna panis angelorum Ps. LXXVII et Sap. XVI, 20. β) Manna pluebat e caelo, panis prodit e furno. γ) Manna habuit omnem saporem, immo cuique sapiebat id quod quisque sapere cupiebat. Panis nonnisi panem sapit. — b) Manna est praestantior pane *secundum rationem signi:* Melius enim significat Christum, quia descendebat de caelo, quia habebat omnem saporem, quia aequa mensura sumebatur ab omnibus, licet mensura dispar esse videretur.

Figurae aequales pani. 1. *Panem quem obtulit Melchisedech*, (Gen. XIV) fuisse figuram Eucharistiae asserunt multi Patres : Chrysostomus, Cyprianus, Arnobius, Auctor ll. *de Sacramentis,* Hieronymus, Clemens Alexandrianus, Eusebius, Damascenus ([1]).

2. *Panem propositionis,* qui solum a puris et a purificatis comedi poterat (I Reg. XXI), fuisse figuram Eucharistiae testantur : Hieronymus, Damascenus l. c., Cyrillus Hier. ([2]).

3. *Panis primitiarum* (Levit. XXIII). Irenaeus, ad hunc panem alludens, vocat Eucharistiam « primitias divinorum munerum in N. T. » ([3]).

4. *Panis subcinericius* quo caelitus allato refectus et roboratus Isaias quadraginta dierum spatio ambulavit usque ad montem Dei oreb, ubi Deum quodammodo vidit (III Reg. XIX, 8).

ARTICULUS III.

Traditione probatur realis praesentia Christi in Eucharistia.

BELLARM. l. II.

§ 1. STATUS QUAESTIONIS.

27. — Duplex est usus argumenti ex Traditione.

A. *Dogmaticus.* Catholici non solam Scripturam, sed etiam Traditionem habent tamquam fontem revelationis. Quapropter Christum esse vere et substantialiter praesentem sub speciebus Eucharisticis comprobatur non tantum eloquiis scripturisticis, sed etiam patristicis

([1]) CHRYS. *Hom.* XXXV *in Gen.*: « Vide quomodo sacramentum nostrum insinuatur; vidisti typum; cogita, oro, veritatem. » — CYPR. II, *ep.* III. — ARNOB. *In ps.* CIX, — AUCTOR. libr. IV, *de Sacr.* IV, III. — HIER. *In* XXVI *Matth.* — CLEM. ALEX. l. IV *Stromat.* — EUSEB. *Dem. evang.* l. V, c. III. — DAMASC. l. IV, c. XIV.

([2]) HIER. *In I cap. ad Tit.* — CYR. HIER. *Cat. IV Mystag.* — ([3]) IREN. l. IV, c. XXXII.

et imprimis magisterio ecclesiastico, quo nempe continetur primarium revelationis organum.

B. *Polemicus:* Protestantes ostendere conati sunt priscos Patres non agnovisse praesentiam realem Christi in Eucharistia, sed eos modo parum accurate et hyperbolice esse locutos, modo praesentiam realem denegasse (1). Ut ultimum id ostenderent, ad obscuriores loquendi modos provocaverunt. Postquam Bellarminus, Duperron aliique luce clarius exposuerunt fidem in dogma praesentiae realis ab apostolico aevo ad nos traductam, aliam ingressi viam, jam contenderunt rem esse dirimendam unice ex Scriptura, utpote eorum judicio unico fonte revelationis. Quod commentum quam falsum sit, ex tractatu de Traditione constat. — Ceterum argumentum traditionis, independenter a tractatu de traditione, e quo vim dogmaticam accipit, polemice potest proponi adversus Protestantes, idque duplici ratione. — a) Profecto Protestantes non omnem auctoritatem humanam a Patribus abjudicant. Si nempe concordes sunt Patres, praesertim primorum temporum cum in usu vulgari erat lingua qua evangelistae sunt usi, et cum adhuc prope sonabant praedicationes apostolorum, si, inquam, concordes sunt Patres in interpretando aliquo testimonio Scripturae ex se obscuro, affirmari nequit et reapse non affirmatur a Protestantibus ex interpretatione Patrum non magnum robur accedere interpretationi Scripturae. — b) Argumento ad hominem perstringi possunt. Facilis enim, inquiunt, clara et aperta est Scriptura in locis dogmaticis. Ergo fieri non potest ut primi christiani non intellexerint verum Scripturae sensum, adeoque si scriptores ecclesiastici plurimorum seculorum testantur fideles uno ore intellexisse, Scriptura duce, Christum esse realiter praesentem sub speciebus panis et vini, certo constat hanc praesentiam Scripturis significari.

Divisio argumenti: Argumentum ex Traditione derivatum quadripartito dividemus. Primum trademus testimonia Conciliorum. — Deinde testimonia Patrum trium priorum seculorum enarrabimus. — Tum adumbrabimus testimonia Patrum sequentis aetatis. — Post ex liturgiis arguemus. — Denique ex aliis nonnullis monumentis peraltae antiquitatis argumentum petemus (2).

---

(1) Cf. Ebrard, *Abendmahl* I, 233.

(2) Cf. celebre opus Arnoldi: *La perpétuité de la foi de l'Eglise catholique touchant l'Eucharistie* (4 vol.) — Opus Renaudotii: *Defensio perpetualis fidei.* — Corblet: *Hist. dogm. liturg. et archéologique du Sacrement de l'Eucharistie.*

§ 2. Proponuntur argumenta Traditionis.

THESIS IV[a]. — Testimonia Patrum, potissimum vero vetustissimorum, sacrae liturgiae et consensus sectarum, invictum suppeditant argumentum, Christum Jesum esse vere, realiter, substantialiter praesentem in mysterio Eucharistiae. Denique idem luculenter testantur alia non pauca monumenta antiquitatis.

28. — Prima probatio. Ex Conciliis. 1. Concilium *Nicaenum I*: « Pervenit, ait, ad sanctum magnumque Concilium quod in quibusdam locis et civitatibus presbyteris gratiam sacrae communionis diaconi porrigant: quod nec regula nec consuetudo est, ut ab his, qui *potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi corpus accipiant.* » (Can. 18.)

2. *Concilium Alexandrinum,* in epistola synodica ad Nestorium, approbata a Concilio Ephesino, scribit: « Atque ita ad mysticas accedimus benedictiones (sacram Eucharistiam) ac sanctificamur, participes facti sanctae crucis pretiosique sanguinis Servatoris nostri omnium Jesu Christi, nec ut communem carnem accipimus, absit; nec tamquam viri sanctificati, et Verbo secundum dignitatem unitatis conjuncti, utpote velut divinam inhabitationem adepti; sed vere vivificatricem et ipsius Verbi propriam factam (1). »

3. *Concilium Nicaenum II*[m] anno 787 haec habet: « Nemo umquam Apostolorum aut Patrum incruentum nostrum sacrificium imaginem corporis illius dixerunt. Ait enim Dominus: « Sumite, edite: hoc est corpus meum; » non autem: « Sumite, edite imaginem corporis mei; » legas quousque voles, nusquam invenies neque Dominum, neque Apostolos, neque Patres incruentum illud sacrificium, quod a sacerdote offertur, imaginem dixisse, sed ipsius corpus et sanguinem. » (Act. II.)

4. Seculo XI ad minus *Concilia quindecim* coacta sunt adversus Berengarium. In Concilio Romano, anno 1079, huic formulae fidei jussus est Berengarius subscribere: « Ego, Berengarius, corde credo et ore profiteor panem et vinum quae ponuntur in altari, per mysterium sacrae orationis et verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram ac propriam vivificatricem carnem et sanguinem D. N. J. C., et post consecrationem esse verum corpus, quod natum est de Virgine, et quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, et quod sedet ad dexteram Patris; et verum sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est, non

(1) Cfr. Cyrill. Alexand. *epist. X ad Nestorium.*

tantum per signum et virtutem sacramenti, sed in proprietate naturae et veritate substantiae. » Denz. n. 298.

29. — Secunda probatio. Ex ss. Patribus trium priorum seculorum. — Ex hac primaeva aetate, quae sub cruento persecutionis gladio transacta est, pauca Patrum monumenta superstita fuerunt. Perspicua tamen prostant testimonia de reali Christi praesentia.

Seculo I. 1. Auctor libri in lucem editi anno 1883 a Philotheo Bryennio, metropolita Nicomediensi, cui titulus Διδαχὴ τῶν δώδεκα Ἀποστόλων, et qui non paucis criticis videtur conscriptus esse seculo primo exeunte, magnificis verbis quibus utitur in gratiarum actione post sumptionem Eucharistiae, non obscure testatur fidem Ecclesiae primaevae in praesentiam realem (1).

2. B. Clemens Romanus († 91) scripsit graece binas epistolas ad virgines (2). Textus graecus est deperditus : at conservata est versio

(1) IX. « Quod ad gratiarum actionem attinet, sic gratias agite ; primum de calice : Gratias tibi agimus, Pater noster, pro sancta vite David pueri tui, quam indicasti nobis per Jesum puerum tuum ; gloria in secula. De pane fracto autem : Gratias tibi agimus, Pater noster, pro vita et scientia, quam indicasti nobis per Jesum puerum tuum ; gloria tibi in secula. Sicut hic panis fractus dispersus erat supra montes et collectus factus est unus, ita colligatur Ecclesia tua a finibus terrae in regnum tuum ; quoniam tua est gloria et virtus per Jesum Christum in secula. Nemo autem edat neque bibat a vestra gratiarum actione, nisi qui baptizati sunt in nomine Jesu ; de hoc etenim dicit Dominus : *Ne date sanctum canibus.*

X. « Postquam autem impleti estis, sic gratias agite : Gratias tibi agimus, Pater sancte, pro sancto nomine tuo, quod fecisti ut habitet in cordibus nostris, et pro scientia et fide et immortalitate, quam indicasti nobis per Jesum, puerum tuum ; gloria tibi in secula. Tu, Domine omnipotens, creasti omnia propter nomen tuum, et cibum potumque dedisti hominibus ad fruendum, ut tibi gratias agant, nobis autem largitus es spiritualem cibum et potum et vitam aeternam per puerum tuum. Ante omnia gratias tibi agimus, quod potens es ; gloria tibi in secula. Recordare, Domine, Ecclesiae tuae, ut eam liberes ab omni malo, eamque perficias in caritate tua, et collige eam a quatuor ventis sanctificatam in regnum tuum, quod ei parasti, quoniam tua est virtus et gloria in secula. Adveniat gratia et praetereat mundus hic. Hosanna filio David. Si quis sanctus est, accedat ; si quis non est, paenitentiam agat. Maranatha, Amen. « Prophetis vero permittite gratias agere, quantas volunt. »

XIV. « Die dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum. Omnis vero, cui est controversia cum amico suo, ne conveniat vobiscum, donec reconciliati sunt, ne inquinetur sacrificium vestrum. Hoc enim est dictum a Domino : In omni loco et tempore offeratur mihi sacrificium mundum, quoniam rex magnus sum, dicit Dominus, et nomen meum mirabile in gentibus. » *Doctr. duod. Apost.* etc. edidit Funk.

(2) *Clementis Epistolas ad Virgines* esse authenticas argumentis gravibus comprobare aggressus est Beelen (in opere *S. Clementis Romani epistolae binae de virginitate*, syriace etc. Lovanii 1856). Genuinas esse tenent etiam Möhler, Permaneder, Champagny, Brück, Nirschl. Rem in dubio reliquerunt Mansi, Lumper, Hefele, Fessler (ed. 1), Alzog. Ut certo aut probabilius spurias habent Larner, Venema, Herbst, Funk et Jungmann qui existimat has epistolas esse scriptas seculo II exeunte vel seculo III et per errorem postea Clementi esse attributas (*Josephi Fessler Institutiones Patrologiae*, quas edidit B. Jungmann, § 34, p. 142).

syriaca, quam primo edidit J. J. Wetsteen, deinde Beelen qui commentariis eas illustravit. Virgines vero alloquens in prima epistola (c. v) : « Si igitur, inquit, haec desideras, vince carnis libidines, vince mundum in spiritu Dei, vince vanas istas praesentis seculi res, quae transeunt et atteruntur et corrumpuntur et finem habent, vince draconem, vince leonem, vince serpentem, vince satanam per Jesum Christum, qui te roboraturus est auditione verborum suorum et divina Eucharistia. » *Divinam* vocat, ait Beelen ad h. l., quia credebat Eucharistiam esse carnem incarnati Verbi Dei, haud secus ac Ignatius Martyr.

2. S. Ignatus Martyr, discipulus et coaetanus s. Clementis : a) In *epistola ad Smyrnenses* VII alloquitur Docetas qui dicebant Verbum non assumpsisse carnem veram, sed phantasticam, quique ideo negabant Eucharistiam esse carnem salvatoris et ab ea abstinebant : « Ab Eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse salvatoris nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quamque Pater benignitate sua suscitavit. Qui ergo contradicunt huic dono Dei altercantes moriuntur. Decet itaque abstinere a talibus, et nec in privato, nec in communi colloquio de illis verba facere. » — Illud testimonium habet vim specialem ex controversia quae originem eidem praebuit : ex eo enim colligitur tunc temporis viguisse in Ecclesia fidem explicitam in dogma realis praesentiae : Si enim fideles credidissent panem Eucharisticum esse tantum figuram corporis Christi, Docetae ex hac fide petiissent argumentum ad stabiliendam suam sententiam de humanitate Christi apparenti ; sic enim locuti fuissent : Panis Eucharisticus non est nisi figura corporis Christi, attamen vocatur simpliciter corpus Christi. Ergo a pari ex eo quod Scriptura attribuit Christo corpus simpliciter, non potest colligi illud corpus non esse apparens, sed verum ac proprie dictum. Jamvero hujusmodi argumentum numquam proponunt ; contra existimant in Eucharistia dari illud corpus quod Christus reapse habuit et quod volebant esse apparens et phantasticum.

b) In *epistola ad Philadelphienses* ex hoc motivo fideles hortatur ut unitatem inter se servent, quia unam eamdemque participant carnem Christi, unum eumdemque sanguinem : « Studeatis igitur una Eucharistia uti, una enim est caro Domini nostri Jesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare, sicut unus episcopus, cum presbyteris et diaconis conservis meis ».

c) In *epistola ad Ephesios* unionem inter fideles et obedientiam com-

mendans, excellentiam Eucharistiae declarat : « Si Dominus mihi revelaverit quod vos ad unum omnes nominatim per gratiam convenitis in una fide et in uno Jesu Christo (qui secundum carnem, ex semine David, filius est hominis et filius Dei), ut obediatis episcopo et presbyterio mente indivulsa, frangentes panem unum, qui pharmacum immortalitatis est, antidotum ne moriamur sed vivamus semper in Christo Jesu » (1).

Seculo II. S. Justinus in I^a *Apologia pro Christianis,* de Eucharistia loquens dicit nemini esse licitum ut particeps hujus fiat, nisi qui credat vera esse ea quae docet, nisi ablutus fuerit lavacro remissionis peccatorum et regenerationis. Deinde haec scribit : « Quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus salvator noster et carnem et sanguinem habuit pro nostra salute ; sic etiam illam, in qua, per precem ipsius verba continentem, gratiae actae sunt, alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostrae per mutationem aluntur, incarnati illius Jesus et carnem et sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in commentariis suis, quae vocantur Evangelia, ita sibi mandasse Jesum tradiderunt : cum scilicet, accepto pane, cum gratias egisset, dixisse : « Hoc facite in meam commemorationem, hoc est corpus meum... hic est sanguis meus » (2). « Igitur quemadmodum Deo dicente et volente, Verbum est caro factum, sic alimonia, a Christo instituta, est caro ejus et sanguis. »

2. S. Irenaeus. Summa est Irenaei auctoritas in Ecclesia, tum ob copiam doctrinae et ingenii magnam nobilitatem ; tum quia testis est fidei Orientalium et Occidentalium siquidem prius in Oriente fuit episcopus, deinde in Occidente ; tum quia maximo studio investigavit traditiones apostolicas apud immediatos apostolorum discipulos, sc. Polycarpum quem pro magistro habuit, et Papiam quocum devinctus est familiari commercio.

Porro petitur argumentum ex Irenaei scriptis *adversus Gnosticos.* Hi contendebant materiam esse intrinsecus malam, ideoque eam non esse factam a Deo infinite bono, sed ab alio principio primo, quod sit

(1) Ign. Mart. *Epist. ad Smyrn.* n. 7. M. V, 714 ; *Epist. ad Philadelph.* n. 4. M. 699. — *Epist. ad Ephes.* n. 20. M. 662. — Nonnulli Protestantes authentiam harum epistolarum in dubium revocarunt, ut minuerent vim quae ex iis accedit argumento traditionis. Invicte autem probata est authentia harum epistolarum, speciatim genuitas loci allati ex epistola ad Smyrnenses. Cf. Funk. *Opera Patrum Apostolicornm,* I, 241, 226, 190.

(2) S. Justinus, *Apologia I^a,* n. 66. M. P. G. VI, 427 sq.

summe malum; e quo dogmate fundamentali enascebantur tres errores : a) Christus non est filius creatoris; b) Verbum non assumpsit veram carnem; c) caro nostra non resurget. Irenaeus vero triplicem errorem impugnat ex mysterio Eucharistiae : *Primus error* impugnatur : Si Pater Christi esse non posset creator mundi, quia mala est mundi materia, Christus non potuisset sumere panem et vinum ut ea efficeret corpus suum et sanguinem et ut ex iis sacrificium Deo, mundi creatori, offerret. — *Secundus error* impugnatur : In Eucharistia adest sanguis Domini : sed sanguis adesse non potest, nisi Verbum assumpserit carnem. Etenim sanguis non est nisi a natura qualem gerimus, a venis nempe et a carnibus. Imbelle profecto esset argumentum Irenaei, si existimasset Eucharistiam tantum esse figuram humanitatis Christi, aut ad eam manasse aliquam virtutem a corpore et a sanguine Christi. — *Tertius error* refutatur ex eo quod caro nostra et sanguis aluntur carne et sanguine salvatoris. — Sic nempe scribit Irenaeus : « Quomodo constabit eis (haereticis) eum panem, in quo gratiae actae sunt, corpus esse Domini sui et calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, id est Verbum ejus, per quod lignum fructificat et defluunt fontes ? » etc. — Eos impugnans qui negabant dogma resurrectionis carnis, ab eodem mysterio argumentum petit : « Quomodo autem rursum dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur... Quemadmodum enim qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et caelesti, sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia » (1).

Seculo III. *Liber VII constitutionum apostolicarum,* quem Funck certo conscriptum dicit seculo III, in gratiarum actione post Eucharistiae sumptionem facienda, non obscure testatur fidem fidelium in praesentiam realem (2).

(1) Iren. Adv. *haereses,* IV, xviii, 4, 5. (M. P. G. VII, 1027 sq. Cfr. V, ii. M. ib. 1125.

(2) *Constit apost.* n. xxv : « Estote autem semper ad gratias agendas intenti, ut fideles et grati servi, de Eucharistia quidem ita dicentes : Gratias agimus tibi, pater noster, pro vita, quam manifestasti nobis per Jesum filium tuum, per quem tum omnia creasti, tum universis provides, quem et misisti, ut ad salutem nostram homo fieret; quem etiam permisisti pati et mori; quem et resuscitans glorificare voluisti, et sedere fecisti ad dexteram tuam, per quem et promisisti nobis resurrectionem mortuorum. Tu, Domine omnipotens, Deus aeterne : quemadmodum hoc erat dispersum et, cum fit congregatum, factus est unus panis, ita congrega ecclesiam tuam a finibus terrae in regnum tuum. Adhuc gratias agimus,

2. Tertullianus. a) In libro *de idololatria* invehitur in fabricatores idolorum qui accedebant ad Eucharistiam, eamque manibus pollutis contrectebant. Horum crimen comparat cum scelere Judaeorum qui manus violentas in salvatorem injecerunt, ingemens « Christianum ab idolis in Ecclesiam venire, de adversarii officina in domum Dei venire, attollere ad Deum patrem manus matres idolorum, his manibus adorare quae foris adversus Deum adorantur, eas manus admovere corpori Domini quae daemoniis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. Parum sit, si ab aliis manibus accipiant quod contaminant; sed etiam ipsi tradunt aliis quod contaminaverunt. Alleguntur in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum. Pro scelus! Semel Judaei Christo manus intulerunt; isti quotidie corpus ejus lacessunt. O manus praecidendae. » b) In libro *de resurrectione carnis,* accipit titulum ad resurrectionem carnis, ex eo quod carne salvatoris et ejus sanguine nutritur: « Caro abluitur ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur.... Caro corpore Christi et sanguine vescitur, ut anima de Deo saginetur »[1].

3. Cyprianus in *sermone de lapsis,* n. 24, invehitur adversus eos qui absque debita probatione Eucharistiam acciepiebant: « A diaboli aris, inquit, revertentes, ad Sanctum Domini sordidis et infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus et contagia funesta redolentibus, Domini corpus invadunt, quando occurrat Scriptura divina, et clamet et dicat: « Omnis mundus manducabit carnem, et anima quaecumque manducaverit ex carne sacrificii salutaris, quod est Domini, et immunditia ipsius super ipsum est, peribit anima illa de populo suo. » (Lev. VII, 20). Apostolus item testatur et dicit: « Non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum, non potestis mensae Domini communicare et mensae daemoniorum » (I Cor. X, 21). Idem contumacibus et pervicacibus comminatur et denuntiat dicens: « Quicumque ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini » (I Cor, XI, 27).

---

pater noster, pro pretioso sanguine Jesu Christi, qui effusus est nostra causa, et pro pretioso corpore, cujus et haec antitypa celebramus, cum ipse nobis constituerit mortem illius annuntiare; per ipsum enim tibi etiam gloria in secula. Amen. Nullus porro eorum, qui initiati non sunt, ex eis comedat; sed soli ei, qui baptizati fuerunt in Domini mortem. Si quis vero non initiatus celaverit se ipsum et sic communicaverit, judicium manducat aeternum, quod non addictus fidei in Christum sumpsit, quae fas non erat, in supplicium suum. Si quis autem per ignorantiam participaverit, hunc cito instruite ac baptismo initiate, ne contemptor exeat. » Cfr. Funk, *Doctr. duod. Apost.* etc. Proleg. p. LIX, et p. 91 sq.

(1) Tertull. *De idololatria,* c. VII. M. I, 669. *De resurr. carnis.* c. VIII. M. II, 806.

Spretis his omnibus atque contemptis, ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini et minantis, vis infertur corpori ejus et sanguini, et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt. »

In libro *de oratione dominica*, n. 18, scribit : « Christus eorum qui corpus ejus contingimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes a caelesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso praedicante et dicente : « Ego sum panis vitae, qui de caelo descendi; si quis ederit de meo pane, vivet in aeternum. Panis autem, quem ego dedero, caro mea est pro seculi vita. » Quando ergo dicit in aeternum vivere, si quis ederit de ejus pane, ut manifestum est eos vivere, qui corpus ejus attingunt et Eucharistiam jure communicationis accipiunt; ita contra timendum est et orandum, ne, dum quis abstentus separatur a Christi corpore, remaneat a salute, comminante ipso et dicente : « Nisi ederitis carnem Filii hominis et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis : » Et ideo panem nostrum, i. e. Christum dari nobis quotidie petimus, ut, qui in Christo manemus et vivimus, a sanctificatione ejus et corpore non recedamus. »

4. Hippolytus Portuensis in Prov. ix, 1 : *Sapientia aedificavit sibi domum*, scribit : « Et paravit mensam suam, promissam Sanctae Trinitatis cognitionem, nec non venerandum sanctumque ejus corpus ac sanguinem, quae in arcana et divina mensa quotidie perficiuntur et sacrificantur in memoriam numquam non recolendae primae illius et arcanae divinae coenae. Illud porro *misit servos suos* Sapientia, Christus nimirum convocans alta praeconii voce : Si quis est, inquit, insipiens veniat ad me... Insipientes vero appellat eos qui Sancti Spiritus virtutem nondum sunt assecuti : « Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis : » divinam ipsius carnem, ac venerabilem ejus sanguinem, inquit, dedit nobis edendam, bibendumque in remissionem peccatorum » (1).

5. Clemens Alexandrinus. « Verbum, ait, est omnia infanti et pater, et mater, et paedagogus, et altor. « Comedite, inquit, meam carnem, et bibite meum sanguinem. » Haec apposita et convenientia alimenta nobis suppeditat Dominus, et carnem praebet, et effundit

(1) Migne X, 627.

sanguinem, et ad incrementum nihil deest infantulis. O admirabile mysterium ! » (1).

6. Origenes a) sensu proprio intelligit Johannem VI, licet libentissime indulgeat quaerendis mysticis expositionibus Scripturae. In homilia XVI *in Numeros* haec habet : « Bibere autem dicimur sanguinem Christi, non solum sacramentorum ritu, sed et cum sermones ejus recipimus, in quibus vita consistit. » — Et homilia VII *in Numeros :* « Lex Dei jam non in figuris et in imaginibus, sicut prius, sed in ipsa specie veritatis agnoscitur; et quae prius in aenigmate designabantur, nunc in specie et veritate complentur... Antea in aenigmate fuit baptismus in nube et in mari, nunc autem in specie regeneratio est in aqua et in Spiritu Sancto. Tunc in aenigmate erat manna cibus; nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cibus, sicut et ipse dicit, quia caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus » (2).

b) In homilia IX *in Leviticum,* n. 10, exponit verba Lev. XVI, 13, 14 et scribit : « Ritus quidem apud veteres propitiationis pro hominibus, qui fiebat ad Deum, qualiter celebraretur edocuit; sed tu qui ad Christum venisti, pontificem verum, qui sanguine suo Deum tibi propitium fecit et reconciliavit te Patri, non haereas in sanguine carnis (i. e. in sanguine animalium, qui erat in figuram sanguinis Christi), sed disce potius sanguinem Verbi, et audi ipsum tibi dicentem, quia *hic sanguis meus* est *qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Novit qui mysteriis imbutus est, et carnem et sanguinem Verbi Dei. Non ergo immoremur et in his quae scientibus nota sunt et ignorantibus patere non possunt » (3).

c) In homilia XIII *in Exodum,* n. 3 : « Nostis qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo, cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conservati muneris aliquid delabatur. Reos enim vos creditis, et recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat. Quod si circa corpus ejus conservandum tanta utimini cautela, et merito utimini: quomodo putatis minoris esse piaculi verbum Dei neglexisse, quam corpus ejus » (4) ?

d) Adversus Celsum scribit : « Nos vero qui hujus universitatis conditori gratias agimus, cum precibus et gratiarum actione oblatos edimus panes, qui propter orationem fiunt corpus quoddam sanctum,

(1) Clemens Alexandr. *Paedag.* l. I, c. VI. M. VIII, 362. Cf. II, II. M. 410. — (2) Migne, XII, 613. — (3) M. ib. 523. — (4) M. ib. 391.

quod sano proposito manducantibus sanctitatem largitur » (1).

30. — Tertia probatio. Ex Patribus sequentium aetatum. Innumera exstant testimonia, adeo ut luce meridiana clarius profiteantur Patres praesentiam realem Christi in Eucharistia. — Primum afferemus Patrum Syrorum testimonia. Deinde doctrinam de Eucharistia passim a Patribus propositam, ad quaedam capita revocabimus Denique arguemus ex controversiis Patrum cum haereticis.

Patres Syri: 1. S. EPHREM, qui seculo IV lumen fuit ecclesiae syriacae, triplex praebet argumentum: a) In suis de fide hymnis ita habet: « Corpus ejus nova ratione corporibus nostris immixtum est; sanguis ejus purus diffusus est in venas nostras. Etiam vox ejus aures nostras et conspectus ejus oculos nostros perculit. Totus ipse nos totos pervasit; et quia Ecclesiam suam dilexit nimis, non illi dedit manna illius aemula, sed ipse panis vitae factus est ei, ut ipsum comederet... Te Domine comedimus, te bibimus, non ut consumamus te, sed ut per te vivamus. » b) In sermone, quem seculo elapso vulgavit Kohlius, in academia Petropolitana professor, ita scribit s. Ephrem : « Ne reputes quem hic panem, quodque vinum vides, eadem haec exsistere : minime, frater, nolito hoc credere. Precibus sacerdotis, sanctique Spiritus adventu, panis fit corpus, vinum sanguis. » Et infra : « Cum voluerit supra omnia venerandus Deus Verbum homo nasci, quomodo is, quaeso, ipse efficere non possit ut panis ipsum corpus Christi, vinum sanguis sit ? » Paulo post : « Quaeres jam quomodo panis corpus Christi fiat ? En sic habeto, Spiritum Sanctum adventu suo hoc efficere, quod humana mens capere non potest. » — c) In l. *de natura Dei curiose non scrutanda :* « Hunc fidei, ait, oculum qui possidet... certa plenissimaque fide sanctissimum agni immaculati, unigeniti Filii caelestis Patris, corpus manducat ac sanguinem bibit, haud quaquam curiose

(1) ORIG. *Cont. Celsum.* l. VIII, n. 33. M. XI, 1566. In hoc testimonium Origenis sequentia adnotat Freppel, episc. Andegavensis : « Ces paroles n'attestent pas seulement la présence réelle de Jésus-Christ dans le sacrement de l'autel; elles indiquent en outre par quel moyen le pain devient le corps : par la prière de la consécration (οἷα τὴν εὐχήν). Il ne fallait rien moins qu'une conviction profonde pour arracher à Origène un tel aveu dans un livre destiné à être lu des païens. Rappelons-nous en effet qu'à l'époque où il écrivait, les infidèles reprochaient aux chrétiens de manger la chair d'un enfant; et l'apologiste aurait de gaieté de cœur prêté le flanc à cette incrimination, en disant que les chrétiens se nourrissent d'un corps saint, tandis qu'il ne se serait agi que d'un pain symbolique ? C'eût été de sa part une véritable folie; une pareille déclaration ne se comprend qu'autant qu'Origène croyait à une conversion réelle du pain au corps de Jésus-Christ. » (*Origène*, t. II, p. 242).

divinam sanctamque fidem percrutans... Hoc profecto omnem excedit admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem, quod nobis fecit unigenitus Filius Christus Salvator noster. Ignem quippe et Spiritum manducandum atque bibendum praestitit nobis carne vestitis, corpus videlicet suum ac sanguinem » (1).

2. S. Isaac Magnus, seculo v, in sermone *de Fide:* « Vidi, ait, mistam ejus (fidei) lagenam, et pro vino sanguine plenam et pro pane positum corpus in medio mensae. Vidi sanguinem et expavi, vidi corpus et obstupui. Innuit illa (fides): Comede, inquiens, et sile; bibe, noli scrutari, puer. » Et infra: « Ostendit mihi corpus interfectum, ex quo in labiis meis ponens amanter dixit mihi: Vide, quid comedis. Porrexit mihi calamum Spiritus, et ut scriberem exegit. Accepi, scripsi et confessus sum *hoc esse Dei corpus.* Item calicem sumens, bibi, ex ejus (fidei) convivio, et ex calice odor corporis illius quod comederam me perculit. Et quod de corpore dixeram, ipsum nimirum Dei esse corpus, illud etiam de calice dixi, nempe, *hunc esse Redemptoris nostri sanguinem* (2). »

3. S. Maruthas Tangritensis, coaevus et familiaris s. Chrysostomo sic loquitur: « Nunc quoties ad corpus et sanguinem (Christi) accedimus et ea super manus nostras accipimus, sic credimus nos corpus amplecti, et fieri de carne ejus et de ossibus ejus, sicut scriptum est. Nam etiam Christus illud non appellavit typum aut figuram sed (dixit): Vere hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus (3). »

4. S. Jacobus Sarugensis: « Ab illo temporis puncto, quo (Jesus) accepit panem et dixit illud corpus suum, non erat panis, sed corpus ejus, et hoc edebant admirantes. Edebant corpus ejus, qui cum ipsis in mensa accubabat, et bibebat sanguinem ejus, cujus simul audiebant vocem doctrinae... Corpus suum Dominus noster suis manibus distribuit in mensa. Et quis rebellis sit, ut dicat nunc non esse corpus. Ipse (Christus) dixit: *Hoc est corpus meum* et quis verum non fateatur? Si quis hoc non credat verum, non est discipulus apostolatus. Apostoli enim crediderunt, et viventem et secum accumbentem (ad mensam) comederunt... Electi apostoli, ut Filio fidem adhiberent, satagebant, non ut scrutarentur vel quaestiones moverent, sicut rebelles. Panem quem fregit et dixit corpus suum, corpus agnoscebant, et ita illud reputabant, ac si in veritate sanguis illius stillaret » (4).

(1) S. Ephr. In edit. Antverpiae, p. 525, 1. — (2) Cf. Lamy, *Dissertio de Syrorum fide et disciplina in re Eucharistica.* — (3) S. Maruthas. Cfr. Asseman. *Bibl. Or.* T. I, p. 180; *Hor. Syr.* p. 60. — (4) S. Jacobus Sarug. Apud P. de Benedictis, in *Antirrhet.* II, c. ix, xii. (Opp. s. Ephrem. Syr. Lat. t. II, p. 46, 50).

Patres Graeci et Latini. 1. Perspicuis verbis asserunt in Eucharistia praesens esse et manducari Christi corpus verum, proprium, pretiosum; illud ipsum corpus quod est natum ex M. V., passum est et crucifixum, sedet ad dexteram Patris, unitur divinitati. Itaque manifeste tenent Eucharistiam non esse meram figuram corporis Christi. — Ita loquuntur — praeter Ignatium martyrem, Justinum, Irenaeum, Macarium, Maruthan Tangritensem, Jacobum Sarugensem, quorum testimonia fuerunt recitata — Hilarius, Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosius, Chrysostomus Anastasius Sinaita, Caesarius Arelatensis, Augustinus, Gregorius Nyssenus, Epiphanius, Macarius Magnes (1). Pauca citasse satis sit :

Macarius Magnes qui seculo III aut IV floruit, scribit : « Dixit (Christus) : *Hoc est corpus meum ;* non est igitur Eucharistia figura corporis est, neque figura sanguinis, ut quidem stupida mente nugati sunt, sed secundum veritatem sanguis et corpus Christi » (2).

Chrysostomus. « Si enim regem quis non utcumque nec perfunctorie acceperit : quid regem dico ? ne vestem quidem regiam quis impuris manibus tetigerit, etiamsi in solitudine sit, etiamsi solus et nemo adsit... Si autem humanum vestimentum nemo ausus fuerit temere tangere ; quomodo corpus universorum Dei immaculatum et purum, quod cum divina illa natura versatum est, per quod sumus et vivimus,

(1) Hilar. *De Trinit.* VIII, 13, 17. M. X, 246, 249. — Cyr. Hier. *Cat.* XXII, *Myst.* IV, 1, 6. M. XXXIII, 1095, 1102. — Ambros. *In ps.* CXVIII, *serm.* XVIII, 26 ; *De myster.* IX, 53. M. X, 407 cf. 390 sq. — Chrys. *Hom.* XXIV *in I Cor.* nn. 1, 4, M. LXI, 203 ; *Hom.* III *Eph.* n. 3, M. LXII, 27 ; *De sacerdotio,* III, 4. — Anastasius Sinaita, in *Hodego* XXIII, Cf. XIII. — Cesarius Arelatensis, *Hom.* V *de Pasch.* M. LXVII, 1053. — August. *In Ps.* XXXIII, enarrat. I, n. 10. M. XXXVI, 306 ; tract. XXVII *in Evang. Joh.* n. 6. M. XXXV, 1617. Cfr. Schol. 1m ad Thes. I. — Greg. Nyss. *Or. Catech.* XXXVII. XLV, 94. — Epiph., in *Ancorat.* n. 57, t. II, p. 60.

(2) Macarius Magnes. Cfr. Pitra, *Spicileg. Solesmen.* (Parisiis 1852) II, 548. M. V, 348. — Adhuc inducit Christum loquentem : « Ex terra vobis panis ad alendum exsistit, terra vero creatura mea est ; ex terra similiter exsistit corpus et haec mea massa (caro). Ex unione igitur qua unitus sum, sanctus cum terreno (Verbum cum carne) do panem et vinum jubens esse corpus meum et sanguinem. » Et adhuc : « Panis communis ex terrae cultura elaboratus et caro quaedam terrae est, tamen vitam aeternam praebere non promittit. Panis vero in beata Christi terra, virtute divinitatis unitae, confectus solo gustu immortalitatem homini affert. Mysticus enim panis cum benedictionem Patris habeat inseparabilem, illam dico quae in corpore et sanguine ejus facta est, unit comedentem corpus Christi, eumque membrum Christi efficit... Corpus quod ille panis mysticus est, et sanguis, qui illud vinum, immortalitatem intemeratae divinitatis participanti tribuunt propria virtute. Neque caro salvatoris manducata corumpitur nec sanguis potatus consumitur. Qui manducat ad augmentum divinarum virtutum elevatur ; quod vero manducatur, est inconsumptibile, siquidem cum inconsumptibili natura (i. e. cum divinitate) ratione quadam cognatum est et ab ea inseparabile. » Vid. Galland, *Bibl.* t. III, p. 541.

per quod portae mortis fractae sunt et fornices caeli aperti sunt, cum tanta contumelia accipiemus? Ne, quaeso, ne nos ipsos jugulemus per impudentiam; sed cum horrore et puritate omni ad ipsum accedamus; et cum ipsum videris propositum, tibi ipsi dic: Propter hoc corpus non sum ego amplius terra et cinis, non ultra captivus, sed liber: ideo caelos spero et bona illic reposita me accepturum esse, immortalem vitam, angelorum sortem, cum Christo consuetudinem: hoc corpus clavis confixum, flagris caesum, mors non tulit; hoc corpus sol cum crucifixum videret, radios avertit: ideo tunc velum scissum est, petrae ruptae sunt, et universa terra concutiebatur: hoc est illud corpus, quod cruentatum fuit, lancea perfossum, quod salutares fontes scaturivit orbi, alium sanguinis, alium aquae... Ex penetralibus (Christus) prodiit cum splendore multo, radiosque emittens non usque ad hoc caelum, sed usque ad ipsum supernum solium: nam illuc quoque ipsum (corpus) adduxit. Hoc corpus dedit nobis et tenendum et comedendum, quod intensae dilectionis fuit. » *Hom.* XXIV, 4, *in I Cor.*

« Hoc quod in calice est, illud ipsum est, quod ex latere fluxit, et illius sumus participes. Calicem autem benedictionis vocavit, quia illum prae manibus habentes, sic ipsum celebramus, admirantes, terrore perculsi de ineffabili dono, benedicentes quod ipsum effuderit, ut ne in errore maneremus; et non solum effuderit, sed etiam eum ipsum nobis omnibus impertierit. Itaque si sanguinem cupis, inquit, ne idolorum aram brutorum caede, sed altare meum sanguine meo cruenta. Quid hac re horribilius? Quid, quaeso, amabilius? » Ib. n. 1.

Caesarius Arelat. « Cum reverendum altare cibis satiandis ascendis, sacrum Dei tui corpus et sanguinem fide respice... Ad cognoscendum et percipiendum sacrificium veri corporis, ipse (Christus) te roboret, et potentia consecrantis invitet... Corpus, sacerdote dispensante, tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto. Quod cum Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in universis, ita integrum esse probatur in singulis... Si forte esum panis esurientibus apponeremus, non ex toto perveniret ad singulos, quia particulatim et minutatim portionem suam unusquisque praesumeret. De hoc vero pane cum assumitur, nihil minus habent singuli, quam universi. Totum unus, totum duo, totum plures sine diminutione percipiunt: quia benedictio hujus sacramenti scit distribui, nescit distributione consumi. » *Hom.* V *de Pasch.*

Augustinus. Exponens haec verba I Reg. XXI, 13, quae juxta

versionem LXX sic leguntur : « Et ferebatur in manibus suis, » ait : « Hoc vero, fratres, quomodo posset fieri in homine quis intelligat ? Quis enim portatur manibus suis ? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis quando commendans ipsum corpus suum ait : « Hoc est corpus meum. » Ferebat enim illud corpus in manibus suis. » *In ps.* XXXIII, enarrat. I, n. 10.

Et alibi : « Quis audeat manducare Dominum suum ? Et tamen ait : *Qui manducat me, vivet propter me.* Quando Christus manducatur, vita manducatur, nec occiditur ut manducetur... Manducetur Christus, vivit manducatus, quia resurrexit occisus. Et quidem in sacramento sic fit et norunt fideles quemadmodum manducent carnem Christi » (1).

Demum in sermone CXLIV : « Discipulis, ait, panem corporis sui et vinum sui sanguinis aeternis mysteriis tradidit offerendum, omnibusque fidelibus assumendum in remissionem omnium tribuit peccatorum... Christus ergo praesto est in mensa, Christus ibi occiditur, Christus immolatur, Christus ibi in suo corpore et sanguine sumitur » (2).

2. Sancti Patres asserunt Eucharistiam non esse id quod sensibus apprehenditur et natura est efformatum, nempe panem communem benedictione affectum. Sic, praeter Justinum et Irenaeum, Cyrillus Hier., Ambrosius, auctor librorum *de sacramentis,* Chysostomus, Anastasius Sinaita, Isidorus Hispalensis (3). — Citasse sufficiat verba Cyrilli et Chrysostomi.

CYRILLUS HIER. « Cum igitur ipse pronunciaverit, et dixerit de pane : « Hoc meum est corpus, » quis audebit deinceps ambigere ? et cum ipse asseveraverit et dixerit : « Hic meus est sanguis ; » quis umquam dubitaverit, aiens non esse ejus sanguinem ?... Quamobrem ne tamquam nudis pani et vino attende. Sunt enim corpus et sanguis Christi, secundum Domini asseverationem. Nam etiamsi illud tibi suggerat sensus, fides tamen et certum et firmum efficiat. Ne judices rem ex gustu ; sed ex fide citra ullam dubitationem certus esto te

(1) AUGUST. apud MAÏ, *Patrum nova bibliotheca,* t. I, p. 303. — (2) Ib. apud MAÏ.

(3) CYR. HIER. *Cat.* XXII, *Mystag.* IV, nn. 1-9, *Cat.* V, 7, 30, M. XXXIII, 1098, 1102. — AMBR. *De myst.* IX. M. XVI, 405 sq. — AUCT. ll. *de Sacram.* l. IV et V. M. XVI, 439 sq. — CHRYS. *Hom.* XLV (al. XLVI) *in Joh.* n. 3 ; *Hom.* LXXXII (al. LXXXIII) *in Matth.* M. LVII, 739 sq. — ANAST. SIN. l. c. — ISID. HISPAL. t. VII, p. 316 sq. ed. AREVALI. De Isidoro auctore genuino vid. AREVALUM in *Isidorianis,* c. LXXII, n. 25.

corporis et sanguinis Christi dono dignatum fuisse. » *Cat.* IV, n. 1. 6.

CHRYSOSTOMUS. « Discere oportet miraculum mysteriorum, quid sint, quare data sint, et quae rei utilitas. Unum corpus efficimur, membra ex carne ejus et ex ossibus ejus. Initiati attendant his quae dicuntur. Ut ergo non solum per dilectionem sed etiam secundum rem ipsam (κατ' αὐτὸ τὸ πρᾶγμα) cum illa carne commisceamur; hoc enim fit per cibum, quem ipse donavit : volens nobis ostendere amorem quo fertur erga nos, propterea se nobis commiscuit et nobis corpus suum (per manducationem) inseruit, ut unum quid simus sicut corpus junctum capiti... Amorem suum erga nos ostendens, non solum videndum se exhibuit nobis desiderantibus, sed et tangendum et comedendum, et ut ejus carnem dentibus teramus, et ei intime uniamur, et desiderium omne expleamus. Ut leones ergo ignem spirantes a mensa illa recedamus diabolo terribiles... Parentes saepe liberos suos aliis tradunt nutriendos : ego vero non ita, sed carnibus meis nutrio, me ipsum vobis appono... Communicavi carni et sanguini propter vos, rursum vobis eamdem carnem et sanguinem trado, per quae congener vobis factus sum » etc. (*Hom.* XLV *in Joh.*).

Classicus est locus ex homilia LXXXII, in Matth. nn. 1, 4, 5. « Solvit (Christus) principalem eorum festivitatem (pascha veteris Testamenti), ad aliam eos transferens mensam valde tremendam, aitque : « Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. » Et quomodo non turbati sunt hoc audientes ? Quia multa et magna de hoc etiam antea ipsis dixerat. Ideo illud non amplius declarat, jam enim satis audiverant. Et ipsemet ex eo bibit ; ne enim haec audientes dicerent : quid ergo, sanguinemne bibemus et carnem manducabimus ? et ne turbarentur, nam etiam quando de hac re verba fecit, de ipsis verbis multi offensi sunt ; ne itaque tunc turbarentur, primus ipse hoc fecit, inducens ipsos ad communionem mysteriorum sine turbatione suscipiendam. Ideo ergo suum et ipse sanguinem bibit... Deo igitur ubique credamus, nec contradicamus, etiamsi quod dicit rationibus et sensibus nostris contrarium videatur, sed praevaleat ejus verbum nostris rationibus et sensibus. Sic etiam in mysteriis (Eucharistia) faciamus, non solum quae sub sensus cadunt respicientes, sed verba ejus tenentes. Verbum quippe ejus infallibile est, sensus vero noster facile decipitur, verbum ejus numquam excidit, sensus noster in multis fallitur. Cum ergo sermo (divinus) dicat : « Hoc est corpus meum », obtemperemus et credamus et spiritualibus oculis ipsum respiciamus. Nihil enim sensibus percipiendum Christus nobis tradidit, sed in rebus

quidem sensibilibus, omnia vero intelligibilia (πάντα δὲ νοητά)... Quam multi nunc dicunt : vellem ejus formam videre, lineamenta, vestes, calceamenta ! Ecce ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Tu vestimenta ejus videre desideras, ipse vero se ipsum tibi dat non modo videndum, sed et tangendum, et comedendum, et intus sumendum.... Neque satis habuit hominem fieri, alapis caedi et occidi, sed et ipsum nobis commiscet, idque non fide tantum, sed etiam in re ipsa nos corpus suum facit. Qua ergo puritate non oporteat eum esse, qui hoc fruitur sacrificio, quibus radiis solaribus non puriorem manum quae hanc carnem secat, os repletum igne spirituali, linguam tinctam tremendo sanguine (τὴν γλῶσσαν τὴν φοινισσομένην αἵματι φρικωδεστάτῳ)?... Quod angeli tremunt videntes nec sine metu respicere audent propter fulgorem inde manantem, hoc nos alimur, huic commiscemur, et facti sumus Christi unum corpus una caro... Quis pastor propriis suis membris nutrit oves ? et quid dico pastor ? matres saepe sunt, quae post partus dolores tradunt infantes aliis nutricibus. Ipse autem hoc non est passus, sed ipse nos nutrit proprio sanguine et per omnia nos sibi ipsi conjungit » etc.

3. Tenent fideles vi Eucharistiae uniri corpori Christi, non tantum spiritualiter, scilicet sola fide et caritate, sed physice, corporaliter, secundum viscera. Ita Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Hilarius, Gregorius Nyssenus, Cyrillus Hierosolymitanus (1).

4. Panis, aiunt, factus est Corpus Christi, transiit et translatus est in illud, transformatus est, conversus, transelementatus est in Corpus Christi. Sic loquuntur Cyrillus Hier., Chrysostomus, Damascenus, Ambrosius, auctor librorum *de sacramentis,* Gaudentius Brixianus, Isidorus Hispalensis (2). — Eidem Patres, ad probandam possibilitatem istius conversionis, provocant ad omnipotentiam divinam, ad creationem ex nihilo, ad mysterium Incarnationis, ad conversionem aquae in vinum, virgae in serpentem (Cfr. th. de transsubstantiatione).

5. Concludunt cum summa reverentia et devotione esse accipiendam Eucharistiam ; summa cura esse invigilandum ne ulla pars

(1) Chrys. *In Joh. Hom.* xlv (al. xlvi), n. 3. M. LIX, 260, 261. — Cyr. Alex. *In Joh.* l. III, vi ad vi, 35; l. IV, ii ad vi, 61 sq.; *Cont. Nest.* l. IV, c. vi. M. LXXII, 451; LXXIII, 519 sq. LXXIV, 371. — Hilar. *De Trinit.* l. VIII, n. 13,17. — Nyss. *Or. Catech.* c. xxxvii. — Cyr. Hier. l. c.

(2) Nyss. l. c. — Cyr. Hier. *Cat.* v, 7; iv, 2, 3. — Chrys. *Hom.* i *de prodit. Judae,* n. 6; *Hom.* xvii *in Hebr.*, n. 3. — Damasc. *De fide orthod.* IV, xiii. — Ambr. *De myster.* c. ix. — Auct. ll. *de Sacram.* IV, iv, v. — Gaud. Brix. Cf. infra n. 6. — Isid. Hisp. l. c.

pereat. Sic Augustinus, Damascenus, Cyrillus Hierosolymitanus (1).

Augustinus: In ps. xcviii, 5 : « Et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est, » haec habet: « Quid habemus adorare? Scabellum pedum ejus... Sed videte, fratres, quid nos jubeat adorare. Alio loco Scripturarum dicitur : « Caelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. » Ergo terram nos jubet adorare, qui dixit alio loco quod sit scabellum pedum Dei? Et quomodo adorabimus terram, cum dicat aperte Scriptura: Dominum Deum tuum adorabis? Et hic dicit: « Adorate scabellum pedum ejus; » exponens autem mihi quod sit scabellum pedum ejus, dicit « Terra autem scabellum pedum meorum. » Anceps factus sum: timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit caelum et terram : rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia psalmus mihi dicit : « Adorato scabellum pedum ejus. » Quaero quod sit scabellum pedum ejus; et dicit mihi Scriptura, terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quaero, hic et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit; inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando (2). »

Cyrillus Hier. « Adiens igitur, ne expansis manuum volis, neque disjunctis digitis, accede, sed sinistram velut thronum subjiciens

(1) August. *Epist.* liv *ad Januar.* c. vi; cf. c. iii. M. XXXIII, 203. *In ps.* xcviii. M. XXXVII, 1264. — Damasc. *De fide orthod.* l. IV, c. xiii, M. XCIV, 1150. — Cyr. Hier. *Cat.* v, n. 21. M. XXXIII, 1126.

(2) Augustinus praeclaro adhuc modo profitetur fidem in dogma praesentiae realis in sermonibus quos edidit Caillau (ed. Paris, 1842). In sermone iii, 3 legitur : « Accipite itaque et edite corpus Christi, etiam ipsi in corpore Christi facti jam membra Christi. Ne dissolvamini, manducate vinculum vestrum. Ne vobis viles videamini, bibite pretium vestrum... Ipse namque... ait: « Hoc est corpus meum »... Hoc et in Evangelio vel legebatis vel audiebatis (catechumeni), sed hanc Eucharistiam esse Filium (Dei) nesciebatis. Nunc vero aspersi corde in conscientia pura et loti corpore aqua munda, accedite... Illam enim carnem sumitis, de qua dicit ipsa vita : « Panis quem ego dedero, caro mea est pro seculi vita. » — In eodem sermone : « A solis ortu usque ad occasum, sicuti a prophetis praedictum est, immolatur et secundum Novi Testamenti gratiam Deo victima laudis offertur. Non adhuc de gregibus pecorum hostia cruenta conquiritur, non nunc ovis aut hircus divinis altaribus admovetur, sed sacrificium jam nostri temporis corpus et sanguis est ipsius Sacerdotis... Hujus gratiae memores... cum timore et tremore ad participationem hujus altaris accedite. Hoc agnoscite in pane, quod pependit in cruce; hoc in calice, quod manavit ex latere. » — In sermone vi : « Hoc, quod videtis, carissimi, in mensa Domini, panis est et vinum; sed iste panis et hoc vinum, accedente verbo, fit corpus et sanguis Verbi. » *De sacramento altaris, ad infantes.* Cf. M. XLVI, 827, 834.

dexterae, utpote regem suscepturae; et concava manu suscipe corpus Christi, respondens : *Amen*. Postquam autem caute oculos tuos sancti corporis contactu sanctificaveris, illud percipe advigilans ne quid ex eo tibi depereat. Quod enim intercidere patieris, id tibi tamquam ex propriis membris diminutum puta. Dic enim, quaeso, si quis tibi auri ramenta dedisset, nonne summa cautione ac diligentia teneres, providus ne quid horum tibi periret, ac damnum paterere? nonne multo cautius ac vigilantius curabis, ne ex eo tibi vel mica intercidat, quod est auro ac gemmis longe pretiosius? Tum vero post communionem corporis Christi accede et ad sanguinis poculum: non extendens manus; sed pronus et adorationis ac venerationis in modum dicens *Amen,* sanctificeris, ex sanguine Christi quoque sumens. Et cum adhuc labiis tuis adhaeret ex eo mador, manibus attingens, et oculos et frontem et reliquos sensus sanctifica. Postremo expectans orationem, gratias age Deo, qui te tantis mysteriis impertire dignatus est. »

6. Denique Eucharistia, aiunt, fuit praefigurata et adumbrata in in veteri testamento. Sic Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gaudentius Brixianus (1).

Augustinus commentatur id quod in Eccli. legitur: « Non est bonum homini nisi quod manducabit et bibet » (VIII, 5) : « Quid credibilius dicere intelligitur, quam quod ad participationem mensae hujus pertinet, quam sacerdos ipse Mediator Testamenti Novi exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore et sanguine suo? Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis Veteris Testamenti quae immolabantur in umbra futuri, quia pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus corpus ejus offertur et participantibus ministratur. »

Gaudent. Brixian. « Modo ea solum de ipsa lectione (de agno paschali) carpenda sunt quae, praesentibus catechumenis, explanari non possunt, et tamen necessario sunt aperienda neophytis. In umbra illius legalis Paschae non unus agnus occidebatur, sed plures... Nam sufficere unus non poterat universis, quoniam figura erat, non proprietas dominicae passionis; figura enim non est veritas, sed imitatio veritatis... In hac veritate qua sumus, unus pro omnibus mortuus est, et idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis et vini reficit immolatus, vivificat creditus, consecrantes sanc-

(1) Ambr. *In ps.* CXIII, *serm.* XVIII, n. 26. — Hier. *in ep. ad Tit.* I, 8. — Aug. *De civ. Dei,* l. XVII, c. XX, n. 2. M. XLI, 556. — Gaud. Brix. *Serm.* II *de Exodi lectione* ad neoph. egressos de fonte. M. XX, 845 sq.

tificat consecratus. Haec agni caro, hic sanguis est... Ipse igitur naturarum Creator et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus (quia et potest et promisit) efficit proprium corpus, et qui de aqua vinum fecit, facit et de vino sanguinem suum... Credamus, quaeso cui credidimus. Nescit mendacium veritas. »

31. — Quarta probatio. Ex controversiis Patrum cum haereticis.

Ariani negaverunt Christi divinitatem. Docetae et Gnostici erraverunt circa humanitatem. — Nestoriani asseruerunt Christo esse duas personas, divinam et humanam. — Monophysitae dicebant naturas post inhumanationem Verbi non mansisse distinctas adeoque unam esse Christo naturam. — Porro omnes haeresiarchae transtulerunt quidem errores suos ad Eucharistiam, Christum nempe esse praesentem dicebant eo modo quo eum conversatum esse defendebant per vitam mortalem; attamen nullus negavit praesentiam realem Christi in Eucharistia. E quo consensu jam argumentum petitur ad demonstrandam originem apostolican dogmatis praesentiae realis corporis et sanguinis Christi in mysterio Eucharistiae. — Insuper Patres provocant ad Eucharistiam, ut probent falsitatem diversarum harum haeresum.

1. Docetas refutant quia ex errore eorum sequitur in Eucharistia non haberi verum corpus et verum sanguinem Christi. Sic Ignatius : « Eo quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est » (1).

2. Ex veritate vivificae carnis in Eucharistia Gnosticorum errores impugnant de demiurgo auctore rerum materialium, de pravitate materiae, de corporum nostrorum perpetuo interitu, sublata spe resurrectionis. Sic Irenaeus (2), Tertullianus qui in l. de resurr. carnis: « Caro, inquit, *corpore et sanguine Christi vescitur,* ut et anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede quas opera conjungit » (3).

3. Contra Arianos demonstrat Hilarius consubstantialitatem Verbi cum Patre, ex eo quod in Eucharistia omnes idem corpus accipiunt. Sic retorquet in Arianos argumentum quod hi petebant ex verbis Christi « ut unum sint, sicut et nos » (4). — Amphilochius, ut contra

---

(1) Ign. Mart. *Epist. ad Smyrnenses*, n. 7. M. V, 714. — (2) Iren. *Adv. haer.* IV, xviii, 4, 5 ; c. xxxiii, 2 ; V, ii, 2, 3. — (3) Tertull. *De resurr. carnis,* M. II, 806, Cf. *Cont. Marc.* V, viii ; III, xix ; IV, xl.

(4) Hilar. « *Ut sint unum sicut nos unum sumus, ego in his, et tu in me, ut sint perfecti in unum* » (Joh. x, 22, 23). Eos nunc, qui inter Patrem et Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo utrum per naturae unitatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim vere Verbum caro factum est, et vere nos Verbum carnem cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui et naturam

Arianos probet aequalem esse Filium Patri, majora Christi miracula recenset, et nominatim conversionem panis et vini in corpus et sanguinem suum; porro nullum argumentum aequalitatis in potestate et natura cum Patre praeberet institutio panis in signum vacuum (1).

4. Contra Nestorianos probant Patres in Christo non esse alium et alium, sed unum et eumdem qui carni unitur eamque ut suam habet, ex eo quod caro, quam in Eucharistia sumimus, fatentibus adversariis, sit caro Verbi, siquidem est vivifica, et quod hujus sumptione homo intime unitur Filio Dei. Sic Cyrillus Alexandrinus frequenter et Anastasius Sinaita (2).

5. Eutychiani asserebant in Eucharistia praesentem esse humanitatem Christi absorptam divinitate, aut naturam novam in quam divinitas et humanitas coaluerant. Eos refutant Patres ex professione communi omnium fidelium, carnem Christi et sanguinem ejus esse praesentem realiter sub symbolis panis et vini. Sic Leo Magnus et Anastasius Sinaita (3).

---

carnis nostrae jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, et naturam carnis suae ad naturam aeternitatis (divinitatis) sub sacramento nobis communicandae carnis admiscuit?... Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit et vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, et per hoc unum erimus, qua Pater in eô est et ille in nobis, quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietas (conjunctio) perfectae sacramentum sit unitatis? Quae scripta sunt legamus, et quae legerimus, intelligamus et tum perfectae fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quae diximus, nisi ab eo didicimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait: « Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus; qui edit carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo » (Jo. VI, 57). De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra vere caro est et vere sanguis est; et haec accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo et Christus in nobis sit. An hoc veritas non est? Contingat plane his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum denegant!... Quam autem in eo per sacramentum communicatae carnis et sanguinis simus, ipse testatur dicens: « Quoniam ego in Patre meo et vos in me, et ego in vobis » (Jo. XIV, 20). Si voluntatis tantum unitatem intelligi vellet, cur gradum quemdam atque ordinem consummandae unitatis exposuit, nisi ut cum illo in Patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem ejus nativitatem, et ille rursum in nobis per sacramentorum (corporis et sanguinis) inesse mysterium crederetur. » *De Trinit.* l. VIII, n. 13, 17. M. X, 245 sq.

(1) Cf. WISEMAN : IIIme Conf. sur la Transsubstantiation. *Démonstr. Evangél.* t. XV, p. 1149, 1150.

(2) CYRILL. ALEXAND. *Anathemat.* XI; in ejus *Apologia; Contra Nestor,* l. IV, c. V; *In Joh.* l. X, c. II. — ANASTASIUS SINAITA : *Hodeg.* p. 77.

(3) LEO M. *Serm.* XCI. M. LIV, 542. — ANAST. « Si Christus est sola divinitas, divinitas vero sub visum et tactum non cadit, neque sacrificari potest, membrorum simul et esus expers; liquido conficitur Timotheum, Judaeorum instar, infitiari sacrificium et communionem sacratissimorum mysteriorum corporis et sanguinis Christi, neque credere vereque confiteri corpus et sanguinem Christi visibile, creatum et terrestre esse... Aut divinitatem passibilem et mutabilem statuat, *aut neget corpus et sanguinem Christi* quae offert et manducat in mystica coena. » M. LXXXIX, 207.

32. — Quinta probatio. Ex Liturgiis (1). *Praenota.* 1. Liturgia (λεῖτον ἔργον) vi vocis significat omne munus publicum. Usu ecclesiastico significat munus sacerdotale, imprimis munus sacrificandi: Christus vocatur λειτουργός quia constitutus est εἰς τὸ προσφέρειν δῶρά τε καὶ θυσίας. Praeterea significat regulam, seu formulam secundum quam offerendum est sacrificium, quae solet dici *formularia sacrificii Missae,* estque litteris consignata. « Liturgiarum nomine, ait Renaudot, intelligi debent Officia, seu Rituales libri auctoritate publica ecclesiarum scripti earumque usu comprobati, quibus preces et ritus ad consecrandam Eucharistiam continentur (2). »

2. Secundum eruditos liturgiae scriptae in varias classes distribui et ad unum protypum reduci possunt. Porro omnium liturgiarum veterrima habetur in libro VIII *constitutionum apostolicarum* (3); hic autem liber secundum partes essentiales suas referendus est ad primum seculum, quia plane concordat cum iis quae de liturgia christianorum dicuntur a Clemente Romano (4); immo non desunt inter eruditos qui existimant hanc liturgiam ex iis esse ortam quae in ultima coena sunt peracta (5). — Ex hac liturgia exortae sunt jam inde a seculo IV multae aliae liturgiae (6) quae in occidentales et orientales dividuntur.

3. Liturgiae testantur fidem fidelium tum orationibus et verbis quae continent, tum actionibus quas praecipiunt et quibus significatio verborum manifestissima redditur. Unde si conspirant omnes liturgiae, fides dicenda est universalis, antiquissima, perpetua et apostolica (7).

Illud dogma ab apostolis derivatur, quod in omnibus liturgiis

---

(1) Cfr. *Monumenta liturgica,* apud Migne P. L. LXXII; Liturgiae inter opera s. Basilii scriptae, apud Migne, P. G. XXXI. — Muratori: *Liturgia romana.* Dissert. de rebus liturgicis, c. IX et sqq. — Lebrun : *Explication de la Messe.* t. III, d. XII, a. 5. — Card. Bona: *Rerum liturgicarum,* l. I, c. VIII. — *Perpétuité de la foi,* t. III, l. VIII. — Mabillon: *De liturgica gallicana.* — Renaudot: *Liturgiarum orientalium collectio.* — Assemani: *Codex liturgicus Eccles. univers.* — *Spicilegium Solesmense,* t. III, p. 545-584. — *Acta Sanctorum* t. LV, p. 489 et sqq. — Franzelin, *De Traditione,* Th. XIII, p. 126; *De Eucharistia,* p. 109. — Daniel, *Codex liturgicus,* t. IV, 42. — Probst : *Liturgie der drei ersten christl. Jahrh.* (Tübingen 1870); *Die ältesten römischen sacramentarien* (Münster 1892). — Bickel, *Messe und Pascha.* — Aug. Krazer O. P., *De liturgiis* (Augustae Vind. 1786). — Guéranger, *Institutions liturgiques,* t. I. — Suitbert Baümer O. S. B., *Geschichte des Breviers* (Freiburg 1895). — J. Kössing, *Liturgische Erklärung der hl. Messe* (ed. 3, Regunsburg 1869).

(2) Renaudot, l. c. I, 152. — (3) Sic loquuntur Renaudot, l. c. I, 9; Daniel IV, 42; Probst, p. 231 sq.; Bickell. — (4) Clem. Rom. *Epist. ad Corinth.* Cfr. Probst, l. c. p. 41 sq. — (5) Ita censet Bickell. Cf. *Zeitschr. für Kath. Theol.* (Innsbruck 1880) p. 90 sq. — (6) Cfr. Franz, *De eucharist. Consecrationsmoment* (Würzburg 1875) p. 54 sq.

(7) Insignem valorem argumenti ex liturgiis petiti declarat Caelest. I. in epist. ad episc. Galliae, c. XI : « Obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quae ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut *legem credendi lex statuat supplicandi.* » Denz. *Enchiridion,* n. 95.

explicite affirmatur. Atqui tale est dogma de praesentia reali corporis et sanguinis dominici in Eucharistia. Ergo.

A. LITURGIAE OCCIDENTALES: 1. *Romana* [1]: a) Sacramentaria Leonianum et Gelasianum: « Remotis obumbrationibus carnalium victimarum, spiritualem tibi, summe Pater, hostiam supplici servitute deferimus, quae miro ineffabiliquo mysterio et immolatur semper et eadem semper offertur. »

b) Canon antiquissimus Missae Ambrosianae in coena Domini: « At quid desperare de tua misericordia possumus, qui tantum munus accipimus, ut talem tibi hostiam offerre mereamur, corpus scilicet et sanguinem Domini Nostri Jesu Christi... qui formam sacrificii salutis perennis instituens, hostiam se primus obtulit et primus docuit offerri... Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus ob diem... in qua Dominus Noster Jesus Christus Filius tuus in Novo Testamento sacrificandi ritum instituit, dum panem et vinum... in sacramentum sui corporis et sanguinis transformavit.

c) Praefatio pro dominica 5ª post Epiphaniam, in Sacramentario s. Gregorii Magni: « Singuli accipiunt Christum Dominum et in singulis portionibus totus est; nec per singulos minuitur, sed integrum se praebet in singulis. »

2. *Gothica :* Missale Gothicum, quod in usu erat ante Carolum Magnum, clare profitetur dogma tum ad diem Epiphaniae: « Epiphaniae diem, fratres, celebri solemnitate veneremur, pia observatione poscentes, ut qui tunc aquas in vina mutavit, nunc in sanguinem suum oblationum nostrarum vina convertat; » tum in missa dominicali: « Precamur mente devota, te, Majestas aeterna, ut, operante virtute, panem mutatum in carnem, poculum versum in sanguinem, illum sumamus in calice qui de te fluxit in cruce ex latere. »

3. *Gallicana* in vetustissimo missali Francorum: « Sanctificare, benedicere, consecrareque digneris haec linteamina... ad tenendum, involvendumque Corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri. » (Praefat. linteaminum).

---

(1) Forma vetustissima Liturgiae Romanae habetur in tribus Sacramentariis: in *Leoniano* (Veronensi), circa finem seculi v probabiliter conscripto; in *Gelasiano* quod a Gelasio P. I est confectum; demum in *Gregoriano*. Sacramentarium Gregorianum non est nisi Gelasianum emendatum, estque fundamentum omnium Missalium Romanorum quae ad unitatem sunt redacta, jubente Concilio Tridentino. De Sacramentario Gregoriano cf. GRISAR, *Zeitsch. f. Kath. Theol.* Innsbruck 1885 und 1886; PROBST, *Die ältesten röm. Sacramentarien.*

4. *Mozarabica,* tot seculis in usu in Hispania : « Famuli tui indigni et exigui sacerdotes tremendae Majestati tuae spirituales victimas immolantes, offerimus tibi, Deus, hostiam immaculatam, quam maternus uterus impolluta virginitate produxit, pudor edidit, sanctificatio genuit, hostiaque immaculata vivit et vivens jugitur immolatur hostia, quae sola Deo placere praevalet, quia Dominus est. »

B) Liturgiae orientales, tum Graecorum, tum Syrorum : a) Liturgia *Chrysostomi,* quae apud plerosque Graecos est in usu : « Ave in aevum, sanctissima Christi caro, in perpetuum summa dulcedo ; ave in aevum, caelestis potus qui mihi ante omnia et super omnia dulcis es. » Et in missa Nat. Domini sacerdos orat : « Emitte Spiritum Sanctum tuum in nos, et in haec dona proposita. Fac quidem panem hunc pretiosum corpus Christi tui. » Diaconus ait : « Amen. » Addit sacerdos : « Quod autem est in hoc calice, fac pretiosum sanguinem Christi tui. » Diaconus repetit : « Amen. » Rursus sacerdos : « Transmutans Spiritu tuo Sancto. » Diaconus : « Amen, amen, amen. »

b) Liturgia *s. Marci,* ut dicitur, usitata *apud Aegyptios :* « Sacerdos dicit confessionem : « Corpus sanctum, et sanguis pretiosus verus Jesu Christi Filii Dei, Amen. » Populus respondet : « Amen. » Sacerdos repetit : « Sanctum pretiosum Corpus, et sanguis verus Jesu Christi Filii Dei. » Populus : « Amen. » Sacerdos tertio ait : « Corpus et Sanguis Emmanuelis Dei nostri, hoc est vere. Amen. » Et populus : « Amen. » Deinde sacerdos prosequitur : « Credo, credo, credo, et confiteor usque ad ultimum spiritum, quod sit ipsa caro vivifica Unigeniti Filii tui, Domini Dei et Salvatoris Nostri Jesu Christi. Accepit ipsam ex Sancta Domina nostra Deipara et semper Virgine Maria... Tradidit ipsam ad liberationem et ad remissionem peccatorum et vitam aeternam illis qui ex ea participant. Credo eam ipsam vere esse. »

c) Liturgia *Coptica* s. Basilii, ubi idem legitur, utpote ex Liturgia s. Marci orta.

d) Altera Liturgia *s. Gregorii :* « Tu Domine voce tua commuta haec, quae sunt proposita (panem et vinum). Tu coram nobis positus perfice nobis hoc mysterium plenum mysteriis. Mitte super nos gratiam Spiritus Sancti qui sanctificet et transferat haec dona proposita in corpus et sanguinem salutis nostrae, et hunc quidem panem faciat corpus tuum sanctum... Et rursus hunc calicem sanguinem pretiosum Testamenti tui Novi. »

e) Liturgia prius graece deinde syriace conscripta, quae dicitur

esse *Jacobi* fratris Domini. Hierosolymis fuit antiquitus in usu et ex hac videntur prodiisse Liturgia s. Basilii et Liturgia s. Chrysostomi ; adhuc adhibetur tum a Jacobitis monophysitis, tum a Melchitis orthodoxis. Sequentia leguntur : « Praesta mihi, Domine, ut comedam te sancte, et per comestionem tui pellantur omnia prava mea desideria » etc. Dum accipit particulam, ait sacerdos : « Teneo te qui contines fines terrae ; te in manibus habeo, qui regis profunda, te, Deus, pono in os meum » etc. — Invenitur etiam ibidem canticum illud : « Benedictus Christus qui aedificavit Ecclesiam suam super Simonem, et elegit sacerdotes ad dividendum in ea corpus et sanguinem suum. In timore magno stant sacerdotes cum diaconis, et distribuunt corpus et sanguinem Filii Dei. Oves tuae, Christe, stant ad ostium tuum ; comedunt corpus et bibunt sanguinem tuum. »

f) Liturgia, quae vocatur *canon universalis,* in usu apud Aethiopes : Postquam sacerdos ad consecrationem calicis pronuntiaverit verba : « hic est calix » etc. populus respondet : « Amen. Vere est sanguis tuus. Credimus. »

33. — Sexta probatio. Ex aliis monumentis. 1. *Picturae* quaedam seculi II vel III ineuntis, in coemeterio Callisti recens adinventae, repraesentant aliae quidem Eucharistiae typos, ut manna ; aliae vero Eucharistiae figuras in Novo Testamento, sc. transmutationem aquae in vinum, panum multiplicationem ; aliae denique nova symbola Eucharistiae, scilicet panem et lac in vase nimbo circumfuso, praesertim piscem (ΙΧΘΥΣ) qui ex ipsis suis litteris et tota traditione est manifeste symbolum Christi (1).

2. *Titulus S. Abercii,* episcopi Hierapolitani in Phrygia, ab ipso seculo II, ut fertur, dictatus, eoque superstite, lapidi incisus. Sic habet : « Fides namque singulis produxit et apposuit cibum ex uno fonte *piscem* praegrandem, impollutum, quem apprehendit Immaculata Virgo et tradidit amicis ex integro comedendum, eademque vinum habens bonum, idque porrigens cum pane temperatum. »

3. Titulus alter graecus in coemeterio s. Petri infra urbem *Augustodunensem* paucis abhinc annis effossus, et ita a Cardinale Pitra restitutus :

Σωτῆρος θ' ἁγίων μελιηδέα λάμβανε βρῶσιν.
Ἔσθιε, πίν' ἄδην, ΙΧΘΥΝ ἔχων παλάμαις.

(1) Cf. *Spicil. Solesmense,* III, p. 500-585.

« Salvatoris sanctorum dulcem sume cibum; ede et bibe affatim, piscem in manibus tenens. » Quae inscriptio est quasi titulus et interpretatio picturarum quae inveniuntur in catacumbis, ut bene notavit D. de Rossi in epistola ad Card. Pitra (1).

4. Demum vetustissimus lapis ad ostium musaei Divionensis asservatus, praeter Apostolos in novissima coena recumbentes et Christum stantem ac panem benedicentem, qui nimbis ornantur, exhibet virum nimbo carentem qui, genibus plicatis, pauperis instar piscem e mensa porrectum recipit. Legitur autem in epigraphe ad extremum lapidem :

Esca Deus mitis fons vivus veraque vitis
Pro vite... meritis sacer est cibus Israelitis.

34. — Scholion. I. Praeter argumenta praejacta, nonnulli auctores argumenta petunt ex miraculis patratis in confirmationem verae praesentiae Jesu Christi, nempe ex poenis quibus afflicti sunt hi qui indigne communicaverunt, ex bonis quibus ornati sunt hi qui flagrante amore Eucharistiae facti sunt participes. — Prodigia narrant s. Cyprianus, s. Amphylochius, Johannes Diaconus, Petrus Damianus (2).

Scholion. II. Veritas praesentiae realis insuper validissime demonstratur argumento *praescriptionis,* eo nempe quod, diutissime ante controversiam a Berengario motam, universalis exstabat in Ecclesia fides in Eucharistiam. Id argumentum adversus Berengarium adhibuerunt Lanfrancus, arch. Cantuariensis (3), card. Guitmundus arch. Aversanus (4).

Scholion. III. Uti lex arcana prohibebat ne cetera mysteria divulgarentur, sic vetabat ne non initiatis mysterium Eucharistiae proderetur (5).

(1) Cf. *Spicil. Solesm.* III, p. 507.

(2) Cypr. *De lapsis*, M. P. L. t. IV, p. 499. — S. Amphil. in *vita s. Basilii* c. vii. M. P. L. LXXVIII, 301. — Joh. Diac. *in vita s. Greg. M.* l. II, n. 41. — Petr. Damian. in *ep. ad Desid. Cassinens. abb.* Cfr. *Ann. Eccles.* Baronii ad a^m 1059. — (3) Lanfr. *De corp. et sang. Domini*, c. xxii. — (4) Guitmundus, *De Euch. sacr.* l. III.

(5) S. Cyril. Hier in fine sec. iv dicebat fidelibus (*Protocatech.* n. 12) : « Cum autem catechesis recitatur, si catechumenus ex te quaesierit, quid dicebant doctores? Nihil dicas externo. Mysteria enim tibi et spem futuri seculi tradidimus. Custodi hoc mysterium retributori, nec umquam dicentem aliquem audi : quid obest si et ego didicero? Etiam aegroti vinum quandoque postulant, quod si intempestive illis detur, phrenesim conciliat. Et duo hinc nascuntur mala : nam aeger interit et medicus male audit. Sic et catechumenus, si audiat mysteria a fideli, phrenesim patitur, nescit enim quid audiverit, et tamen arguit rem ignotam dictaque irridet : fidelis vere tamquam proditor condemnatur. Jam ergo tu, in finibus nostris constitutus, cave ne quid effutias; non quod digna non sint narratione ea quae ibi dicuntur, sed quod indignus est ille audire, cui referas. Fueras et tu aliquando catechumenus, neque tamen proposita mysteria tibi enarrabantur. Quando autem sublimi eorum, quae nunc traduntur, experientia didiceris, tunc plane intelliges dignos non esse catechumenos qui ea audiant. » Cf. M. XXXIII, 351 sq.

Attamen non raro coacti sunt christiani veritatem de Eucharistia declarare, ut a se averterent calumnias ethnicorum.

Satisfit difficultatibus.

35. — *Locutiones ambiguae* de Eucharistia interdum occurrunt apud Patres, quae sc. sumi possunt sensu metaphorico aut sensu proprio. Quid determinate significent apud hos scriptores, dijudicatur, applicata lege generali interpretationis, nempe ex scopo, ex alibi dictis ab iisdem Patribus, ex his quae per coaevos de eadem materia sunt tradita. Fieri enim non potuisset ut exstitisset in Ecclesia dissensus de tanta materia, et ut undique non fuisset reclamatum aut reclamationis vestigia non superfuissent. — En praecipuae locutiones ambiguae :

1. Propositio : « *Eucharistia est panis,* » accipi potest dupliciter : a) In Eucharistia nil nisi substantia panis. b) Eucharistia *apprehenditur* sensibus tamquam panis, ratione specierum. Hinc improprie vocatur panis.

2. Propositio: « *Eucharistia est typus, figura, symbolum corporis Christi,* » vario significatu usurpatur : a) Eucharistia est typus corporis Christi *simpliciter,* seu non est nisi typus. b) Est typus *secundum quid,* dupliciter : α) Eucharistia, *ratione specierum* panis et vini, est figura corporis Christi quippe quod est cibus animarum ; β) Eucharistia *ratione corporis Christi* est typus, figura Christi sive in cruce immolati, sive in caelo gloriosi.

3. « Eucharistia est *typus fruitionis Christi,* » dupliciter accipitur : a) In Eucharistia quis non fruitur Christo, eum non recipit ; sed panis fruitio est imago aut typus fruitionis caelestis Christi. b) In Eucharistia *fruitur quis Christo et ista fruitio est typus fruitionis in caelo exsistentis.*

4. « Eucharistia est recipientis *unio in corpore mystico Christi,* » dupliciter intelligi potest : a) Per Eucharistiam nihil aliud quis recipit, nisi quod Ecclesiae unitur aut gratiam accipit. » b) Qui digne Corpus Christi accipit in Eucharistia, tamquam *fructum* consequitur quod inseritur corpori mystico Christi.

5. « Corpus Christi *manducatur spiritualiter* » intelligi potest triplici sensu : a) Corpus Christi non recipitur vere, sed metaphorice, h. e. per fidem et caritatem quadamtenus possidetur Christus. b) Corpus Christi non manducatur capharnaitice. c) Qui rite sunt dispositi, Corpus Christi non manducant mere sacramentaliter, sed spiritualiter h. e. fructum supernaturalem consequuntur.

Porro praefatae locutiones non occurrunt apud ss. Patres nisi secundum significationem quae praesentiam realem aut supponit aut involvit.

36. — In specie arguunt sacramentarii a) ex controversia Paschasium Ratbertum inter et Ratramnum duosque Gemblacenses; b) ex certis verbis Tertulliani; c) ex nonnullis dictis a s. Augustino.

De controversia inter Paschasium et Ratramnum duosque Gemblacenses ([1]).

Sacramentarii, inter alia argumenta, contendunt fidem in realem praesentiam inchoasse in Ecclesia, seculo nono, cum Paschasius Ratbertus ([2]) hanc doctrinam primus proposuit. Dicunt constare ex scriptis coaevorum, tunc temporis novam esse habitam hanc doctrinam Ratberti. — Licet hujus asserti falsitas jam abunde sit perspicua ex argumentis supra relatis et petitis ex scriptis Patrum omnis aetatis, quoad factum tamen illud haec accipe:

Paschasius scripsit in Eucharistia haberi idem corpus quod ex B. V. est conceptum et natum; id vero displicuit Rabano Mauro (arch. Moguntino), Ratramno et duobus Gemblacensibus. Hi adversus Paschasium affirmarunt corpus Christi, in Eucharistia praesens, non esse illud corpus quod est natum ex Maria, cruci est affixum et in caelo sedet ad dexteram Patris.

Haec propositio duos sensus habere potest. Potest enim ea significare vel corpus Christi non esse idem *quoad substantiam;* vel corpus Christi, *idem quoad substantiam, non esse idem quoad modum et statum exsistendi,* ideoque dici simpliciter non posse corpus Christi in Eucharistia esse prorsus idem ac corpus ex Virgine natum. — Jamvero hos scriptores impugnasse propositionem Paschasii secundum alterum significatum, proindeque nullatenus negasse idem esse corpus quoad substantiam, manifestissimum est ex scriptis horum Patrum adversus Paschasium.

a) Auctor anonymus scripsit libellum cujus titulus est: « Dicta cujusdam sapientis de corpore et sanguine Domini, adversus Ratbertum. » Hic auctor, editus a Mabillionio ([3]), putatur esse Rabanus, et ejus liber ducitur esse istius epistola ad Egilonem. Disertis verbis dicit corpus Christi in Eucharistia esse *naturaliter* (h. e. quoad naturam, substantiam), idem ac corpus natum ex M. V., non autem esse idem *specialiter* (h. e. quoad speciem exteriorem, figuram, statum exsistendi); affirmat

([1]) Vid. Mabillonius dissert. de hac controversia, et Alex. Natalis, in Thesauro Zachariae, t. X, opusc XIII et XIV. — ([2]) Ratbertus: *De corpore et sanguine Domini* M. P. L. CXX, 1267. — ([3]) Ad calcem sec. IV Benedict. part. II.

etiam corpus et sanguinem Christi esse veram carnem ejus verumque sanguinem (1).

b) Rabanus Maurus in libro *De sacris Ordinibus* pari fide confitetur : « Quae fidelium ore percipiuntur, figuram esse secundum speciem visibilem : at vero secundum invisibilem substantiam *verum corpus et sanguinem Christi.* »

c) Ratramnus vero, ad Carolum Calvum scribens, asserit quidem adversus Paschasium, oculo corporeo non videri corpus Domini sed sola fide apprehendi, illud non esse specie praesens sed virtute (2) ; verum perspicuis verbis profitetur praesentiam corporis Christi quoad substantiam, et panis conversionem in corpus Christi (3).

37. — **Obj. 1°** ex *Tertulliano,* qui adversus Marcionem scribens

(1) « Quod corpus et sanguis Domini vera sit caro verusque sanguis, unusquisque debet credere... Hoc ergo fidelissime confirmo, et addo, quod, sicut veritas est Christus, et verus agnus Dei, qui quotidie mystice immolatur; ita procul dubio ex pane et vino verum corpus et verus sanguis ejus consecratione Spiritus Sancti potentialiter creatur. Quae cum certissima sint.... nec ullus christianus ambigere possit »..... « Haec dicta Magistri (Augustini) si fideliter, ferventer legeritis, manifeste cognoscetis, non quidem, quod absit, *naturaliter,* sed *specialiter,* aliud esse corpus Domini quod ex substantia panis ac vini pro mundi vita quotidie per Spiritum Sanctum consecratur, quod a sacerdote postmodum Deo Patri suppliciter offertur ; et aliud specialiter corpus Christi, quod natum est ex Maria Virgine. »

(2) Ratramnus : « Quod in Ecclesia ore fidelium sumitur, corpus et sanguis Christi, quaerit vestrae magnitudinis excellentia (Carolus Calvus), in mysterio fiat, an in veritate. Id est, utrum aliquid secreti contineat quod oculis solummodo fidei pateat, an sine cujuscumque velatione mysterii hoc aspectus intueatur corporis exterius, quod mentis visus aspiciat interius, ut totum quod agitur in manifestationis luce clarescat. » *De corpore et sanguine Domini,* p. I, n. 5. — « Si perspiceres quia quod credis nondum vides ; nam si videres, diceres : Video ; non diceres : Credo corpus sanguinemque esse Christi ; nunc autem quia fides totum, quidquid illud totum est, aspicit, et oculus carnis nihil apprehendit; intellige quod non in specie sed in virtute corpus et sanguis Christi exsistant quae cernuntur. » (Ib. n. 56). — « Multa differentia separatur corpus in quo passus est Christus, et sanguis quem pendens in cruce de latere suo profudit ; et hoc corpus quod in mysterio passionis Christi quotidie a fidelibus celebratur, et ille quoque sanguis qui fidelium ore sumitur.... Iste namque panis et iste potus *non secundum quod videntur, corpus sive sanguis exsistunt Christi, sed secundum quod spiritualiter vitae substantiam subministrant.* Illud vere corpus in quo semel passus est Christus, non aliam speciem praeferebat quam in quo consistebat; hoc enim erat quod vere videbatur, quod tangebatur, quod crucifigebatur, quod sepeliebatur. Similiter sanguis illius de latere manans, non aliud apparebat exterius, et aliud interius obvelabat. » (P. II, n. 69).

(3) Id. : « Exterius quidem panis, quod ante fuerat, forma praetenditur, color ostenditur, sapor accipitur ; ast interius longe aliud, multo pretiosius, multoque excellentius intimatur ; quia caeleste, quia divinum, id est Christi corpus, ostenditur, quod non sensibus carnis, sed animi fidelis contuitu vel aspicitur, vel accipitur, vel comeditur : vinum quoque, quod sacerdotali consecratione Christi sanguinis efficitur sacramentum, aliud superficietenus ostendit, aliud interius continet. » N. 9, 10. — Deinde n. 13. « Si ergo nihil est hic permutatum ; non est aliud, quam ante fuit. Est autem aliud, quoniam panis corpus, et vinum sanguis Christi facta sunt. » — Demum n. 15. « Si hoc (conversionem illam) profiteri noluerint, compelluntur negare corpus esse sanguinemque Christi, quod nefas est non solum dicere, verum etiam cogitare. »

dicit panem esse figuram corporis Christi et sic intelligi vult verba consecrationis. Unde sic : Ille habet Eucharistiam tamquam typum corporis Christi qui verba consecrationis sic intelligit: Id est figura figura corporis mei. Atqui talem significationem his verbis attribuit Tertullianus. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Ille habet Eucharistiam tamquam typum corporis Christi qui intelligit panem, aut species panis, esse figuram corporis Christi, *Neg.;* qui contendit totam Eucharistiam non esse nisi figuram, *Subdist.* non esse nisi figuram corporis *simpliciter, Conc.;* corporis *secundum quid, Neg. — Cdt. min.*

Explic. Duplex proponitur explicatio orthodoxa.

Prior, quae est verior, sic interpretatur : Verba « *Id est figura corporis,* » non referuntur ad ultimum terminum propositionis, sed ad primum, sive sensus est : « Hoc, scilicet panis, qui fuit apud Jeremiam figura corporis mei, nunc, prophetia adimpleta, jam est corpus meum. » — Rectam esse istam interpretationem constat duobus : a) *Ex scopo :* Tertullianus disputans adversus Marcionem, qui Judaeus erat, ostendit in Christo Jesu et per eum adimpletas esse prophetias et figuras V. T. — Jeremias vero dixerat de Christo : « Venite, conjiciamus lignum in panem ejus, » nempe crucem in corpore ejus. Itaque corpus figuratum erat in pane. Christus autem homo figuram adimplevit, cum panem — non vero peponem aut aliud quid — effecit corpus suum, adimplevit, inquam, figuram tunc cum dixit : « *Hoc*, scilicet quod apud Jeremiam fuit figura corporis mei, est corpus meum. » Talem esse significationem horum verborum ex tota oratione est manifestum. — b) Modus iste loquendi nequaquam est alienus a Tertulliano. Sic contra Praxeam scribens dicit : « *Christus* mortuus est, id est *unctus ;* » alibi aperiam in *parabolam* os meum, id est *similitudinem* (1).

(1) TERTULL. *Cont. Praxeam*, c. XXIX. — *Cont. Marc.* IV, XI. — En loca e quibus petuntur objectio et solutio : « Hoc lignum (crucis) et Jeremias tibi insinuat, dicturis praedicans Judaeis : « Venite, mittamus lignum in panem ejus, » utique in corpus. Sic enim Deus in evangelio quoque vestro (Lucae, praeter quod Marcionitae nullum aliud admittebant) revelavit, panem corpus suum appellans, ut et hinc jam eum intelligas *corporis sui figuram pani dedisse*, cujus retro corpus in panem prophetes figuravit, ipso Domino hoc Sacramentum postea interpretaturo. » *Contra Marc.* l. III, c. XIX. M. II, 348. — « Professus itaque se concupiscentia concupisse edere Pascha ut suum, indignum enim ut quid alienum concupisceret Deus, acceptum panem et distributum discipulis *corpus illum suum fecit, hoc est Corpus meum dicendo, i. e. figura corporis mei.* Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Ceterum vacua res, quod est phantasma, figuram capere non potest. Aut si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate, ergo

Posterior : Sunt qui censent sic intelligi, posse verba Tertulliani : « Corpus meum sacramentaliter praesens est figura corporis tum mortalis tum gloriosi » (1).

38. — **Obj. 2°.** *Ex Augustino.* Juxta Augustinum Christus in ultima coena dedit signum corporis sui, adeoque non dedit corpus suum verum ac reale. — Etenim contra Adimantum manichaeum scribit : « Non Dominus dubitavit dicere : « Hoc est corpus meum, » cum signum daret corporis sui » (2).

Resp. Nullatenus juxta Augustinum terminum *corpus* in verbis consecrationis sumi metaphorice, pro nuda figura corporis, ex ejus scopo constat. — In Deut. legitur : « Sanguis eorum pro anima est ; » apud Matth. autem : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam non possunt occidere. » Contenderat Adimantus haec verba inter se pugnare, siquidem anima, quae dicitur sanguis, occidi potest. — Reponit Augustinus sanguinem non esse ipsam animam, sed esse signum animae praesentis. Hoc illustrat exemplo Eucharistiae, in qua pars sensibilis seu species panis et vini sunt signum *corporis praesentis.* Hinc ex scopo liquet verbis objectis argumentum contineri potius quam objectionem.

Obj. 3°. Juxta Augustinum Eucharistia est unio membrorum in corpore mystico Christi. Ergo non est ipsum corpus Christi physice praesens.

Prob. ant. ex sermone ad infantes (3). Videtur panis, quod intelligitur

---

panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis ut panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus suum appellat, et non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit? non intelligens veterem fuisse istam figuram corporis Christi dicentis per Jeremiam ; « Venite, conjiciamus lignum in panem ejus, » scilicet crucem in corpus ejus. Itaque illuminator antiquitatum (h. e. impletor prophetiarum) quid tunc voluerit significare panem, satis declaravit corpus suum vocans panem. Sic et in calicis mentione testamentum constituens sanguine suo obsignatum, substantiam corporis ejus confirmavit... Ut autem et sanguinis veterem figuram in vino recognoscas... lavabit, inquit, in vino stolam (Gen. XLIX, 11)... Ita et nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit. » *Contra Marcionem,* l. IV, c. XL. M. II, 460.

(1) Cfr. *De la perpétuité de la foi,* t. III, l. II, c. II.

(2) AUG. *Cont. Adimant.* l. XII, n. 3. M. XLII, 144.

(3) AUGUST. « Quod videtis panis est et calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant; quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis Christi. » — Tunc mysticam significationem sacramenti explicat : « Breviter quidem hoc dictum est quod fidei forte sufficit; sed fides instructionem desiderat... Quomodo est panis corpus ejus ? et calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis ejus? Ista fratres ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem; quod intelligitur fructum habet spiritualem... Quare ergo in pane ?... Unum corpus multi. Recolite quia panis non fit de uno grano, sed de multis... Sic et de vino. Fratres recolite unde fit vinum. Grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in unitate confunditur. Ita et Dominus Christus nos significavit, nos ad se pertinere voluit, mysterium panis et unitatis nostrae in sua mensa consecravit. » *Sermo* CCLXXII *ad infantes.* M. XXXVIII, 1246, sq.

habet fructum spiritualem, qui fructus est ut caritate pertineamus ad Christum, ut simus membra corporis mystici ejus.

Resp. *Dist.* Eucharistia significat unionem praefatam ratione specierum, *Conc.;* nonnisi hujusmodi unionis signum est, *Neg.* Nam contrarium asseritur et in toto loco supponitur.

Explic. Horum verborum sensus est : praesentia Christi sub specie panis et vini significat praefatam unionem. Tria nempe Aug. considerat in Eucharistia : a) *id quod videtur :* panis et calix ; b) *id quod creditur :* corpus et sanguis Christi ; c) *fructum Eucharistiae* qui significatur per panem et vinum. Unde non tantum non negat praesentiam realem, sed eam explicite affirmat his verbis : « Panis et corpus Christi, calix sanguis Christi. » Deinde supponitur realis praesentia in toto contextu. Supponit nempe Augustinus infantes antea jam esse edoctos praesentiam realem, quare hic veritati non insistit, verum aggreditur explicandum *cur Christus voluerit esse praesens sub specie panis et vini,* dicitque rationem esse ut significaret se exigere unionem fidelium inter se et cum Christo.

Obj. 4°. Augustinus inducit Christum verba sua apud Johannem VI prolata explicantem : « Supernaturaliter intelligite quod locutus sum, non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent ; sacramentum aliquod vobis commendavi » ([1]). — Itaque vult Augustinus verba Christi apud Johannem esse intelligenda in sensu figurato et spirituali. Atqui hoc falsificatur eo quod Christus vere et realiter est praesens et manducatur in Eucharistia.

Resp. *Dist. maj.* Verba Christi sunt intelligenda figurate et spiritualiter h. e. Christi corpus non est manducandum manducatione *capharnaitica, Conc.;* non est manducandum *vere, Neg.* — Verba Augustini *neque exigunt hunc sensum, neque eum permittunt.*

Manducationem spiritualem non opponi manducationi reali, constat ex his quae modo dixerat idem Augustinus. In ipso enim hoc loco, paulo ante verba mox relata, aperte dicit Augustinus in Eucharistia adorari et manducari eam carnem quam Christus a B. V. acceperat ; deinde ostendit Judaeos non attigisse verum sensum verborum Christi, siquidem ducerent agi de manducatione Capharnaitica, « putantes quod praecisurus esset Dominus particulas de corpore suo et daturus illis. » Quibus dictis, ipse Christus, ore Augustini, explicat quomodo

---

([1]) AUGUST. In *ps.* XCVIII, n. 9. M. XXXVII, 1267.

sit manducandus. Manducatio proin dicitur spiritualis et figuralis in oppositione ad Capharnaiticam, non vero in oppositione ad veram et realem.

Inst. Atqui manducatio spiritualis excludit omnem manducationem veram ac realem. Juxta Augustinum nempe manducatio spiritualis est ea qua habetur vita animae, ita ut peccatores non manducent Christum. Scribit enim in sermone CXXXI : « Tunc vita unicuique erit corpus et sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur. » Eodem ferme modo loquitur in opere de civitate Dei (1).

Resp. *Dist.* Manducatio spiritualis apud Augustinum semper audit idem ac manducatio *fructuosa,* qua nempe anima spiritualiter vivit, *Neg.;* in locis modo citatis significat manducationem fructuosam, *Subd.* et eadem manducatio in eisdem locis supponit corpus Christi vere et realiter manducari, *Conc.;* hoc non supponit, *Neg.* — Manducatio spiritualis duplici sensu accipitur ab Augustino a) tamquam opposita *Capharnaiticae;* b) ut opposita manducationi *mere sacramentali,* omni fructu privatae. Secundum primum sensum eam accipit in Ps. XCVIII, secundum alterum in sermone CXXXI et de Civ. Dei. Manducatio de qua heic supponit manducationem realem et statum gratiae; ideo peccatores non manducant spiritualiter Corpus Christi quia carent statu gratiae. Talem esse sensum Augustini verborum constat quod alibi asserit etiam malos homines manducare corpus Christi (2).

ARTICULUS IV.

De convenientia institutionis Eucharistiae (3).

In mysterio altaris Christus Jesus triplici ratione se tradit fidelibus christianis: *in altari,* ubi immolatur et offertur in sacrificium pro vivis et vita functis, ut eisdem applicentur merita parta in cruce; *ad sacram mensam,* ubi carnem suam porrigit in cibum et sanguinem in potum;

(1) AUGUST. *Serm.* CXXXI, n. 1; *De civ. Dei,* XXI, XXV, 3. M. XLI, 742.
(2) *De bapt.* V, VIII, M. XLIII, 181.
(3) Cf. S. TH. III, q. LXXV, a. I. — In 4 d. 8, q. 1; d. 10, q. 1, a. 1. — SUAR. d. XXXVI, s. 7. — LESSIUS : *De perfectionibus divin.* l. XII, n. 129. — BOSSUET : *Médit. sur l'Evang.* La Cène, 24e journée. — BOURDALOUE : *Sermon sur le T. S. Sacrement.* Ed. Guerin, t. III, p. 140. — MONSABRÉ : *Eucharistie,* manifestation de la puissance, de la sagesse et de l'amour de Dieu. 1884, p. 130.

demum *in tabernaculo* ubi visitatur et adoratur a fidelibus, ubi lumen infundit mentibus, robur voluntatibus, solamen cordibus. — Non sine rationibus sapientia dignissimis, sacramentum hoc et sacrificium instituit Christus Dominus, « in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum [1]. » Praecipuae rationes exponendae jam veniunt.

THESIS V^a^. — Convenientissima fuit institutio Eucharistiae, tum ratione gloriae quam procurat Deo et Christo Jesu, tum ratione bonorum innumerorum quorum exstat fons et origo pro fidelibus christianis.

39. — I. Eucharistia procurat Deo gloriam.

A. *Procurat gloriam materialem,* manifestando attributa divina. Est enim luculenta manifestatio bonitatis, liberalitatis, misericordiae, et sapientiae, uti ex modo dicendis fiet perspicuum. Est peculiariter eximia manifestatio potentiae divina, eaque convenientissime facta. « Nam, ait Suarez, si omnia miracula, quae in hoc sacramentum interveniunt, consideremus, illud fuisse convenientissimum reperiemus, ut esset veluti consummatio et perfectio omnium divinorum operum, et ideo Johannes initio narrationis Dominicae coenae praemittit illa verba : « Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus. » In illa enim rerum immutatione, quam Christus in hoc mysterio fecit, *hanc suam omnipotentiam et dominium in omnem creaturam* satis ostendit; nam et substantias transmutat, et accidentibus alium exsistendi modum tribuit, et corporis molem ad similitudinem spiritualis substantiae praesentem efficit, idemque corpus in variis locis constituit, et alia similia operatur quibus se universae naturae Dominum declarat... Illud denique mirum in modum opus divinae potentiae exaggerat, quod non semel aut iterum, sed quotidie haec omnia operatur, quodve hominibus dederit potestatem verbo suo haec omnia efficiendi. »

B. *Eucharistia procurat Deo gloriam formalem.* Hanc enim gloriam procurat a) sacrificium Missae, cujus ipsemet Christus est hostia et sacerdos principaliter offerens, de quo praececinit Malachias: « Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda » (I, 11). Et adhuc : « Et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificium in justitia et placebit

[1] Trid. Sess. XIII, c. II.

Domino sacrificium Juda et Jerusalem, sicut dies seculi et sicut anni antiqui » (III, 3, 4). — Gloriam formalem Deo procurant b) adorationes, laudes, gratiarum actiones, piae humilesque preces quae continuo in centenis millibus templorum et oratoriorum die noctuque a ferventissimo quoque christiano coram sanctissimo sacramento persolvuntur divinae majestati.

40. — II. Eucharistia procurat gloriam Christo.

A. *Manifestat varias perfectiones Christi.* 1. Inter tenebras tabernaculi cernitur divus Salvator renovare mysterium *vitae absconditae,* obscuritate vitae eucharisticae, silentio, humili obedientia sacerdoti praestita. — 2. Renovat mysteria *vitae publicae.* Cernitur enim renovare miraculum conversionis aquae in vinum et multiplicationis panum, ad vitam supernaturalem revocare mortuos, spiritualiter caecis aut languidis restituere lumen supernaturale et animae vigorem, uti olim in Judaea per vitam mortalem, ita nunc in templis christianis diffundit lumen, robur, consolationem, gratiam et benedictionem. Dat itaque fidelibus exemplum continuum bonitatis, misericordiae, beneficentiae. Haec autem efficit non in uno dumtaxat loco, uti olim per vitam mortalem, verum in omnibus templis orbis catholici, omnibus horis diei et noctis. — 3. Renovat mysteria *vitae dolorosae.* Fit enim memoria tum sacrificii in ultima coena oblati, tum sacrificii crucis, uti ostendetur in tertia parte hujus tractatus. — 4. Demum renovat Eucharistia mysteria *vitae gloriosae.* Corpus enim Christi in Eucharistia elevatur supra conditionem materiae, fit praesens ad instar spirituum, est simul in multis locis, impassibile et immortale. Praeterea renovat apparitiones vitae gloriosae discipulis factas, cum tot animae utantur familiari commercio Christi Jesu sub speciebus latitantis.

B. *In Eucharistia recipit Christus gloriam qua dignus est.* 1. Instituit Salvator hoc sacramentum, praeter alios fines, ut sui memoria inter homines conservaretur (Luc. XXII, 19; I Cor. XI, 25). Conservatur memoria a pie adorantibus Eucharistiam, a devote sumentibus corpus et sanguinem ejus, a visitantibus templum quacumque de causa. — 2. Extollitur laude, ornatur gloria et magnificentia in universa terra ab oratoribus et poetis, pontificibus et fidelibus, a cultoribus artium et scientiarum : omnes enim scientiae et artes thesauros profuderunt in honorem Christi Jesu. — 3. Potissimum innumera corda flagrant igne caritatis erga Christum in mysterio altaris vere et substantialiter praesentem.

41. — III. Eucharistia est fons bonorum pro fidelibus.

A. Pro individuis. Eucharistia fit ut fideles vitam supernaturalem agant laete ac generose; ea fit ut alantur cibo caelesti, ut vere se sentiant membra corporis mystici cujus ipsemet Christus est caput, ut inserantur perfectius verae viti veluti palmites et ex vite hauriant succum quo crescunt et saluberrimos fructus sanctitatis et gloriae caelestis ferunt. — Paucis haec evolvantur.

1. *Conjungit hominem fonti vitae christianae.* « Perfectum unum quodque est, cum attingit propriam virtutem. Virtus autem est ultimum in re, et ideo *perfectio rei* consistit in *hoc quod res ad sui ultimum* perducatur. Est autem *dupliciter ultimum rei:* unum quod est *in re,* et aliud quod est *extra rem* »... Illud posterius « est *principium a quo res habet esse;* quia per conjunctionem ad ipsum res complentur et firmantur, et propter distantiam ab ipso deficiunt... Et ideo primum agens habet etiam rationem ultimi finis perficientis. Fons autem vitae christianae est Christus, et ideo hoc modo Eucharistia perficit, Christo conjungens: et ideo hoc sacramentum est perfectio omnium perfectionum;... unde et omnes qui sacramenta alia accipiunt, hoc sacramento in fine confirmantur » (1).

2. *Auget virtutes christianas*: a) Augetur *fides:* Etenim α) exercetur fides in corporis ac sanguinis Christi praesentiam sub speciebus. β) Renovatur memoria plerorumque factorum vitae sensibilis Christi in terris, adeoque exitatur fides in ea: Ingressus in corpus sumentis revocat in memoria ingressum Verbi in uterum Virginis, status cibi et potus et praesentia sub duplici specie est memoria sacrificii crucis. — b) Augetur *spes:* α) Cum caro Christi sit pignus gloriae, nullo dono, praeter Incarnationem, magis roboratur spes gloriae; β) cum Christus intime uniatur corpori nostro, vividius speratur unio cum Deo in gloria caelesti. — c) Augetur *caritas:* α) Eucharistia est maximum argumentum amoris Christi erga nos; nos itaque provocat ad ipsum redamandum. β) Nos provocat ad amandum proximum in Christo, quia omnes unimur in participatione ejusdem Christi, tamquam tot membra ejusdem corporis. — d) Augentur *virtutes morales,* v. g, humilitas, patientia, ob exempla earumdem virtutum a Christo in Eucharistia nobis data.

B. Pro societate ecclesiastica. Eucharistia fit ut Ecclesia perpetuo secum retineat conditorem suum, caput, ducem, servatorem; ut ex

(1) D. Th. in 4 d. 8, q. 1, a. 1, solut. 1, ad 1m.

corde ipsius hauriat sanctitatem, robur, consolationem. — Praeterca tres praerogativas tribuit Eucharistia Ecclesiae. Tribuit ipsi a) *vinculum sociale:* α) Cum Eucharistia sit centrum, cui omnes fideles uniuntur, ideo communio hujus sacramenti fuit semper signum ecclesiasticae unitatis et concordiae; ideo *symbolum pacis et unitatis* vocatur ab Augustino (1). β) Per Eucharistiam perenniter praesens est in Ecclesia supremum ejus caput et rector. — Tribuit Eucharistia Ecclesiae b) *cultum socialem.* In omni religione cultus Deo primario exhibetur nomine societatis per sacrificium : unicum autem sacrificium N. L. reponitur in oblatione corporis et sanguinis Christi. Quemadmodum igitur hoc sacrificium superat in immensum sacrificia vetera, sic cultus in Ecclesia constitutus per institutionem Eucharistiae in immensum superat omnes cultus antiquos. — Denique Eucharistia tribuit Ecclesiae c) *characterem socialem.* Character Ecclesiae Christi est ut medium teneat inter hierarchiam caelestem et Judaicam. Judaeis proponebantur figurae sine rebus, uti manna; gloriosi vero regni habitatores habent res sine figuris, Deum nempe sine velaminibus propositum, ut illo per visionem et amorem quasi nutriantur. Restat igitur ut Ecclesiae filiis in terra degentibus exhibeantur res, sed obvelatae symbolis, id est, Christus sub indumento specierum eucharisticarum, ut eo perfruantur et fruendo vivificentur.

CAPUT II.

De modo praesentiae realis Christi.

Partitio. Praesens caput tribus articulis absolvetur: *Primus* inquiret quisnam juxta revelata et doctrinam Ecclesiae sit modus quo Christus est praesens sub speciebus panis et vini. — *Secundus* inquiret quaenam consectaria ex sacramentali praesentia fluant. — *Tertius* inquiret num ratio probet possibilitatem praesentiae corporis et sanguinis Christi; an saltem ostendat dogma praesentiae realis, licet seu *supra rationem,* attamen *non esse contra rationem.*

(1) Aug. *In Evang. Joh.* tract. xxvi.

ARTICULUS I.

De sacramentali praesentia Christi in Eucharistia.

Quaeritur 1° utrum *solum corpus* sit praesens sub speciebus panis, *solus sanguis* sub speciebus vini; an *totus Christus,* nempe tota humanitas unita hypostasi Verbi, sit praesens sub utrisque speciebus. — Quaeritur 2° utrum *post separationem* specierum, totus Christus sit praesens sub *utraque parte* separata, an secus. — Quaeritur 3° utrum *ante separationem* totus Christus sit praesens *sub unaquaque parte sensibili,* an secus; utrum praeterea praesens sit sub unaquaque parte etiam *non sensibili.* — Demum quaeritur 4° utrum Christus sit praesens *permanenter,* necne, sub speciebus.

§ 1. Totum Christum sub utraque specie esse praesentem ostenditur.

D. Th. III, q. LXXVI, a. 2. — Suar. de Euch. d. LI, s. 1 et 2. Lugo, d. VIII, s. 3. — Bellarm. l. IV, c. XXI.

42. — **Doctrina catholica** est totum Christum, — nempe a) *corpus* cum omnibus membris ad integritatem corporis spectantibus; b) *animam* cum facultatibus; c) *hypostasim* Verbi unitam humanitati et realiter identificatam cum divinitate — esse praesentem tum sub speciebus panis, tum sub speciebus vini. — Quae doctrina est *de fide definita* ex Tridentino: « Si quis negaverit in venerabili sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, A. S. ». — Eamdem doctrinam definiverat Concilium Constantiense, et proposuerat Florentinum in decreto pro Armenis (1).

Ad explicandum quomodo totus Christus praesens sistatur sub speciebus panis, licet dicatur: « Hoc est *corpus* meum, » quomodo totus sit sub speciebus vini, cum dicitur: « Hic est *sanguis* meus », distinguunt theologi inter id quod praesens fit vi verborum et id quod per concomitantiam est praesens. — *Vi verborum* dicitur praesens id cujus praesentia est necessaria ad hoc ut vera sint verba. Sive

(1) Trid. Sess. XIII, can. 3. Cf. cap. III et Sess. XXI, c. III. — Constant. Sess. XIII. Denz. *Enchiridion,* n. 585. — Florent. Cf. *Enchir.* n. 593.

aliter id quod praecise et explicite per verba significatur. — *Per concomitantiam* dicitur praesens id cujus praesentia absolute quidem loquendo non requiritur ad hoc ut vera maneant verba prolata quoad significatum explicitum, verum quod habet realem unionem cum eo quod vi verborum praesens sistitur; sive aliter id quod verbis prolatis implicite significatur. — Porro juxta theologos vi verborum solum corpus praesens est sub speciebus panis, solus sanguis sub speciebus vini; cetera sub utrisque sunt praesentia per concomitantiam. — Hunc modum loquendi adhibet Tridentinum, licet non definiat eum de fide esse tenendum. — Sic perpulchre doctrinam catholicam describit sacra Synodus : « Semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie, una cum ipsius anima et divinitate exsistere ; sed corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub vini specie ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur: divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem » ([1]).

Sententiae haereticae. 1. Sacramentarii irrident concomitantiam corporis cum sanguine, sanguinis cum corpore ([2]). Ut totum sacramentum non est nisi signum, ita panis non significat nisi corpus, et vinum sanguinem.

2. Lutherus alibi aliter sentit: modo fatetur totum Christum esse sub utraque specie ([3]), modo irridet concomitantiam ([4]), modo dissimulat quaestionem, ubi asserit quosdam se torquere inanibus quaestionibus, quomodo anima Christi et divinitas sint in sacramento ([5]).

([1]) Trid. Sess. XIII, cap. III. Notat Suarez Concilium distinctionem a scholasticis usurpatam inter ea quae sunt in sacramento ex *vi verborum*, et ea quae ibi sunt *per concomitantiam*, approbare, « non quod modum illum loquendi tamquam de fide certum definire intendat, sed rem solam; haec enim est, quae directe ad doctrinam fidei pertinet, scilicet totum Christum sub singulis speciebus contineri, et ita hoc solum tradit sub anathemate can. 1 et 3. Quia vero haec fides optime explicatur per illum duplicem modum constituendi aliquid in hoc sacramento, ideo Concilium ad declarandum mysterium ea distinctione usum est. Quocirca, licet non sit aperta haeresis illam negare, est tamen ingens temeritas et magnus error, praesertim cum ex principiis fidei non obscure colligatur. » *De Euch.* d. LVI, sect. 3, n. 1. — Addere expedit Vasquez aliter de hac re judicare. *In III part.* d. CLXXXV, c. II, n. 19 sq.

([2]) Calv. l. IV. *Instit.* c. XVII, §§ 18, 35, 47. Petr. Mart. l. *de coena adv. Gardinerum*, in defens. obj. 36. — ([3]) Luth. *In assert.* XVI[a]. — ([4]) Id. In informatione ad quemdam amicum *de communione sub utraque specie*. — ([5]) Id. in libro *ad Waldenses*.

3. Lutherani abeunt in tres sententias. a) Tilmannus Heshusius [1] negat concomitantiam, seu negat totum Christum esse sub utraque specie. b) Alii sentiunt cum catholicis. Sic Joh. Brentius, Kemnitius, et Ubiquistae. c) Alii demum prudentiores quaestionem dissimulant. Sic Melanchton.

THESIS VI[a]. — Totus Christus est vere praesens tum sub specie panis, tum sub specie vini.

43. — Probatio I[a]. Ex Script. Arg. I[m]. Ex Joh. VI. 51-58 : « Ego sum panis vivus qui de caelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita... Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; qui manducat meam carnem et bibet meum sanguinem, habet vitam... in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; *et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* » — Unde sic arguitur: a) Qui sumit speciem panis, manducat carnem Christi. Atqui qui manducat carnem Christi, hic manducat totum Christum. Ergo qui sumit speciem panis, hic manducat totum Christum, adeoque totus Christus est praesens sub specie panis. — b) Totus Christus *(ego, vivus)* exhibetur ut manducandus. Atqui non manducatur nisi species panis et id quod est praesens sub hac specie. Ergo totus Christus est praesens sub specie panis.

Arg. II[m]. Ex I Joh. IV, 3 : « Omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est; et hic est antichristus. » Directa quidem sunt haec verba, ex scopo Johannis, contra Ebionitas qui solvebant Jesum Christum dicentes non unum esse Deum et hominem, sed alium et alium. Attamen falsitatis arguunt omnes qui quomodocumque solvunt Christum Jesum. Atqui illi qui docent integrum Christum non esse tum sub specie panis tum sub specie vini, solvunt corpus a sanguine, utrumque ab anima et a divinitate. Ergo.

Arg. III[m]. Ex I Cor. XI, 27 : « Itaque quicumque manducaverit panem hunc, *vel* biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis *et* sanguinis Domini. » Unde sic arguitur : Qui manducat indigne panem eucharisticum, est reus corporis *et* sanguinis. Idem est dicendum de

[1] Tilm. Hesh. in libro *de sexcentis erroribus Pontificiorum,* tit. XVII, errore 4 et 18. Cf. Bellarm. l. c.

indigne bibente calicem. Atqui hoc supponit sub specie panis non solum corpus esse praesens, sed etiam sanguinem. Quod si sanguis est praesens sub specie panis, corpus sub specie vini, pariter anima et divinitas dicendae sunt esse praesentes sub utraque specie. Et re quidem vera, non sine consilio utitur Paulus in primo quidem inciso particula disjunctiva, in secundo autem conjunctiva. Quod argumentum imprimis valet adversus utraquistas, errorem suum de necessitate communionis sub utraque specie communire nitentes ex particula *et* a Paulo adhibita vv. 26 et 29.

44. — Probatio II[a]. Ratione theologica. Arg. I[m]. Corpus Christi constituitur praesens cum omnibus his quibus substantialiter perficitur et cum his quibus accidentaliter perficitur, nisi excludantur per ipsum modum praesentiae quo corpus insignitur verbis consecrationis. Atqui corpus Christi accidentaliter perficitur per sanguinem, sanguis vero non excluditur verbis consecrationis; substantialiter autem perficitur in ratione naturae per animam, in ratione personae per hypostasim Verbi. Ergo. — *Constat major* quia vi verborum corpus Christi fit praesens modo quo actualiter exsistit corpus illius qui dicit: hoc est corpus meum. Atqui ut sic fiat praesens, oportet ut adsit cum his quibus substantialiter perficitur et quibus accidentaliter perficitur, nisi quaedam ipsismet verbis excludantur et absolute non sint requisita ut corpus Christi dici possit substantialiter esse praesens eo modo quo actualiter exsistit.

Arg. II[m]. Corpus Christi constituitur praesens cum omnibus his a quibus est inseparabile. Atqui inseparabile est a sanguine, ab anima et a divinitate. — *Prob. min.* a) Unio hypostatica est indissolubilis; ergo corpus et sanguis non separantur a divinitate. b) Juxta Paulum ad Rom. VI, 9, Christus post resurrectionem jam non moritur; ergo corpus est inseparabile a sanguine, ab anima et a divinitate.

Arg. III[m]. Non decet ut corpus Christi gloriosum sit alicubi exsangue. Neque decet ut sit alicubi sine hypostasi. Praesertim in Eucharistia esse nequit sine hypostasi, cum ibi adsit non modo ad sanctificandum, sed adhuc ut a fidelibus adoretur cultu latriae, quem cultum exhibere foret illicitum, si divinitas abesset.

45. — Probatio III[a]. Ex Traditione. Arg. I[m]. *Ex Patribus.* Ille tenet Christum totum esse praesentem tum sub specie panis tum sub specie vini, qui docet in mensa sacra a) haberi et manducari agnum qui tamen vivus remanet; b) nos Dominum amplecti et adorare ac intra nos sumere Filium Dei. Si enim solum corpus adest in una specie, solus sanguis in

alia, nullibi adest agnus, Christus etc. Atqui Patres passim citata docent. Sic peculiariter Cyprianus, Hilarius, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius, Cyrillus Alexandrinus, Chrysostomus frequenter contra Nestorium inculcans carnem Christi in Eucharistia esse carnem per unionem cum Verbo vivificam, et scribens: « Christi fere efficimur, distributo in membris nostris corpore. » Sic etiam loquuntur Ambrosius aiens: « In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi; » Hieronymus scribens: « Non Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Jesus, ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur; » Augustinus aiens: « Ferebatur Christus in manibus... ferebat enim illud corpus in manibus suis; » s. Ephrem exclamans: « Te, Domine, comedimus; te bibimus, non ut consumamus te, sed ut per te vivamus ([1]). »

Arg. II^m. *Ex Liturgiis*, ubi legitur: « Rex regnantium et Dominus dominantium progreditur, ut mactetur; frangitur et dividitur Agnus Dei, qui semper comeditur et non consumitur; caro cibus, sanguis potus, manet tamen Christus totus sub utraque specie. »

46. — Scholion 1^m. Corpus Christi praesens sistitur in statu sacramentali eo modo quo istud corpus reapse est, exceptis his quae excluduntur vel quae de novo ponuntur vi verborum. Inde *post resurrectionem* sistitur praesens corpus *gloriosum* cum anima, sanguine et divinitate; *in ultima coena* corpus *non erat gloriosum;* intra triduum mortis, si consecratio facta fuisset, corpus redditum esset praesens *sine sanguine,* sanguis *sine corpore,* utrumque *sine anima,* at *hypostasis fuisset praesens* per concomitantiam, cum remanserit unita tum corpori Jesu, tum animae.

47. — Scholion 2^m. Corpus Christi, idque solum, praesens est sub specie panis *vi verborum.* Constat quia solum corpus signate significatur verbis quibus consecratur species panis; id autem solum quod explicite significatur, solum etiam directe et per se fit praesens. — Inquiri potest quid nomine *corporis* vi verborum praesentis intelligatur, sive enucleatius inquiri potest a) an *materia* sit praesens; b) an praeter materiam vi verborum praesentia sint *forma* et *accidentia.* De accidentibus agitur articulo sequenti; de forma substantiali in scholio IV. — De materia juvat pauca subjicere : Vi verborum praesens

([1]) Cypr. L. IV, *epist.* VI. Hil. *De Trin.* l. VIII, 13-17. M. X, 245 sq. Cyr. Hier. *Cat.* XXII, 3. M. XXXIII, 1098. Cyr. Alex. *In Joh.* l. X, c. XIII. Basil. *In liturg.* M. XXXI, 1630. Chrys. *Hom.* LXXXIII *in Matth.; hom.* XXIV in I *Cor.* Aug. *Enarr. I in ps.* XXXIII, n. 10. M. XXXVI, 306; *De Trin.* III, X. M. XLII, 879. Hier. *Ep. ad Hedibiam,* q. II. Ambr. *De mvst.* IX. — Gaud. Brix. M. XX, 845, sq.

fuit in ultima coena tota materia quae constituebat corpus Christi, adeoque materia omnium partium organicarum corporis Christi : Patet ex verbo *meum,* quod ex modo communi loquendi indicat corpus humanum, uti est integrum atque organicum, distinctum tamen a sanguine et ab anima (1).

Igitur a) erravit Picus Mirandulanus, cum affirmabat fieri praesentem solum communem gradum corporis, quod est subalternum genus praedicamenti substantiae. b) Errant qui affirmant materiam in communi fieri praesentem. Ratio est quia verba consecrationis sunt operatoria, oportet igitur ut terminentur ad corpus individuum. c) Errant Durandus et Nominales cum affirmant vi verborum praesentem non fieri omnem materiam omnium partium organicarum. d) Errat Rosmini docens hanc propositionem quae sub n. 31 damnata est a. s. Officii Congregatione : « In sacramento Eucharistiae, vi verborum, corpus et sanguis Christi est tantum ea mensura, quae respondet quantitati (a quel tanto) substantiae panis et vini, quae transsubstantiatur : reliquum corporis Christi ibi est per concomitantiam. »

Si ais : Quaedam membra necessaria non sunt ad hoc ut corpus sit humanum. Ergo eorum materia non praesens ponitur vi verborum. — Respondetur *negando consequentiam :* Vi verborum Christus posuit praesens corpus *suum ;* jamvero non erat mutilum. Ex praejactis consequitur sanguinem, animam, divinitatem, esse praesentes sub specie panis *per concomitantiam,* siquidem non sunt praesentes vi verborum.

Scholion 3m. *Sanguis Christi, isque solus, est praesens sub specie vini vi verborum.* Vi verborum praesens fuit in ultima coena *tota materia ex qua tunc constabat sanguis Christi.* Christus dicendo : « Hic est sanguis qui pro vobis effundetur », non limitavit praesentiam sanguinis ad eam partem quae effundenda erat in passione, sed cum paratus esset ad effundendum totum sanguinem, cum maxima pars sit effusa (juxta piam opinionem omnis sanguis est effusus), de toto dixit id quod parti conveniebat. — Censet Suarez haec verba « *qui pro vobis effundetur,* » non esse de essentia formae, neque addita esse ad limitandam quantitatem sanguinis consecrandi, sed ad commendandum valorem et efficaciam hujus sanguinis, et indicandum finem propter quem illa consecratio fit, scilicet in memoriam nostrae redemptionis quae effusione illius sanguinis peracta est.

(1) Cf. Lug. l. c. n. 78, 79.

Scholion 4m. Quaeres utrum *vi verborum forma substantialis sit sub specie panis et sub specie vini*, an *per concomitantiam* ? — Respondetur diversa tradi responsa pro diversis sententiis de constitutione hominis : 1. Juxta atomistas et dynamistas, tenentes animam non uniri corpori in ratione substantiae, sed tantum in ratione naturae, vi verborum praesens sistitur substantia corporea, per concomitantiam anima. — 2. Juxta scotistas, — qui docent praeter animam esse in homine aliam formam substantialem, formam nempe corporeitatis a qua habet materia quod sit ens, substantia, corpus, — praesens sistitur vi verborum corpus seu materia et forma corporeitatis. *Anima per concomitantiam est praesens* (1). Ratio est quia ex una parte corpus dicit substantiam et proinde formam, ex altera vero parte corpus vi verborum non dicit animam ; quare haec est praesens per concomitantiam. — 3. Thomistae, — qui docent unam in homine esse formam, nempe animam rationalem a qua materia habet, non tantum quod sit vivens et sentiens, sed insuper quod sit corpus, substantia, ens, — dispescuntur in duas sententias circa quaestionem propositam : — a) Juxta Gabrielem, Marsilium, Aegid. Theorem., Majorem (2), sola *materia prima* est praesens vi verborum. Ratio est triplex : α) Corpus non dicit compositum ex materia et ex forma, sed solam materiam ; anima enim, quae est forma viventis, dicitur « actus corporis physici, organici, potentia vitam habentis ». β) Terminus *meum* non proprie indicat totum compositum, connotato aliquo gradu, sed partem totius. γ) Nulla forma substantialis adesse potest vi verborum : *non anima*, quia corpus non est vivum vi verborum et quia anima habetur per concomitantiam ; *non alia forma*, quia nulla est, nisi in triduo mortis. — b) Juxta praeceptorem Angelicum (3) vi verborum praesens est *anima* Christi in quantum dat materiae esse *corpus*, non vero in quantum dat esse *vivum* et esse *sensitivum*. Hinc anima rationalis *materialiter*, non vero formaliter, est praesens vi verborum. Per concomitantiam est praesens anima prouti dat corpori esse *vivum* et *sensitivum* et prouti est *intellectiva*. — Animam poni sub speciebus panis et vini verborum in quantum dat materiae *esse corpus*, constat tripliciter α) Ex significatione termini « *corpus* ». Ut enim corpus

(1) Cfr. Scot. d. 10, q. IV ; d. 11, q. III, a. 2. Richard. a. 2, q. II. Ockam, in 4 q. VI. Henricus Gand. ponit formam mixti fieri praesentem vi verborum (*Quodlib.* IX, q. VIII et IX. — (2) Gabr. *Lect. XLII in Can.* et in 4 d. 11, q. I, art. 1. Marsil. q. VIII, a. 2. Aegid. Theor. 28, 29, 30. Major, d. 10, q. V in princ. — (3) D. TH. III, q. LXXV, a. 6, ad 2m. Eidem sententiae adhaerent Cajet. in h. l. ad 3m. Palud. in 4 d. 10, q. III circa finem, Capreol. d. 10, q. II, a. 3, ad arg. Scoti contra 1m conclusionem.

minerale dicit compositum ex materia et ex forma, sic corpus in ore dominico significat hujuscemodi compositum. β) Nemo dicit sanguine significari solam materiam ex qua factus est sanguis, neque significari formam quae huic materiae dat quod sit sanguis. γ) Fit proprie transsubstantiatio vi vorborum, seu tota substantia panis convertitur in corpus; itaque terminus *corpus* indicat terminum formalem ad quem conversionis ; sed non fit conversio in solam materiam, sed in compositum ex materia et ex forma tribuente corporeitatem. Ergo. — Animam non poni vi verborum, in quantum dat *esse vivum et esse sensitivum* et in quantum est *intellectiva*, constat dupliciter : α) Ex Tridentino anima ponitur per concomitantiam. β) Corpus qua vivum non est sub specie panis, secus enim sanguis esset vi verborum sub eadem specie ; deinde in verbis non fit mentio vitae: *meum* enim aliud non dicit nisi *proprium;* de corpore autem proprio quis loqui potest, praescindendo a vita.

48. — Scholion 5m. Quaeres utrum *Deus, prout est Pater et Spiritus Sanctus,* sit in Eucharistia *per concomitantiam ?*

Negant Thomistae communiter. Ratio est « quia si personae Patris et Spiritus Sancti exsisterent per realem concomitantiam in hoc sacramento, sequeretur quod, quando sumimus et offerimus hoc sacramentum, diceremur sumere et offerre personas Patris et Spiritus Sancti. Quod absurdum est et contra communem loquendi usum in Ecclesia » (1). Affirmant, idque meliori jure, Suarez, Vasquez, Lugo, et alii bene multi (2). Distinguunt duplicem concomitantiam : alia est concomitantia omnino *immediata* et propria illarum rerum quae per se immediate uniuntur cum eis quae vi verborum ponuntur. Alia est *mediata* et propria earum rerum quae ponuntur in sacramento, mediante aliquo alio connexo cum termino qui formaliter ponitur vi verborum, sicut gratia quae est in anima Christi. Porro hac secunda concomitantia sunt in Eucharistia personae Patris et Spiritus Sancti, quia connectuntur cum Deitate, quae, mediante persona Verbi, unitur termino qui per se constituitur in sacramento. Unde quemadmodum Verbum, etiamsi non esset immensum, per concomitantiam esset in Eucharistia, ita Pater et Spiritus Sanctus qui sunt in Verbo per circumincessionem (περιχώρησις), si non essent immensi, essent in sacramento virtute duplicis quasi concomitantiae.

---

(1) Salmenticenses. D. vii, dub. 3, § 5. — (2) Suarez, *De Euch.* d. li, s. 6. Vasq. d. cLxxxv, c. ii. Lugo, d. viii, s. 6

§ 2. Totus Christus est praesens sub omni speciei parte, ante et post separationem.

D. Th. III, q. LXXVI, a. 3. — Suar. d. LII, s. 1, 2, 3. — Lugo, d. VIII, s. 3. Vasq. d. CLXXXVIII, c. III.

49. — Tria sub hoc titulo examinanda veniunt.

I. Num totus Christus sit praesens *sub omni parte speciei post separationem.* Dupliciter intelligi potest specierum separatio: 1. Species separatae ante consecrationem, unica consecratione seu unica verborum prolatione consecrantur, v. g. tota pixis consecratur unica consecratione. — 2. Species non separantur nisi post consecrationem. — Quaeritur itaque a) num totus Christus sit praesens in diversis speciebus, aut partibus specierum separatis, quae una consecratione sunt consecratae. b) Num totus Christus sit praesens sub singulis partibus quae separatae fuerunt a se mutuo post consecrationem.

Totum Christum esse praesentem sub qualibet parte, *separatione facta,* fide certum est ex Tridentino, sessione XIII, canone 3° (1). Idem proposuerat Concilium Florentinum in decreto pro Armenis (Denz. n. 593). Hinc a) unica forma sacramentalis habetur pro omnibus speciebus aut partibus divisis specierum. b) Pronomen « *Hoc* » ex institutione Christi et ex intentione ministri designat omnes species et partes divisas specierum.

II. Num totus Christus sit praesens *sub partibus sensibilibus a se mutuo non separatis.* — Doctrina communis inter theologos *affirmative* quaestionem solvit. — Tridentinum, postquam affirmaverat totum Christum esse sub utraque specie, sic concludit : « Quapropter verissimum est, tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri : totus enim et integer Christus sub panis specie, et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie et sub ejus partibus exsistit. » Illud tamen ultimum canone non sancit; immo ideo posuit in canone *separatione facta* ne definiretur altera quaestio (2). — D. Soto censet sententiam oppositam esse *haereticam;* Vasquez, Lugo, Suarez existimant eam esse *erroneam* tantum. Uti enim Vasquez advertit, res ab Ecclesia non fuit expresse definita et sic non continetur in deposito fidei; verum ii, qui hoc negant, ad absurda deducuntur ex principiis fidei; ideo haeretica quidem non est, verum erronea est in fide sententia

(1) Trid. Sess. XIII, c. III. — (2) Cf. Pallavicini, *Hist. Concil. Trid.* l. XIII, c. II, n. 15.

negans praesentiam totius Christi sub partibus singulis sensibilibus ante separationem.

Praeter sententiam communem, habetur sententia tenens in una hostia semel tantum esse Christum aliis nempe partibus hostiae alias corporis dominici partes respondere non vero singulis partibus sensibilibus totum Christi corpus. — Tribuitur Altissiodorensi. Sed, uti notat Suarez, excusari potest, quia solum dicit ante fractionem *per se* esse Christum in toto et non in partibus; post fractionem vero *per se* esse etiam sub singulis partibus (1).

III. Num totus Christus sit ante separationem *sub qualibet parte* etiam sub parte ea quae *sensus aufugit*. Quaestio sic etiam proponitur: Num Christi corpus sit *illocaliter* praesens per modum spiritus, an *circumscriptive* in diversis partibus sensibilibus, eisque perquam exiguis. — Circa hanc quaestionem duplex est sententia:

Prima tenet Christum ante divisionem esse in toto et totum in singulis partibus, *quae tantam habent quantitatem, ut, si separarentur a toto, posset in eis conservari substantia panis;* in illis vero partibus separabilibus semel esse Christum totum in toto ita ut alia pars sit in alia parte speciei. Haec sententia tribuitur Alensi, et Gabrieli (2). — Huic sententiae adstipulantur Cartesiani. Eorum judicio essentia corporis stat in extensione. Unde ubi trina dimensio, ibi corpus; ubi corpus, ibi trina dimensio. Cum Christi corpus sit praesens sub speciebus, non spoliari potest extensione quippe quae est ipsa essentia corporis. Quare corpus Christi redigitur ad minimam dimensionem quae requiritur et sufficit ut salvetur extensio. Toties itaque in specie panis adest Christi corpus, quoties in ea reperitur praedicta extensio.

Non omnes Cartesiani eadem ratione explicant modum quo variae partes insunt huic minimae et quasi elementari extensioni. Juxta alios compenetrantur variae partes in minima extensione; juxta alios non compenetrantur sed condensantur, adeo ut singulae minimum, illudque diversum, occupent spatium (3).

---

(1) Altissiod.: « Dicimus quod sub illa totali forma est Christus, ita quod sub nulla parte *per se:* tamen cum frangitur hostia, est integer Christus sub qualibet parte *per se*, et hoc non est tantum ex consecratione, sed ex consecratione et confractione: *consecrata enim fuit quaelibet pars in suo toto.* » L. IV *Summae*, tract. V, c. IV.

(2) Alensis, IV part. q. XL, memb. 3, a. 5. Gabriel, *Lect.* LXXX in *Can.* dub. 4 in fine.

(3) P. Simmonet (Tract. XIV. *De Euchar.* d. V, a. 4) sic procedit: Sententia Cartesii sententiae opposita « Multa, ait, habet nobis valde intellectu difficilia. Et *primo* quidem quod partes corporis Christi spolientur omni extensione: videtur enim corpus omne *essentialiter extensum esse*, seu corpus omne essentialiter habere trinam dimensionem,

Secunda sententia tenet corpus Christi esse praesens illocaliter et *ad instar spiritus*; sive aliter ante divisionem Christus est totus in tota quantitate, totus *sub singulis partibus quamtumvis minimis quae in potentia continentur in quantitate*. Hanc sententiam tenent s. Thomas, Richardus, Paludanus, Henricus Gandavensis, Gabriel, Hugo Victorinus ([1]).

THESIS VII[a]. — Christus est totus praesens sub omnibus partibus sensibilibus, non modo post earum separationem, sed etiam ante separationem. Immo praesens est sub qualibet parte, licet perceptionem sensibilem aufugiente, ita nempe ut corpus ejus donetur praesentia illocali.

50. — Prima pars. TOTUS CHRISTUS EST SUB UTRAQUE PARTE, POST SEPARATIONEM.

Arg. I[m]. *Ratione.* Post divisionem partium aut Christus desinit esse praesens sive sub utraque parte specierum, sive sub altera ex his; aut aliae partes Christi sunt sub aliis partibus specierum; aut totus Christus est sub utrisque partibus. Atqui primum et secundum admittit nequeunt. Ergo manet tertium.

Prob. 1[a] pars min. a) *Ex ratione agendi Christi.* Christus juxta alios prius divisit panem quam eum consecravit, juxta alios prius eum consecravit quam partes a partibus distraxit; certo unica consecratione consecravit unum calicem (non enim fuerunt duodecim calices,

---

quamvis essentialiter non habeat determinatam, ita ut possit Deus pro arbitrio corpus quodlibet sub majore vel minore extensione producere et conservare; *secundo* quod partes corporis Christi, spoliatae omni extensione, nihilominus sese penetrent; *tertio* quod partes corporis Christi, in punctum redactae, nihilominus diffundantur per totam quantitatem speciei panis sine sui replicatione. »

Sententiam suam, haud absimilem a sententia Cartesii, sic profert: « Corpus Christi in hostia consecrata toties replicatum est quot sunt ibi minimae particulae physicae. » *α*) « Quantitas radicalis panis (quae remanet in hostia post consecrationem) constat *punctis physicis, formaliter extensis*, hoc est trinam habentibus dimensionem, indivisibilibus quia simplicia et partibus carent, et numero finitis. — *β*) Punctum quodlibet physicum sive materiae sive quantitatis radicalis a Deo produci et conservari potest sub extensione minori et minori in infinitum. — *γ*) Partes organizati corporis a Deo conservari possunt sub extensione minori et minori in infinitum cum figura et ordine situali. — *δ*) Totum et integrum corpus organizatum a Deo sub minori et minori in infinitum extensione conservari potest, cum figura et ordine situali omnium partium suarum. » — Quibus positis, sic concludit: « Recte dici potest corpus Christi, cum figura et ordine situali omnium suarum partium, vi verborum consecrationis reproduci sub omnibus et singulis moleculis speciei panis. » Itaque corpus Christi praesens est in singulis partibus hostiae, extensis quidem, sed microscopicis.

([1]) D. TH. III, q. LXXVI, a. 2; SCOT., RICHARD., PALUD. etc. in 4 d. 10; HENRIC. *Quodl.* I, q. V; HERV. *Quodl.* I, a. 3; GABR. lect. XLIII *in Can.*; HUGO VICT. *De Sacram.* l. II, part. VIII, c. XI; INN. *De Euchar.* l. IV, c. VIII.

neque factae sunt duodecim consecrationes) et postea divisio vini facta est. Unde sic : Si Christus desinit esse praesens sub speciebus, separatione facta, dicendum est multos Apostolos certo non recepisse Christum dum species vini sumpserunt, probabiliter dum species panis sumpserunt. Atqui contrarium colligitur ex verbis Christi. Ergo. — b) *Ex usu Ecclesiae.* Ecclesia partes separatas distribuit fidelibus; sacerdos partem hostiae separat et calici immittit; magna veneratione servantur particulae quae a speciebus decidunt. Ergo Ecclesia ratione sua agendi testatur fidem suam de reali Christi praesentia sub partibus aliis ab aliis separatis. — c) Eo quod Christus desineret esse praesens, sequeretur partes separatas amittere consecrationem per divisionem. Singulae enim partes tunc fuerunt consecratae cum integra species est consecrata. Atqui hoc dici nequit. Ergo. — d) Si sub speciebus remansisset substantia panis, non desineret adesse post fractionem. Ergo corpus Christi non desinit esse praesens ob fractionem. *Patet consequentia* quia corpus Christi successit substantiae panis et vini, estque ibi ubi prius haec erat, manet ubi mansisset substantia panis.

Prob. 2ª pars min. a) Eo quod aliae partes corporis Christi essent in aliis partibus speciei, posset evenire ut corpus Christi in partes distrahatur. Atqui praeter quam quod hoc non decet, corpus Christi est incorruptibile et proinde indivisibile. — Nulla habetur ratio ob quam haec pars, puta caput aut pectus aut cor, foret in hac parte speciei quae a reliquis fuit separata, potius quam in alia. Ergo.

Arg. IIᵐ. *Ex Traditione.* 1. Juxta Caesarium Arelatensem, Ambrosium, Chrysostomum, tantum Christi est in parte ac in toto; tantum habent qui partem recipiunt, quantum hi qui totum habent; non consumitur Agnus cum frangitur (h. e. cum frangitur species) (1). Dicunt « sacerdotem dividere et distribuere fidelibus indivisibilem panem » (Dionys.); Christum « per partes manducari et manere integrum totum » (Augustin.); « corpus, sacerdote dispensante, tantum esse in exiguo, quantum esse constat in toto » (Isid. Hispal.). Atqui, qui talia loquuntur, supponunt totum Christum esse praesentem in singulis partibus, facta separatione. Ergo.

2. *Liturgiae* idem docent α) *verbis:* « Singuli accipiunt Christum Domi-

(1) Caesarius Arelatensis : « Tantum est in exiguo, quantum in toto... Nihil minus habent singuli quam universi. Totum unus, totum duo, totum plures sine diminutione percipiunt, quia benedictio hujus sacramenti scit distribui, nescit distributione consumi. » Hom. V. M. LXVII, 1052.

num et in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se praebet in singulis : » sic sacramentarium Ambrosianum ; « Frangitur et dividitur Agnus Dei... qui frangitur, at non communuitur : » sic Liturgia s. Chrysostomi ; « Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis partitionibus totus est : » sic Liturgia Romana : in officio ss. Sacramenti : « Fracto demum sacramento, ne vacilles, sed memento tantum esse sub fragmento quantum toto tegitur. » — Idem docent β) *factis*. Olim enim fideles de calice prius consecrato communicabant, vel ope calami, vel ore calici admoto ; olim etiam celebrans hostiam majorem dividebat et inferioribus ministris particulas distribuebat ; demum semper summa cum veneratione particulae, quae aliquando ab hostia consecrata cadunt et separantur, tamquam corpus Christi continentes asservantur aut sumuntur.

51. — Secunda pars. TOTUS CHRISTUS EST SUB SINGULIS PARTIBUS SENSIBILIBUS ANTE SEPARATIONEM.

Prob. Arg. I^m. *Ratione :* 1. Quaelibet pars sensibilis est separabilis a ceteris. Atqui ante realem separationem totus Christus est praesens sub qualibet parte separabili. — *Prob. min.* Totus Christus est praesens sub hac parte *post* separationem. Ergo praesens est *ante* separationem ; secus enim Christus jam constitueretur praesens non quidem per verba consecrationis, sed per ipsam separationem, quod sane admitti non potest. — Si ais divisionem non esse causam praesentiae realis, stante sententia hic impugnata, sed dumtaxat conditionem, qua posita, consecratio effectum sortitur : respondetur non videri a) quomodo consecratio valeat sortiri effectum post separationem partium, adeoque tunc cum jam penitus desierit ipsamet esse ; non videri b) quomodo consecratio non sortiatur effectum ante divisionem ; demum c) non videri quomodo praesentia realis sub partibus divisis pendeat a divisione velut a conditione (1).

2. Verba consectationis : « Hoc est corpus meum, » « Hic est sanguis meus, » directa ad panem et vinum, efficiunt totum Christum praesentem ubi praesens erat substantia panis et vini. Atqui haec substantia erat praesens in partibus separabilibus ante separationem.

3. « Christus, ait s. Bonaventura, ibi continetur ut *signatum in signo*, et quia ratio signandi uniformiter est in partibus et in toto, ad veritatem sacramenti spectat, quod uniformiter sit in partibus et in toto (2). »

(1) Cf. INN. III, *De s. Alt. myst.* IV, VIII. M. CCXVII, 861. — (2) BONAV. In 4 d. 10, p. 1, a. 1, q. v.

4. « Verba, inquit Suarez, aeque cadunt in totam hanc materiam, et in quamlibet partem ejus et vi sua convertunt illam in corpus Christi. Ergo aeque convertunt illam totam et quamlibet partem ejus in totum corpus Christi... Non est major ratio, cur una pars substantiae panis convertatur in hanc partem corporis Christi, quam in aliam, v. g. in caput potius quam in pedes » (1).

Arg. II^{m}. *Auctoritate.* 1. Auctoritate Concilii *Tridentini.* In capite enim III sessionis XIII docens *veritatem catholicam,* haec habet : « Totus enim et integer Christus sub panis specie et *sub quavis ipsius speciei* parte, totus item sub vini specie et sub ejus partibus exsistit. » Porro Concilium loquitur de quavis parte, non restringendo verba ad partes ex divisione totius ortas; loquitur itaque de partibus quae sunt etiam ante divisionem; immo hae solae partes proprie vocantur partes.

2. Auctoritate *Theologorum.* — S. Thomas : « Totus Christus, ait, est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra manente, et non solum cum frangitur, sicut quidam dicunt. » Alensis : « In eadem integritate qua continetur sub tota specie, continetur sub singulis partibus simul » (2).

52. — Tertia pars. TOTUS CHRISTUS EST SUB PARTE QUALIBET ETIAM MINIMA ET NON SENSIBILI.

Prob. Arg. I^{m}. *Ratione.* Eo quod Christus non esset praesens sub qualibet parte, sed tantum sub parte sensibili, manifeste sequeretur corpus Christi donari praesentia circumscriptiva pluries repetita, qua sit praesens in sola parte sensibili. Atqui nequit admitti corpus Christi donari sub speciebus praesentia circumscriptiva pluries repetita. Ergo.

Prob. min. 1. *Ex indecentia praesentiae circumscriptivae.* Eo quod corpus Christi esset circumscriptive praesens sub speciebus, consequeretur ab illo occupari minimum aliquod spatium; ulterius consequeretur vel diversas partes corporis compenetrari inter se, ita scilicet ut singulae partes manentes extensae eumdem locum extensum occuparent, vel easdem partes condensari, ita scilicet ut singulae essent redactae ad minimum naturale. Atqui neutrum valet admitti. — *Prob. min.* Eo quod singulae partes manentes extensae compenetrarentur, violentissimus videretur esse status singularum partium. Violentus

(1) SUAR. d. LII, s. 2, n. 5.
(2) S. TH. III, LXXVI, a. 3, ad 3^{m}. — ALENSIS P. IV, q. X, m. VII, a. 3.

et indecens est status condensationis, quo caput, pectus, brachia, ad angustias redigi videntur. — Illud autem indecens non occurrit, posito quod corpus Christi illocaliter est praesens, adeoque quod unaquaeque pars et entitas corporis est in singulis partibus speciei; contra humanitati Christi perfectionem maximam praesentia hujusmodi tribuit, siquidem corpus et sanguis Christi supernaturaliter fiunt praesentia eo modo praesentiae qui est naturalis spiritibus.

2. Humanitas Christi est incorruptibilis et indivisibilis. Atqui eo quod non esset nisi in parte divisibili et quod in hac parte esset circumscriptive, consequens esset eam posse corrumpi et dividi. *Prob. min.* Ut non dividi posset corpus, oporteret ut hostia non posset dividi in medio partis specierum occupatae per corpus Christi. Atqui nulla est ratio ob quam divisio fieret semper in fine hujusmodi partis sensibilis, numquam autem in medio. Ergo.

3. Per consecrationem non producitur nisi una praesentia in corpore Christi. Atqui hoc verificatur quidem si corpus Christi nonnisi circumscriptive est in toto, aut illocaliter in toto et in singulis partibus; verum non verificatur si corpus Christi est circumscriptive in partibus singulis extensis. — *Prima* pars minoris patet. *Secunda* probabitur articulo 3°, et breviter ostenditur eo quod, sicuti anima humana vi unius modi praesentiae est in toto corpore et in singulis partibus, sic etiam tali modi praesens erit humanitas Christi sub speciebus. — *Tertia* probatur quia si Petrus divinitus replicaretur et simul praesens esset circumscriptive Romae et Lovanii, duo modi praesentiae in eo darentur. A pari si Christus est extensive pluries praesens, tot modi praesentiae sunt producti per consecrationem, quot habentur partes in quibus praesens sistitur humanitas Christi.

4. Christi humanitas fit praesens ubicumque prius aderat aut adesse poterat substantia panis. Atqui haec aderat in omni parte, neque tantum in parte sensibili. — *Major* colligitur ex transsubstantiatione et ex verbis consecrationis: ubicumque in initio prolationis verborum habetur panis, ibi in fine habetur corpus Christi. — *Prob. min.* Secundum systema scholasticorum molecula panis est substantia stricte una corruptibilis et generabilis et consequenter constans ex eo quod ab uno statu transit ad alium estque materia, et ex eo quod actu determinat ad unum statum prae ceteris estque forma. Porro haec molecula est quidem quanta, constans ex partibus quantitativis; at in his partibus non reponitur essentia; verum essentia stat in compositione ex materia et forma, illud autem compositum est divi-

sibile sine fine. Jamvero in singulis partibus in quas dividitur substantia corporea, invenitur pars materiae et pars formae. Ergo invenitur substantia corporea completa seu panis (1).

Arg. II^m. *Ex Patribus.* Illi adscribunt corpori Christi modum praesentiae illocalis a) qui corpus Christi, prout est in Eucharistia, vocant *intelligibile,* aut *spirituale ;* cibum et potum *incorporeum ;* agnum *spiritualem.* Atqui eae sunt Patrum locutiones. Ergo.

Prob. min. Appellant corpus Christi, formaliter ut exsistit in sacramento, corpus *intelligibile* (νοητόν) aut *spirituale,* s. Ambrosius, s. Hieronymus, Hesychius, Clemens Alex., Lanfrancus, Algerus (2); *cibum et potum incorporeum,* s. Ephrem (3); *agnum spiritualem,* liturgiae (4).

Confirmatur auctoritate nobiliorum scholasticorum. Docet s. Thomas modum praesentiae sacramentalem esse penitus supernaturalem, adeo ut ipse intellectus angelicus secundum sua naturalia non sufficiat ad corpus Christi in Eucharistia intuendum. — S. Bonaventura ait corpus Christi in ss. Sacramento non esse imaginabile, cum accipiat modum essendi quem habet spiritus, et exsistentiam corporis Christi sub sacramento esse sublimatam supra modum essendi et corporis et omnis rei corporalis et dimensivae (5).

53. — Scholion. *De partibus separabilibus et de praesentia Christi sub his partibus.*

1. Sola pars *sensibilis* potest *naturaliter separari a ceteris.* — Si quaeritur an species sint *divinitus* divisibiles et a se mutuo separabiles sine fine, alii affirmant, alii negant.

2. Si quaeritur an perduret praesentia, si partes solvantur in parti-

---

(1) Manifestum est hanc rationem supponere veritatem doctrinae scholasticae circa constitutionem corporum, neque valere in systemate atomistarum et dynamistarum. In his enim systematibus molecula chemica est aggregatum elementorum in esse suo formali remanentium ; substantia, v. g. aqua, stat in determinato aggregato quod occupat locum extensum, adeoque substantia aquae non invenitur in singulis punctis loci extensi aggregato occupati. Ergo, stante atomismo aut dynamismo, ex eo quod totus Christus est ubicumque dabatur substantia panis et vini, nequit concludi ejus praesentiam esse localiter simplicem. Neque etiam exinde educi potest oppositum ; nam etiamsi substantia panis et vini ponitur non inveniri nisi in loco extenso, nihil exinde obstat quin corpus et sanguis Christi donentur supernaturaliter praesentia illocali, cum succedunt pani et vini in occupatione ejusdem loci.

(2) S. Ambr. *De myst.* IX. Hier. *In Eph.* 1, 7. M. XXVI, 451. Hesych. *In Lev.* t. II, in VIII, 22-29. M. XCIII, 883. Clem. Alex. *Paedagog.* l. II, c. II. Algerus, *De sacram. corp. et sang. Domini,* I, 18. Lanfrancus, *De corp. et sang. Domini,* XIV. — (3) S. Eph. *Serm. X de fide,* ap. P. de Benedictis, in Antirrhetico. Opp. s. Ephrem, t. II, p. 11. Cfr. Asseman, *Bibl. orient.* t. I, p. 101. — (4) Vid. Muratori I. 205. Cf. Cyr. Hier. *Cat. myst.* V, 6. — (5) S. Th. III, q. LXXVI, a. 7. S. Bonav. in 4 d. 10, p. II, a. 2, q. 1 et 2.

culas omnino minimas? — Respondet Suarez: a) Si particula ista, quantumvis minima, servat adhuc speciem panis aut vini, seu, aliis verbis, si de se talis est ut, dato quod non fuerit consecrata, sit adhuc substantia panis aut vini, perdurat praesentia Christi. — b) Si tam parva est ut nullus sensus eam percipere queat? — Sententia affirmans tunc Christum non adesse « est falsa et praeter generalem doctrinam fidei, seu quaedam exceptio ejus sine fundamento; nam illud de perceptione sensus est valde per accidens; nam satis est quod illa res sit per se et natura sua sensibilis ([1]). »

Satisfit difficultatibus.

54. — **Obj. 1°.** Absurdum est dari corpus, illudque carere proprietatibus corporis. Atqui praesentia illocalis Christi sub speciebus hoc importat. Divisibilitas enim et impenetrabilitas sunt proprietates corporis ; jamvero excluduntur vi praesentiae illocalis. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Absurdum est ponere corpus illudque carere proprietatibus quae *non possunt non consequi* ad essentiam, *Conc. ;* illudque carere proprietatibus naturaliter tantum consequentibus, *Neg.* — *Cdt. min.* Ad probationem minoris fit eadem responsio.

Inst. Atqui praesentia illocalis a corpore excludit id quod non potest non consequi ad essentiam corporis. Ad hanc enim essentiam non potest non consequi quantitas. Atqui quantitas excluditur praesentia illocali. Etenim quantitas stat in mole. Atqui praesentia illocalis excludit a corpore omnem molem. Ergo.

Resp. *Neg. min. subs.* Ad probationem conceditur major et negatur minor; ad hujusce probationem *distinguitur major :* Quantitas est moles *in actu primo, Conc. ;* est moles *in actu secundo, Neg.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui praesentia illocalis excludit omnem molem, etiam in actu primo. Quod enim excludit ipsammet compositionem ex partibus, id excludit omnem molem. Atqui praesentia illocalis excludit ipsammet compositionem ex partibus. Haec enim praesentia est modus simplex. Atqui substantia modo simplici affecta nequit componi ex partibus. Ergo.

Resp. *Neg. min. subs.* Ad probationem conceditur major et negatur minor, ad cujus probationem distinguitur major : Praesentia illocalis

([1]) Suar. *De Euch.* d. lii, s. 1 in fine. Cfr. ib. d. xliii, s. 7.

est modus *entitative* simplex, *Neg.;* modus *localiter* simplex, *Conc.* — *Cdt. min.*

Obj. 2°. Corpus et sanguis Christi non sunt praesentia nisi in partibus sacramentalibus. Atqui solae partes sensibiles sunt sacramentales. Etenim ea tantum pars est sacramentalis quae valet esse signum, adeoque ducere in cognitionem alterius. Atqui sola pars sensibilis valet esse signum. Ergo.

Resp. a) *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem minoris respondetur *distinguendo majorem:* Ea tantum pars est sacramentalis quae *per se* loquendo est signum, etiamsi *per accidens,* ob debilitatem sensuum, non est actu signum, *Conc.;* ea pars non est sacramentalis quae per accidens non est signum, licet per se sit signum, *Neg. Cdt. min.* — b) *Dist. maj.* Corpus et sanguis Christi non sunt praesentia nisi sub iis partibus quae sive *ex se* sive prouti *uniuntur aliis partibus* sunt sacramentales, *Transm.;* non sunt praesentia nisi sub iis partibus quae *ex se vel solis* sunt sacramentales seu sensibiles, *Neg.* — *Cdt. min.*

Observa. a) Pars sacramentalis vocari potest omnis et sola pars per se sensibilis, etiamsi per accidens perceptionem sensuum aufugit. Sensibilis vero per se est omnis pars composita ex partibus localiter aliis extra alias positis. Inde sacramentalis vocari debet omnis pars specierum sacramentalium, siquidem omnis pars determinabilis dividi potest in partes alias se minores, quoniam continuum est divisibile in infinitum. — b) Qui tenent corpus et sanguinem Christi non esse praesentia in iis partibus quae a reliquis separatae perceptionem sensuum aufugiunt, nihilominus defendere possunt Christum, ante separationem aliarum partium ab aliis, esse praesentem sub omni parte etiam insensibili, dicendo nempe Christum esse praesentem sub tali parte dummodo conjungatur aliis partibus et cum iis constituat partem sensibilem adeoque sacramentalem.

§ 3. Christus est permanenter sub speciebus.

Suar. d. xlvi, s. 8. — Bellarm. l. IV, c. i-xi.

Circa quaestionem hic agitandam tres sunt sententiae:

55. — SENTENTIAE. *Prima* est ubiquistarum. Asserunt humanitatem Christi vi incarnationis esse *ubique,* eamque sub symbolo panis

(1) S. Th. III, q. lxxvi, a. 7. S. Bonav. in 4 d. 10, pars II, a. 2, q. 1, 2. — Cf. Lessus qui perpulchre praesentiam sacramentalem describit in opere *De perf. div.* l. XII, c. xvi, n. 124.

et vini eodem modo adesse ante et post consecrationem, licet post consecrationem aliter significetur. — Cujus sententiae falsitas ex supra probatis manifesta est. Hac enim admissa, nihil realiter praesens fit sub speciebus, sed tantum praesentia, aliunde habita, significatur. Ut autem ostensum est, Scriptura, Concilia et Patres docent corpus Christi incipere esse praesens ubi antea solus panis aderat.

Secunda est Lutheranorum ubiquismum rejicientium, duce Bucero, cui ipsum Lutherum adhaesisse non pauci referunt auctores, quos citat Suar. l. c. Contendunt Christum non esse praesentem permanenter sub symbolis panis et vini, sed *solum in usu*, nempe tunc cum ad communicandum sumitur. E quo concludunt Eucharistiam non esse consecrandam, nisi cum statim est sumenda, neque eam esse conservandam in altari, neque adorandam.

Tertia est catholicorum. Tenent a) Christum totum esse praesentem consecratione ante usum; b) Christum remanere praesentem, absoluto sacrificio, etiamsi a fidelibus non consumitur; c) tamdiu eum remanere praesentem, quamdiu sub speciebus panis et vini conservari posset substantia panis, si adesset, seu quamdiu hae species non corrumpuntur. — Primum et secundum sunt *de fide definita* ex Tridentino : « Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem D. N. J. C., sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis sive particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, A. S. » ([1]). — Tertium tenet communis theologorum sententia. Sic s. Thomas ([2]).

THESIS VIII[a]. — Incipit corporis et sanguinis Christi Jesu praesentia sub speciebus panis et vini, illico ac prolata sunt verba consecrationis; peracto autem sacrificio, tamdiu perdurat, quamdiu species non corrumpuntur.

56. — Prima pars. Arg. I[m]. Petitur *ex verbis institutionis*. Christus praesens fuit illico ac dixerat : « Hoc *est* corpus meum ; » secus non verificatur veritas propositionis. Atqui haec verba sunt prolata antequam apostoli corpus et sanguinem sumpserunt. Ergo in ultima

([1]) Trid. Sess. XIII, can. 4. Cf. cap. I, II, III, V, VI.
([2]) S. Th. In 4 d. 9, q. IV, a. 2, solut. I; III, q. LXXVI, a. 6; LXXVII, a. 4; q. LXXX, a. 3.

coena Christus fuit praesens ante usum Eucharistiae. Sed in celebratione sacrificii Missae, Christus fit praesens eodem modo atque factus est praesens in ultima coena, siquidem ex imperio Christi sacrificium Missae est aliqualis repetitio sacrificii coenae. Ergo in Eucharistia Christus est praesens illico ac prolata sunt verba consecrationis.

Conf. ex Paulo I Cor. X, 16 : « Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est ? » Ergo cum calix benedicitur, adest sanguis Christi, quocumque modo intelligatur benedictio calicis, sive sumatur pro consecratione, sive pro gratiarum actione, sive pro oratione ad Deum super panem et vinum fusa qua petitur sanctificatio, haec nempe sanctificatio quae fit per consecrationem, seu per conversionem panis in vini in corpus et in sanguinem Christi.

Arg. IIm. *Ex Patribus.* 1. Ex testimoniis allatis in thesi III manifestum est Patres semper aut asserere aut supponere corpus et sanguinem esse praesentia sub speciebus illico ac prolata sunt verba consecrationis. Modo dicunt in manibus accipi corpus dominicum, modo sanguinem Christi esse in calice, modo corpus et sanguinem Christi offerri, modo adorandam esse Eucharistiam.

2. Speciatim Chrysostomus et Ambrosius et alii multi comparant efficaciam verborum Christi cum efficacia verborum creationis : Fiat lux (1). Atqui hoc modo loquendi manifestant judicio suo corpus Christi esse praesens, prolatis verbis, sicut lux facta est illico ac eam fieri jussit Deus. Ergo.

3. Juxta Patres, quorum testimonia adducentur quando agetur de sacrificio Missae, sacerdotes *ore suo et verbo Christi* conficiunt hoc sacramentum et mutant panem in corpus. Nulla fit mentio usus qui ad hoc requireretur. Atqui ex hoc arguitur uti supra. Ergo.

Arg. IIIm. *Ratione.* 1. Corpus Christi est cibus (cf. Joh. VI). Cibus autem prius est praesens quam comeditur. Ergo corpus Christi prius est praesens quam comeditur. — 2. Corpus Christi non tantum praesens sistitur ut sit cibus, sed ut in sacrificium offeratur : sed offertur in sacrificium ante communionem, siquidem essentia sacrificii absolvitur consecratione.

Arg. IVm. *Ex usu Ecclesiae.* Eucharistia ex traditione apostolica proponitur adoranda priusquam in cibum accipitur. Ergo prius est

(1) Chrys. *Hom. de prodit. Judae.* Ambr. *De mysteriis*, IX. M. XVI, 405 sq.

praesens Christus quam sumitur. — *Constat antecedens* ex Liturgiis Jacobi, Basilii, Chrysostomi (cf. n. 32), et ex Dionysio (1).

57. — **Secunda pars.** CHRISTUS REMANET PRAESENS, OBLATO SACRIFICIO, DONEC SPECIES CORRUMPANTUR.

Corpus et sanguinem Christi remanere praesentia, oblato sacrificio, prorsus manifestum est tum *ex usu Ecclesiae,* siquidem semper in ecclesiis servata est hostia consecrata ad cultum et adorationem, ad consolationem fidelium, maxime infirmorum ne e vita migrarent, viatico non suscepto, uti constat multis documentis; tum ratione theologica, quia nempe Christus ponitur praesens per modum cibi. — Probandum manet praesentiam Christi sub speciebus perdurare donec species corrumpantur. Id autem probatur 1° quia nulla alia lex statui potest nullusque alius terminus praesentiae dominicae definiri potest. — Idem probatur 2° *ex verbis institutionis.* Verbum « hoc » indigitat in fine verborum compositum ex corpore Christi et speciebus ; quamdiu manet elementum visibile, tamdiu manet elementum invisibile; sed species remanent quamdiu non corrumpuntur ; itaque Christus non cessat esse praesens, nisi cum species sunt corruptae. — Adhuc constat 3° quia Christus remanet tamdiu, quamdiu species manent consecratae, benedictae ; sed tales remanent donec corrumpantur. Demum confirmatur auctoritate scholasticorum, speciatim sancti Thomae l. c.

Coroll. 1m. Ergo falsum est Christum recedere a speciebus, illico ac ab indigno sumuntur. Insuper hoc aperte adversatur Paulo supponenti Christum revera recipi ab indigno : « Qui indigne manducat et bibit etc. » — **2m.** Ergo falsum est praesentiam Christi cessare cum species in lutum decidunt vel pollutis manibus tractantur. — **3m.** Ergo falsum est Christum recedere statim ac sumitur, nondum corruptis speciebus. — a) Opposita sententia adversatur sensui catholico ; communiter enim catholici existimant Christum in cordibus ipsorum remanere praesentem, donec species corrumpantur, atque ideo post communionem ferventius orant. b) Tamdiu manet Christus in pixide, quamdiu remanent species incorruptae. Cur alia esset lex de praesentia Christi sacramentaliter recepti ? c) Christus est cibus noster,

(1) DIONYS. « Pontifex sacrosancta et augustissima mysteria conficit, et quae antea laudaverat venerandis operta atque abdita signis, in conspectu agit divinaque munera reverenter ostendens, ad sacram illorum communionem et ipse convertitur, et reliquos ut communicent hortatur. » *De Eccl. Hierarch.* III, § 3 circa finem.

caro ejus manducatur. Haec autem falsificantur, si Christus recedit a nobis illico ac tangit labia.

ARTICULUS II.

De consectariis ad sacramentalem Christi praesentiam.

Uti ex praejactis constat, Christus est praesens in Eucharistia secundum partes essentiales et integrantes, quae uniuntur inter se eo modo, qui a corpore integro requiritur. Itaque corpus Christi non est mutilum, sed integrum, capillis et barba instructum, cum sanguine et humoribus corporis gloriosi. — Porro Christus, his variis instructus, est illocaliter praesens, adeoque est totus in tota specie, totusque in singulis partibus speciei; hic autem modus praesentiae, quia non occurrit nisi in sacramento Eucharistiae, vocatur *sacramentalis*.

Heic inquiruntur varia consectaria ad hujusmodi praesentiam. 1. *Circa quantitatem :* a) an corpus Christi ea sit insigne; b) an praesens fiat vi verborum. — 2. *Circa potentias activas et passivas :* a) an Christus in Eucharistia possit naturaliter *agere immanenter* intellectu, sensu. b) An valeat *agere transeunter* in species, in res praesentes, ac proinde an valeat determinare sui perceptionem sensibilem. c) An valeat pati, v. g. localiter moveri ?

§ 1. De quantitate Corporis Christi.

D. Th. III, q. LXXVI, a. 4. — Suar. d. LI, s. 2 et 5.

58. — NOTIO QUANTITATIS. Corpus esse quantum perinde est ac illud *habere molem*. Corpori quanto sequentia conveniunt sive essentialiter sive naturaliter. — 1. *Constat ex partibus diversis* (actu vel potentia inter se ante ullam divisionem distinctis). Hae autem partes : a) sunt entitative aliae extra alias: ratione hujus rei corpus dicitur habere extensionem entitativam; b) determinato aliquo ordine inter se uniuntur: ratione hujus corpus dicitur habere extensionem quantitativam internam. — 2. Ratione harum partium corpus quantum naturaliter postulat ut, in ordine ad locum et ad situm, una pars sit extra aliam. Hoc autem postulare est habere *aptitudine extensionem localem,* sive etiam habere aptitudine molem. — 3. Est *divisibile in partes,* quae in eo praecontinentur saltem potentia, ita ut, divisione facta, singulae partes totum aliquod constituant. — 4. Est *impenetrabile*

ceteris corporibus, et singulae partes sunt impenetrabiles inter se. — 5. *Potest mensurari* alio corpore et alius corporis esse mensura. — 6. *Est trinae dimensionis,* sive expanditur in longum, in latum, in profundum. Quare terminatur per superficies; hae terminantur per lineas; lineae per puncta. Horum singula concipi possunt sine aliis. — Porro in elucidanda quaestione in quonam essentia quantitatis sit reponenda, seu quisnam sit effectus formalis primarius, philosophi abeunt in septem sententias, adeo ut singula elementa modo enumerata defendantur esse constitutiva quantitatis. — Si haec omnia essent de essentia quantitatis, manifestum esset corpus Christi in Eucharistia non esse quantum. Sed si nunnulla ex iis nonnisi connaturaliter ex quantitate emergunt et si divinitus impediri possunt ne emergant, jam possibile fiet ut corpus Christi sit quantum.

Circa hanc quaestionem elucidandam, necnon circa quaestionem an corpus Christi sacramentaliter praesens sit quantum, duplex iniri potest a theologis via : a) Vel enim aliunde probabitur corpus Christi esse quantum. Quo probato, rejicientur eae sententiae quae huic veritati adversantur. — Revera non pauci sunt auctores qui nomen suum alicui sententiae dederunt, hac ratione ducti quod existimarent corpus Christi quantitate privum non esse, et consequenter quod illa sententia de natura quantitatis falsitatis esset arguenda e qua contrarium consequeretur. — b) Vel propriis argumentis stabilietur quisnam sit effectus formalis primarius quantitatis. Quo stabilito, inspicietur utrum haec essentia convenire queat corpori Christi in Eucharistia.

59. — SENTENTIAE. 1. Affirmant corpus Christi in Eucharistia esse quantum s. Thomas, Bonaventura, Richardus, Paludanus, Scotus, Soto, Alensis, Altissiodorensis, Henricus, Ferrariensis, Innocentius ([1]). — 2. Negat Durandus ([2]), qui reponit effectum formalem quantitatis in extensione locali actuali, seu in quantitativa occupatione loci et impenetrabilitate. — Major, Gabriel, Ockam ([3]) censent probabile esse corpus Christi non esse quantum. Hi censent quantitatem non esse re distinctam a substantia sed nonnisi modum sola ratione distinctum. Quatenus nempe substantia localiter extenditur, habetque ita molem

([1]) D. Th. l. c. et in 4 d. 10, q. 1, a. 2, quaestiunc. III. Bonav. a. 1, q. II. Richard. a. 1, q. II. Palud. q. II. Scot. q. 1, § De secundo; Soto, q. II, a. 4. Alens. IV p. q. XXXX, membr. III, a. 4. Altissiod. l. IV *summae.* tract. V, c. IV. Henric. *Quodl.* I, q. V. Ferrar. in l. IV *Contra Gent.* c. LXIV. Innoc. l. IV *de myst. Euch.* c. VIII. Ledesma, q. XVII, a. 4.

([2]) Durandus, in 4 d. 10, q. II. — ([3]) *Major.* q. II. Gabriel, a. 2, concl. 2 et lect. XXXXIII in Can. Ockam in 4 q. IV et tract. *de Euch.* c. XXXXIX.

sensibilem, dicitur quanta. Hinc circa effectum formalem quantitatis sentiunt cum Durando. — Nonnulli olim censebant sententiam Durandi esse *haereticam,* verum nihil invenerunt contra illam definitum ; deinde rationes quibus impugnatur pendent ex principiis philosophicis, potius quam theologicis. Quare Alensi *erronea* videtur, Suarezio potius *temeraria,* quia est contra mentem Doctorum, parum consentanea modo loquendi Scripturae, Conciliorum et Patrum.

60. — *Corpus Christi in Eucharistia esse quantum* probatur quia principium est, auctoritate Conciliorum et Patrum fulcitum, corpus Christi sisti praesens sub symbolis panis et vini, cum omnibus his quae ipsi in caelo conveniunt, his solis exceptis quae per verba ipsa virtualiter excluduntur. Sed quantitas convenit corpori Christi uti est in caelo et non excluditur per verba consecrationis. Sola enim ratio dicendi quantitatem excludi ipsis verbis, esset quia essentialiter reponeretur in extensione locali ; sed hoc falsum videtur. Etenim extensio localis indesinenter mutatur: corpus enim non tantum modo hanc modo illam habet ubicationem respectu aliorum corporum, sed etiam ejus partes alio et alio modo inter se ubicantur, quare extensio localis est modo haec, modo alia ; quantitas autem corporis non mutatur indesinenter; itaque non identificantur quantitas et localis extensio (1).

Quantitas corporis Christi praesens sistitur non quidem vi verborum, sed per concomitantiam. Est doctrina s. Thomae (2) plerorumque doctorum.

Praesentia Christi secundum divinitatem, et humanitatem, substantiam hujus et accidentia, causatur verbis consecrationis ; verum alia constituuntur praesentia vi verborum, alia per concomitantiam ; alia enim significantur explicite verbis, alia implicite ; quare licet omnium praesentia causetur verbis, aliorum tamen praesentia significatur et causatur alio modo. Contendimus quantitatem fieri praesentem per concomitantiam.

Prob. Sola transsubstantiatio fit vi verborum; sed transsubstantiatio terminatur ad solam substantiam termini a quo et termini ad quem. Ergo quantitas non constituitur praesens vi verborum. — Haec ratio

(1) Huic argumento alii, cum s. Thoma, addunt hoc alterum argumentum: Quantitas essentialiter tribuit composito substantiali compositionem ex partibus. Atqui humanitas Christi, cum constet partibus, non caret eo quo partes accipit. — Multi majorem negant, contenduntque substantiam habere ex seipsa partes et partes, adeoque alium esse effectum formalem quantitatis. — Additur etiam hoc argumentum: Corpus Christi non caret qualitatibus sensibilibus, licet hae actu percipi nequeant a sensibus. Ergo non caret quantitate. Patet consequentia quia qualitates sensibiles radicantur in quantitate.

(2) S. Th. III, q. LXXVI, a. 4.

ita etiam exprimi potest : Sola substantia corporis Christi ponitur vi verborum. Solus enim terminus ad quem conversionis ponitur vi verborum ; sed hic terminus est sola substantia corporis Christi. — Nam terminus *a quo* est sola substantia panis ; ergo terminus *ad quem* est sola substantia corporis Christi. — Patet antecedens quia remanent accidentia. — Patet consequentia quia duo termini conversionis sibi respondent: sc. ubi conversio est substantialis, educitur forma substantialis nova, quae expellit formaliter formam praecedentem ; ubi conversio est accidentalis, educitur ex potentia substantiae completae forma accidentalis, quae formaliter expellit formam praecedentem.

Si ais : Vi verborum praesens constituitur in hoc sacramento corpus organicum ; sed corpus organicum in suo intrinseco conceptu includit quantitatem et alia accidentia. Etenim corpus organicum in suo conceptu includit membrorum distinctionem in figura, densitate et raritate. Ergo in quantitate et magnitudine. — *Respondetur* ab iis qui tenent effectum formalem quantitatis non esse compositionem ex partibus, sed extensionem localem aptitudinalem, seu exigentiam ad localiter extendendam unam partem extra aliam, respondetur, inquam, ab iis *concedendo majorem* et *negando minorem,* ad probationem vero *concedendo antecedens et negando consequens.* Hi enim tenent substantiam per seipsam habere partes et partes, ac proinde corpus vivens ex entitate substantiali habere organa ; haec organa vi entitatis superadditae, quae est quantitas, exigere ut unum organum sit extra aliud; de facto extendi organa per novam entitatem, nempe per extensionem localem. Itaque membra distincta, figura, raritas, densitas ex essentia sunt *radicaliter* quanta ; postulant ut ex entitate substantiali educatur id quo naturaliter postulant partes extra partes localiter extendere.

§ 2. Num Christus in Eucharistia naturaliter agere possit immanenter.

Suar. d. liii, s. 3.

61. — Humanitas Christi in caelo, ubi circumscriptive praesens est, agit immanenter secundum potentias sensitivas et rationales ; intuitive videt essentiam divinam modo perfectissimo ; in Deo viso attingit creata ; habet insuper scientiam infusam. — Profecto eadem scientia instruitur Christus in Eucharistia delitescens. Anima enim beata Christi replicatur cum actibus suis; quos itaque actus elicit in caelo, eosdem elicit in Eucharistia. Quare de his actionibus immanentibus quaestio

non est. — Verum inquiritur 1° an Christus, uti est sacramentaliter praesens, naturaliter operetur per sensus externos h. e. utrum per oculos videat, per aures audiat objecta circumstantia. — Dato Christum naturali virtute non operari sensibiliter, quaeritur ulterius utrum potentiae sensitivae elevari a Deo queant ad has operationes eliciendas, et utrum reapse eleventur. — Quaeritur 2° an Christus operari naturaliter valeat per sensus internos ? — Demum quaeritur 3° an intellectus et voluntas naturali virtute intelligant et velint ?

Circa 1ᵐ quaest. Nominales affirmant Christum naturaliter exercere operationes sensuum externorum. Quod assertum suum fluit ex alio suo asserto, Christum posse recipere influxum ab agentibus extrinsecis. — Ceteri negant. Nonnulli contendunt hoc absolute fieri non posse, seu sensus Christi ad hujusmodi operationes non posse elevari.

Circa duo posteriora redeunt similes sententiae.

THESIS IXᵃ. — Christus in Eucharistia non potest naturali modo operari neque per facultates rationales, neque per sensitivas. Supernaturaliter vero elevatae, facultates actus elicere possunt. Ad factum quod spectat probabilius Christus in Eucharistia delitescens non elevatur ad eliciendas operationes sensuum.

62. — Prima pars. CHRISTUS NATURALITER NON OPERATUR PER SENSUS EXTERNOS.

Prob. Arg. 1ᵐ. Ut Christus naturali virtute videat, audiat, oportet ut objecta externa exerceant in organa influxum talem ut species impressas efficienter educant ex potentia sensoriorum Christi. Atqui corpora externa non valent naturaliter talem influxum exercere in organa Christi. *Prob. min.* Species sensibiles, cum ad modum recipientis reciperentur, essent localiter inextensae, proinde supernaturales. Atqui corpora externa nequeunt naturali virtute efficienter producere ens supernaturale. Ergo.

Arg. IIᵐ. Eo quod Christus naturaliter operaretur per sensus externos in Eucharistia, sequeretur aliquam sensationem formaliter sumptam ab aliquo sensu procedentem, esse naturaliter inextensam. Atqui nulla est sensatio naturaliter inextensa. — *Prob. min.* Sensationes formaliter sumptae, seu species expressae, sunt repraesentativae rei extensae singularis concrete sumptae. Atqui quod est hujusmodi, non est naturaliter inextensum, seu res extensa nequit naturaliter repraesentari in concreto, modo inextenso. Ergo.

63. — **Secunda pars.** CHRISTUS SUPERNATURALITER POTEST OPERARI PER SENSUS EXTERNOS.

Prob. Per concomitantiam Christus, saltem probabilius, in Eucharistia sistitur praesens cum sensationibus caelestibus. Atqui si recipit species objectorum maxime dissitorum, potest recipere species objectorum propinquorum. Deus enim potest immediate eas infundere, aut elevare objecta vicina ad eas efficienter producendas. Ergo.

64. — **Tertia pars.** CHRISTUS NATURALITER NON POTEST OPERARI PER SENSUS INTERNOS.

Prob. Secus sequeretur aliquem actum sensitivum esse naturaliter inextensum. Atqui hoc est falsum, ob motivum supra allatum. Ergo. — *Si ais* : Sensus internus exsistit in Eucharistia cum speciebus antea acquisitis; ratione suae naturae habet virtutem producendi actus entitatem; ratione modi quo sensus exsistit, hic actus erit inextensus. Ergo. — *Respondetur distinguendo :* Sensus internus potest producere actus entitatem *per se* loquendo, sc. si natura habet modum exsistendi naturalem, *Conc. ; per accidens* non potest impediri natura, ob modum exsistendi inextensum, *Neg.* Potentia materialis requirit extensionem in loco ut possit virtutem suam naturaliter exserere ; itaque modus praesentiae sacramentalis non dat potentiae virtutem producendi actum similem sui. Deus solus, qui est causa physica status sacramentalis, potest speciem localiter inextensam educere ex corporis potentia obedientiali.

65. — **Quarta pars.** CHRISTUS NEQUIT IN EUCHARISTIA NATURALITER OPERARI SPIRITUALITER,

Prob. Ut intellectus Christi, sacramentaliter praesentis in Eucharistia, naturaliter ibi operaretur, oporteret vel ut naturaliter acquirere valeret species novas, vel ut speciebus acquisitis uti posset naturaliter. Atqui neutrum dici potest. *Non primum* : Ut naturaliter acquirat novas species, oportet ut praecedat naturaliter sensatio quae sensibiliter et in concreto apprehendit id quod species intelligibilis exhibet in abstracto. Atqui, ex modo probatis, sensatio naturaliter in Christo exoriri nequit. Ergo. — *Non secundum :* Ut intellectus utatur speciebus acquisitis, oportet ut se convertat ad phantasmata, sive ut phantasia eliciat actum sensitivum quo in concreto apprehendatur id quod species intelligibiliter repraesentat. Atqui phantasia, utpote sensus, naturaliter operari non valet. Ergo.

66. — **Quinta pars.** SUPERNATURALITER POTEST CHRISTUS IN EUCHARISTIA EXERCERE FACULTATES.

Prob. 1. Si Christus sacramentaliter praesens, habet species spirituales infusas, potest iis uti sine conversione ad phantasmata et proin sine novo miraculo. Per has enim efficienter constitui potest in actu primo ad intelligendum. Atqui non repugnat a Deo infundi species in mente Christi sacramentaliter praesentis. Ergo.

2. Ut Christus in Eucharistia videat, audiat etc., sufficit ut Deus in sensoriis Christi infundat species sensibiles de rebus praesentibus. Atqui nequit ostendi hoc repugnare. Ergo.

67. — Sexta pars. ATTAMEN PROBABILIUS CHRISTUS IN EUCHARISTIA DELITESCENS ETIAM SUPERNATURALITER NULLAS EFFICIT OPERATIONES SENSIBILES.

Circa quaestionem in hac parte discussam dantur duae sententiae. *Prima sententia* fatetur quidem Christum non efficere operationes quae auferrent aut minuerent merita fidei nostrae : « Quocirca, ait card. Cienfugos, nec de facto Christus loquitur, nec de facto a nobis videtur oculis corporeis, nec se solo movetur aut transit de loco in locum ; nec tangi gustarive immediate se permittit, neque his similia quibus fieret nobis experimento sensibili nota ejus realis praesentia ([1]) ; » attamen asserit *piissime credi sensus externos Christi in Eucharistia elevari ad apprehendenda objecta propinqua,* Christum oculo videre circumstantes, audire cantus etc. Ad finem enim Incarnationis et institutionis Eucharistiae, ad solamen fidelium et ad fiduciam in Verbum Incarnatum gignendam et augendam, spectat ut Christus sacramentaliter praesens videat et audiat ([2]). Hanc sententiam tenent ex Thomistis Serra et Gonet ; ex nostris Lessius, Cornelius a Lapide, Suarez censens hanc opinionem non esse improbabilem. Prae omnibus hanc sententiam propugnavit card. Cienfugos ([3]). Inter recentiores huic sententiae adhaerent Franzelin, Bugaud, Dalgairns ([4]).

([1]) CIENFUGOS : *Vita abscondita, seu speciebus eucharisticis velata*, d. II, s. 1, § 1, n. 9.

([2]) « Harum operationum notitia, ait CIENFUGOS, acuit miro modo devotionem, nutrit fiduciam, accendit incredibiliter amorem, alit reverentiam, solatium ingerit orantibus in conspectu illius et fovet commercium animarum cnm sponso praesente. Etenim quanto confidentius accedet oraturus in templo, ubi patet latenter thesaurus iste, si noverit Christum Dominum ex throno illo audire sensibiliter gemitus suos et videre fletum? Dum non licet vicissim prospicere amatum, nec audire sensibiliter illius vocis sonitum, quam jucundum debet esse amanti, nosse ab eo se saltem perspicue videri et penitus audiri? »

([3]) GONETUS, *Clypeus thomisticus*, d. V, a. 4, n. 75. — LESSIUS, in III part. q. LXXVI, dub. II, n. 51. — CORN. A LAPIDE, *in Cant. Cantic.* II, 9.

([4]) FRANZELIN, *De Euch.* th. XI, p. 166. BUGAUD, *Le christianisme et les temps présents*, t. V, p. 221-225. DALGAIRNS, *La sainte Communion considerée au point de vue philosophique, theologique et pratique*. 2 vol. t. I, ch. IV, p. 152-188.

Secunda sententia, quae est communis inter theologos, *negat* hoc miraculum esse factum. Suadetur tum negative quia hoc miraculum fieri nullibi asseritur in revelatione neque comprobatur cogente ratione; tum positive quia videtur inutile :

1. *Non asseritur eloquiis revelatis.* a) Solus textus scripturisticus de hac materia continetur verbis Christi « ego sum panis *vivus.* » Jamvero haec verba non significant Christum vivere vita sensitiva ; sed sufficienter intelliguntur esse vera quia anima Christi, ditata omnibus sapientiae divinae thesauris, vivit vita spirituali ; corpus informatum ab anima sanctissima vivit vita saltem substantiali. Merito itaque ait Franzelin : « mihi certe haec sententia, *non propter diserta testimonia Scripturae et Patrum quae proferuntur parum efficacia,...* videtur probabilissima et pia. » — b) Nullus est ex Patribus qui loquatur de Christi visione vel auditione per sensus externos in statu sacramentali ; et tamen multa dixerunt Patres (speciatim Chrys., Cyr. Hier., Cyr. Alex.) de vita Christi in hoc mysterio et de ejus commercio cum hominibus.

2. *Nulla cogens ratio affertur,* neque ex dignitate sacratissimae humanitatis, neque ex fine sacramenti, contra enim ex utroque capite colligitur oppositum :

3. *Positive suadetur vitam sensibilem decesse Christo in Eucharistia.* Etenim a) inutilis est ut attingatur finis mysterii. Finis enim principalis est nutrire fideles producendo augmentum gratiae, finis secundarius est inire commercium spirituale cum fidelibus, consolando, roborando etc. Atqui inutilis est vita sensitiva ut Christus sit cibus animarum, uti patet ; inutilis etiam est ut fideles consoletur et roboret. Requiritur quidem ut cognoscat eorum pia desideria et necessitates; verum haec cognitio acquiritur a Christo modis multo nobilioribus quam per vitam sensitivam, cum ejus anima ex Deo intuitive viso perfectissime cognita habeat omnia ad finem Incarnationis et speciatim ad finem Eucharistiae pertinentia. — b) Christus est in Eucharistia in statu victimae ; jamvero si Christus est expers omnis vitae sensitivae, multo perfectius induit statum victimae quam si sensibiliter vivit. Si igitur non dedecet dignitatem humanitatis Christi ut sit victima, non dedecet ut sit priva ab omni activitate sensili.

Coroll. Ergo Christus non videt, nec tangit proprium corpus. Oculus enim non est naturaliter aptus ut eliciat speciem impressam et expressam qua repraesentetur et apprehendatur corpus proprium.

§ 3. Num Christus naturaliter possit moveri localiter a motore creato.

D. Th. III, q. lxxvi. a. 6. — Suar. d. liii, s. i.

Quaeritur de motu *per accidens* impresso Christi corpori et de motu *per se* impresso.

68. — *De motu per accidens impresso.* A. *De motu naturaliter impresso.* Corpus Christi posse moveri per accidens, eo nempe motu qui immediate speciebus imprimitur patet a priori et a posteriori. a) *A priori* ex unione qua humanitas Christi devincitur cum speciebus et de qua postea. Hac enim fit ut qui movet species, moveat corpus Christi unitum efficienter et extrinsecus hisce speciebus. — b) *A posteriori.* Secus enim sacerdos non posset elevare corpus Christi, neque illud manducandum porrigere.

B. De motu *praeternaturaliter impresso.* Legitur sacram hostiam sponte sua fuisse motam a loco ad locum, nullo eam deferente, modo ut aliquis sanctus communicare posset, modo ut injuriae infidelium vitarentur. — Movebatur sacra hostia vel a Deo solo operante, vel ab angelis a Deo motis, vel ab ipsa humanitate Christi. Manifestum est hujusmodi motum non esse naturalem.

69. — *De motu per se impresso.* Corpus Christi per se moveretur duplici modo : a) Eo quod moveretur, speciebus in eodem loco remanentibus ; b) eo quod corpus Christi immediate reciperet motum et quod species non moverentur nisi per accidens, sc. ratione unionis cum corpore et sanguine Christi. — Quaeritur utrum corpus Christi possit moveri per se a) a Deo ; b) a causa creata.

A. *De motu a Deo impresso.* 1. Quod attinet *ad factum*, corpus Christi numquam separatur a speciebus ante harum corruptionem, quod patet quia a) revelatio nihil hujusmodi refert, aliud autem medium non suppetit quo hoc notum nobis sit ; b) sine utilitate immo cum detrimento hoc contingeret, siquidem veritas de reali praesentia infallibilis et immutabilis permanere debet.

2. Si quaeritur *de potentia Dei absoluta,* dicendum est fieri posse, ut, speciebus manentibus, corpus Christi alibi transferatur. Ob unionem inter humanitatem et species — de qua postea dicetur, agendo de indole transsubstantiationis, — Deus posset movere per se humanitatem, per accidens species, sc. actione divina per se et immediate terminata ad Christum, per accidens et mediate ad species, quas nempe corpus

Christi secum traheret. — Sicut Pater potest movere humanitatem Christi, sic Verbum qua Deus id efficere potest. — In hunc finem Deus creaturam potest adhibere tamquam instrumentum, eam elevando ad productionem istius effectus. Itaque ipsa humanitas potest esse instrumentum, adeo ut Verbum moveret suum corpus, et species desereret aut eas secum traheret.

B. *De motu a causa creata naturaliter impresso :*

THESIS X[a]. — Ratione sacramentalis praesentiae corpus Christi non potest localiter moveri ab anima Christi, neque ab angelo, neque corpore extrinseco, secundum naturalem virtutem agentibus.

70. — I. *Anima Christi virtute naturali non potest immediate movere per se corpus proprium.* Etenim.

Prob. Vel anima moveret corpus solo voluntatis imperio, vel musculis utendo (1). Atqui neutro modo potest virtute naturali movere corpus. — *Prob. 1[a] pars min.* Anima non potest solo imperio voluntatis movere corpus, ita nempe ut corpus non concurrat ad producendum motum, sed passive eum recipiat. Experientia teste, hujuscemodi motus excedit capacitatem naturalem. (Dicimus *naturalem* quia juxta nonnullos corpus gloriosum sic moveri ab anima potest). — *Prob. 2[a] pars min.* — Ut musculorum ope corpus moveatur, requiritur extensio partium motarum et musculorum : requiritur enim contactus inter extrema, impenetrabilitas, resistentia ; haec autem supponunt extensionem localem. Atqui corpori Christi nulla est actualis extensio, proindeque non datur contactus partium secundum extremitates, sed mutua earum compenetratio, neque datur resistentia, neque impenetrabilitas. Ergo.

71. — II. *Corpus Christi non potest per se moveri ab alio corpore.* Ut enim corpus moveat aliud corpus, oportet ut illud tangat secundum extremitates, ut illud corpus non compenetret , ut resistentiam ab eo

(1) Inquirunt philosophi in quonam subjecto potentia locomotiva immediate resideat : utrum in sola anima ita ut sola motum organorum determinet, an in organis omnibus, an in organo speciali cui munus incumbit motum imprimendi toti corpori. — Cui quaestioni reponitur hujusce potentiae subjectum esse musculos informatos anima. Per musculos enim determinari motum probatur physiologia ; musculos informari anima constat tum quia nulla est ratio contrarium asserendi ; tum quia non concipitur quomodo anima aliter motus determinaret sive eos sibi subordinatos haberet ; deberet enim, uti informat aliquam partem, transeunter agere in musculis ; verum hoc admisso, istud aliud organum, anima informatum, instrueretur potentia principali motrice.

experiatur. Atqui haec supponunt extensionem localem istius alterius corporis ; haec autem corpori Christi deest.

III. *Corpus Christi non potest moveri per se ab angelo.* Angelus vel ita moveret corpus Christi de loco ad locum ut ab eo auferret praesentiam in loco prius occupato et nullam aliam praesentiam ei tribueret, vel tribuendo novam praesentiam quae sit incompossibilis cum priore. Atqui ab angelo naturaliter *fieri nequit primum* : Actio enim angeli esset positiva et careret termino positivo, quod admitti nequit. Actionem fore positivam, non vero cessationem actionis prius habitae, constat quia secus dicendum foret Christum esse praesentem sub speciebus vi actionis angelorum conservantis eum. Sic enim tantummodo intelligi potest Christum moveri, amittere praesentiam, nulla nova praesentia acquisita. Sed falsum est Christum esse praesentem vi conservationis activae angelorum. — Praeterea *fieri nequit secundum :* Praesentia quae tribuitur corpori Christi in sacramento est supernaturalis. Atqui angelus non habet virtutem naturalem producendi ens supernaturale. Si ais : a) Angelus potest movere corpus sine contactu physico, solo contactu virtutis sive voluntatis; potest enim movere spiritus ; itaque potest movere corpus Christi illocaliter praesens : — Respondetur *distinguendo antecedens :* Angelus potest movere corpus virtute *naturali* et producendo ex potentia substantiae modum praesentiae *qui naturalem substantiae capacitatem non transcendat, Neg. ;* producendo modum praesentiae *supernaturalem* adeoque *virtute supernaturali, Conc.* — Si instas dicendo : atqui angelus potest naturali virtute educere ex potentia corporis Christi hunc modum praesentiae, etiamsi est supernaturalis. — Nam ex eo quod sit supernaturalis haec praesentia, consequitur tantummodo Christum non posse primo sic reddi praesentem ab angelo ; at, supposita praesentia, non sequitur novam praesentiam non posse produci. — Respondetur *speciem* hujuscemodi praesentiae superare naturalem capacitatem; idcirco quodvis individuum est supernaturale ; igitur angelus praesentiam sacramentalem neque primo tribuere, neque mutare, neque auferre valet.

§ 4. Utrum corpus Christi in Eucharistia naturali virtute, aliter agere transeunter et pati rossit.

Suar. d. liii, s. 2.

72. — De potentia absoluta Deus potest imprimere corpori Christi qualitatem sensibilem. Uti enim quaelibet res creata, sic et humanitas

Christi est subdita Dei omnipotentiae. Patet hujusmodi qualitatem, si qua a Deo efficeretur, participare conditionem substantiae, adeoque praesentem esse illocaliter. — Quaeritur a) utrum agentia naturalia possint agere in humanitatem Christi, in illa producendo qualitates, eam alterando ; b) utrum ipsa Christi humanitas in corpora circumstantia simili aliqua ratione agere possit ?

SENTENTIAE. 1. Nominales tenent quidem corpus Christi, ad factum quod attinet, nec agere nec agi in Eucharistia ; verum contendunt hoc fieri supernaturaliter ut mysterium occultetur et fidei meritum relinquatur, naturaliter enim posse Christum sacramentaliter praesentem eadem agere aut pati corporaliter, quae posset si circumcriptive esset praesens. Huic sententiae, quantum ad actionem Christi corpoream, adhaerent ex nostris Amicus et Coninck.

2. Negant Christum in Eucharistia naturali virtute posse agere aut pati s. Thomas, Scotus, Richardus, Capreolus, Paludanus ([1]).

THESIS XI[a]. — Corpus Christi, uti est sacramentaliter praesens, nihil pati potest ab entibus creatis, naturali sua virtute operantibus. Probabilius in haec naturaliter non potest agere.

73. — Prima pars. Prob. 1. Agentia naturalia non alterant qualitates, nisi prius corpus tetigerint, nisi illud sit impenetrabile et resistentiam opponat. Atqui tale non est corpus Christi sacramentaliter praesens. Ergo.

2. Omnis actio agentium naturalium immediate recipitur in quantitate specierum. Ergo haec actio non recipitur *immediate* in corpore Christi. — Neque *mediate* recipitur ; nam ipsae species non valent naturaliter operari in corpore Christi, ob easdem rationes ; supernaturaliter iis communicatur quidem virtus imprimendi in corpore Christi motum localem sibi impressum, uti dicetur agendo de indole transsubstantiationis ; sed non tribuitur potentia idem corpus alterandi, cum haec potentia, si naturaliter adesset, foret potius impedienda ne agat. — Ad antecedens notare juverit agentia naturalia agere alterando qualitates sensibiles quae subjectantur in quantitate ; quantitas autem panis et vini remanet ; substantia quidem abest, verum ejus vices supplet modus

([1]) D. Th. III, q. LXXVI, a. 7 ; ibid. q. LXXXXI, a. 4 ; Scotus, in 4. d. 10, q. IX ; Richard. a. 5, q. II ; Capreol. q. IV, a. 3, ad arg. Scoti cont. 1[m] concl. ; Palud. q. IV.

perseitatis supernaturaliter productus in speciebus ; igitur pergunt qualitates et quantitas panis et vini recipere influxum agentium circumstantium.

3. Ut agens extrinsecum in corpore Christi agere posset, requireretur ut in illud producere posset qualitatem localiter indivisibilem. Quidquid enim recipitur, ait Schola, ad modum recipientis recipitur. Atqui hoc fieri nequit. Quod enim est supernaturale, non potest produci ab agentis creati virtute naturali. Atqui qualitas localiter indivisibilis est supernaturalis respectu corporis. Ergo.

74. — **Secunda pars. Prob.** 1. De facto constat Christum non alterare species sub quibus est praesens, neque alterare corpus illius qui ipsum tangit aut recipit. Probabiliter hoc contingit, non quidem quia Deus impedit ne corpus Christi naturali virtute agat, neque ob voluntatem Christi, sed quia deficit naturalis potestas humanitati ob praesentiam sacramentalem.

2. Corpus et ejus potentiae activae postulant extensionem localem, ut naturali suo modo exsistere possint. Ergo eam postulant ut naturaliter operari valeant, et ubi deest localis extensio, naturaliter nulla fit operatio corporea. — *Prob. conseq.* Modus operandi sequitur modum essendi ; ergo operatio corporis est naturaliter extensa, cum modus essendi sit extensus.

75. — **Scholion** 1^m^. Una pars corporis Christi naturaliter non potest agere in aliam. Singulae enim partes sunt illocaliter praesentes. Unde oporteret ut una pars, agendo in aliam, produceret qualitatem illocaliter praesentem. Sed uti haec qualitas est supernaturalis respectu virtutis naturalis corporis extensi et angeli, sic est supernaturalis respectu corporis Christi.

Scholion 2^m^. Corpus Christi, uti est sacramentaliter praesens, non potest nutriri, augeri, minui. Etenim a) nutrimentum non potest intussuscipi si remanet extensum ; si autem modo sacramentali intussuscipitur, jam non valet alterari, distribui, assimilari, converti in corpus Christi, adeoque illud nutrire. Porro b) si corpus Christi nutrimentum non accipit, non augetur. Demum c) illud non minui posse constat, quia ad hoc alterandum foret actione aliorum agentium; sed corpus Christi est immune ab eorum influxu. Ergo.

Scholion 3^m^. Corpus Christi non potest interfici. a) Non potest interfici *ab intrinseco,* cum una pars non possit agere naturaliter in alias, proindeque non possit eas separare, nec alterare, nec corrumpere. b) Non *ab extrinseco,* ex probatis.

§ 5. Utrum corpus Christi possit naturaliter videri in Eucharistia.

D. Th. III, q. lxxvi, a. 7. — Suar. d. liii, s. 4.

76. — Revelatione duce, intellectus creatus cognoscit Christum esse in Eucharistia, voluntas eum in hoc statu amat. Inquiritur num *potentiae sensitivae* hominum possint terminari ad corpus Christi. Speciatim quaestio instituitur *de visu*. Eadem ratione institui posse videtur de ceteris sensibus ; communis tamen sententia est certum esse Christum naturaliter non posse audiri, cum loqui non possit, atque etiam eum non posse tangi et gustari, siquidem solae species in sensoria imprimunt.

Circa quaestionem propositam tres sunt sententiae :

1. Juxta Nominales corpus Christi sacramentaliter praesens *potest naturaliter videri* in Eucharistia ; ad factum quod attinet impeditur haec visio, ut exerceatur fides. — Ratio duplex affertur : a) Ad sensationem, aiunt, non exigitur species impressa. Ceterum si requireretur species, corpus Christi posset eam determinare. b) Eo quod corpus est praesens illocaliter, consequitur quidem per se visionem esse minus distinctam, partes corporis non posse videri nisi infinities quasi, per infinitas lineas seu per infinita puncta, consequitur etiam non videri figuram corporis, neque ejus organizationem ; verum non consequitur impediri omnem visionem, adeoque impediri ne singulae partes corporis Christi, praesentes in singulis partibus speciei, influant trans medium in sensoria et efficienter educant species, dato hujusmodi species requiri ad sensationem.

2. Juxta s. Thomam corpus Christi *non potest videri naturaliter, sed videri potest miraculose*. Idem tenent Bonaventura et Scotus. Alensis dicit B. Virginem speciali privilegio videre corpus Christi ; de oculo Christi idem tradit Marsilius [1].

3. Juxta Paludanum et Capreolum, Hispalensem et Richardum etiam *de potentia absoluta corpus Christi videri nequit ullo oculo.*

---

[1] D. Th. in 4 d. 10, q. 1, a. 4, sol. 1 ; ib. d. 11, q. III, a. 1, ad 4^m ; III, q. lxxvi, a. 7, ad 2^m. — Bonav. in 4 d. 10, q. ult. — Scot. ib. q. ix. — Alens. in IV^m p. q. xl, memb. 3, a. 8, § 2. — Marsil. in 4 q. vii, a. 9, ad 4^m.

[2] Palud. et Capr. in 4 d. 10, q. ult. — Hispal. ib. q. 1, a. 3, ad 6^m, cont. 5^m concl. — Richard. a. 5, q. ii.

THESIS XII[a]. — Ratione sacramentalis praesentiae, corpus Christi naturaliter non potest videri in Eucharistia. Immo probabilius est absolute invisibile.

77. — I. *Corpus Christi nequit videri naturaliter:* 1. Ut corpus Christi videatur naturaliter, non sufficit ut adsit sensibile proprium visus, nempe color, sed adhuc exigitur ut color sit localiter extensus. Atqui talis non est. Ergo corpus Christi est extra latitudinem objecti naturalis potentiae sensitivae. — *Patet major* quia de facto nulla potentia sensitiva attingit nisi id quod est localiter extensum, seu cujus una pars localiter extenditur extra aliam partem. Confirmatur quia quo remotius est corpus, eo minus percipitur atque eo magis exiguum esse apparet; confirmatur etiam quia eo minus bene percipitur quo minus spatium occupat; denique quia corpora, quae ob exiguitatem non videntur nisi microscopii ope, jam evadunt prorsus invisibilia ubi nulla extensio localis apparere valet. — 2. Ut corpus Christi naturaliter videretur, oporteret ut naturali virtute influere posset in sensoria, determinando in ea immutationem organi et speciem impressam. Atqui ostensum est corpus Christi naturaliter non posse agere transeuntur. Ergo.

78. — II. *Corpus Christi nequit probabilius absolute videri.* Probatur 1° ratione modo allata. — 2. Visus est potentia organica; visio itaque est actus potentiae organicae; de essentia hujusmodi actionis probabilius est ut apprehendat modo extenso, adeoque terminetur ad rem localiter extensam, certa figura ornatam, certa magnitudine, certo situ. Atqui corpus Christi est localiter inextensum, adeoque incapax imprimendi in sensoria sui speciem vicariam. — Idem constat 3° quia quoties in historia sanctorum legitur corpus Christi fuisse sensibiliter apprehensum, cernebatur extensione locali donatum, unde colligendum videtur corpus Christi miraculose induisse extensionem localem actualem, ideo autem illud induisse praesentiam localiter extensam, quia secundum praesentiam illocalem est absolute invisibile.

Scholion 1[m]. Deus potest imprimere oculo speciem qua repraesentatur corpus Christi modo extenso, ac si essset praesens modo extenso. Per talem visionem non apprehenditur corpus Christi prout est sacramentaliter praesens. — Num apprehendatur ipsum corpus Christi quod per omnipotentiam divinam adipisceretur praesentiam circumscriptivam, disputant auctores (1).

(1) Cf. s. Th. in 4 d. 10, q. 1, a. 4, sol. II.

Scholion 2m. *Dices:* Licet singulae partes corporis Christi sint praesentes in qualibet parte specierum, attamen singulae partes non debent in qualibet parte influxum exercere in sensoriis; sed in una parte solum caput influxum exercebit, in alia solum pectus, in alia pedes; sic apparebit Christus in tota specie, non vero totus in singulis partibus. — Respondetur nullam partem attingi posse sensibus modo extenso, siquidem nulla pars habet praesentiam extensam, adeoque neque caput videri posse in una parte speciei, neque pedes in alia.

§ 6. An Christus, prout est in hoc sacramento, possit naturaliter cognosci ab intellectu creato.

Suar. d. liii, s. 5.

79. — A. Christum de facto esse praesentem in Eucharistia, sola fide potest cognosci ab hominibus in hac vita. — Praesupposita revelatione, ratio intrinseca possibilitatis nos latet uti modo ostendetur; immo per revelationem non acquiritur nisi conceptus analogicus. Etenim omnes cognitiones intellectuales derivantur ex sensationibus; nulla autem alia res materialis habet modum praesentiae qui Christo in Eucharistia convenit; jamvero revelatio non aperit nobis mysteria, nisi secundum notas positivas ex ordine physico desumptas.

B. Probabiliter omnes *sancti* in essentia divina intuitive visa apprehendunt rationem praesentiae Christi in Eucharistia. — Deus etiam posset infundere species quibus apprehendatur haec praesentia.

C. Utrum *angeli* cognitione naturali cognoscere valeant hoc mysterium, quousque se extendat eorum cognitio naturalis, non omnes explicant eodem modo: — 1. *Circa accidentia panis* a) alii censent angelos naturaliter cognoscere absentiam panis et praesentiam accidentium seorsim a subjecto inhaesionis; modum autem positivum subsistendi, si quis a Deo infunditur accidentibus, angelis non esse naturaliter notum, siquidem species repraesentativa illius ex rebus creatis hauriri non potest. b) Alii censent angelos naturaliter non cognoscere cum certitudine abesse panem; sane non vident panem adesse, verum etiam non vident abesse quia cernunt species quasi iis substaret substantia panis. — 2. *Circa corpus Christi* a) alii censent angelos posse videre corpus Christi sub speciebus et modum exsistendi quem ibi habet. Ita Scotus, Major, Ockam, Gabriel. Probant eo quod modus exsistendi non superat vim intellectus angelici: α) Est enim

res finita. β) Quod sit supernaturalis, hoc non officit quin cognoscatur. Angeli enim possunt cognoscere duo corpora supernaturaliter inter se compenetrata. Ergo a pari. γ) Modus exsistendi sacramentaliter non est simpliciter supernaturalis. Superat quidem exigentiam corporis, sed non excedit capacitatem cujuslibet rei. δ) Angelus potest accipere speciem ex ipso corpore Christi. — b) Alii censent nullum intellectum posse naturali virtute cognoscere modum praesentiae sub speciebus et consequenter intueri corpus Christi seu clare cognoscere quod ibi sit. Ita s. Thomas, Bonaventura, Durandus, Henricus, etc. (1). Ratio duplex profertur : α) Intellectus *unitus corpori* alias non habet species, nisi quas sensibus acquisivit ; jamvero ex sensationibus acquiri non potest species qua repraesentetur modus praesentiae sacramentalis. Intellectus autem *separatus* non cognoscit nisi ea quorum habet species congenitas ; sed non habet naturaliter sibi congenitam speciem de praesentia sacramentali Christi. Haec enim species non debetur intellectui separato : etenim modus est supernaturalis, sed non debita est species de ente supernaturali. β) Si angelus cognosceret naturaliter praesentiam sacramentalem, cognosceret etiam istius possibilitatem, supposito Eucharistiam non fuisse institutam ; sed hoc admitti non potest. Ergo.

ARTICULUS III.

Dogma praesentiae sacramentalis est supra rationem non vero contra rationem.

§ 1. Notiones praeviae. — Quaestiones.

80. — NOTIONES. Locari in spatio, occupare partem spatii, perinde est atque circumdari superficiebus corporum circumstantium, sive occupare locum extrinsecum, et totum intervallum inter corpora circumstantia adimplere. Diversa ratione pars spatii occupari potest :

1. *Definitive.* Corpus definitive occupat locum, quando ratione essentiae et virtutis extenditur ad quosdam definitos terminos loci, ultra quos ob finitudinem suam applicari non potest, adeo ut extra fines istius loci non excurrat, sed iis definiatur ; sive adhuc cum occupat *unum tantum locum proprium extrinsecum.* Illud autem concipi potest fieri duobus modis :

(1) S. Th. III, q. LXXVI, a. 7. — Bonav. in 4 d. 10, q. ult. — Dur. ib. q. IV. — Henricus, *Quodlib.* XI, q. XII.

a) Ita ut *nullum aliud corpus* eumdem locum occupet. Quod ipsum fingi potest fieri dupliciter : α) *Circumscriptive*, h. e. ita ut corpus totum sit in toto hoc loco et singulae partes corporis in singulis partibus spatii. Occupatio circumscriptiva vocatur etiam *localis, dimensiva, quantitativa.* — β) *Incircumscriptive.* Corpus occupat locum incircumscriptive, seu *illocaliter,* cum totum est in toto hoc loco et totum in singulis partibus istius loci. Patet ab eo corpore non abesse extensionem partium in ordine ad se, neque extensionem aptitudinalem sive quantitatem, sed solummodo extensionem partium in ordine ad locum. — Patet heic non contendi corpus posse esse simul *illocaliter* et *definitive* praesens in loco : Videtur enim corpus non posse donari praesentia illocali, nisi alium locum simul occupet circumscriptive per bilocationem mixtam.

b) Ita ut *aliud corpus eumdem locum occupet,* sive ita ut duo corpora *compenetrentur.* — Compenetratio definitur *occupatio ejusdem loci proprii a duobus corporibus.* — Triplex compenetratio concipi potest : α) *Circumscriptiva*, quae habetur cum utrumque ex duobus corporibus compenetratis est in loco per praesentiam circumscriptivam. — β) *Utrimque incircumscriptiva,* quae obtinet cum utrique corpori est praesentia illocalis. — γ) *Mixta,* cum unum corpus est in loco circumscriptive, alterum illocaliter.

2. *Indefinitive.* Corpus indefinitive occupat locum cum ejus praesentia non definitur intra fines alicujus loci, sed occupat *simul duo vel plura loca.* Corpus praesens in multiplici loco vocatur *replicari, multilocari.* — Replicatio definitur *simultanea praesentia unius ejusdemque corporis in duobus vel pluribus locis.* — Triplex concipi potest : a) *Circumscriptiva*, quae habetur cum corpus replicatum est in pluribus locis per praesentiam circumscriptivam. — b) *Incircumscriptiva,* cum corpori in duobus aut in pluribus locis competit praesentia illocalis. — c) *Mixta* cum corpus in uno loco habet praesentiam circumscriptivam, in aliis praesentiam illocalem.

QUAESTIO. Eucharistia est synthesis mysteriorum : a) tota substantia panis et vini mirabili modo convertitur in substantiam corporis et sanguinis Christi. — b) Accidentia panis et vini remanent seorsim a subjecto. — c) Humanitas Christi est illocaliter praesens sub speciebus. — d) Mixta compenetratione compenetrat species. — e) Eadem realitas est simul, per replicationem mixtam, in caelo ad dexteram Patris per praesentiam circumscriptivam et in innumeris locis istius terrae per praesentias illocales.

De transsubstantiatione et de remanentia accidentium agetur postea. Heic inquiritur a) num praesentia illocalis, compenetratio mixta, replicatio mixta, sint *naturales* humanitati Christi. Quae quaestio facillime solvitur. — b) Dato ea non esse naturalia, adeoque solo rationis lumine posse cognosci factum, inquiritur utrum, revelatione circa factum praesupposita, *ratio intrinseca eorum innotescat* seu utrum positive probare possimus possibilitatem eorum. — Dato hanc rationem manere imperviam et consequenter supra citata esse prorsus *supra rationem,* quaeritur c) num argui possint manifestae impossibilitatis, h. e. num in medio poni possint principia rationis certa quibus evidenter adversentur; sive aliter num sint *contra rationem.*

§ 2. Solvitur quaestio.

THESIS XIII[a] — Dogma praesentiae realis Christi Jesu sub symbolis panis et vini est quidem supra rationem; non vero contra rationem.

81. — Prima pars. DOGMA PRAESENTIAE REALIS EST SUPRA RATIONEM. *Sensus.* Intellectus humanus sibi relictus attingere non valet factum praesentiae illocalis, compenetrationis mixtae et replicationis mixtae, quibus Christi humanitas in Eucharistia donatur. — Praesupposita revelatione, ratio intrinseca horum nos latet.

Prob. Arg. I[m]. Petitur ex *auctoritate,* sc. ex universali consensu, tum rationalistarum qui repugnantiam etiam mysterii clare se videre clamitant, tum Patrum, qui ore unanimi docent hoc mysterium esse supra rationem, tum Scholae principum: « Quia modus essendi, quo Christus est in hoc sacramento, est penitus supernaturalis, a supernaturali intellectu, scilicet divino, secundum se visibilis est... Ab intellectu autem hominis viatoris non potest conspici nisi per fidem ([1]). »

Arg. II[m]. Petitur ex *ratione.* 1. Sola praesentia *circumscriptiva,* seclusis *compenetratione et replicatione,* est *naturalis* corpori. Illud ex eo est perspicuum, quod nullum agens naturale corpori alicui sive praesentiam illocalem, sive compenetrationem, sive replicationem donaverit. Atqui omnes nostrae naturales cognitiones de corporum natura et de diversis eorum statibus, hauriuntur ex iis quae experientia subministrat. Ergo.

([1]) S. Thomas III, lxxvi, a. 7. Cf. Alens. IV, q. xl in III, a. 4. S. Bonavent. in 4 d. 10, a. 1, q. 1. — Suarez. *De Euch.* q. xlvi, s. 7.

2. Supposita revelatione, impervia manet a) ratio intrinseca *praesentiae illocalis :* Etenim corpus componitur partibus. Atqui non tantum hae partes postulant ut aliae sint extra alias localiter, sed insuper non videtur quomodo possibile sit omnes partes in unum punctum confluere. — Impervia manet b) *compenetratio mixta :* Etenim rationi impervia est praesentia illocalis. Ergo rationi impervia est compenetratio mixta, siquidem involvit alterius corporis praesentiam illocalem. — Demum impervia manet c) *replicatio.* Profecto intellectus vim transcendit quod tota aliqua realitas quae est in loco A, possit per identitatem suam esse tota quanta in loco B.

82. — **Secunda pars.** DOGMA PRAESENTIAE REALIS NON EST CONTRA RATIONEM.

A. PRAESENTIA ILLOCALIS NON INVOLVIT MANIFESTAM CONTRADICTIONEM.

Prob. Arg. I^m. Ad evidenter demonstrandam repugnantiam praesentiae illocalis, ostendi oporteret a) vel corpus sic incircumscriptive praesens jam non constare ex partibus ; b) vel impossibile esse, etiam divinitus, ut una pars ab altera penetretur ; c) vel tale corpus necessario insigniri modo praesentiae simplici, non tantum localiter, sed etiam entitative ; d) vel modos praesentiae necessario fore plures, sive alios in aliis partibus loci occupati, ita nempe ut formale extensum in puncta resolveretur. Atqui nullum ex his evidenter demonstrari potest. Ergo.

Prob. 1^a pars min. Eo quod partes corporis non sunt localiter extensae et quod aliae alias penetrant, non evidenter sequitur unam entitatem non esse distinctam ab alia entitate.

Prob. 2^a pars min. Impenetrabilitas attribuitur aut vi resistendi, aut ubicationi circumscriptivae. Atqui si impenetratio debetur activae resistentiae ab una parte exercitae in aliam, non potest ostendi impossibile esse ut divinitus impediatur, ita ut omnes partes in idem punctum confluant. Si debetur praesentiae circumscriptivae, tunc nequit ostendi impossibile esse ut absit corpori, nisi aliunde probetur praesentiam corporis debere absolute esse circumscriptivam.

Prob. 3^a pars min. Uti corpus manet entitative compositum, licet sit localiter inextensum, ita etiam modus praesentiae erit entitative compositus, siquidem singulis partibus corporis inhaeret. Sequitur enim conditionem substantiae e cujus potentia educitur.

Prob. 4^a pars min. Anima occupat corpus per unicam praesentiam. Ergo demonstrari nequit cum evidentia corpus non posse supernatu-

raliter occupare spatium illocaliter beneficio unius modi praesentiae, nisi aliunde demonstretur impossibilem esse praesentiam illocalem substantiae corporeae.

Arg. II^{m}. In systemate dynamistarum haud aegre evacuatur absurditas manifesta a praesentia illocali corporis et sanguinis Christi sub speciebus eucharisticis. Etenim judicio dynamistarum singula elementa, quibus conflatur corpus, sunt inextensa ; extensio totius oritur ex repulsione mutua elementorum ; divinitus impediri potest ne repulsio effectum naturalem nanciscatur ; quo facto, elementa omnia compenetrantur, servato interim ordine suo naturali.

83. — B. Compenetratio mixta argui non potest manifestae impossibilitatis.

Prob. Arg. I^{m}. Compenetratio corporum impeditur vel ratione ubicationis circumscriptivae utriusque corporis vel ratione vis resistivae. Atqui a) si adscribitur ubicationi circumscriptivae, cum non possit demonstrari impossibile esse ut corpus donetur praesentia incircumscriptiva, dicendum est non posse demonstrari repugnare compenetrationem mixtam, qua nempe corpus circumscriptive ubicatum penetratur alio corpore incircumscriptive praesenti. — Si vero b) adscribitur impenetrabilitas vi resistivae, adhuc apparet non repugnare compenetrationem mixtam, tum quia corpus circumscriptive praesens non valet hanc vim exercere nisi circa corpus quod sit etiam circumscriptivae praesens et alterari et moveri possit ; tum quia vis resistendi divinitus impediri potest, ne agat.

Arg. II^{m}. In systemate dynamistarum sequenti modo ostenditur absentia manifestae contradictionis, quam adversarii dogmatis catholici obtrudunt compenetrationi : Singula elementa sunt simplicia et vi potentiae suae repulsivae impediunt cetera elementa ne occupent sphaeram quam ipsa occupant. Obstat Deus ne vis repulsiva vel agat, vel effectum consuetum sortiatur ; eo ipso oritur compenetratio. Nulla autem absurditas ostendi potest in hoc facto.

Arg. III^{m}. Anima spiritualis naturaliter compenetratur cum corpore humano. Ergo demonstrari non potest corpus illocaliter praesens in loco non posse compenetrari supernaturaliter cum corpore circumscriptive occupante locum.

84. — C. Replicatio mixta non adversatur evidenter principiis rationis.

Prob. Arg. I^{m}. In tantum replicatio mixta argui posset manifestae implicantiae contradictionis, in quantum vel ens sic replicatum cessaret

esse praesens in uno loco quia constituitur praesens in loco alio, vel ens replicatum per replicationem divideretur a seipso et ita poneretur esse simul ens unum et entia plura. Atqui neutrum evidenter demonstrari potest. — *Prob. 1ª pars min.* Verum quidem est idem ens finitum non posse, *naturaliter* loquendo, esse simultanee praesens in duobus locis ob finitudinem suam, adeoque praesentiam in uno loco *naturaliter* importare negationem praesentiae in aliis locis ; attamen *formaliter* loquendo, praesentia in uno loco non importat negationem praesentiae in alio loco, sed ab hac praesentia praescindit. Ergo ex hoc capite nulla est absurditas in replicatione mixta. — *Prob. 2ª pars min.* Replicatio mixta non importat divisionem rei secundum entitatem in diversis locis, siquidem contra importat *indivisionem* rei. Ex formali enim conceptu importat *entitatem in se indivisam dividi secundum locum ;* duos modos praesentiae, unum localiter divisibilem, alium localiter indivisibilem, afficere indivisam entitatem ; vi horum modorum ens in alio loco alias relationes distantiae ad corpora circumvicina sustinere. Atqui unitas aut multiplicitas rei non accipitur formaliter ex unitate aut multiplicitate loci aut praesentiae in loco, sed ex indivisione vel divisione rei secundum entitatem. Ergo.

Arg. IIm. In systemate dynamistarum sequenti modo explicatur absentia manifestae impossibilitatis : Elementa inextensa, quibus corpus constat, naturaliter sunt simul in pluribus partibus spatii. Per replicationem divinitus augetur spatium praesentiae ; sive non tantum elementa corporea sunt praesentia in partibus, a, b, c, loci alicujus exigui, sed insuper in partibus d, e, f, loci alicujus dissiti. Jamvero si naturaliter elementa, formaliter quidem simplicia, virtualiter autem continua, simul occupare possunt partes a, b, c, non potest probari absurdum esse ut divinitus extendant sphaeram praesentiae et simul sint in loco dissito.

Conf. Potest corpus esse illocaliter praesens in loco ; ergo potest replicari replicatione mixta. Si enim idem potest esse illocaliter totum in pluribus partibus spatii, cur esset manifeste absurdum, ut sit etiam circumscriptive alibi ?

85. — Scholion 1m. Fide docemur : a) Dei genitricem non modo ante partum sive in concipiendo, sed et in partu sive in pariendo, illibatam servasse virginitatem, adeo ut, signaculo virginitatis non disrupto, Divus Infans in lucem prodierit ; b) Christum a mortuis redivivum exiisse e sepulcro clauso et lapide obsignato ; pariter Christum coram apostolis praesentem se stitisse in coenaculo quaqua-

versus clauso. Igitur compenetratio *circumscriptiva* admittenda videtur.

Inter theologos catholicos Durandus cum paucissimis asserit compenetrationem circumscriptivam esse manifeste impossibilem. Explicant facta modo relata, dicendo a) corpus Christi fuisse gloriosum ; gloriosi corporis proprietates speciales nos latere et posse fieri ut naturaliter compenetret alia corpora etiam non subtilia ; verum ex his nihil posse colligi circa corpora quae subtilitate carent. b) Christum ex utero Matris exiise eo quod praesentia illocalis ei prius fuit donata ; hac habita, compenetratus est compenetratione mixta cum b. Virgine, et nonnisi post egressum ex utero materno nactus est ubicationem circumscriptivam.

86. — Scholion 2m. Referunt litterae sacrae Christum sensibiliter apparuisse Paulo tendenti Damascum. Probabile tamen est Christum non dereliquisse dexteram Patris. — Narratur in historia sanctorum Christum non semel apparuisse sanctis, eum pluries visum esse in sacramento Eucharistiae sub specie infantis. — Pariter referuntur variae apparitiones Beatissimae Virginis. — Tandem non raro legitur sanctos quosdam in duobus locis valde dissitis simultanee fuisse praesentes. — Quaeritur utrum dicendum sit *replicationem circumscriptivam* esse impossibilem, an possibilem.

Replicationem circumscriptivam *manifeste implicare* docent Doctor Angelicus (1), D. Seraphicus (2), D. Solemnis (3), D. Resolutissimus (4), Capreolus (5), Ferrariensis (6), Complutenses (7), Vasquez (8) ; inter modernos Sylvester Maurus (9), Goudin (10), cl. De San (11), cl. De Maria (12), cl. Liberatore (13).

Facta replicationis saltem apparenter circumscriptivae supra relata explicant hi auctores dicendo, vel a) Christum Paulo apparuisse eique esse locutum de caelo, vel immo Christum caelum deseruisse, uti insinuat s. Thomas (14) ; vel dicendo b) Christum interdum Sanctis apparuisse non quidem in corpore proprio sed in corpore alieno, illud sibi subjiciendo, uti angelis visibiliter apparentibus mos est ; qui modus apparendi, aiunt, veracitati Christi non officit, quandoquidem hae apparitiones fiunt non ad comprobandam veritatem

(1) In 4 d. 10, q. 1, art. 3, solut. 2, ad 2m; ib. d. 44, q. II, a. 2, quaest. III, ad 4m; *Quodlib.* I, art. 22, ad 1m ; *Quodlib.* III, art. 2. Cfr. III, q. LXXV, a. 1, ad 3m et 4m. — (2) In 4 d. 49, a. 4, q. 1, ad 4m. — (3) *Quodl.* IX, q. XXXIII. — (4) In 4 d. 10, q. 1. — (5) D. 10, q. 1, art. 3. — (6) In l. IV. *Contra Gentiles*, c. LXVIII. — (7) *Physic.* d. XIX, q. VIII. — (8) *De Euch.*, disp. CLXXXIX, cc. V, VI. — (9) *Quaest. phil.* t. II, q. XXVIII, p. 288. — (10) T. II *Phys.* I, d. III, q. IV, art. 2. — (11) *Inst. Met. spec. Cosm.* p. I, p. 514. — (12) *Phil. nat.* seu *Cosm.* tract. I, q. III, a. 5, prop. IIa. — (13) *Cosm.* n. 35. — (14) III, q. LXVII, art. 3, ad 2m.

humanitatis Christi, sed amoris erga Sanctos significandi gratia ; c) apparentes replicationes Sanctorum vel factas fuisse ab Angelis assumentibus figuram alicujus Sancti, vel ita contigisse, ut Sanctus, apparenter replicatus, in uno quidem loco apparenter tantum fuerit, in alio autem realiter.

Repugnantiam replicationis circumscriptivae *demonstrari non posse* contendunt D. Subtilis (1), D. Irrefragabilis (2), Nominales, Molina (3), Fonseca (4), Toletus (5), Bellarminus (6), Suarez (7), Lugus (8), Valentia (9), Conimbricenses (10), Aeg. Coninck (11), Arriaga (12), Lud. Lossada (13) ; inter modernos Franzelin (14), cl. Pesch (15), cl. Tongiorgi (16), cl. Palmieri (17), cl. Mendive (18), cl. Van der Aa (19), cl. Urráburu (20).

« Est haec opinio, ait Suarez, non solum aptior ad respondendum haereticis et veritatem catholicam tuendam ; sed etiam judicio meo tam necessaria, tamque evidenter consequens illam, ut mirabile semper mihi visum fuerit contrariam sententiam gravissimis theologis persuaderi potuisse. »

87. — Scholion 3m. Hi auctores examinandam habent quaestionem num accidentia, actiones, qualitates replicentur. Si necessario replicantur, in duobus locis non possunt haberi ab eodem subjecto affectiones contrariae ; in eodem enim loco simultanee illud afficere nequeunt. Igitur quaestio etiam aliter proponi potest, *num in duobus locis affectiones contrariae eidem subjecto inhaerere possint.* — Porro auctores in duas classes dispescuntur.

Juxta paucos, corpori circumscriptive replicato convenire possunt simul in diversis locis omnia ea quae duobus corporibus distinctis simul convenire possunt. Unde sicut unus homo dormire potest, vel manducare et bibere, vitio foedari, esse in prospero statu, dum alius homo ambulat, esurit sititque, honeste vivit, infelicissimus est ; sic homo replicatus potest simul Lovanii dormire, etc., dum Romae ambulat, etc.

Juxta alios, distinguendum est inter accidentia quae habent respec-

(1) In 4 d. 49, q. XLVI. — (2) Alex. Alens. p. IV, q. XI, art. 1. — (3) In 1m part., q. VIII, a. 1, disp. II. — (4) *Metaphys.* l. V, c. IV, q. IV, sect. 5. — (5) In IIIm part. q. LXXVI, a. 8. — (6) *De Euch.* l. III, cc. III, IV. — (7) *De Sacr.* d. XLVIII, sect. 4. — (8) *De Euch.* d. V, sect. 1, 2, 3. — (9) In III part., d. VI, q. III, punct. 1, § 23. — (10) *Physic.* l. IV, c. VIII et IX, q. IV. — (11) *De Euch.* q. LXXV, a. 4, dub. 3. — (12) *Physic.* d. XIV, sect. 8, subsect. 2. — (13) *Physic.* tract. III, disp. II, cap. II. — (14) *De Euch.* th. XII, p. 161. — (15) *Inst. phil. nat.* l. II, d. VI, s. 2. — (16) *Cosmol.* n. 363 sq. — (17) *Cosmol.* th. X. — (18) *Cosmol.* n. 99 sq. — (19) *Cosmol.* prop. LXII. — (20) *Cosmol.* l. II, d. III, c. I, a. 4, n. 268.

tum ad locum et accidentia quae ad locum relationem non habent. a) Quae habitudinem ad locum sustinent, uti stare, sedere, currere, esse in tenebris vel luce circumdari, non replicantur ; simul eidem substantiae convenire possunt in duobus locis accidentia contraria; consequenter potest Petrus Romae sedere, Lovanii ambulare. — b) Quoad accidentia quae ad locum nullum respectum habent, in duas sententias abeunt auctores : Juxta Suarez (1) haec accidentia, puta actiones vitales, ex natura rei replicantur et consequenter in duobus locis non possunt ex natura rei convenire eidem enti affectiones contrariae. Sit v. g. Petrus cogitans, videns, audiens etc. Romae ; eamdem cogitationem et sensationem Lovanii elicit ; Petrus lactus Lovanii nequit esse tristis Romae. Attamen de potentia Dei absoluta fieri potest haec accidentia non replicari, ita ut in duobus locis Petrus replicatus afficiatur affectionibus contrariis. — Juxta Scotum (2) talia accidentia necessario replicantur, ita ut repugnet affectiones contrarias haberi.

CAPUT III.

De transsubstantiatione.

Dividetur disputatio de transsubstantiatione in duos articulos. In articulo *primo* examinabitur *dogmatice* veritas transsubstantiationis panis et vini in corpus et sanguinem Christi. — In articulo *secundo* examinabitur *scholastice* indoles istius conversionis.

ARTICULUS I.

Dogma transsubstantiationis.

S. Th. III, q. LXXV. — Suar. d. XLIX et d. L, s. I. Bellarm. *De Euch.* l. III, c. XI-XXII.

§ 1. Status quaestionis.

88. — Ex praecedentibus capitibus constat totum Christum Jesum esse praesentem sub symbolis panis et vini cum divinitate et humanitate. Tria quaerenda supersunt : Quaeritur 1° utrum simul cum corpore et sanguine Christi praesentes sint *substantia panis* et *substantia*

(1) *De Euch.* d. XXXXVIII, sect. 5, n. 4. — (2) In 4 d. 10, q. XI.

vini. — Dato abesse hanc substantiam, quaeritur 2° num ex corpore panis et vini remaneat aliquid diversum a substantia, quod vocatur *accidens absolutum* panis et vini. — Quaeritur 3° quomodo corpus et sanguis Christi substituantur substantiae panis et vini ; utrum videlicet hujusce panis et vini annihilatione, an *conversione* substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Christi. — Secunda quaestio remittitur ad caput sequens. — Examen tertiae quaestionis postulat ut praemittatur notio vulgaris conversionis. Notio philosophica expendetur in articulo sequenti.

DE CONVERSIONE. 1. *Notio conversionis.* Conversio initialiter definitur : *transitus unius rei in aliam.* — Ut unum dicatur converti in alterum, oportet a) ut reale sit tum *id quod convertitur* seu terminus a quo conversionis, tum *id in quod* primum convertitur seu terminus ad quem conversionis ; — b) ut terminus a quo conversionis aliquatenus *ab essendo deficiat;* — c) ut inter utrumque terminum habeatur nexus talis ut positio termini ad quem *exigat desitionem termini a quo.* — Si enim unum expellitur tantum e loco quem occupabat et si alterum ei succedit in eodem loco, nemo diciet primum esse conversum in alterum. Pariter si id quod succedit non exigit desitionem alterius, dicetur quidem unum desinere, aliud incipere ; sed non asseretur unum esse conversum in aliud.

2. *Divisio conversionis.* Duplex est conversio : accidentalis et substantialis : a) Conversio est *accidentalis.* cum *accidens convertitur in aliud,* sive cum educitur ex potentia substantiae accidens novum, quod exigat ut corrumpatur desinatque accidens quod prius substantiam informabat. Sic homo peccator convertitur in hominem justum ; justitia educitur a Deo ex amina, eo ipso expellitur peccatum. Sic etiam corpus album aut calidum convertitur in corpus nigrum aut frigidum. — b) Conversio est *substantialis* cum substantia una convertitur in substantiam aliam. — In conversione substantiali naturali, forma substantialis una convertitur in aliam, sive educitur ex potentia materiae forma substantialis nova, quae exigit ut corruptione desinat forma prius informans materiam. Sic oxygenium et hydrogenium convertuntur in aquam ; ex potentia materiae oxygenii et hydrogenii educitur forma substantialis aquae, eo ipso amittunt id quo antea erant oxygenium et hydrogenium.

89. — SENTENTIAE. A. *Doctrina catholica.* Tridentinum, postquam anathema dixerat illi qui negaret Christum vere contineri in sacramento Eucharistiae (sess. XIII, can. 1), illico sequentem canonem

addit : « Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiae sacramento *remanere substantiam panis et vini* una cum corpore et sanguine Domini Nostri Jesu Christi ; negaveritque *mirabilem illam et singularem conversionem* totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat ; A. S. » — Inde ex Tridentino haec sunt tenenda : a) Christus est realiter praesens. b) Consecratione peracta, ab essendo defecit tota substantia panis et vini. c) Haec substantia est conversa in corpus et sanguinem Christi. d) Remanent species panis et vini. e) Conversio ista est mirabilis singularisque et apte vocatur transsubstantiatio.

Ex notione praejacta liquet eum qui profitetur praesentiam realem corporis et sanguinis Christi et desitionem substantiae panis et vini, non ideo profiteri conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi ; illa autem conversio includit priora, superadditque substantiam panis et vini ab essendo deficere non per annihilationem, sed per conversionem, adeoque inter positionem corporis et sanguinis Christi et desitionem substantiae panis et vini intercedere nexum talem ut positio unius exigat desitionem alterius. — Quare merito proscripta est propositio XXIX synodi Pistoriensis, quia aggrediens expositionem completam doctrinae de Eucharistia, conversionis mentionem omittit ([1]).

Porro merito conversio vocatur *transsubstantiatio*, *mirabilis* et *singularis*. Etenim a) *tota substantia* convertitur, ideoque tota substantia transit in aliam adeoque transsubstantiatur. In conversione autem quae fit viribus creatis vel *pars substantiae* convertitur in aliam partem, aut *accidens* in accidens ; numquam vero substantia *tota* transit in

([1]) « Doctrina Synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quaestionibus scholasticis circa modum quo Christus est in Eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis : 1. Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus; 2. tunc omnem panis et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus, prorsus omittit ullam mentionem facere transsubstantiationis seu conversionis totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum Concilium definivit, et quae in solemni fidei professione continetur; quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica ; perniciosa, derogansque expositioni veritatis catholicae circa dogma transsubstantiationis, favens haereticis. » DENZ. *Enchiridion*, n. 1392.

integram aliam, numquam res transsubstantiatur. b) Singularis etiam est eo quod corpus Christi, in quod substantia panis convertitur, *praeexsistit* huic conversioni ; in conversione vero naturali *primum generatur* per accidens forma quae est terminus ad quem conversionis. c) Mirabilis denique est eo quod sanctissima humanitas Christi *replicatur, compenetratur,* insignitur praesentia *illocali.*

Ad nomen transsubstantiationis quod attinet, invectum est tempore haereseos Berengarii. Terminos enim « transsubstantiatio, transsubstantiare, transsubstantialiter mutare », usurpant seculo XI Hildebertus episcopus Cenomanensis ; seculo XII Stephanus Augustodunensis, s. Hildegardis, Petrus Blesensis, Petrus cardinalis legatus sedis Apostolicae adv. Albigenses (Cfr. Baron, a° 1178°, n. 26). Immo hos terminos communiter esse receptos a theologis liquet ex epistola Gaufredi, discipuli s. Bernardi ad cardinalem Albanensem, et ex iis quae Alanus de Insulis de transsubstantiatione disputat (1). — Seculo XIII, in Conciliis primum usurpatae sunt hae voces a. 1215°, a Concilio Lateranensi IV, quod hanc formulam solemniter sancivit (2) (Denz. n. 357).

Quod hae voces non occurrant ante haeresim Berengarii, facile explicatur: Tales enim formulae dogmaticae, compendiose et clarissime obscuram profundamque veritatem significantes, non sine studio, arte et labore adinveniuntur ; ad hunc autem laborem obeundum non incitare solent nisi haereses denuo excogitatae. Hae enim formulae iis opponuntur tamquam tesserae ; inde non investigantur istius generis formulae quamdiu veritas est in tranquilla possessione, nullo exsistente adversario. Verum id quod hac formula exprimitur, aliis verbis, iisque perspicuis, confessi sunt Patres anteactarum aetatum.

90. — B. *Sententiae dogmati catholico oppositae :*

Prima est eorum qui tenent *non totam substantiam sed partem dumtaxat converti in corpus et sanguinem Christi,* adeoque conversionem eucharisticam esse quidem substantialem, verum non transsubstantiativam, sed formalem. — Hi auctores bifariam dispescuntur in assignanda parte quae convertitur : a) Juxta Durandum *forma substantialis* panis et vini

(1) Hildeb. Cenom. *Serm.* XCIII. M. CLXXI, 767. — Steph. August. *De sacram. altaris,* XIII. M. CLXII, 1291. — S. Hildegardis, *Epist.* XLVII ad *praelatos Mogunt.* M. CXCVII, 224. — Petrus Blesensis, *Epist.* CXL. M. CCVII 420. — Petrus card. *Epist.* III *ad. univ. fideles.* M. CXCIX, 1120. — Baronius ad a. 1188, n. 28. — Alanus de Insulis, *Contra haeret.* I, LVII, sq. M. CCX, 359 sq.

(2) Conc. Later. IV, cap. *Firmiter.* Cf. Denz. *Enchiridion,* n. 357.

convertitur, non autem materia (1). — b) Alii quorum opinionis, omissis nominibus, meminit Aquinas (l. c. a. 6), dicunt *materiam panis et vini* converti, non autem formam.

Secunda est Berengarii et Ruperti, abbatis Tuitiensis, — cujus opera de Eucharistia primitus adscribebantur cuidam Waleramo; — est etiam Wicleffi et Lutheri. — Tenent *totam substantiam panis et vini remanere.* Circa alia dissentiunt inter se :

a) Berengarius, postquam coactus fuerat profiteri dogma praesentiae realis, docuit panem et vinum non converti, sed manere praesentia simul cum Christo. Sectatores Berengarii omnes transsubstantiationem negabant; de reali praesentia alii aliter sentiebant, teste Guitmundo (2). — Berengarius non declaravit mentem circa modum quo corpus Christi cum corpore panis uniretur. — Idem dicendum est de Wicleffo, qui certe negavit transsubstantiationem, sed de quo non constat utrum negaverit quoque praesentiam realem. — Dicuntur *consubstantiatores.*

b) Juxta Rupertum, *panis et vinum hypostatice uniuntur Verbo,* haud secus ac humanitas Christi (3). Quare haec unio vocatur *impanatio*, sicuti unio

(1) Durandus docet conversionem eucharisticam per hoc fieri « quod, corrupta forma panis, materia ejus fit sub forma corporis Christi subito et virtute divina, sicut materia alimenti fit sub forma nutriti virtute naturae ». — Et addit « secundum hanc viam probabiliter teneri posse, conversionem panis in corpus Christi esse miraculosam quantum ad modum faciendi, sed non quantum ad substantiam facti, quia per virtutem naturae fit similis conversio alimenti in naturam animalis, sed non eodem modo ». In 4 d. 11, q. III. — Cartesius proposuit similem errorem duabus epistolis ad P. Mesland scriptis (Vid. *Œuvres complètes de* M. Emery, publiées par M. Migne, p. 879).

(2) Guitmundus Aversanus : « Berengariani omnes quidem in hoc conveniunt, quia panis et vinum essentialiter non mutantur, sed ut extorquere a quibusdam potui, multum in hoc differunt, quod alii nihil omnino de corpore et sanguine Domini sacramentis istis inesse, sed tantummodo umbras haec et figuras esse dicunt; alii vero rectis Ecclesiae rationibus cedentes nec tamen a stultitia recedentes, ut quasi aliquo modo nobiscum esse videantur, dicunt ibi corpus et sanguinem Domini revera et latenter contineri et ut sumi possint, quodammodo, ut ita dixerim, impanari. Et hanc ipsius Berengarii subtiliorem esse sententiam aiunt ». *De corp. et sang. Domini* l. I. M. CXLIX, 1430.

(3) Rupertus Tuitiensis unionem hypostaticam Verbi cum pane et vino docet in opere *De divinis officiis* II, 2, 9 (M. CLXVIII, 35, 40). Illud opus Waleramo Naumburgensi attribuunt Thomas Waldensis (*Doctrinale*, t. II, c. XLVII et XCIII) aliique ; at Gerberon (*Apologia pro Ruperto*, M. CLXVII, 74 sq.) et Bellarminus (*De Euch.* III, XI) idem opus Ruperto vindicant. — Eumdem errorem profiteri videtur Rupertus in libris suis *In Ex.* II, 10 (M. CLXVII, 617) et *In Joh.* VI, 52 (M. CLXIX, 481). In ultimo opere haec leguntur : « Et sic (sicut) Verbum, quod est panis angelorum, caro factum est, non mutatum in carnem, sed assumendo carnem; sic id ipsum Verbum, jamdudum caro factum, panis visibilis fit, non mutatum in panem, sed assumendo et in unitatem personae suae transferendo panem ». — Attamen alibi idem Rupertus doctrinam catholicam aperte profitetur : In fine epistolae nuncupatoriae quam praemittit commentariis in Joh. contra Berengarianos scriptis, haec leguntur : « Credamus e contra fideli salvatori Deo in eo quod non videmus, sc. panem et vinum in veram corporis et sanguinis transiisse substantiam », (M. CLXIX, 203). Alibi : « Substantiarum atque specierum creator Deus atque formator Spiritus Sanctus... efficaciter haec (panem et vinum) in carnem et sanguinem ejus convertit, permanente scilicet specie exteriori » (*In Ex.* IV, 7 ; M. CLXVII, 704). Neque desunt

cum humanitate est *inhumanatio*. Itaque quo modo Verbum agit et patitur per humanitatem, eo modo agit et patitur per panem et vinum; quomodo humanitas non est destructa, sed facta est corpus ipsum et anima Verbi, eo modo substantia panis et vini non est destructa, sed facta est panis Verbi et vinum Verbi. — Insuper impii non recipiunt Verbum ut hypostatice unitur humanitati, sed uti unitur pani et vino. — Hanc doctrinam pro haeretica habet et refutat Algerus (1).

Sententiae Ruperti affinis est sententia Johannis Parisiensis, exeunte seculo XIII, qui docet panem assumi a Verbo, non quidem immediate, sed mediante corpore praecise sumpto, adeoque mediante parte hominis. Hanc sententiam invexit quia, licet vellet panem remanere, nolebat tamen dici posse Deum esse panem. Quo enim modo Aethiops non dicitur albus simpliciter et absolute quia albus est secundum dentes, sic Deus dici nequit panis, siquidem panis non conjungitur nisi corpori (2). Hic error jam anno 1299 damnatus est a Gulielmo episcopo Parisiensi, assentientibus aliis episcopis et doctoribus.

c) Doctrina Lutheri haec quatuor comprehendit: α) Salva fide tenere quis pro libitu potest substantiam panis et vini manere in Eucharistia, aut eam non manere, quoniam cum revelatione utrumque componitur. Hinc dissentit iterum Lutherus a Calvino, qui dicit transsubstantiationem esse sceleratam haeresim et rem prorsus impossibilem. — β) Attanem probabilius est et revelationi conformius substantiam panis et vini manere. Immo, anno 1522, adversus Henricum Angliae regem scribens: « Nunc, inquit, transsubstantiare volo sententiam meam et dico: Antea posui nihil referre sive sic sive sic sentias de transsubstantiatione: nunc autem decerno impium et blasphemum esse si quis dixerit panem transsubstantiari. » — γ) Corpus Christi ita unitur hypostasi Verbi, ut sit ubicumque est haec hypostasis, igitur *ubique*. Attamen in pane et vino Eucharistiae est speciali modo. — δ) Ita enim unitur corpus Christi cum substantia panis, ut dici possit: « Panis est corpus Christi. » Ulterius

---

alia loca ubi Rupertus asserit panem et vinum transmutari, transferri, transire, verti, converti in corpus et sanguinem Domini. — Loca quibus videtur significari unio hypostatica Verbi cum pane et vino trahuntur ad significationem orthodoxam, si asseritur *panem* et *vinum* sumi pro *speciebus panis et vini*, *unio hypostatica* pro unione non intrinseca sed *extrinseca* dumtaxat Verbi cum eisdem speciebus. — Dicendum itaque videtur Rupertum usum quidem esse modis loquendi duriusculis ideoque in suspicionem erroris venisse, errorem autem in fide nequaquam docuisse. Cf. GERBERON l. c. M. l. c. 36, 132 sq. SUAREZ, d. XLIX, s. 2, n. 12; TOURNELY, *de Euch.*, q. III, a. 3; SCHWANE, *Dogmengeschichte der mittlern Zeit*, § 129, p. 641.

(1) ALGERUS: *De sacram.* c. VI. Cf. SUAR. d. XLIX, s. 2, n. 3. TOLETUS, *In III part s. Th.* q. LXXV. a. 2. — (2) Cf. d'ARGENTRÉ, *Collect. judicior.* t. I, pars I, p. 264.

non explicat naturam unionis, vi cujus vera sit haec propositio. Itaque non clare profitetur impanationem Ruperti vel Johannis Parisiensis.

d) Lutherani in libris suis symbolicis dicunt corpus Christi in Eucharistia praesens *in pane, cum pane, sub pane* (1). Modum praesentiae explicaturi, alii, qui ubiquistae dicuntur, omnipraesentiam corpori Christi tribuunt ; alii, qui impanatores dicuntur, aiunt, duce Osiandro, Christum cum pane hypostatice uniri ; alii demum, qui consubstantiatores dicuntur, defendunt solam coexsistentiam Christi cum pane, seu consubstantiationem, seu sacramentalem unionem.

Inter Anglicanos transsubstantiationem rejiciunt Pusey (2), eoque duce, hi qui dicuntur Puseistae.

e) Sententiis praecedentibus subjungendae sunt sententia P. Bayma et sententia Rosminii.

Bayma distinguit tria : a) *esse per se,* quod est proprium hypostasi ; b) *esse in se,* substantiae proprium ; c) *esse in alio,* accidenti proprium. — Id quod antea erat substantia panis, remanet in Eucharistia ; verum post consecrationem jam non est *in se* adeoque desiit esse substantia, verum est *in alio* proindeque supernaturaliter factum est accidens (3).

---

(1) Cf. *Formula Concord.* VII, de coena Domini. Vid. WALCH, *Concordienbuch*, p. 671.

(2) PUSEY: *The Doctrine of the Real Presence as contained in the Fathers* etc. (1855). Cf. FRANZELIN, *De Euch.* Thesis XIV.

(3) De doctrina P. Bayma sequens tulit decretum congregatio Universalis Inquisitionis, interrogata a R. P. G. Beckx.

Decretum de Eucharistia. — Humillime rogat Praepositus Generalis S. J. s. supremam Congregationem S. Officii ut declarare dignetur utrum tolerari possit explicatio transsubstantiationis in SS. Eucharistiae sacramento, quae sequentibus propositionibus comprehenditur.

1. Sicut formalis ratio hypostaseos est *per se esse* seu per se subsistere, ita formalis ratio substantiae est *in se esse* et actualiter non sustentari in alio tamquam primo subjecto; probe enim ista duo discernenda sunt, *esse per se* (quae est formalis ratio hypostaseos) et *esse in se* (quae est formalis ratio substantiae).

2. Quare sicut natura humana in Christo non est hypostasis, quia non per se subsistit, sed est assumpta ab hypostasi superiori divina; ita substantia finita, e. g. substantia panis, desinit esse substantia, eo solum et absque alia sui mutatione, quod in alio supernaturaliter sustentatur, ita ut jam non in se sit, sed in alio ut in primo subjecto.

3. Hinc transsubstantiatio, seu conversio totius panis in substantiam corporis Christi Domini nostri explicari potest hac ratione, quod corpus Christi, dum fit substantialiter praesens in Eucharistia, sustentat naturam panis, quae hoc ipso et absque alia sui mutatione desinit esse *substantia,* quia jam non est in se, sed in alio sustentante ; adeoque manet quidem *natura panis,* sed in ea cessat formalis ratio substantiae, et ideo non sunt duae substantiae, sed una sola, nempe corporis Christi.

4. Igitur in Eucharistia manent materia et forma elementorum panis, verum jam in alio supernaturaliter exsistentes rationem substantiae non habent; sed habent rationem *supernaturalis accidentis,* non quasi ad modum naturalium accidentium afficerent corpus Christi, sed eo dumtaxat quod a corpore Christi, modo quo dictum est, sustentantur. — Romae, 20 Maii, 1875.

Feria 4 die 7 Julii 1875. In Congregatione Generali S. Romanae et Universalis Inquisi-

Rosminius mentem suam aperuit duabus hisce propositionibus: *Prima* : « A catholica doctrina, quae sola est veritas, minime alienam putamus hanc conjecturam : In eucharistico sacramento substantia panis et vini fit vera caro et verus sanguis Christi, quando Christus eam facit terminum sui principii sentientis, ipsamque sua vita sanctificat: eo ferme modo, quo panis et vinum vere transsubstantiantur in nostram carnem et sanguinem, quia fiunt terminus nostri principii sentientis » (Prop. XXIX). — *Secunda* haec est : « Peracta transsubstantiatione, intelligi potest corpori Christi glorioso partem aliquam adjungi in ipso incorporatam, indivisam pariterque gloriosam. » (Prop. XXX).

§ 2. Stabilitur dogma transsubstantiationis.

THESIS XIV[1]. — Dogma fidei est « conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus. Quae conversio convenienter et proprie a sancta catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata. » (Trid. Sess. XIII, cap. IV).

91. — Probatio prima. Ex praescriptione. Illud est dogma fidei, quod universa Ecclesia per plura secula solemni doctrina, nullo reclamante, profitetur tamquam dogma revelatum. Atqui hujuscemodi est conversio totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Christi. Ergo. — Major probata fuit in tractatu de sacramentis in genere, n. 34. — Restat ut probetur propositio minor.

A. Habebatur jamdudum tranquilla possessio, cum orta est haeresis Berengarii.

1. Communem fuisse hanc fidem ipse Berengarius testatur. Libello enim retractavit professionem fidei quam, a Cardinali Humberto acceptam, in Concilio Romano sub Nicolao II ediderat. In hoc autem libello legitur Burgundum (h. e. card. Humbertum), fuisse in sententia, immo vecordia, vulgi, Paschasii atque Lanfranci, sc. minime superesse in altari post consecrationem substantiam panis et vini.

---

tionis, habita coram Eminentissimis ac Reverendissimis Dominis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus contra haereticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus, lectis ac ponderatis suprascriptis propositionibus, iidem Eminentissimi Domini dixerunt: Doctrinam transsubstantiationis, prout hic exponitur, *tolerari non posse*.

Pro Dño J. Pelami S. R. U. Inquisitionis Notario :
Jacobus Vaggagini, substitutus.

2. Lanfrancus, huic libello responsa faciens, testatur sententiam Burgundi appellandam non esse sententiam Lanfranci et Paschasii, sed totius Ecclesiae, quae credit panem converti in corpus Christi, vinum in ejus sanguinem (1). — Paulo post praeclaris verbis aperit eamdem fidem, dicens terrenam substantiam, mirabiliter operante superna potentia, converti in essentiam Dominici corporis, *reservatis ipsarum speciebus,* ne horror injiciatur, visis cruentis et crudis, et ut fidei sua sint praemia.

3. Guitmundus, archiepiscopus Aversanus, prius refutat eos qui negant praesentiam realem Christi in Eucharistia, deinde eos qui, coacti profiteri hanc praesentiam, nequaquam credunt *panem et vinum per verba Salvatoris verti in carnem et sanguinem ejus.* Eos autem refutat tum ratione, tum auctoritate, tum publica professione quae in celebratione sacrificii Missae continetur. Dicit stultissimam audaciam et insanissimam praesumptionem esse adversariis suis in proponenda sententia sua. Concludit opus iterum affirmando totam Ecclesiam credere in transsubstantiationem (2).

(1) Lanfrancus. « Cum catholica Ecclesia dividatur in clericalem ordinem atque laicalem, clericalis vero ordo consistat in episcopis ac reliquis Christi sacerdotibus, aliisque diversarum dignitatum ecclesiasticis personis, hos autem omnes, praeter paucissimos schismaticos, hanc fidem tenere manifestissimum sit, rectius dixisses : Erat autem Burgundus in sententia catholicae Ecclesiae, sed non in mea meorumque sequacium, qui maluimus nos ab ea superbe separare, et contra ad nostram perniciem schisma facere quam humiliter membra ejus esse, et communem cum ea fidem salubriter retinere.... Quod vero sententiam, qua panem in veram Christi carnem, et vinum in verum Christi sanguinem converti credimus, vecordiam nominas ; de hac re opportunius tibi respondebo, cum fidem hanc, auctore Deo, divinis auctoritatibus et manifestis rationibus veram esse monstravero... Certissimum habeto tu, indubitanter credant amici mei, atque Ecclesia Christi, quasi etiam deesset mihi auctoritas atque ratio, quibus fidem meam tueri possem ; mallem tamen cum vulgo esse rusticus et idiota catholicus, quam tecum exsistere curialis atque facetus haereticus. »

« Credimus igitur terrenas substantias, quae a mensa Dominica, per sacerdotis mysterium, divinitus sanctificantur; ineffabiliter, incomprehensibiliter, mirabiliter operante superna potentia, converti in essentiam Dominici corporis, reservatis ipsarum rerum speciebus et quibusdam aliis qualitatibus, ne percipientes cruda et cruenta, horrerent, et ut credentes fidei praemia ampliora perciperent, ipso tamen Dominico corpore exsistente in caelestibus ad dexteram Patris, immortali, inviolato, integro, incontaminato, illaeso.... hanc fidem tenuit a priscis temporibus, et nunc tenet Ecclesia, quae per totum diffusa orbem catholica nominatur. » *De corpore et sanguine Domini,* c. IV, XVIII. M. CL, 414, sq.

(2) Guitmundus : « Equidem ego de hac impanatione mecum etiam atque etiam retractans, non satis verbis exprimere possum quantum super istorum stultissima audacia, et insanissima praesumptione admiror pariter et indignor. Nam contra divinas auctoritates humana ratione incedere, id quidem insanum ; sine ratione autem, id longe insanius. At vero et sine ratione et contra rationem adversus Deum semper latrare, id supra quam dici possit insanissimum. Isti enim nequiores nequissimis fratres suos umbraticos prae se justificaverunt.... O infelices, quos pietas non vincit ! O infelicissimos, qui dum subjici pietati renuunt, impietatis servi esse non erubescunt ! Contra quorum manifestissimam stultitiam respondere indignissimum videretur, nisi quia ad cumulum perditionis suae

4. Similia testimonia reperiuntur apud Durandum abbatem Troarnensem, Aldemannum Brixiensem et Algerum scholasticum Leodiensem (1).

5. Synodus Rothomagensis contra errores Berengarii decrevit professionem fidei exigendam ab iis qui episcopi in provincia Nortmanniae erant consecrandi. Confitetur panis naturam et substantiam converti in naturam et substantiam illius carnis quae de Spiritu Sancto concepta, ex Maria est nata (2).

6. Cum Berengarius secundum stadium ingressus fuerat, atque, agnita praesentia reali Christi in Eucharistia, jam unice negabat substantiam panis et vini converti in corpus et in sanguinem Christi, ingens undique est exorsus clamor contra hanc propositionem. Coactus est Berengarius in Concilio Romano sub Gregorio VII, a. 1079, hanc professionem praelegere : « Ego, Berengarius, corde credo et ore confiteor, panem et vinum quae ponuntur in altari, per mysterium sacrae orationis et verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram et propriam et vivificatricem carnem et sanguinem D. N. J. C.... Sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. « (Denz. n. 298). — A Berengario sane petitum est ut profiteretur id quod omnes fideles profitebantur.

B. Habebatur tranquilla possessio, exorta haeresi Lutheri.

non eis mors propria sufficit, nisi etiam quoscumque possunt vilissima falsitate perditum eant. » — In fine ejusdem libri : « Restat ut haec tantum sit, Deo juvante, mera et solida fides, ut totus ille panis et totum illud vinum altaris Domini, ita per divinam consecrationem substantialiter commutentur in carnem et sanguinem Christi, ut postea jam in aeternum nihil omnino quam caro et sanguis Salvatoris Domini N. J. C. esse possint. » *De corpore et sanguine Christi*. M. CXLIX, 1484 sq.

(1) Durandus Troarn. *De corpore et sanguine Christi*, M. P. L. t. CXLIX, 1375. — Aldemannus Brixiensis, *Epist. de Eucharistiae sacramento*, M. P. L. CXLIII, 1290. — Algerus, *De sacramentis corporis et sanguinis Dominici*, l. I, c. VI. M. CLXXX, 754. — Cf. *SS. PP.* opusc. edit. a P. Hurter S. J. vol. XXIII, p. 88.

(2) Synodus Rothomagensis : « Oportet etiam fratres carissimi, ut fides vestra de corpore et sanguine Domini, quam, praesidente huic sanctae sedi venerabilis memoriae Maurilio, communi assensu contra spurcissimas Berengarii ejusque successorum voces definivistis, iterum recitetur. Corde credimus et ore profitemur, panem in mensa Dominica propositum, panem tantummodo esse ante consecrationem ; sed in ipsa consecratione ineffabili potentia divinitatis converti naturam et substantiam panis in naturam et substantiam carnis ; carnis vero non ullius alterius, sed illius quae concepta est de Spiritu Sancto, nata ex Maria Virgine, quae etiam propter nos et propter nostram salutem flagellis caesa, et in ligno suspensa, jacuit in sepulcro, tertia die resurrexit a mortuis, et sedet ad dexteram Dei Patris. Similiter vinum, quod aquae mistum in calice sanctificandum proponitur, vere et essentialiter converti in eum sanguinem qui per lanceam militis de vulnere Dominici lateris in redemptionem mundi feliciter emanavit. Anathematizamus autem contra hanc sanctam et apostolicam fidem superbe atque haeretice sentientes, et impia temeritate garrientes. » Cf. vetus *Pontificale* Ecclesiae Rothomagensis. M. P. L. CXLIII, 1382.

Arg. I^m. *Ex Conciliis.* a) Seculo XIII, Concilium Lateranense IV dicit transsubstantiari panem et vinum in corpus et in sanguinem Christi. (Denz. n. 357). — Eodem seculo, confessio fidei Michaelis Palaeologi, ipsi a Clemente IV, a° 1267, proposita et ab ipso in Concilio Lugdunensi II, a. 1274, Gregorio X oblata, haec habet de Eucharistia : « Sacramentum Eucharistiae ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens et docens quod in ipso sacramento panis vere *transsubstantiatur* in corpus, et vinum in sanguinem D. N. J. C. » (Denz. n. 388). — Seculo XV, a. 1418, Concilium Constantiense et Martinus V damnarunt articulos Wicleffi quibus hic affirmabat in Eucharistia remanere substantiam panis et vini, negabatque accidentia esse sine subjecto. Hinc affirmatur a Concilio id quod est praecipuum in transsubstantiatione, nempe absentia substantiae panis et vini (Denz. nn. 477 et 478). — Eodem seculo, Florentinum in decreto pro Armenis asserit substantiam panis in corpus Christi et substantiam vini in sanguinem converti (Denz. n. 593).

Arg. II^m. *Ex Doctoribus Scholae.* Scholastici examinaverunt tres quaestiones: a) num fide certum sit panem et vinum converti in corpus et in sanguinem Christi; b) num possibile fuisset remanere substantiam panis et vini, consecratione peracta; c) quibusnam argumentis comprobetur dogma transsubstantiationis. — Solum primum ad rem praesentem nostram pertinet. Jamvero unanimis est scholasticorum sententia :

a) S. Thomas in Summa totius Theologiae commemorat quosdam posuisse, post consecrationem, substantiam panis et vini in sacramento Eucharistiae manere additque : « Haec positio stare non potest » Postquam assertum probavit quatuor rationibus, sic concludit : « Unde haec (sc. adversariorum) positio vitanda est tamquam haeretica ». ([1])

b) S. Bonaventura dicit positionem eorum qui negant conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi, esse contrariam auctoritati sanctorum et rationi theologicae neminemque habere defensorem inter doctores ([2]). De sententia autem Durandi, asserente materiam

([1]) S. Th. IV, q. LXXV, a. 2. — ([2]) DOCTOR SERAPHICUS : « Sicut dicit Magister, quorumdam fuit positio, quod non est ibi aliqua conversio, sed ad invocationem verborum sine conversione fit virtute divina ut corpus Christi sit ibi. Sed haec positio contraria est auctoritati sanctorum et rationi : Rationi quidem, quia aufert sacramenti veritatem, congruitatem, et miraculi utilitatem.... Propter haec ergo haec positio est reprobanda et neminem habet ex doctoribus defensorem. Immo communiter (communi consensu) tenet Ecclesia quod est ibi conversio panis in corpus Christi, non inquam in partem corporis, sed in totum ». In 4 d. 11, p. I, a. 1, q. 1.

panis non converti, et de sententia eorum qui tenent formam panis non converti, affirmat eas esse minus catholicas (1).

c) Scotus probat dogma transsubstantiationis testimoniis Patrum, definitione Lateranensis et consensu communi theologorum ; objectionem sibi proponit in rebus fidei non esse determinandum modum difficilem intellectu, reponit articulum fidei non esse mensurandum facilitate aut difficultate quam patitur ejus intellectio, sed veritate ejus, demonstranda ex revelatione et auctoritate Ecclesiae, Ecclesiam autem in Concilio Lateranensi solemniter declarasse dogma transsubstantiationis (2).

Quoad quaestionem num possibile fuisset ut corpus Christi praesens sisteretur, remanente substantia panis et vini, affirmative solvitur a doctoribus.

Quoad quaestionem quibusnam argumentis stabiliri queat dogma catholicum, omnes profecto admiserunt illud sola revelatione constare. De modo autem quo revelatio innotescat nobis, non una inter eos fuit sententia : Non pauci illud probaverunt definitione auctoritatis ecclesiasticae et consensu fidelium. Quod argumentum eorum judicio sufficit ad hoc ut certa sit origo apostolica istius dogmatis, cum perpetuo usu et praxi, fideliumque fide, ad nos manare possit revelata veritas quae deinde explicite definiatur suprema auctoritate Ecclesiae. Immo nonnulli transsubstantiationem unice probabant definitione concilii adversus Berengarium coacti. — Alliacensis innititur soli consensui communi sanctorum et doctorum. Eum enim latebat definitio Concilii Romani. — Hi scholastici ducebant eloquia Scripturae et ea testimonia Patrum quae sibi erant nota, non clare docere hoc dogma.

Arg. III. *Petitur ex consensu schismaticorum cum Ecclesia Romana.* Cum Lutherani Tubingenses et deinde Calviniani, per patriarcham Cyrillum Lucarim et alios Graecos paucissimos, tentarent ad suam haeresim adducere orientalem Ecclesiam, Hieremias, patriarcha Constantinopolitanus, ad quem miserant Confessionem Augustanam, censuram (a. 1576) remisit : « Ecclesiae sanctae, ait, illud judicium est : In sacra coena, post consecrationem et benedictionem, panem in illud ipsum corpus Jesu Christi, vinum autem in illum sanguinem virtute

(1) Bonav. « Ponunt communiter doctores, quod totum transit in totum, solis accidentibus remanentibus. Et propterea, relicta prima opinione quae tollit conversionem materiae, relicta alia quae tollit conversionem formae, magis catholicum tenemus, quod totus panis in corpus Christi convertitur, et optimo jure ista conversio transsubstantiatio dicitur ». Ib. q. II. — (2) Scotus, in 4 d. 11, q. III, nn. 13, 14, 15.

Spiritus Sancti transire ac immutari. » Deinde synodi congregatae sunt ad damnandas Lucaris haereses, et imprimis negationem transsubstantiationis ; demum producta est *professio fidei Ecclesiae orientalis*, quae, ab omnibus Patriarchis et a Metropolitis schismatis graeci ac russiaci approbata, explicite affirmat transmutationem substantiae panis in substantiam corporis Christi (1).

92. — Probatio secunda. Ex Patribus. Arg. I^m. Ille docet dogma transsubstantiationis, qui sensu proprio has locutiones adhibet : Panis factus est corpus Christi, transiit, est translatus, transformatus, conversus, transelementatus in corpus Christi. Atqui sic loquuntur Patres bene multi. Ergo.

Probatur principium in majore enuntiatum. Qui has propositiones enuntiant, vel adhaerent systemati scholastico circa constitutionem corporum, vel illud pro falso habent. Atqui in utroque casu veritas harum propositionum exigit totam substantiam panis et vini converti in corpus et sanguinem Christi. Ergo.

Probatur primum : Qui has propositiones tamquam veras habet et censet substantiam panis et vini constare ex materia et forma; explicite dicit formam panis et vini, seu id quo panis erat panis atque vinum erat vinum, desiisse et conversum esse in corpus et in sanguinem Christi. Deinde *implicite dicit materiam panis et vini esse conversam.* Secus enim vel dicendum est materiam panis, post conversionem formae suae, informari corpore Christi, vel eam informari anima Christi, vel eam informari forma diversa ab anima Christi et a forma panis, vel eam remanere sine ulla forma eam actuante. Atqui a) profecto Patres non admittebant corpus Christi esse formam substantialem istius materiae, cum hoc sit manifeste impossibile tum quia forma substantialis materialis educitur ex potentia materiae, quod sane non verificatur de corpore Christi, tum quia omnis forma substantialis est substantia incompleta, corpus vero Christi substantia completa. — b) Neque admittebant Patres materiam panis informari anima Christi. Absurdum enim est animam Christi, quae est forma corporis Christi, fieri

(1) « Eo tempore, quo sacra munera consecrat sacerdos, ita omnino secum statuere debet, quod substantia ipsa panis et substantia vini transmutatur in substantiam veri corporis et sanguinis Christi opera Spiritus Sancti, cujus invocationem tum peragit (sacerdos) rogans, ut mysterium ipse perficiat, et dicens : « Mitte Spiritum Sanctum tuum » etc. Quippe pronuntiatis his verbis, transsubstantiatio (ἡ μετουσίωσις) statim fit, transmutaturque panis in verum corpus Christi et vinum in verum sanguinem. Manent tantummodo species, quae apparent. » Vid. SCHELSTRATE, I, 512 sq.

formam materiae panis. — c) Neque etiam admittebant materiam informari per aliam formam : sic enim panis fuisset conversus in hoc novum compositum. — d) Neque tandem dicebant materiam sine forma remanere. Etenim α) affirmant accidentia sine substantia remanere, hoc autem de materia non dicunt. β) Impossibile est ut materia divinitus conservetur sine forma : Non potest enim conservari materia nisi in certo statu constituta, essentialiter corruptibilis, adeoque nisi a statu, in quo est, possit transire ad statum alium ; sed quod transit ab uno statu ad alium, amittit formam et acquirit aliam. Materia igitur conservata non est vidua ab omni forma.

Probatur secundum: Si Patres nonnulli, de transsubstantiatione loquentes, non adhaerent systemati peripatetico de constitutione corporum, sed admittunt substantiam corporum esse aggregatum elementorum simpliciorum, sive extensa dicantur, sive simplicia, eo ipso admittunt vel nullam fieri veram conversionem panis in corpus Christi, vel eam esse totalem. Vel enim censent nihil remanere ex elementis quibus constat substantia panis, sed eadem elementa converti in corpus Christi : tunc autem conversio est totalis ; vel censent eadem elementa remanere, at ex his constitui aliud aggregatum ita ut jam non habeatur aggregatum constitutivum substantiae panis. Porro quaeritur quodnam sit illud novum aggregatum, quod ponitur esse terminus ad quem conversionis. Profecto non est aggregatum quo constat corpus Christi, siquidem Christus in Eucharistia non assumit corpus novum. Dicendum itaque est, stante hac hypothesi, elementa panis et vini coire in aggregatum novum quod neque est panis neque corpus Christi; sed tunc nulla est conversio panis in corpus Christi, sed panis dicendus est converti in alio corpore quod constituitur novo hoc aggregato.

B. *Probatur judicio Patrum panem converti, transire, transferri, transelementari in corpus Christi, vinum in ejusdem sanguinem.*

Ita nempe pronuntiant praeter Patres quorum testimonia in superioribus fuerunt enuntiata, ut Macarium, Gaudentium Brixiensem, Basilium [1], hi quorum verba hic referenda videntur :

Gregorius Nyssenus. Postquam fidem Ecclesiae his verbis expresserat : « Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo transmutari, » dogma hoc ita illustrat : « Unde in illo corpore (Christi,

[1] Macarius Magnes. Cfr. *Fragmenta* ap. Galland. Bibl. t. III, p. 541. Gaudentius Brix. *Serm.* II *ad Neophytos egressos de fonte.* — Basil. *Lit.* M. P. G. XXXI, 1639.

Verbi Dei incarnati) transmutatus panis, transit in divinam virtutem, per idem etiam nunc fit similiter. Nam et illic Verbi gratia (unio hypostatica) sanctum fecit corpus, cui ex pane erat substantia, et quodammodo ipsum etiam erat panis ; et hic similiter panis, sicut dicit Apostolus, sanctificatur per verbum Dei et orationem, non quod per esum et potum in Verbi corpus evadat, sed quod statim in Verbi corpus transmutetur, sicut dictum est a Verbo : Hoc est corpus meum » (1).

Cyrillus Hierosol. « Deum benignum exoramus ut emittat Sanctum Spiritum super proposita (dona), ut faciat panem quidem corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi. Omnino enim quodcumque attigerit Spiritus Sanctus, id sanctificatum et transmutatum est » (2).

Chrysostomus. « Adest Christus, is qui mensam illam apparavit, hic ipse hanc nunc exornat. Non enim homo est, qui facit ut proposita efficiantur corpus et sanguis Christi, sed ipse Christus, qui pro nobis crucifixus est. Figuram implens (σχῆμα πληρῶν) stat sacerdos verba illa proferens ; virtus autem et gratia Dei est. *Hoc est corpus meum.* Hoc verbum transformat (μεταῤῥύθμιζει) ea, quae proposita sunt. Ac quemadmodum vox illa : « Crescite et multiplicamini, et replete terram » (Gen. I, 28), semel quidem prolata est, omni vero tempore naturae nostrae vim praebet ad filiorum procreationem ; ita et vox haec, semel prolata, in Ecclesiis ad unamquamque mensam ab illo tempore ad hodiernum usque tempus et usque ad adventum ejus, victimam perfectam efficit » (3).

Damascenus. « Cibus est ipse panis vitae Dominus noster Jesus Christus, qui de caelo descendit. » Id probat ex verbis ipsis institutionis. Post addit : « Cur potens non sit panem efficiendi corpus suum, atque vinum et aquam, sanguinem suum ? In principio dixit : « Producat terra herbam virentem »... dixit perinde Deus : « Hoc est corpus meum, » et « Hic est sanguis meus, » et « Hoc facite in meam commemorationem ; » atque id omnipotente ejus praecepto fit donec veniat.... Sicut omnia fecit Deus virtute Spiritus Sancti, ita et nunc virtus Spiritus operatur, quae supra naturam sunt et capi non possunt nisi sola fide. Quomodo fiet istud, aiebat sancta Virgo, quoniam virum non cognosco ? Respondit Gabriel archangelus : « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi »... Et tu nunc inter-

(1) Greg. Nyss. *Or. catech.* c. xxxvii. M. XLV, 94. — (2) Cyr. Hier. *Cat.* xxiii, *mystag.* v, n. 7. M. XXXIII, 1114 Cfr. *Cat.* xxii, *mystag.* iv, n. 2, 3. M. ib. 1098. — (3) Chrysost. *Hom. I de prodit. Judae,* n. 6. M. XLIX, 380. Cf. *Hom XVII in Hebr. n. 3.*

rogas, quomodo panis fit corpus Christi ; atque vinum et aqua sanguis Christi ? Dico tibi et ego : Spiritus Sanctus supervenit et efficit haec, quae rationis et mentis conceptum superant.... Est revera corpus unitum divinitati, natum ex sancta Virgine corpus, non quod in caelos assumptum corpus descendat ex caelo (motu locali, et caelum relinquat), sed quod panis ipse et vinum transmutantur (μεταποιοῦνται) in corpus et sanguinem Dei. Si autem quaeras modum, quo fiat, sufficiat tibi audivisse id fieri per Spiritum Sanctum, sicut etiam per Spiritum Sanctum ex sancta Dei genitrice Dominus sibi et in se ipso carnem substantiavit (ὑπεστήσατο). Et ultra nihil cognoscimus, nisi quod verbum Dei verax est et efficax et omnipotens, modus autem est incomprehensibilis. Haud male etiam illud dici potest, quod sicut naturaliter panis per comestionem, atque vinum et aqua per potionem, in corpus et sanguinem manducantis transmutantur et non fiunt aliud corpus praeter corpus ejus ante praeexsistens, ita panis propositionis atque vinum et aqua per invocationem et adventum Spiritus Sancti supernaturaliter transmutantur in corpus Christi et sanguinem, et non sunt duo (corpora) sed unum idemque (sc. corpus, in quod panis convertitur, est corpus Christi jam praeexsistens, non vero corpus aliud)... Non panis et vinum est figura corporis et sanguinis Christi, absit ! sed ipsum corpus Domini divinitate donatum, cum Dominus ipse dixerit, non hoc est figura corporis mei, sed hoc est corpus meum, et non figura sanguinis mei, sed sanguis meus... Si vero nonnulli panem et vinum vocarunt antitypa corporis et sanguinis Domini, ut deifer Basilius, non hoc post consecrationem dixerunt, ipsa oblata ita appellantes... Attamen (post consecrationem) antitypa futurorum dicuntur, non quasi vere corpus et sanguis Christi non essent, sed quia nunc quidem per ipsa participes sumus divinitatis Christi, tunc vero (participes futuri sumus) intellectualiter per solam visionem » (1).

Ambrosius. « Forte dices : aliud video, quomodo tu mihi adseris, quod Christi corpus accipiant ? » Et hoc nobis adhuc superest, ut probemus. » Probatio est quadruplex : « Advertimus igitur majoris esse virtutis gratiam quam naturam, et adhuc tamen propheticae benedictionis numeramus gratiam (nam miracula omnia enumerata patrata sunt per verba et benedictiones prophetarum). Quod si tantum valuit humana benedictio ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur ? Nam

(1) Damasc. *De fide orthod.* l. IV, c. xiii. M. XCIV, 1139.

sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de caelo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species (naturas) mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti « quia ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt. » Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea, quae sunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare quam mutare naturas. »... « Liquet, quod praeter naturae ordinem Virgo generavit. Et hoc quod conficimus corpus ex Virgine est; quid hic quaeris naturae ordinem in Christo corpore, cum praeter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine? »... « Ipse clamat Dominus Jesus: « Hoc est corpus meum: » Ante benedictionem verborum caelestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur (esse pronuntiatur). Ipse dicit sanguinem suum: Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et dicis: Amen, hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur; quod sermo sonat, affectus sentiat » ([1]).

Auctor ll. de sacramentis. « Tu forte dicis: meus panis (quem accipio in Eucharistia) est usitatus. Sed panis iste panis est ante verba sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus. Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est, cujus sermonibus? Domini Jesu. Quis est sermo Christi? Nempe is quo facta sunt omnia. Jussit Dominus, et factum est caelum... Jussit Dominus, et omnis creatura generata est. Vides ergo, quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quae non erant; quanto magis operatorius est, ut sint, quae erant, et in aliud commutentur... Ergo didicisti, quod ex pane (termino a quo) corpus fiat Christi, et quod vinum et aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione Verbi caelestis... Ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere. Deinde ipse Dominus Jesus testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus et sanguinem; numquid debemus de ejus fide et testificatione dubitare?... Dixit tibi sacerdos: corpus Christi, et tu dicis: Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus » ([2]).

Isidorus Hisp. « Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam

([1]) Ambros. *De myst.* c. ix. M. XVI, 405 sq. — ([2]) Auctor. ll. *de sacram.* l. IV, c. iv, v. M. XVI, 439-445.

invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate evertit, ita dicens: « Accipite et edite, hoc est enim corpus meum. » Et sanctificatione repetita: « Accipite, et bibite, hic est sanguis meus. » Ergo sicut ad nutum praecipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa caelorum... pari potentia in spiritualibus sacramentis Verbi praecipit virtus et servit effectus. Quanta itaque et quam celebranda beneficia vis divinae benedictionis operetur, attende. Et ut tibi novum et impossibile non debeat videri quod in Christi substantiam terrena et mortalia (i. e. mortalibus usitata) commutentur, te ipsum, qui jam es in Christo regeneratus, interroga... In corpus Ecclesiae non videndo sed credendo transiisti, et de filio perditionis adoptivus Dei filius occulta puritate fieri meruisti... Corpus, sacerdote dispensante, tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto; quod cum Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in universis, ita integrum esse probatur in singulis... De hoc vero pane cum asssumitur, nihil minus habent singuli, quam universi; totum unus, totum duo, totum plures sine diminutione percipiunt, quia benedictio (εὐλογία i. e. quod benedictione effectum est) hujus sacramenti scit distribui, nescit distributione consumi. Nec dubitet quisquam, primarias creaturas (panem et vinum, quibus homo primario indiget) nutu potentiae, praesentia majestatis in Dominici corporis transire naturam, cum ipsum hominem videat artificio caelestis misericordiae Christi corpus effectum. Sicut autem quicumque ad fidem veniens ante verba baptismi adhuc in vinculo est veteris debiti, his vero commemoratis, mox exuitur omni faece peccati; ita quando benedicendae verbis caelestibus creaturae sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi nominis consecrentur, substantia illic est panis et vini, post verba autem Christi corpus et sanguis est Christi. Quid autem mirum est, si ea, quae verbo potuit creare, verbo possit creata convertere? Immo jam minoris videtur esse miraculi, si id, quod ex nihilo agnoscitur condidisse, jam conditum in melius valeat commutare » (1).

Arg. II^m. Patres probant possibilitatem istius conversionis, provocando ad omnipotentiam divinam, ad creationem ex nihilo, ad mysterium Incarnationis, ad conversionem aquae in vinum, aquae in sanguinem, virgae in serpentem: Id enim constat testimoniis modo allatis. Ergo clare hoc mysterium profitentur.

(1) Isidorus Hisp. *Sermo de corp. et sang. Domini.* Hic sermo olim attribuebatur Eusebio Emisseno vel Gallonico. M. LXXXIII, 1225.

Arg. III[m]. Patres docent in Eucharistia, post consecrationem, jam non haberi panem. Ergo profitentur dogma transsubstantiationis. Manifesta est sequela quia dicendo substantiam panis et vini ab essendo deficere, et solum corpus et sanguinem Christi esse substantialiter praesentia, dicunt totam substantiam panis et vini cessare, uti modo explicatum est, ideoque agnoscunt id quod est praecipuum in hoc dogmate. Quoad nexum qui intercedit inter desitionem unius termini et positionem alterius, admittunt sane hi Patres illud quod ceteri Patres, utentes termino *conversionis,* exprimunt. — In Eucharistia deesse panem dicunt Patres bene multi inter quos Isaac Magnus, Ambrosius, Isidorus Hispalensis, auctor librorum de sacramentis [1]. Addidisse sufficiat testimonia Cyrilli Hierosolymitani et Jacobi Sarugensis.

Cyrillus Hier. « Plena imbutus fide, quod qui apparet panis, panis non est, etiam si gustu sentiatur, sed corpus Christi : et quod apparet vinum, vinum non est, etiamsi gustus hoc velit, sed sanguis Christi... confirma cor tuum » [2].

Jacobus Sarugensis : « Ab illo temporis puncto, quo (Jesus) accepit panem et dixit illud corpus suum, non erat panis sed corpus ejus, et hoc edebant admirantes. Edebant corpus ejus, qui cum ipsis in mensa accubabat, et bibebant sanguinem ejus, cujus simul audiebant vocem doctrinae... Corpus suum Dominus noster suis manibus distribuit in mensa. Et quis rebellis sit, ut dicat nunc non esse corpus ? Ipse (Christus) dixit: « Hoc est corpus meum », et quis verum non fateatur? Si quis hoc non credat verum, non est discipulus apostolatus. Apostoli enim crediderunt, et viventem ac secum accumbentem (ad mensam) comederunt... Electi Apostoli, ut Filio fidem adhiberent, satagebant, non ut scrutarentur, vel quaestiones moverent sicut rebelles. Panem quem fregit et dixit corpus suum, corpus agnoscebant et illa illud reputabant, ac si in veritate sanguis ejus stillaret » [3].

Aliud argumentum peti potest ex eo quod dogma transsubstantiationis non modo apud Graecos, sed et apud sectas haereticas Orientis admittitur. Proponeretur eodem modo atque in tract. de sacram. in genere.

93. — Probatio tertia. Ex Scripturis. *Ad argumentum praenota.*

1. Verbis institutionis continetur forma consecrationis et sacramenti

---

[1] Isaac Magnus : *Sermo de fide.* Vid Thesis IV. Ambrosius, *De myst.* IX. Isid. Hisp l. c. Auct. ll. *de Sacram.* IV, V. M. XVI, 444. — [2] Cyr. Hier. *Cat.* XXII, *myst.* IV, n. 9. M. XXXIII, 1103. Cf. ib. n. 2. — [3] Jacobus Sarug. Ap. P. de Benedictis, in *Antirrhet.* II, c. IX, XII. Cfr. *Hom. in velamen supra faciem Moysis,* apud Bickell, *Ausgewählte Gedichte Syrischer Kirchenväter,* p. 264.

Eucharistiae. Itaque sunt moraliter verba Christi Jesu; efficiunt per modum causae moralis instrumentalis praesentiam realem corporis et sanguinis Christi sub speciebus ; dicenda etiam sunt causare conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi, supposita veritate hujus theseos. Porro ut praefatam conversionem causent, exigitur ut eamdem significent; sacramenta enim causant significando. Cum causent quidquid significent, sufficit praedicta significatio, ut veritas conversionis Eucharistiae sit admittenda. Nec tamen exigitur ut verbis significetur explicite et clare haec conversio, sed sufficit ut obscure et implicite significetur.

2. Cum Patres fidelibus inculcant dogma conversionis eucharisticae, vel prius illam conversionem affirmant, et ad eam probandam provocant ad verba institutionis ; vel verba institutionis praemittunt et ex his eruunt dogma transsubstantiationis. Igitur Patres intellexerunt verbis institutionis non solum praesentiam realem Christi significari, sed etiam conversionem panis et vini. Hoc sensu asserit Tridentinum, « Quoniam autem Christus redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, *ideo* persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta haec Synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Domini nostri et totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus » ([1]).

3. Scotus ([2]), Durandus, Paludanus, Petrus Alliacensis, Mastrius, Frassen ([3]) concedunt quidem Christum his verbis haec duo significasse, attamen negant alterum dogma a nobis erui posse ex his verbis in se nude inspectis, et praecisione facta ab interpretatione traditionali.

4. Defenditur thesis ut *certa,* adeoque rejicitur ut falsa sententia Scoti aliorumque. « Horum auctorum, ait Suarez, sententia et multum favet haereticis et nullo modo defendi potest. » Vasquez, severiorem sententiam ferens, asserit hanc opinionem conciliari non posse cum doctrina Concilii Tridentini ([4]).

([1]) Trid. Sess. XIII, c. iv. — ([2]) Scotus. « Si quaeras quare voluit Ecclesia eligere istum intellectum ita difficilem hujus articuli, cum verba Scripturae possent salvari secundum intellectum facilem et veriorem secundum apparentiam (ex testimonio sensuum) de hoc articulo : dico quod eo Spiritu expositae sunt Scripturae, quo conditae. Et ita supponendum est quod ecclesia catholica eo Spiritu exposuit, quo tradita est nobis fides, Spiritu scilicet veritatis edocta, et ideo hunc intellectum eligit, quia verus est. Non enim in potestate Ecclesiae fuit facere istud verum vel non verum, sed Dei instituentis, sed intellectum a Deo traditum Ecclesia explicavit directa in hoc, ut creditur, Spiritu veritatis. » In 4 d. ii, q. iii, n. 15. — ([3]) Durand. in 4 d. ii, q. i, n. 16. Palud. ib. q. xxiv. Mastrius, d. 3, q. xiii, a. 2, n. 331. Petr. Aliac in 4, q. vi, a. 2. Frassen, t. II, d. i, a. ii, s. 3, q. i, concl. unica. — ([4]) Suar. d. xlix, s. 2, n. 7 et 8. Vasq. d. clxxx, c. v, n. 51 sq.

His praemissis, sic arguitur: Ut ex verbis institutionis efficaciter concludi possit dogma transsubstantiationis, requiritur et sufficit ut haec verba *significent* panem converti in corpus Christi, vinum in sanguinem ejus; sive enucleatius ut significent sive explicite sive implicite a) poni corpus et sanguinem Christi, b) desinere totam substantiam panis et vini, c) haberi inter positionem unius et desitionem alterius nexum qui intercedere solet inter terminum ad quem conversionis et terminum a quo. — Atqui significari verbis praesentiam realem Christi, jam probatum fuit, significantur praeterea duo reliqua. Ergo.

Prob. 1ª pars min. Verba : « Hoc est corpus meum » significant : « Id quod substat sub hac re, quod habet hanc figuram visu apprehensam et hunc colorem etc., est corpus meum; sub eo quod speciem panis et et vini prae se fert, est corpus meum. » Ergo haec propositio significat a) jam non haberi formam panis et vini in fine prolationis horum verborum; b) immo significat, licet minus clare, jam non haberi materiam panis et vini. — Probanda est praefata sequela.

1. Significatur verbis h. e. c. m. *formam panis et vini jam deesse.* a) Si permansisset forma panis, dicendum saltem fuisset Christo : Hoc est panis et corpus meum; sive hoc non est solus panis, sed etiam corpus meum. Terminus enim « hoc » indigitat omnem substantiam quae continetur sub eo quod speciem panis prae se fert. — b) Immo si permansisset panis, etiamsi corpus Christi praesens redditum fuisset, dici quidem cum veritate posset: « Hoc est panis, » dici autem non posset: « Hoc est panis et corpus meum »; a fortiori dici nequit: « Hoc est corpus meum. » Etenim quamdiu manet panis, hic solus substat accidentibus, solus est sensibilis per propria accidentia, solus est causa principalis ita influens in sensoria ut enascantur sensationes quibus apprehenditur panis. Ex altera parte panis neque ex natura rei, neque ex praecedenti institutione aut praemonitione Christi, destinatur ad continendum corpus Christi. Atqui ubi habentur duae substantiae, quarum una influit in sensoria, et accidentibus apprehensis vestitur, altera est insensibilis, non influit per se in sensoria, sed tantum insensibiliter continetur in priore; sola prior indigitatur termino « hoc; » posterior tantum dici potest esse *in altera*, si substantia sensibilis *ex natura sua* contineat insensibilem, aut ad hoc sit *destinata ab hominibus* et hoc auditoribus constet. Sic fallacem ederet propositionem ille qui, monstrans pomum in quo nummus aureus includitur, diceret : « Hoc est aurum. » Sic etiam inepte loqueretur qui, ostensa re quapiam, diceret : « Hoc est Deus, » existimans fas esse sic loqui quia Deus est cuique rei intime

praesens. Contra optime dicitur, ostenso marsupio vel dolio : « Hoc est aurum, » vel : « Hoc est vinum, » quia nempe ex nota institutione marsupium destinatur ad continendum aurum et dolium ad continendum vinum.

2. Significatur *materiam panis et vini jam deesse.* a) Cum juxta alios sine miraculo, juxta alios ex absoluta Dei potentia, materia remanere nequeat sine forma, dicendum est implicite affirmari etiam materiam panis et vini deesse. — b) Si maneret materia prima panis, non valeret dici : « Hoc est corpus meum, » nisi admittatur corpus Christi fieri formam substantialem istius materiae. Color enim, figura omnesque qualitates sensibiles inhaererent materiae panis.

Prob. 2ª pars min. Christus dicendo : « Hoc est corpus meum, » explicite dicit : « Corpus meum praesens sistitur sub symbolis panis ; » indirecte et implicite dicit : « Consequenter jam sub his speciebus praesens non est panis ; illud autem dicere perinde est ac affirmare substantiam panis deficere ab essendo vi positionis corporis Christi.

94. — **Scholion 1m.** *Falsitas sententiae Ruperti* multis constat : a) Praeter unionem hypostaticam Verbi et humanitatis, non est excogitanda unio hypostatica cum alia natura. — b) Perit omnis conversio panis in corpus Christi : Sicut enim per unionem hypostaticam divinitas non est conversa in humanitatem, ita etiam in Eucharistia panis non converteretur in corpus Christi. — c) Non tantum nulla est conversio, sed panis remaneret praesens ; cessaret quidem, eo quod assumeretur a Verbo, esse suppositum, sui juris, independens, principium ut quod agendi et patiendi, fieretque principium quo Verbum ageret et pateretur ; sed maneret integra ejus natura. — Demum d) petitur quisnam ponatur esse sensus verborum Christi : « Hoc est corpus meum. » Vel dicetur sensum esse : « Hoc est panis hypostatice unitus personae meae divinae ; » vel dicetur sensum esse : « Hoc est corpus meum in Incarnatione assumptum. » Atqui primum est manifeste falsum. Etenim α) *corpus meum* significat carnem Christi, quae apud Joh. VI dicitur manducanda, corpus natum ex Maria Virgine, crucifixum, sedens ad dexteram Patris ; hoc autem corpus nequaquam est panis hypostatice unitus Verbo. Insuper, β) stante hac interpretatione verborum Christi, jam non significatur praesentia humanitatis Christi, sed sola praesentia panis hypostatice uniti Verbo. — Si alter sensus tribuitur verbis Christi, qui unice est verus, dicendum est verba Christi non esse vera, si substantia panis pergit esse praesens, etiamsi panis est unitus hypostatice Verbo.

Sententia Johannis Parisiensis refutatur quia, ea stante, remaneret totus panis, sine mutatione naturae et sine ulla conversione, nisi dicatur corpus Christi ita panem sustentare ut cum eo uniatur intrinsecus, in quo casu opponuntur rationes modo factae.

Sententia Bayma multipliciter falsitatis arguitur : 1. *Aperte adversatur doctrinae Patrum.* a) Juxta Patres enim ipsamet res, quae erat panis, non manet post consecrationem, sed transiit in corpus Christi; contra juxta Bayma remanet tota quanta, sed alio dumtaxat nomine est appellanda. — b) Guitmundus scribit : « Berengariani omnes in hoc conveniunt, quia panis et vinum essentialiter non mutantur » ([1]). Teste Lanfranco, docuit Berengarius « panem vinumque altaris sine materiali mutatione in pristinis essentiis remanere. » Haec porro est doctrina Patribus contraria. Atqui secundum doctrinam heic impugnatam panis et vinum non mutarentur essentialiter, sed sine ulla mutatione reali in pristinis essentiis persisterent. — c) Patres comparant conversionem panis in corpus Christi cum conversionibus naturalibus, stupendam dicunt hanc conversionem et ejus possibilitatem probant ex omnipotentia Dei et ex prodigiis passim factis. Hi autem loquendi modi ostendunt in Eucharistia, judicio Patrum, fieri conversionem veram. Sed in sententia Bayma nulla fit vera conversio rei, sed nomen dumtaxat rei convertitur in aliud nomen ejusdem rei. — 2. *Componi nequit cum Tridentino:* Distinguitur enim a Tridentino id quod manet, nempe species, et id quod non manet, nempe substantia panis et vini. In sententia Bayma nihil reale amittitur, omnia remanent, solum nomen mutatur. — 3. Panis eucharisticus est quidem natura, ait Bayma, verum non est substantia quia non est in se, siquidem est in corpore Christi. Quaeri autem potest qua ratione sit in corpore Christi, quomodo ei uniatur? Redibunt argumenta superius proposita.

Conjectura Rosminii absolute tolerari nequit. Si enim a) substantia panis et vini convertitur in corpus et sanguinem Christi uti eadem substantia convertitur in nostram carnem et sanguinem, cum in cibum et potum sumuntur, nullatenus fit transsubstantiatio qua nempe *tota* substantia convertitur, sed nonnisi *formalis conversio* fit. Utuntur quidem nonnulli Patres eadem comparatione ; verum idcirco eadem utuntur, ut conversionem eucharisticam illustrent et ostendant eam esse conversionem *veram,* nullatenus autem ut doceant dari omnimodam similitudinem. Immo b) stante integro Rosminii systemate, conversio

([1]) Lanfrancus : *De corp. et sang. Domini,* c. v. — Guitmundus : *De corp. et sang. Dom.* l. I.

eucharistica esset prorsus *nulla*. Conjectat enim Rosminius panem et vinum converti in corpus et sanguinem Christi, quatenus fiant *terminus ejus principii sentientis*. Porro in systemate Rosminii sola anima, non vero compositum humanum est principium sentiens ; objectum autem aliquod fieri terminum animae sentientis nihil aliud est nisi illud *objectum ab anima percipi,* ita ut si corpus ab anima separetur ac sit mortuum, illico desinat eadem perceptio. Jam vero manifestum est sola objecti perceptione nullam induci in objecto realem mutationem ; sed ubi nulla fit realis mutatio objecti, ibi nulla datur realis objecti ejusdem conversio. Re quidem vera, tota realitas substantiae panis et vini in mysterio Eucharistiae remaneret et tantum perciperetur ab anima Christi : nulla igitur fieret realis ejusdem substantiae mutatio ac conversio. Demum c) eadem Rosminii conjectura est rejicienda quia prorsus falsum est corpori Christi glorioso indesinenter partem adjungi incorporatam, illud nempe indesinenter augescere, continuo addita substantia panis et vini.

95. — **Scholion 2m.** *De propositione « hic vel hoc est A, B, C. etc. »* Pronomen « hic, hoc » pro subjecto propositionis adhibitum, sequitur praedicatum ; quare modo erit abstractum modo concretum, prouti praedicatum est terminus abstractus aut concretus.—Cum praedicatum est concretum, seu in recto dicit suppositum, in obliquo et connotative formam ; subjectum « *hic, hoc* » indigitat suppositum, huic supposito affirmatur inesse forma per praedicatum connotata (praedicatum enim semper formaliter sumitur). Cum praedicatum est abstractum, seu pro sola forma supponit, subjectum indeterminate indigitat naturam quae dicitur esse talis aut talis. — Quae regula applicatur propositionibus de tribus Personis divinis, de Christo Jesu, de Eucharistia. a) In divinis tres hypostases subsistunt in eadem natura, seu tota essentia est in singulis. Pronomen *hic* unum suppositum potest indigitare, ut de eo affirmentur terminis concretis absoluta praedicata. Sic dicitur « hic (Verbum) est Deus, infinitus etc.; » sensus scilicet est: Haec persona est subsistens in divinitate, habens divinitatem, infinitatem. — b) In Christo sunt duae naturae, unum suppositum. Hinc per communicationem idiomatum divina et humana nomine concreto significata de se mutuo praedicantur. Ex usu enim omnium linguarum et omnium gentium, praedicatum omne convenit subjecto materialiter sumpto, seu supposito quod in recto per subjectum concretum significatur, quaecumque forma in subjecto connotetur. Sic dicitur : « Rex ambulat, medicus cantat, » quia ambulare et cantare conveniunt supposito, licet ob formam

diversam ab ea quae connotatur. Igitur verae sunt : « Homo est Deus ; Deus est homo, natus, mortuus » etc. Verae sunt : « Hic (indigitato Christo homine) est Deus, aut hic (indigitato Verbo) est homo. » — c) In propositione : « Hoc est corpus meum, » praedicatum est abstractum ; inde pronomen *hoc* indigitat naturam. Igitur sensus est : « Haec res, quae substat his speciebus, est corpus meum. » Porro si in Eucharistia maneret substantia panis et si Christus constitueretur praesens in hoc pane, haberentur duae naturae et duo supposita ; verum solus panis substaret accidentibus ; quare pronomen *hoc* indigitaret, per se loquendo, solum panem, et consequenter falsa esset propositio, nisi praevie panis instituatur a Christo ad continendum corpus suum.

Licet sub speciebus praesens sit sanguis Christi, anima et divinitas, attamen secundum veritatem dicitur : « Hoc est corpus meum, » neque necesse est ut addatur : « Hoc est sanguis, anima, divinitas. » Ratio est quia corpus Christi reapse efficienter substat accidentibus panis, et sanguis accidentibus vini. Itaque quemadmodum vi verborum solum corpus ponitur praesens sub speciebus panis, ita vi eorumdem verborum solum corpus efficienter sustentat qualitates sensibiles, anima vero per concomitantiam ponitur praesens et accidentia efficienter sustentat una cum corpore quod informat.

Scholion 3m. *De propositione :* « *A fit B.* » — Cum termini sunt abstracti et proprie sumuntur, indicatur conversio unius rei in rem alteram. — Cum termini sunt concreti, sensus propositionis potest esse duplex : a) quod subsistit in una forma, servans hanc formam incipit subsistere in alia forma ; b) quod subsistit in una forma, hanc formam amittit et acquirit alteram in quam prior est conversa. Dijudicari debet ex materia, de qua quaestio instituitur, quisnam sit determinate sensus. Hae regulae possunt applicari diversis propositionibus. — 1. Propositio : « *Homo fit angelus,* » dupliciter ex se intelligi potest : a) Sensu *metaphorico :* subsistens in natura humana acquisivit eam qualitatem, quae eminet in angelo, adeoque eodem nomine significatur. b) Sensu *proprio :* subsistens in natura humana fit subsistens in natura angelica. Illud autem dupliciter intelligi potest : factus est subsistens in natura angelica per conversionem prioris naturae, aut sine conversione. Ex subjecta materia patet nonnisi primum sensum esse verum. — 2. In propositione : « *Verbum factum est caro seu homo,* » termini sunt concreti ; quare sensus est ; « Subsistens in divinitate factus est subsistens in humanitate. » Nullam fieri conversionem unius formae in aliam evidenter liquet ex subjecta materia, siquidem divinitas est

immutabilis; quare indicatur personam Verbi transiisse a statu quo carebat humanitate assumpta, ad statum quo humanitatem assumptam habet. — 3. In hac altera propositione : « *Panis fit corpus Christi,* » termini sunt abstracti ; hinc sensus esse nequit : « Quod subsistit in pane, fit subsistens in corpore Christi ; » sed sensus esse debet vel « panis mutatur in corpus Christi, » vel « panis fit figura corporis Christi. » Alterum sensum excludendum esse superius est probatum, ubi dogma praesentiae realis fuit demonstratum ex verbis institutionis.

Satisfit difficultatibus.

96. — Ex verbis consecrationis. Obj. 1°. Si transsubstantiatio datur, fit per verba consecrationis, adeoque per verba institutionis. Atqui non fit his verbis. Ergo. — *Prob. min.* Id non fit his verbis, quod iisdem non significatur, siquidem sacramenta operantur significando. Atqui transsubstantiatio non significatur verbis : « Hoc est corpus meum. » Ergo non fit his verbis. — *Prob. min.* Ut transsubstantiatio significaretur, non modo significanda foret praesentia realis, sed adhuc absentia panis et vini et nexus inter utramque. Atqui duo posteriora non significantur, sed tantummodo primum. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* — Ad probationem minoris respondetur *distinguendo majorem :* Id non fit verbis consecrationis quod *nec clare nec obscure* significatur iisdem, *Conc. ;* quod non *clare* significatur, *Neg. Cdt. min.* — Ad probationem minoris respondetur iterum *distinguendo majorem :* Ut transsubstantiatio significetur, praeter praesentiam corporis Christi, *clare* significare oportet absentiam panis et nexum inter utramque, *Neg. ;* vel *clare* vel *obscure, Conc. — Cdt. min.*

Inst. Atqui verba : « Hoc est corpus meum, » etiam implicite non dicunt desitionem panis et vini.

Prob. a) Res contenta affirmari potest de continente, etiamsi latet nec videtur. Sic, demonstrato calice in quo habetur vinum, recte dicitur : « *Hoc est vinum ;* » indigitata specie hominis in qua praesens erat angelus, dicere poterat Abraham : « *Hic est angelus ;* » indigitatis linguis igneis die Pentecostes, dici poterat : « *Hic est Sp. S.* » Ergo a pari, demonstrato pane nullatenus cessante adesse, potest dici : « *Hoc est corpus meum,* » dummodo corpus sit praesens.

Resp. *Dist. ant.* Res contenta affirmari potest de continente quoties ex natura sua rem contineat, vel ad hoc sit destinata ex hominum usu,

vel saltem loquens hoc doceat eos qui astant et audiunt, *Conc.;* si nullum ex his offenditur, *Neg.* — Inde *negatur paritas.*

Obj. 2°. b) In divinis, ubi tria supposita subsistunt in eadem natura, vera est haec propositio: « *Hic Deus est Verbum,* » licet hic Deus sit etiam Pater et Spiritus Sanctus. Ergo a pari dici potest: « Hoc est corpus meum, » licet sub speciebus detur adhuc substantia panis, proindeque desitio panis non significatur, etiam implicite, his verbis.

Resp. *Negatur paritas.* In propositione: « Hic Deus est Verbum, » termini sunt concreti; quare sensus est: « Haec persona subsistens in divinitate est Verbum; » vera est, licet Pater et Spiritus Sanctus etiam subsistant in eadem divinitate; ratio est quia pronomen *hic* non indigitat omnem personam in divinitate subsistentem, sed nonnisi personam Verbi. — Contra in propositione: « Hoc est corpus meum, » termini sunt abstracti, adeoque sensus est: « Haec res substans his speciebus est corpus meum; » jam vero si remanet panis, is est qui speciebus substat, adeoque falsa est propositio.

Obj. 3°. c) In Christo dantur duae naturae et una persona. Totum suppositum indigitari potest et de eo praedicari nomen unius naturae, dicendo: *Hic est homo;* vera est propositio, licet de toto supposito non praedicetur nomen concretum alterius naturae. Ergo a pari vera est propositio: « Hoc est corpus meum, » etiam si tacetur substantia panis praesens simul cum Christo sub iisdem speciebus.

Resp. *Negatur paritas.* Termini prioris propositionis sunt concreti, inde sensus est: « Haec persona est subsistens in humanitate; » patet eam esse veram, licet eadem persona adhuc subsistat in divinitate. Contra termini sunt abstracti in propositione: « Hoc est corpus meum; » res pro qua supponit *hoc* et quae est praesens sub speciebus, dicitur esse corpus Christi, quod est falsum, si remanet panis.

Obj. 4°. d) Eo quod propositio h. e. c. m. non admitteret consortium panis cum corpore Christi, consequeretur eam non admittere consortium animae, sanguinis, divinitatis. Si enim vera est propositio h. e. c. m., licet praeter corpus detur sanguis etc., quare non esset vera, posito praeter corpus Christi dari panem? — Atqui... Ergo.

Resp. *Negatur paritas.* Si panis remanet praesens, hic est qui accidentibus substat, ideoque dici debet: « Hoc est panis, » neque potest dici: « Hoc est corpus meum. » — Contra licet sanguis, anima et divinitas sint praesentes sub specie una cum corpore Christi, attamen vera manet propositio: « Hoc est corpus meum, » quia corpus Christi idque solum vi verborum ponitur praesens et accidentibus substat.

97. — **Ex Patribus. Obj. 5°.** Patres disertis verbis affirmant in Eucharistia manere φύσιν, οὐσίαν, naturam, essentiam, substantiam panis. Ergo negant transsubstantiationem.

Resp. *Dist. ant.* Et per φύσιν panis intelligebant *qualitates sensibiles* panis, seu id quod *sensibiliter apprehendebatur, Conc.;* intelligebant *substantiam* panis, *Neg.*

Inst. Atqui Patres per φύσιν panis intelligebant substantiam. Etenim Eutychiani contendebant per Incarnationem divinitatem fuisse conversam in humanitatem, aut humanitatem in divinitatem, aut ex utraque exortam esse naturam novam. Ad illud autem probandum, provocabant ad mysterium Eucharistiae, ubi panis convertitur in corpus Christi. — Patres autem negabant id quod de Incarnatione affirmabant Monophysitae, et negabant id quod hi de Eucharistia dicebant ; eorum nempe judicio in Eucharistia remanet φύσις panis et vini haud secus ac post Incarnationem remanet φύσις divina et φύσις humana. Atqui haec ratio loquendi manifestat φύσιν panis supponere pro substantia, adeoque non dari transsubstantiationem. Ergo.

Resp. a) *Dist. maj.* eodem modo et *Cdt. min.* b) *Transm. maj. Dist. min.* Haec ratio loquendi *exigit* talem interpretationem, *Neg.;* eam *permittit, Subd.* si certi loci Patrum seorsim considerantur, *Transm.*; si ratio habetur alibi dictorum, ubi disertis verbis defenditur conversio panis et vini, *Neg.*

Inst. Atqui verba Patrum exigunt intelligi de remanentia substantiae panis et vini. In utraque enim propositione φύσις sumitur eodem sensu. Atqui ubi asseritur φύσιν humanitatis remanere post Incarnationem, φύσις supponit pro substantia integra. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* sumitur pro *eodem genere, Conc.;* pro *eadem specie infima, Neg. Cdt. min.* φύσις humanitatis remanens post Incarnationem est realiter tota substantia, *Conc.:* consideratur a Patribus secundum quod significat totam substantiam cum accidentibus, et non tantum pro complexu accidentium sensibilium, *Neg.* aut *Subd.* uti supra.

Observa. Propositio : « φύσις *panis remanet,* » potest habere duos sensus : potest enim significari remanere accidentia sensibilia panis sine substantia, aut remanere substantiam cum accidentibus. — Si admittitur prior interpretatio, sic intelligenda est objectio Eutychianorum et responsio Patrum :

Juxta Eutychianos ita panis convertebatur in corpus Christi, ut ipsaemet visibiles species, quae sensibus apprehendebantur, essent corpus Christi. Pariter dicebant per unionem hypostaticam visibiles

proprietates et qualitates naturae humanae ita esse mixtas cum divinitate, ut id, quod sensibus apprehendebatur in Christo, esset ipsamet divinitas conversa in humanitatem aut humanitas in divinitatem conversa. Ad probandam itaque suam haeresim, provocabant ad mysterium Eucharistiae. — Patres provocabant ad idem mysterium Eucharistiae ut defenderent mysterium Incarnationis. Quod post consecrationem videtur, tangitur, gustatur non est corpus Christi ; sed est φύσις panis, haec enim remansit. Pariter quod in Christo Jesu oculis cernebatur non erat divinitas, sed erat humanitas, haec enim integra remansit. Sicut Christus est unus constans ex duobus distinctis quorum unum est invisibile, alterum vero visibile ; sic sacramentum Eucharistiae est unum, constatque ex duobus elementis, quorum unum est visibile, nempe species sensibilis panis, alterum vero invisibile, nempe corpus Christi.

Porro 1° praefata interpretatio potest tribui verbis Patrum asserentium post consecrationem remanere φύσιν panis. Etenim a) sufficit *ut attingatur scopus* quem iidem Patres sibi praestituunt. Si enim in Eucharistia dantur duo realiter distincta, complexus accidentium sensibilium, qui φύσις vocatur, et corpus Christi, Monophysitae nequaquam in mysterio altaris ullam analogiam invenire valent cum haeretica sua sententia de humanitate Christi in divinitatem conversa. — b) Alibi passim Patres usurpant φύσιν hoc significatu. Sic Nyssenus dicit φύσιν corporis Christi in resurrectione esse mutatam in aliquid divinius (1) ; Chrysostomus dicit pietatem puerorum in fornace Babylonica mutasse naturas rerum (τῶν πραγμάτων τὴν φύσιν), ubi φύσις videtur idem dicere ac *virtus agendi* (2). Ita etiam loquitur Tertullianus (3) : « Substantia est lapis et ferrum ; duritia lapidis et ferri *natura est.* »

Praeterea 2° *admitti debet* solas qualitates significari per φύσιν panis. Ratio est duplex : α) Hi Patres circa Eucharistiam non docent aliud atque id quod ceteri Patres perspicue docent. Ostensum autem est universalem esse doctrinam corpus Christi sisti praesens, et substantiam panis ab essendo deficere. — β) Patres qui dicunt φύσιν panis remanere, perspicue etiam docent in eisdem locis quae objiciuntur, panem mutari in corpus Christi, post consecrationem non exstare sub speciebus duo corpora. — Superest ut hoc ultimum ostendatur :

Theodoretus inducit Eranisten Monophysitam et orthodoxum dispu-

(1) Nyss. *Antirrhet. adv. Apollin.* n. 57. M. XLV. 1261. — Chrys. *Hom. IV ad pop. Antioch.* n. 3. M. XLIX, 63. — (3) Tertull. *De an.* xxxii. M. II, 705.

tantes. Consentiunt ante consecrationem adesse panem et vinum, post consecrationem vero corpus et sanguinem Domini. *Eranistes :* « Post sanctificationem vero quomodo haec appellas ? » *Orthodoxus :* « Corpus Christi et sanguinem Christi. » *Eranistes :* « Et credis utique te corpus Christi et sanguinem percipere ? » *Orthodoxus :* « Ita credo. » — Tunc *Eranistes* ita arguit : « Sicut ergo symbola dominici corporis et sanguinis alia sunt ante sacerdotis invocationem, post invocationem vero transmutantur et fiunt alia, sic et dominicum corpus post ascensionem in divinam essentiam transmutatum est. » *Orthodoxus :* « Captus es retibus, quae ipse texuisti ; neque enim mystica symbola post sanctificationem a sua natura recedunt ; *manent enim in prioris essentiae et figura* et *forma aspectabili* (μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας καὶ τοῦ σχήματος καὶ τοῦ εἴδους), et visibilia sunt et tangibilia, qualia erant prius ; *intelliguntur autem ea esse quae facta sunt,* et creduntur et adorantur, utpote quae *sint id quod esse creduntur...* Ita etiam illud corpus (Christi post ascensionem) priorem habet formam et figuram et circumscriptionem, et, ut uno verbo dicam, corporis essentiam » ([1]). — Itaque Eranistes ex conversione panis in corpus Christi probare intendit conversionem humanitatis Christi in divinitatem. Orthodoxus affirmat species sensibiles, figuram et formam aspectabilem, manere ut antea fuerunt ; conversionem substantiae panis in corpus Christi profitetur, nedum eam neget : quod nempe symbolis visibilibus exhibetur, cum antea esset panis, nunc dicit fide credi et intelligi esse corpus Christi, ideoque adoratur id in quod panis transiit.

Auctor libri de duabus naturis haec scribit : « Certe sacramenta, quae sumimus, corporis et sanguinis Christi, divina res est, propter quod et per eadem divinae efficimur consortes naturae, et tamen esse *non desinit substantia vel natura panis et vini,* et certe imago et similitudo corporis et sanguinis Christi in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo nobis evidenter ostenditur hoc nobis in Christo Domino (nempe de Verbo incarnato) sentiendum, quod in ejus imagine (Eucharistia) profitemur, celebramus et sumimus, ut sicut *in hanc, scilicet in divinam, transeunt, Sancto Spiritu perficiente, substantiam* (i. e. in substantiam corporis Christi Verbo uniti) permanentes tamen in suae *proprietate* naturae, sic illud ipsum mysterium principale (Incarnationem), cujus nobis efficientiam virtutemque veraciter repraesentant, ex quibus

(1) Theodoretus : *Dialog.* II, *Inconfus.* M. LXXXIII, 167.

constat (naturis) proprie permanentibus, unum Christum, quia integrum verumque, permanere demonstrant » (1). Asseritur itaque sacramenta seu symbola transire in divinam substantiam, sc. in corpus et sanguinem Christi, quod falsum esse apparet, si terrenae substantiae manent. Quod itaque ita idem scriptor affirmat *non desinere substantiam vel naturam panis et vini, permanere in suae proprietate naturae,* id intelligendum est de speciebus panis et vini.

Auctor epistolae ad Caesarium monachum haec scripsit: « Unus Filius, unus Dominus, idem ipse procul dubio unitarum naturarum unam dominationem, unam potestatem possidens, etiamsi non consubstantiales exsistant (duae naturae) et unaquaeque incommixtam proprietatis conservet agnitionem propter hoc, quod inconfusa sunt duo. Sicut enim antequam sanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, et non duo sunt corpora, sed unum corpus Filii praedicamus » (2). Manifestum est his verbis significari conversionem panis in corpus Christi. Asseritur enim in Eucharistia non esse duo corpora sed unum corpus quemadmodum in Christo non sunt duo Filii, sed unus Filius ; sacra symbola liberari ab appellatione panis, profecto quia substantia panis est conversa. Manifestum est itaque nomine *naturae panis* post consecrationem manentis intelligi complexum qualitatum sensibilium. — Addere juvat scopum auctoris esse Apollinaristas confutare atque ostendere proprietates humanae naturae permanentes in Christo non magis obesse unitati Filii, quam proprietates panis obstant unitati corporis Christi in Eucharistia.

Obj. 6°. S. Cyrillus Alexandrinus, Elias Cretensis et Theophylactus (3) asserunt donis propositis a Deo immitti *vim vitae,* eaque *transmutari in virtutem carnis Christi* (εἰς δύναμιν σαρκὸς καὶ αἵματος). Jamvero panem mutari in virtutem carnis Christi perinde est ac panem elevari ad virtutem supernaturalem a corpore Christi derivatam, propter quam idem panis vocatur corpus Christi.

---

(1) Auctor l. *De duabus naturis,* contra Nestorium et Eutychetem, n. 14. Cfr. Thiel, *Epistolae Roman. Pontif.* p. 541. Sunt qui hunc librum a Gelasio P. I conscriptum esse volunt. Alii eum attribuunt Gelasio Cyziceno. Vid. Baronius, ad an. 496, n. 10. Natalis Alex. *Hist. Eccl.* IX, 210.

(2) Inter opera Chrysostomi. M. LII, 758. Cfr. praefationem Maurinorum, M. l. c. 738; Stilting, *Dissert.* in hanc epist. in *Thes.* Zaccariae. t. X, opusc. XI.

(3) Cyr. Alex. *In Luc.* XXII. Cf. Mai, *Nova Biblioth.* II, 417. — Elias Cret. in *Orat.* I Nazianzeni. — Theoph. In *Marc.* XIV, 22. M. CXXIII, 650.

Resp. 1. S. Cyrillus contra Nestorianos scribens assumit veritatem praesentiae realis corporis et sanguinis Christi veluti ab adversariis admissam et pro scopo habet ostendere hoc corpus esse Dei Verbi, quod ex eo ostendit quia in Eucharistia est carnis Christi efficacia ; haec autem verba idem audiunt ac « in Eucharistia est *caro Christi efficax, vivifica, sanctificans.* » Id enim est manifestum quia in eodem loco ait : « Oportebat mortalem carnem vivificae Dei virtutis participem fieri. *Virtus autem Dei et Patris vivifica Unigenitum Verbum est.* »

2. Theophylactus opponit δύναμιν σαρκός ad speciem (εἶδος) panis et hoc nomine intelligit veritatem seu essentiam carnis (1). Δύναμιν idem audire ac essentiam facile constabit attendenti hanc vocem eodem sensu occurrere apud alios Patres, ubi ad declarandam unitatem naturae in divinis aiunt tres personas esse μίαν δύναμιν (2), s. Paulum voce δύναμις designare rei veritatem : « Habentes speciem (μόρφωσιν) pietatis, virtutem (δύναμιν) autem ejus abnegantes. » II Tim. III, 5.

3. Elias explicatur eodem modo atque Cyrillus, cujus verba fere ad litteram citat, ad confirmandum testimonium Gregorii (3).

98. — Ratione. Obj. 7°. De ratione conversionis est ut iis quorum unum convertitur in alterum sit commune subjectum terminorum conversorum. Atqui ubi fit transsubstantiatio, deest commune subjectum. Subjecti enim nomine intelligitur aut materia secunda, seu substantia completa quae successive subest duplici formae accidentali,

---

(1) Theophylactus : « Hoc est corpus meum, hoc quod nunc sumitis ; non enim figura (ἀντίτυπος) Dominici corporis est panis ; sed (panis) in ipsum illud corpus Christi convertitur (εἰς αὐτὸ ἐκεῖνο μεταβάλλεται τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ). Etenim Dominus dicit : « Panis quem ego dabo, caro mea est ; » non dixit *figura* (ἀντίτυπος) est carnis meae, sed caro mea est... Et quomodo hoc ? inquiet aliquis ; non enim caro conspicitur. O homo ! propter nostram infirmitatem (hoc ita fit). Quia enim panis et vinum nobis usitata sunt, sanguinem autem et carnem si proposita videremus, non sustineremus, sed abhorreremus ; ideo condescendens nobis amantissimus Deus speciem (εἶδος) quidem panis et vini conservat ; in vim (εἰς δύναμιν) autem carnis et sanguinis transelementat. » l. c.

(2) Cfr. Athenag. *Legat.* n. 10 ; Hippolyt. Contra Noët. n. 8.

(3) Elias : « Sacrificium dicit (Gregorius) illud quod peragitur per panem et vinum (ut materiam sacramentalem ac terminum a quo), quae in sacra mensa proposita, per quamdam ineffabilem omnipotentis Dei operationem, vere in corpus et sanguinem Christi transmutantur ἄπερ... ἀληθῶς εἰς σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ μεταποιεῖται. » Quae sequuntur sunt ex Cyrillo decerpta : « Ne enim horreremus, carnem et sanguinem (visibiliter) in sacris mensis Ecclesiarum proposita cernentes, condescendens Deus nostris infirmatatibus immittit propositis vivificam virtutem (quam dixit antea « ineffabilem operationem »), et transmutat ipsa in efficaciam (vel in actualitatem) propriae carnis ἐνίησιν τοῖς προκειμένοι : δύναμιν ζωοποιόν, καὶ μεθίστησιν αὐτὰ εἰς ἐνεργείαν τῆς ἑαυτοῦ σαρκός. Nec vero ambigas quin hoc verum sit, cum ipse aperte dicat : hoc est corpus meum et hic est sanguis meus. Suscipe immo cum fide (πίστει) salvatoris verbum ; verax est enim nec mentitur. »

aut materia prima quae subest successive duplici formae substantiali. Ergo transsubstantiatio deflectit a genuino conceptu conversionis.

Resp. *Dist. maj.* De ratione conversionis *naturalis* est ut detur subjectum commune terminorum conversorum, *Conc.;* hoc est de *ratione formali conversionis praecise* sumptae, *Subd.* de ratione formali est ut detur subjectum *proprie dictum*, *Neg.;* sive proprie sive *impropie tale*, nempe tertium quid commune utrique termino, *Conc. Cdt. min.* et *Dist. cons.* — Si causa naturalis posset auferre accidentia a corpore et efficere ut alia substantia eis substet, nulla conversio essentialiter requireret ut habeatur subjectum conversionis. Sed quia causae naturales non aliter valent agere in substantiam, nisi educendo formas substantiales aut accidentales ex earum potentia, ideo conversio naturalis requirit subjectum conversionis.

Obj. 8° In tantum posset dici panem et vinum esse conversa in corpus et sanguinem Christi, in quantum praesentia corporis et sanguinis Christi esset incompossibilis cum substantia panis et vini. Atqui non est incompossibilis. Ergo. — *Constat major* quia de ratione conversionis est ut detur nexus intrinsecus inter positionem termini ad quem conversionis et desitionem termini a quo, nexus vero intrinsecus involvit incompossibilitatem duorum terminorum formalium. — *Prob. min.* a) Christus est praesens ad instar spiritus. Atqui praesentia ad instar spiritus nequaquam est incompossibilis cum substantia panis et vini. Ergo. — b) Corpus et sanguis Christi asseruntur esse praesentia una cum speciebus panis et vini. Atqui quod est praesens una cum speciebus panis et vini, posset pari jure esse praesens una cum substantia panis et vini. Ergo.

Respondent alii aliter, uti constabit ex disputandis circa naturam intimam transsubstantiationis. Haec responsio praeplacet: *Conc. maj. Neg. min.* Ad 1^{m} probationem minoris respondetur *distinguendo majorem:* Corpus Christi est praesens ad instar spiritus et *efficienter substat* speciebus panis et vini, *Conc.;* est *tantummodo praesens*, nullum influxum efficienter exercendo in accidentia panis et vini, *Neg. Cdt. min.* — Ad 2^{m} probationem respondetur eodem modo. Solutio manifesta fiet ex infra dicendis. Cf. n. 105.

Obj. 9°. Quod annihilatur, id non convertitur. Atqui substantia panis et vini annihilatur. Ergo.

Prob. min. a) Quod deficit ab essendo secundum totalitatem subjecti, id annihilatur. Atqui substantia panis et vini deficit secundum totalitatem subjecti. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad prob. *Dist. maj.* Quod deficit secundum totalitatem subjecti, *nihil ex eo remanente, Conc.; id e quo remanent accidentia*, quae jam efficienter sustentantur per novam substantiam, quae eo ipso expellit priorem substantiam e munere substandi accidentibus, tale annihilatur, *Neg.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui quod deficit ab essendo secundum totalitatem subjecti, id annihilatur, etiamsi remanent accidentia. Quod enim non potest incipere nisi creatione, id non potest deficere nisi annihilatione. Atqui totalitas substantiae panis et vini, quae deficit ab essendo, remanentibus accidentibus, non potest incipere nisi creatione. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Quod non potest incipere nisi creatione, id non potest *naturaliter* deficere nisi annihilatione, *Conc.;* non potest *supernaturatiter* deficere alio modo, *Subd.* si non modificatur accidentibus quae divinitus separari possunt a substantia, *Conc.;* si hujusmodi accidentibus ornatur, *Neg.* — *Conc. min.* — *Dist. cons.*

ARTICULUS II.

Disquisitio scholastica de transsubstantiatione.

Suar. d. l. — Lugo d. vi. — Vasq. d. clxxxi.

§ 1. QUAESTIONES.

99. — Transsubstantiatio inspici potest tum uti est praecise conversio seu quasi passive, tum active seu uti est praecise actio. In conversione enim deprehenditur ratio propter quam vocatur *praecise conversio;* deprehenditur etiam ratio propter quam vocatur *praecise actio.* — Ut enim sit actio, exigitur ut aliquid fuerit productum; ut sit conversio, exigitur ut unum successerit alii et in hoc aliud fuerit mutatum. — Porro circa transsubstantiationem uti est praecise conversio, agitantur duae questiones ; circa eam consideratam uti est praecise actio, agitatur tertia aliqua questio.

1. Circa transsubstantationem, uti est *praecise conversio*, inquiritur quaenam elementa adsint oportet ad hoc ut substantia panis dici possit conversa esse in corpus Christi, seu ut essentia conversionis deprehendatur.

2. Circa transsubstantiationem, uti est *praecise actio*, quaeritur quid praecise active producatur ? Manifestum est produci praesentiam sacramentalem. At quaeritur an aliquid aliud fiat, puta id quo corpus

Christi substet accidentibus. Quae quaestio intime connectitur cum reliquis quaestionibus.

3. Quaeritur utrum transsubstantiatio, uti est *praecise conversio*, dicenda sit *substantialis* an *accidentalis,* sive aliter utrum ejus terminus formalis ad quem sit substantia corporis Christi, an aliquod accidens : ut enim conversio, qua conversio, sit substantialis, requiritur ut terminus formalis ad quem sit substantialis. — In praesenti vero quaestione difficultas oritur ex eo quod in omni conversione naturali actio, qua unum convertitur in aliud, est productiva totius termini formalis ad quem conversionis ; sive idem est terminus conversionis *qua conversionis* et conversionis qua *actionis*. Videtur autem actionem qua substantia panis convertitur in corpus Christi, non posse esse productivam substantiae corporis Christi, quippe quae huic actioni praeexsistit, effectus enim nequit praesupponi ad ejus causam efficientem ; quare conversio videtur esse accidentalis.

Ut solvatur haec quaestio, quaerendum est utrum terminus formalis ad quem conversionis praecise sumptae possit esse aliquid praeexsistens, adeoque an necesse non sit eumdem esse terminum conversionis qua conversionis et qua actionis. — Si huic quaestioni respondendum esset eumdem necessario esse terminum, ulterius investigandum veniret, utrum conversio eucharistica terminari possit ad corpus Christi reproductum ; sive aliter utrum idem corpus possit esse terminus duplicis actionis totalis productivae. Examen hujus quaestionis fiet cum agetur de transsubstantiatione, uti est praecise actio.

§ 2. An nexus intrinsecus adsit oportet inter utrumque terminum formalem conversionis.

Suar. d. l, s. 2. — Lugo d. vii, s. 1.

100. — Ad enarrationem sententiarum sequentia praemittantur : A. *De facto* in omni conversione naturali sequentia habentur : 1. Tres sunt termini reales : a) terminus formalis a quo, seu forma desinens ; — b) terminus formalis ad quem, seu forma adveniens ; — c) subjectum conversionis, h. e. substantia sive completa sive incompleta quae transit ab una forma ad aliam formam et proin est communis utrique termino. — 2. *De termino a quo :* a) Terminus formalis a quo *esse desinit* sive simpliciter, sive secundum quid, h. e. desinit conjunctus esse alicui

tertio, quocum constituebat substantiam completam. Sic cum homo convertitur in cadaver, anima non desinit simpliciter esse, sed desinit uniri corpori et cum eo constituere substantiam completam. — b) Terminus formalis a quo desinit *vi positionis termini formalis ad quem,* h. e. inter desitionem termini a quo et positionem termini ad quem intercedit nexus talis ut positio unius exigat desitionem alterius. — c) Ille nexus est *intrinsecus*, h. e. desitio termini a quo vi positionis termini ad quem est *ex natura rei,* seu duo termini sunt incompossibiles. Itaque desitio unius, posito altero, non oritur ex aliquo extrinseco quod, salva utriusque essentia, abesse posset, puta ex libero Dei decreto quo Deus non vellet terminum ad quem poni nisi sub conditione quod terminus a quo desineret esse, sed haec desitio oritur ex terminorum natura. — 3. Terminus ad quem primo producitur.

Terminus formalis a quo et terminus formalis ad quem sunt vel *substantiales*, vel *accidentales.* a) Si sunt *accidentales :* α) subjectum conversionis est *substantia completa;* β) conversio, cum specificetur a termino formali ad quem, vocatur *accidentalis.* — b) Si termini formales sunt *substantiales :* α) subjectum conversionis est *substantia incompleta,* nempe *materia prima* ; β) conversio vocatur *substantialis.*

Subjectum conversionis conjunctum termino formali a quo vocatur *terminus totalis a quo ;* idem subjectum conjunctum termino formali ad quem vocatur *terminus totalis ad quem.*

101. — B. *De elementis essentialiter requisitis* ut verificetur conceptus vulgaris conversionis.

1. Ex conversione transsubstantiativa totius substantiae panis in corpus Christi et totius substantiae vini in sanguinem Christi, quae per solam revelationem nobis innotescit, consequens est ad rationem conversionis non essentialiter requiri a) ut terminus formalis sit aut forma accidentalis aut forma substantialis ; b) ut terminus ad quem primo producatur ; c) ut detur verum conversionis subjectum. Circa cetera elementa inquiri potest quaenam sint essentialia conversioni.

2. Porro circa nonnulla ex ceteris nulla movetur nec rationabiliter moveri potest controversia. In omni enim conversione essentialiter requiritur a) ut realis sit uterque terminus ; b) ut terminus formalis a quo *desinat esse,* sive simpliciter, sive prout conjunctum tertio alicui communi est substantia completa ; c) ut terminus a quo desinat *vi positionis* termini ad quem. Si enim unum ex iis deest, jam nemo dicet unum converti in aliud, sed potius dicetur fieri aliquam mutationem.

3. Quamobrem non manet disceptandum nisi *de natura nexus* qui

requiritur vigere inter desitionem unius et positionem alterius: Duplex enim, uti dictum est, concipi potest nexus: intrinsecus nimirum et extrinsecus.

a) *Intrinsecus* est, si positio termini ad quem *ex natura sua* exigit desitionem termini a quo. — Ad hoc requiruntur sequentia: α) Ut utrique termino sit aliquid *realiter commune;* secus fieri nequit ut *ex natura rei* positio unius exigat desitionem alterius. — β) Ut illud tertium commune fuerit *intrinsecum termino a quo;* si enim est extrinsecum, positio termini ad quem valet quidem exigere ut terminus a quo jam non extrinsece uniatur huic tertio; sed non valet exigere ex natura rei ut terminus a quo desinat, nam omnia intrinsecus constitutiva illaesa manent. — γ) Ut terminus a quo esse nequeat, nisi uniatur intrinsecus huic tertio communi. — δ) Ut terminus ad quem substet huic tertio communi, seu ut succedat termino a quo in ordine *ad munus adimplendum, quod a duobus impleri nequit;* secus non desinit terminus a quo vi positionis termini ad quem. — Si probatur exigi nexum intrinsecum, consequens erit in mysterio transsubstantiationis dari tertium commune utrique termino formali quod fuerit intrinsecum termino a quo; illud autem tertium aliud esse nequit nisi accidentia panis et vini seorsim a subjecto remanentia. E quo constat momentum hujusce quaestionis.

b) *Extrinsecus* est nexus, si positio termini ad quem exigit desitionem termini a quo, *vi decreti liberi divini* quo terminus ad quem ponendus sit ad desitionem termini a quo.

Si ad veram conversionem habendam sufficit nexus extrinsecus, multiplex sententia excogitari potest:

a) Vel realiter habetur aliquid commune utrique termino; terminus ad quem praesens fit huic tertio communi, sed nullum munus exercet. Patet positionem termini ad quem ex natura sua non exigere desitionem termini a quo. — b) Vel apparenter, non realiter, habetur aliquid commune. — c) Vel ne apparenter quidem datur quid commune.

102. — SENTENTIAE. Requiri nexum intrinsecum negant Scotus, Vasquezius. His adstipulantur cl. Palmieri [1], et recentes omnes qui asserunt accidentia absoluta non dari in ordine rerum. Qui tenent hanc sententiam, inter se dissentiunt in modo explicandi conversionem.

Juxta Scotum triplex distinguitur conversio: a) *Productiva:* habetur si, vi decreti liberi divini, unum, v. g. angelus, non incipit esse nisi

(1) Palmieri, *Ont.* Th. XXXI, P. I.

ad annihilationem alterius, v. g. lapidis. — b) *Conservativa* : contingit si, vi decreti liberi divini, unum in esse conservatur tantum ad annihilationem alterius. — c) *Adductiva :* locum habet si, vi decreti divini, unum adducitur ubi prius non erat, sub conditione annihilationis alterius rei prius ibi praesentis. Sic juxta Scotum corpus et sanguis Christi adducuntur ubi prius erat panis et vinum. Scotus tamen admittit realiter manere accidentia.

Juxta Vasquezium : « Ut id quod desinit dicatur in aliud converti, necessaria est connexio inter illa duo, ut esse illius, in quod aliud convertitur, pugnet cum esse ejus quod in ipsum convertitur, ut sit veluti forma opposita ei, ac proinde causa desitionis illius, quasi formaliter ipsum expellens, sicut inter formas oppositas contingit... Non opus est esse connexionem quam diximus ex natura rei : nam si haec necessaria esset, neque panis in corpus neque vinum in sanguinem converti diceretur... Neque vero satis est ut connexio solum referatur in voluntate Dei volentis unum destruere, vel alio praesente vel producto. Adde quod connexio debet esse in ipso modo efficiendi, non in tempore : nempe quod ita Deus efficiat unum et illud statuat, ut hoc ipso talem modum faciendi et statuendi sequatur necessario desitio alterius. Si enim hoc modo non esse unius non est esse alterius, nulla intentione fieri potest ut esse unius sit vere connexum cum non esse alterius » ([1]). — Conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi ita explicat : « In forma qua nunc utimur ad consecrandum, illa duo sic se habent, ut unum tantum significetur, nempe corpus aut sanguis Christi praesens... ita tamen ut vera significatio corporis et sanguinis Christi praesentis necessario postulet desitionem panis et vini..., ac proinde desitio neeessario consequatur corpus Christi praesens, prout illis verbis significatur. Quo fit ut sacerdos utens illis verbis vere dicatur efficere praesens corpus et sanguinem Christi, et ipso corpore praesenti vere significato destruere panem » ([2]).

Juxta Palmieri, ut habeatur conversio, requiritur ut eadem actione attingatur per se uterque terminus, nimirum terminus a quo ad efficiendam ejus desitionem, terminus ad quem ad efficiendam ejus positionem. Mutatio et conversio itaque conveniunt in hoc quod utraque habet duplicem terminum realem ; discrepant in eo quod actio mutativa praescindit ab hoc utrum agens immediate attingat utrumque terminum, an

([1]) Vasq. *In III part. s. Th.* d. clxxxi, c. xi, n. 126. — ([2]) Ib. n. 125.

tantum posteriorem, conversio vero requirit ut uterque terminus immediate attingatur.

Affirmant nexum intrinsecum requiri s. Thomas ([1]), Suarezius, Paludanus, Lugo ([2]). Hi tamen auctores discrepant in aliis.

THESIS XV[a]. — De ratione conversionis est ut inter desitionem termini formalis a quo et positionem termini ad quem intercedat nexus intrinsecus, adeoque ut utrique termino totali sit aliquid realiter commune, in ordine ad quod simultaneitas utriusque termini formalis sit impossibilis.

103. — **Prob.** Si enim non intercedit nexus intrinsecus, unum ex sequentibus admittendum est : a) Vel nihil, ne apparenter quidem, remanet ex termino a quo ; sed decreto aliquo divino ad desitionem unius ponendum est alterum. — b) Vel aliquid remanet, non quidem realiter, sed apparenter, nimirum exercetur in organa sensuum aliquis influxus ita ut mens existimet aliquid ex termino totali a quo remanere. Varia causa illius influxus assignari potest. — c) Vel aliquid realiter remanet, sed terminus ad quem non exercet, circa hoc tertium commune, munus quod exercebat terminus a quo. — d) Vel aliquid reale remanet et terminus ad quem exercet munus quod prius termino a quo exercebatur ; sed terminus a quo erat extrinsecus huic tertio communi. — Atqui in singulis his casibus non habetur conversio vera, sed apparens tantum. — Ergo, ut habeatur vera conversio, requiritur ut nexus intrinsecus intercedat inter positionem termini ad quem et desitionem termini a quo.

Prob. min. Ad a) : Fac ut Deus decernat fore ut, si aliqua domus funditus evertatur, illico exsurgat viridis arbor ; nemo gentium unquam asseret domum esse conversam in arborem. — Ad b) : Fac ut in organa sensuum producantur modificationes quaedam, ita tamen ut a parte rei nullatenus exsistat id a quo modificationes existimantur produci ; omnes qui hanc rem apertam habent, asserent corpus apparenter exsistere. Ergo a pari. — Ad c) : Si terminus ad quem non exercet circa tertium commune munus quod termino a quo exercebatur, eodem modo omnes asserent idem munus apparenter exerceri a termino ad quem, et proin conversionem esse apparentem. — Ad d) : Si terminus

([1]) S. Th. III, q. LXXV, a. 5 ; *Contra Gentiles*, l. IV, c. LXIII. — ([2]) Lug. *De Sacr. Euch.* d. VII, s. I, n. 8.

a quo erat extrinsecus tertio communi, omnes dicent duas mutationes factas fuisse, non autem veram conversionem.

Coroll. Ergo conversio essentialiter considerata definitur : transitus unius rei in aliam vi nexus intrinseci, quo desitio unius termini devincitur ex natura rei cum positione termini alterius.

Scholion. In conversione naturali essentialiter requiritur *subjectum conversionis ;* nam essentialiter requiritur aliquid commune utrique termino formali ; jamvero sola accidentia nequeunt esse naturaliter communia, cum supernaturaliter tantum a subjecto separari queant. Ergo in conversione naturali sola substantia sive completa, sive incompleta, valet esse communis utrique termino.

104. — **Dices 1°** : Ut unum dici possit conversum in alterum, sufficit ut una eademque actio attingat utrumque terminum, unum quidem ad efficiendam ejus desitionem, alterum ad efficiendam ejus positionem. Atqui una actione effici potest positio unius termini et desitio alterius, sine nexu intrinseco inter eos. Ergo non exigitur nexus intrinsecus, sed sufficit extrinsecus, inter positionem unius termini et desitionem alterius. — *Prob. min.* Deus profecto una eademque actione efficere utrumque potest. Ergo.

Resp. a) *Dist. maj.* Sufficit ut una actio *per se* seu *vi naturae suae* attingat utrumque terminum, *Conc. ;* sufficit ut *per accidens* attingat utrumque terminum, *Neg. Cdt. min.* Ut actio per se efficiat unius positionem et alterius desitionem, exigitur ut positio unius per se exigat desitionem alterius. Ad prob. resp. eod. modo. — b) *Conc.* aut *Transm. maj. Neg. min.* Et re quidem vera si ad positionem unius termini non sequitur per se desitio alterius, actio non est una sed duplex. Ad probationem *Dist. ant.* Deus potest actione *realiter* una efficere utrumque, *Conc. ;* actione una secundum nostrum concipiendi modum, *Subd. si datur nexus intrinsecus* inter utrumque terminum, *Conc.;* secus, *Neg.*

In Deo non datur realiter nisi unicus actus, verum aequivalet actibus innumeris, pro multiplicitate terminorum ; quare distinguuntur secundum nostrum considerandi modum duae actiones in Deo, quoties producuntur duo termini qui tales sunt ut causa secunda non attingat eosdem terminos nisi per duas actiones. Neque sufficit, ad salvandam unitatem actionis, dicere Deum ponere unum ut desinat alterum ; si enim hoc sufficeret, numquam destinguerentur actiones in Deo, siquidem omnia fiunt ab eo propter unum finem ultimum.

Dices 2° : Conversio essentialiter non requirit ut vi ipsius positionis

termini formalis ad quem terminus formalis a quo esse desinat. Etenim homo convertitur in cadaver ; terminus formalis a quo est anima ; haec autem non deficit ab essendo. Ergo.

Resp. Conversio essentialiter requirit ut terminus a quo desinat constituere unum quid cum tertio communi ; exigit proin ut desinat exercere munus quod antea exercebat. Uno verbo exigit ut verificetur propositio : A factum est B. — Si terminus formalis a quo potest perseverare quin uniatur tertio communi, cum eo constituat unum, adimpleat munus quod prius adimplebat ; ratio conversionis non impedit quominus perseveret in essendo. Sufficienter salvatur ratio conversionis eo quod cessat compositum antea existens. — Sic ut vera sit propositio : « homo factus est cadaver, » requiritur ut cessaverit compositum humanum et proin haec substantia completa ex corpore et ex anima constans, requiritur etiam ut corpus, prius per animam informatum, jam informetur forma cadaverica.

Quare *dist. ant.* Conversio non requirit essentialiter ut terminus formalis desinat *esse unum compositum physicum cum tertio communi, Neg.;* non exigit, quantum est ex formali sua ratione, ut terminus a quo desinat simpliciter, *Conc.* — *Ad prob. resp. eod. modo.*

§ 3. De transsubstantiatione uti est praecise actio.

Deus tamquam causa principalis et physica non convertit panem et vinum in corpus et sanguinem Christi, quin *agat* proindeque efficiat aliquem terminum. Quaeritur quisnam sit iste terminus a Deo productus sive in corpore Christi, sive in speciebus. Patet alium ab aliis poni terminum pro alia sententia de nexu inter utrumque terminum formalem.

105. — SENTENTIAE. *Prima* est Vasquezii aientis « rationem formalem transsubstantiationis neque esse mutationem neque productionem alicujus rei, sed relationem quamdam ordinis inter substantiam quae desinit et eam in quam desinere dicitur » (1). Est quidem, ait, « in hoc sacramento duplex mutatio aut quasi mutatio ; altera qua corpus et sanguis Christi fit praesens, altera qua desinit panis, neutra autem est formaliter conversio et transsubstantiatio, sed utraque est fundamentum illius » (2). — Non sufficere in sententia Vasquez quemlibet ordinem inter substantias, ad verificandam notionem conversionis, supra dictum fuit.

(1) Vasq. d. clxxxi, c. xi, n. 116. — (2) Ib. c. xii, n. 124.

Secunda est Scoti. Duo includit : a) Producitur in corpore Christi sola praesentia sacramentalis, vi cujus corpus Christi adducitur seu praesens sistitur sub speciebus. b) Substantia panis et vini annihilatur. Ratio est quia non deficit ab essendo vi positionis corporis Christi sub speciebus, siquidem praesentia Christi est compossibilis cum substantia panis haud secus ac cum speciebus ; restat itaque ut desinat esse via annihilationis. — Quare conversio est *adductiva* sive consideretur uti praecise conversio, sive uti actio. — Scoto assentiuntur praeter Scotistas, Toletus, Bellarminus, de Valentia (1).

Tertia est Lugonis (2). a) Corpori Christi supernaturaliter infunditur qualitas, beneficio cujus substantia corporis Christi succedit substantiae panis in ordine ad sustentanda accidentia. b) Haec accidentia sustentat non quidem inhaesive, sed efficienter, in iis nempe producendo modum supernaturalem perseitatis. c) Eo porro fit ut substantia panis et vini corruptione deficiat ab essendo. — Quamobrem transsubstantiatio, uti est praecise actio, est *introductiva* corporis Christi sub speciebus. — *Explicatur :* Probatum est totam substantiam panis et vini vere converti in corpus et sanguinem Christi, proindeque dari nexum intrinsecum inter positionem corporis Christi et desitionem substantiae panis. Ex eo autem duo sunt consectaria : a) remanent accidentia panis et vini ; b) corpus Christi substat his accidentibus, seu succedit substantiae panis in exercendo munere substandi his accidentibus. Porro ut hoc munus exerceat, infunditur ei qualitas supernaturalis ; beneficio hujus qualitatis, corpus Christi producit in species modum supernaturalem perseitatis adeoque substat accidentibus non quidem inhaesive verum efficienter. Inde vero fit ut accidentia jam non inhaereant substantiae panis, sed ab ea separentur ; cum autem substantia nequeat in ordine rerum vigere sine aliquibus accidentibus in ipsa inhaerentibus, puta quantitate, colore, ubi, quando, inde fit ut evanescat, haud secus atque in conversione naturali corrumpitur forma substantialis per productionem alius formae in eadem materia.

Quarta est Suarezii. Per transsubstantiationem non tantum producuntur praesentia sacramentalis et qualitas sustentativa accidentium, sed insuper reproducitur corpus Christi. Corpus vero, reproductum et substans accidentibus, expellit formaliter substantiam panis et vini. —

(1) Scotus : In 4 d. 10, q. 1 ; d. 11, q. III. — Toletus : *In III part. s. Th.* q. LXXV, a. 4. — Bellarm. *De Euch.* l. III, c. XVIII. — De Valentia : t. IV, d. VI, q. III, p. 3. — (2) Lug. *De sacram. Euch.* d. VI, s. 2 ; d. VII, s. 6.

Ratio praecipua Suarezii est quia vult eumdem esse terminum conversionis uti est praecise actio et uti est praecise conversio. Cum autem terminus ad quem conversionis qua talis sit substantia corporis Christi, dicendum est eamdem substantiam esse terminum actionis, adeoque eam reproduci. — Suarezio subscripserunt Lessius, Aegid. De Coninck, Tanner, Amicus, Arriaga, Viva, Pallavicini, Platel, Thomistae communiter, recentius Franzelin et de Augustinis (1). — Non desunt inter hos doctores qui explicant hanc sententiam dicendo actionem, qua fit conversio, debere esse sufficientem, quantum est ex se, ut sit productiva omnium eorum quae termino ad quem insunt; adeoque panem converti in corpus Christi per actionem quae sufficiat producendo corpori Christi, ideoque conversionem eucharisticam esse substantialem, attamen realiter non reproduci corpus Christi, quia jam exsistit et repugnat eumdem terminum attingi duplici actione totali.

THESIS XVI[a]. — Transsubstantiatio, uti est praecise actio, non est reproductiva corporis Christi, uti Suarezio visum est; neque etiam est tantummodo adductiva hujus corporis, uti Scoto placuit; verum est introductiva corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini. — Quamobrem vi conversionis substantia corporis et sanguinis Christi, beneficio qualitatis supernaturaliter infusae, succedit substantiae panis et vini in ordine ad sustentanda accidentia, in iis nempe producendo modum supernaturalem perseitatis. Eo porro fit ut substantia panis et vini, ab accidentibus spoliata, corruptione deficiat ab essendo.

106. — Prima pars. TRANSSUBSTANTIATIO, UTI EST PRAECISE ACTIO, NON EST REPRODUCTIVA CORPORIS CHRISTI.

Prob. Arg. I[m]. In tantum dicenda esset reproductiva corporis Christi, in quantum secus conversio, uti est praecise conversio, non esset substantialis. Atqui potest dici substantialis, etiamsi conversio, uti est actio, non est reproductiva corporis Christi. Ergo. — *Prob. min.* In tantum nequit dici substantialis, nisi reproducatur corpus Christi, in quantum necessario idem esset terminus formalis conversionis uti est praecise actio et uti est praecise conversio. Atqui in thesi sequenti ostendetur contrarium. Ergo (2).

(1) SUAREZ: Disp. L, s. 4. — LESSIUS: *De perf. div.* l. XII, c. XVI, n. 114 sq. — FRANZELIN: *De Euch.* Th. XIII, n. 3. — DE AUGUSTINIS: *De Euch.* pars I, art. V, schol. II, n. II, p. 115.
(2) Cf. LUG. d. VII, s. 2, n. 28.

Arg. II^m. Si transsubstantiatio est actio reproductiva corporis Christi, admittendum est idem corpus posse esse terminum duplicis actionis adaequatae ; sive eumdem effectum posse dependere simul a duplici causa adaequata, aut ab una et eadem per duplicem actionem adaequatam. Atqui hoc videtur adversari principio causalitatis, vi cujus omnis causa actu causans videtur exigere effectum novum. Ergo.

Arg. III^m. *Ad hominem.* In sententia Suarez haec actio procederet ab ipsa humanitate Christi. *Unde sic :* Repugnat ut aliquid sit causa sui ipsius. Atqui juxta Suarez humanitas Christi foret causa sui. Ergo repugnat haec sententia. — Constat major quia repugnat aliquid esse realiter distinctum a seipso. Atqui causa est realiter distincta a effectu. Ergo (1).

Respondet quidem Suarez nihil posse esse causam τοῦ esse quod primo accipit, non autem repugnare ut aliquid, jam habens esse per unam actionem, sit causa sui ipsius per aliam actionem (2). — Verum, uti scite advertit Lugo, haec doctrina non potest stare cum definitione causae in communi, quam tradit Suarez (3) : « principium per se influens esse in aliud. » Et re quidem vera notio causae requirit distinctionem inter principium et effectum.

107. — Secunda pars. VI CONVERSIONIS PRODUCITUR IN CORPORE CHRISTI MODUS PRAESENTIAE.

Prob. 1. *Producitur in corpore Christi modus praesentiae.* Id enim colligitur tum quia ex philosophia constat ubicationem esse realiter distinctam a corpore ubicato, tum speciatim quia praesentia sacramentalis tribuit corpori Christi modum essendi omnino proprium statui sacramentali et plane diversum a modo essendi connaturali. Corpus Christi nequit esse praesens sub speciebus, nisi in ipso per Dei omnipotentiam producatur modus praesentiae, quo est illocaliter praesens sub speciebus panis et vini.

2. *Hic modus praesentiae producitur vi conversionis.* Secundum potentiam absolutam, Deus potuisset sistere corpus Christi praesens, antequam panis converteretur in corpus Christi, sive antequam corpus Christi ita alligaretur alicui tertio communi, ut ex natura rei exigeretur desitio substantiae panis et vini, in hoc casu modus praesentiae non induceretur vi actionis qua fit conversio ; sed talis modus agendi non

(1) LUG. l. c. n. 21-23. — (2) SUAR. *De sacr.* d. L, s. 5. — (3) SUAR. *Metaph.* d. XII, s. 2.

est secundum potentiam Dei ordinatam. Ergo corpus Christi non est praesens ante conversionem, sed per conversionem.

108. — **Tertia pars.** VI CONVERSIONIS ACTIVE SUMPTAE PRODUCITUR IN CORPORE CHRISTI QUALITAS ACTIVA SUPERNATURALIS, QUA EFFICIENTER SUSTENTAT ACCIDENTIA, ADEOQUE CONVERSIO NON EST MERE ADDUCTIVA, SED DICENDA EST INTRODUCTIVA.

Prob. Ut substantia panis et vini vere dici possit converti in corpus et sanguinem Christi, requiritur ut inter desitionem termini formalis a quo, nempe substantiae panis et vini, et positionem termini ad quem, nempe substantiae corporis et sanguinis, detur intrinsecus nexus, adeoque utrique termini totali sit aliquid realiter commune, in ordine ad quod simultaneitas utriusque termini sit impossibilis. Atqui ut hoc sit, requiritur tum ut remaneant accidentia, tum ut producatur in corpore Christi qualitas activa supernaturalis quae efficienter sustentet accidentia. Haec autem qualitas producitur in corpore Christi per actionem qua fit conversio, quod probatur uti supra. Ergo.

Prob. min. Cum munus sustendandi accidentia adimpleri nequeat a duobus, inde si usurpatur per corpus Christi, eo ipso jam non exercetur per substantiam panis. Cum igitur haec substantia absolute in ordine rerum vigere nequeat sine accidentibus (puta sine ullo colore, quantitate, viribus), ab essendo deficit, eo ipso quod substantia corporis Christi ponitur sub speciebus, proindeque merito dicitur converti in corpus Christi. Contra si corpus Christi non substat accidentibus, non expellit formaliter substantiam panis, adeoque panis non convertitur in corpus Christi ; sed ut haec ab essendo deficiat, necesse erit ut per actionem aliam Deus accidentia jam separet a substantia. Haec autem actio divina erit annihilatio, sed non erit conversio. — Quo praemisso, sic arguitur : Ut habeatur nexus intrinsecus inter utrumque terminum, ut simultanea praesentia substantiae panis et substantiae corporis Christi sub eodem tertio sit impossibilis ex natura rei, oportet ut substantia corporis Christi succedat substantiae panis in ordine ad substandum accidentibus. Atqui substantia corporis Christi nequit substare accidentibus, nisi efficienter, seu active influendo in ea ; ut autem efficienter sustentet accidentia, oportet ut in ipso producatur qualitas activa qua hoc munus exerceat. Ergo.

Prob. min. Corpus Christi munere substandi accidentibus fungi debet a) vel *inhaesive*, sc. per modum subjecti, cui accidentia inhaereant illud modificando seu ei tribuendo actum secundum ; b) vel *efficienter*, sc. agendo et influendo in his accidentibus. — Ulterius si

corpus Christi efficienter sustentat accidentia, aut ea sustentat virtute *naturali*, aut virtute *supernaturaliter* ei addita; ulterius haec virtus addita vel erit elevatio *extrinseca*, h. e. concursus Dei specialis et indebitus vi cujus corpus Christi sustentat efficienter accidentia; vel erit *qualitas supernaturalis activa*, qua corpus Christi intrinsecus elevabitur. Atqui admitti nequit a) corpus Christi esse *subjectum accidentium*. Eo enim quod corpus Christi esset subjectum accidentium panis et vini, consequens esset α) illud jam esse formaliter extensum, album, flavum, liquidum etc.; β) illud pati et alterari cum patiuntur et alterantur accidentia quae ipsi inhaerent. Sed hoc esse inconveniens nemo non videt. Neque admitti potest b) corpus Christi sustentare efficienter accidentia *virtute naturali*. Etenim α) corpus Christi illocaliter praesens sub speciebus non pollet virtute naturali agendi transeunter in corpora, uti probatum est. Deinde β) corpus Christi, si non substat accidentibus inhaesive sed efficienter, dicendum est efficere terminum; hic autem terminus, in accidentibus productus, est modus supernaturalis essendi per se, uti ex parte sequenti constabit. Atqui a virtute naturali corporis non procedit effectus supernaturalis. Ergo. — Neque admitti potest c) corpus Christi sustentare accidentia beneficio elevationis extrinsecae. Cum enim stabili modo sustententur accidentia panis et vini, saltem probabilius est corpus Christi ea sustentare per virtutem quae ipsi stabiliter insit et facta sit propria. Deus enim solet tribuere virtutem permanentem causis secundis stabiliter agentibus. — Ergo reliquum est ut corpus Christi efficienter sustentet accidentia panis et vini vi qualitatis activae in eo productae per conversionem.

109. — Quarta pars. ACCIDENTIBUS PANIS ET VINI INFUNDITUR MODUS SUPERNATURALIS PERSEITATIS; INFUNDITUR AUTEM A CORPORE ET SANGUINE CHRISTI.

Prob. 1. Corpus Christi efficienter sustentat accidentia. Ergo in iis producit id quo sustentantur, seu modum quo sunt seorsim a subjecto inhaesionis. Hic autem modus naturalis non est; accidentia enim naturaliter inhaerent subjecto; deinde nullum agens creatum valet esse causa principalis qua producitur talis modus.

2. Corpus Christi et species nonnisi extrinsecus uniuntur. Ergo accidentia panis et vini sunt seorsim ab omni subjecto. Per separationem a substantia iis proinde est alius modus essendi; hic autem modus non est naturalis, sed supernaturalis et producitur ab eo quod efficienter speciebus substat.

110. — **Quinta pars.** TRANSSUBSTANTIATIO EST INTRODUCTIVA CORPORIS CHRISTI SUB SPECIEBUS.

Prob. Arg. I^{m}. Ex praejactis in corpore Christi producitur qualitas supernaturalis qua illud corpus substat accidentibus, iis influendo modum supernaturalem perseitatis. Atqui hoc perinde est atque introduci sub speciebus. Ergo.

Arg. II^{m}. Si transsubstantiatio dicitur introductiva corporis Christi sub speciebus, explicantur circa mysterium ea quae in praesenti quaestione sunt explicanda et simul removetur omnis contradictio. Ergo merito hoc admittitur. Admittendum est a) totam substantiam panis et vini vere *converti* in substantiam corporis et sanguinis Christi, non vero annihilari: id autem locum habere ostendetur in ultima parte. Admittendum est b) hanc conversionem esse substantialem: id verificari constabit ex thesi sequenti. Admittendum est c) hanc conversionem recte vocari transsubstantiationem. Porro hanc appellationem optime tribui sic probatur: Quod substat accidentibus non est pars substantiae completae, sed tota haec substantia, inde tota substantia introducenda est ut sustententur accidentia panis et vini, totaque substantia panis et vini desinere debet. Atqui ubi completa substantia convertitur in substantiam completam, ibi transsubstantiatio. Ergo.

111. — **Sexta pars.** SUBSTANTIA PANIS ET VINI NON ANNIHILATUR SED CORRUMPITUR.

Prob. Arg. I^{m}. Ibi tota substantia panis et vini vere dici potest conversa in substantiam corporis et sanguinis Christi, ubi a) utrique huic termino est aliquid realiter commune; b) quod fuerit intrinsecum termino a quo; c) sine quo terminus a quo esse nequit; d) circa quod terminus ad quem obit vices termini a quo exercetque munus quod hic exercebat et quod a duobus exerceri nequit. Atqui eo quod transsubstantiatio est introductiva corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini, haec quatuor verificantur. Ergo.

Ad majorem: Re quidem vera cum agens naturale operatur circa substantiam corpoream, ex ejus potentia educendo formam sive substantialem sive accidentalem; tunc forma prior (seu terminus a quo qui expellitur formaliter per formam supervenientem, seu terminum formalem ad quem) dicitur converti in hanc aliam formam, desinitque per accidens corruptione. — In transsubstantiatione per omnipotentiam divinam praesens fit corpus Christi, corpus panis et vini modificatur, sed ordine inverso ab eo ordine qui est naturalis: substantia enim completa non accipit alium actum secundum aut materia prima alium

actum primum, uti fieri solet in conversione naturali; sed accidentia recipiunt aliam substantiam qua sustineantur, nempe substantiam corporis et sanguinis Christi quae influit perseitatem in his accidentibus et ita ea separat a substantia panis et vini. Igitur sicut in conversione naturali forma non dicitur annihilari sed converti, sic in transsubstantiatione, substantia panis et vini dici nequit annihilari, sed dicenda est converti.

Arg. II^{m}. In tantum dici posset substantiam panis et vini annihilari, in quantum desineret eo fine ut jam non sit, non vero eo solo fine ut corpus Christi stabiliter subsit speciebus. Atqui substantia panis et vini ab essendo deficit eo solo fine ut corpus Christi speciebus subsit. Ergo.

112. — Scholion 1^{m}. *De unione corporis Christi cum speciebus.* — Speciebus localiter motis, movetur corpus Christi. — Corpus Christi dicitur esse verus cibus, vere manducari: « Accipite et manducate. Caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est potus. » — Ut haec explicentur, exigitur unio extrinseca per actionem unius et passionem alterius. Si enim nulla est unio inter accidentia et corpus Christi, qua ratione fit ut, uno moto, moveatur aliud? An per harmoniam praestabilitam Leibnitzianorum? — Corpus Christi secundum se non est cibus, neque proprie manducatur, cum sit illocaliter praesens. Si unitur speciebus, aliqua ratione potest dici manducari; sed quomodo cum veritate hoc dici valeat, seclusa omni unione, profecto non videtur.

Ad hanc unionem explicandam sunt qui attribuunt speciebus novam qualitatem distinctam a modo perseitatis, beneficio cujus hae species attrahant corpus Christi. Asserunt nempe hanc unionem non fieri per influxum corporis Christi in species; et rationem dant quia si corpus Christi influxum attractivum exerceret in species, hae difficilius moverentur ab uno loco ad alium locum. Illud manifestum esse dicunt ex eo quod qui sacras hostias defert non attingit corpus Christi ratione sui, sed solas species; unde si species attrahuntur per id quod immediate non tangitur; difficilius movebuntur. Illud autem non habebit locum si species attrahunt corpus Christi, cum corpus Christi sit illocaliter praesens, adeoque ponderis site expers. — Attamen ne multiplicentur entia mirabilia, videtur necesse non esse ut inducatur nova qualitas; sed munus attrahendi corpus Christi videtur posse attribui huic qualitati quam idem illud corpus in species influit et beneficio cujus supernaturaliter conservantur sine subjecto inhaesionis.

Scholion 2^{m}. *Quaeres num quodlibet possit converti in quodlibet?*

Resp. a) *Naturaliter* in quolibet corpore potest induci alia forma substantialis, ita ut quodlibet corpus in quodlibet aliud corpus possit converti. — b) *Supernaturaliter* substantia cujuslibet corporis potest converti sive in aliud corpus, sive etiam in spiritum qui efficienter substet his accidentibus et influxum attractivum accidentium recipiat. Hinc c) cum Deus talem influxum recipere nequeat, dici nequit corpus posse converti in Deum — Hi qui tenent solam quantitatem cum accidentibus in ea subjectatis a substantia separari posse, consequenter tenent etiam substantiam spiritualem non posse converti ([1]).

Satisfit difficultatibus.

Lug. d. vii, sect. 8 et 9.

113. — **Obj. 1°.** *Conversio uti est actio non producit praesentiam neque ullam qualitatem.* Illud enim non producitur vi conversionis, quod nonnisi per accidens conjungitur conversioni. Atqui modus praesentiae per accidens conjungitur conversioni. — *Prob. min.* Quod haberi potest ante conversionem, nonnisi per accidens conversioni conjungitur. Atqui modus praesentiae et qualitates possent produci in corpore Christi ante conversionem, siquidem nil impedit quin corpus Christi praesens sistatur in pane antequam panis convertitur in corpus Christi. Ergo.

Resp. Si modus praesentiae aliaque possent deesse in corpore in quod aliud convertitur, dicenda essent non produci per conversionem ipsam; pariter si praesens sisteretur terminus ad quem, antequam terminus a quo convertitur in illum. — Verum si conversio unius in aliud fieri nequit nisi terminus ad quem praesens sistatur certis qualitatibus ornatus, si ex altera parte hic terminus ad quem non est praesens ante conversionem, sed in ipsamet conversione; dicendus est modus praesentiae produci vi ipsius conversionis. Jam vero requiritur sane praesentia Christi ut fiat conversio, haec autem praesentia non praecedit conversionem; sed quo instanti proferuntur verba consecrationis, eodem simul utrumque contingit. — Quare *Dist. maj.* Illud non producitur vi conversionis quod nonnisi per accidens conjungitur conversioni, h. e. cujus *exsistentia* non est necessaria ad hoc ut fiat conversio, *Conc.;* cujus exsistentia necessario quidem est, sed potest praecedere

([1]) Cfr. Lug. d. vii, s. 10, n. 173. — Vasq. d. clxxxiv per totam. — Suar. d. l. s. 10.

conversionem, *Subdist. si de facto praecedit* exsistentia, tunc illa res non producitur vi conversionis, *Conc.;* si non praecedit, *Neg.* — *Cdt. min.* — Ad probationem respondetur eodem modo.

114. — **Obj. 2°.** *Corpus Christi dici potest reproduci per consecrationem.* In tantum hoc denegandum foret, in quantum, multiplicatis actionibus, multiplicaretur corpus et sic non reproduceretur, sed aliud corpus produceretur. Atqui eo quod consecrationi attribuitur virtus reproducendi corpus Christi, ideo illud corpus non multiplicatur. — *Prob. min.* Res in esse suo ponitur et conservatur, non per influxum indistinctum a re, sed per modum dependentiae modaliter a re distinctum. Atqui, si ita se res habet, multiplicatis actionibus, multiplicatur dumtaxat modus dependentiae in eodem corpore, quod non repugnat. Ergo non multiplicaretur corpus eo quod reproduceretur.

Resp. Argumentum videtur ducere ad absurda. Ex una enim parte modus, quo res pendet a Deo, est natura posterior ipsa re: resultat enim ex re ; sed quod ex alio resultat, hoc aliud sibi praesupponit, seu est posterius natura. Ex altera parte idem modus esset natura prior eadem re a Deo conservata et creata : esset enim id quo res esset creata aut conservata, adeoque ratio creationis aut conservationis ; sed ratio est ratiocinato prius secundum ordinem naturae.

Obj. 3°. Cum *Coninckio.* Per actionem replicativam corpus Christi habetur simul in pluribus locis. Atqui hoc fieri nequit, nisi corpus reproductum sit terminus actionis replicativae. Ergo. — *Prob. min.* Secus actio replicativa terminari debet ad aliquam entitatem a substantia distinctam. Atqui hoc dici nequit. Corpus enim Christi non acquireret novam entitatem intrinsecam, sed denominationem mere extrinsecam, petitam ex novo loco in quo constituitur.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem respondetur 1° transmittendo majorem et *negando minorem ;* 2° *distinguendo majorem* : Secus actio replicativa terminabitur ad entitatem distinctam a substantia, nisi probetur hanc entitatem repugnare, *Conc.;* si hoc probatur, *Neg.* Si enim repugnaret corpus constitui hic aut illic per ubicationem modaliter distinctam a substantia, nullatenus dicendum esset corpus Christi reproduci ; verum dicendum esset corpus Christi replicari sine acquisitione novae entitatis, adeoque replicationem non esse productivam entitatis alicujus. Quare falsa esset in hac hypothesi ista propositio: corpus Christi vel reproducitur, vel acquirit per replicationem entitatem a substantia distinctam. Habetur enim tertium membrum.

§ 4. Conversio eucharistica, qua praecise conversio, est substantialis.

115. — **SENTENTIAE.** 1. Conversionem esse substantialem, *negant* Scotus et Paludanus. Uterque censet eumdem esse terminum conversionis qua actionis et qua conversionis ; uterque autem negat terminum actionis conversivae esse substantiam corporis et sanguinis Christi ; quare uterque etiam negat conversionem qua conversionem esse substantialem seu pro termino formali ad quem habere substantiam. — Dissentiunt a se mutuo, ubi agitur de assignando termino formali : a) Scotus, uti superius ostensum est, tenet non produci nisi praesentiam Christi sub speciebus ; quare haec praesentia est terminus formalis ad quem conversionis qua conversionis ; terminus autem formalis a quo juxta Scotum est praesentia inhaesiva substantiae panis et vini sub speciebus iisdem ; quare una praesentia proprie loquendo convertitur in aliam praesentiam et substantia panis et vini annihilatur. — b) Paludanus vero tenet vigere nexum intrinsecum inter positionem unius termini et desitionem alterius ; quare tenet in corpore Christi produci qualitatem sustentativam et praesentiam sacramentalem. Hae igitur qualitates sunt terminus formalis conversionis. Quare conversio non est substantialis nisi secundum dici.

2. Conversionem qua conversionem esse substantialem *affirmant* Suarez, Vasquez et Lugo. — Suarez quidem censet exigi ut idem ponatur terminus conversionis qua conversionis et qua actionis, ideoque tenet substantiam corporis Christi reproduci in Eucharistia. — Contra affirmant Vasquez et Lugo identitatem terminorum nullatenus exigi.

THESIS XVII[a]. — Transsubstantiatio, uti praecise conversio, pro termino formali ad quem habet substantiam corporis et sanguinis Christi. Quare conversio eucharistica dicenda est vere substantialis.

116. — **Prob. Arg. I[m].** Petitur *ex verbis institutionis.* Transsubstantiatio, uti est praecise conversio, terminatur formaliter ad id quod significatur verbis consecrationis, adeoque indigitatur per pronomen *hoc.* Atqui significatur et indigitatur substantia corporis Christi. Ergo.

Arg. II[m]. Petitur *ex Conciliis.* Juxta Lateranense IV : « Corpus et sanguis Christi in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus et vino in

sanguinem. » Synodus Tridentina « declarat per consecrationem panis et vini, *conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus* » (1). Unde sic: Transsubstantiatio uti est praecise conversio pro termino formali ad quem habet id in quod panis et vinum dicuntur esse conversa. Atqui panis et vinum numquam dicuntur converti in modum praesentiae, aut in qualitates; verum juxta Lateranense et Tridentinum, substantia panis et vini transsubstantiantur in substantiam corporis et sanguinis Christi. Ergo, juxta has Synodos, transsubstantiatio terminatur formaliter ad substantiam corporis Christi.

Arg. III^{m}. Petitur *ex locutionibus Patrum*. Juxta Patres panis et vinum fiunt corpus et sanguis Christi, in haec transeunt, mutantur, convertuntur, transelementantur, uti manifestum est ex multiplici testimonio adducto in thesi dogmatica de transsubstantiatione. Atqui his verbis manifeste dicunt Patres terminum ad quem conversionis qua conversionis non esse qualitatem accidentalem, sed ipsammet substantiam corporis et sanguinis Christi. Ergo.

Arg. IV^{m}. Illa conversio est substantialis qua substantia, uti est substantia, introducitur ad succedendum alii substantiae quae formaliter expellitur quatenus est substantia. Atqui in transsubstantiatione corpus et sanguis Christi uti substantia, introducuntur sub accidentibus ad succedendum substantiae panis et vini quae expellitur uti praecise est substantia. Etenim corpus Christi substituitur pani in ordine ad sustentanda accidentia et ideo expellitur substantia panis et vini ; sed corpus Christi, uti praecise est substantia, sustentat accidentia. Ergo.

Arg. V^{m}. In tantum negari posset conversionem eucharisticam, qua praecise conversionem, esse substantialem, in quantum de ratione formalis conversionis qua conversionis esset ut actio conversiva sit productiva omnium eorum quae insunt termino formali conversionis qua conversionis. Atqui hoc non est de ratione formali ejus. Id enim est manifestum quia, ubi verificantur elementa modo enumerata, profecto ibi verificatur definitio conversionis, adeoque datur conversio proprie dicta; sed inter praefata elementa non datur exigentia ut actio conversiva producat omnia ea quae sunt de termino formali conversionis qua conversionis. Ergo.

(1) LATERAN. IV, cap. *Firmiter*, Denz. *Enchiridion*, n. 357. — TRID. sess. XIII, c. IV.

Satisfit difficultatibus.

117. — **Obj. 1°.** *Conversio eucharistica non est substantialis.*

Ut conversio sit substantialis, oportet ut vi conversionis substantia panis ab essendo deficiat. Nam de ratione conversionis est ut terminus a quo desinat vi positionis termini ad quem. — Atqui hoc non obtinet. Ergo. — *Prob. min.* Per conversionem substantia panis tantum desinit esse sub accidentibus. Atqui eo quod desinit accidentibus substare, non ideo simpliciter ab essendo deficit. Ergo. — *Prob. min.* Substantia in exsistendo non pendet ab accidentibus. Atqui quod non pendet in exsistendo ab altero, non ideo ab essendo deficit quia desinit ei uniri, eique substare. Ergo.

Resp. a) Praescindimus a quaestione num substantia panis et vini supernaturaliter esse posset sine ullo accidente. Sic certe *naturaliter* conservari non valet. Per conversionem ab ea aufertur quantitas cum accidentibus in ea subjectatis ; auferuntur vires activae, per quas in organa influit ; auferuntur qualitates sensibiles, seu omne id ratione cujus compositum ex substantia et accidentibus attingitur sensibus. Profecto naturaliter esse non potest substantia sine quantitate, colore, ubi, etc. Cum igitur substantia ab his denudatur, ab essendo deficit. b) Substantia non dependet in exsistendo ab accidentibus, hoc sensu quod substantia non fit ex accidentibus, non educitur ex iis, siquidem contra accidentia resultant ex substantia; attamen dicenda est pendere ab accidentibus hoc sensu quod in ordine rerum esse non potest, nisi ab eo dimanent resultentque naturali consecutione accidentia quaedam, puta quantitas, vires activae, quae ideo dicuntur comproduci, concreari. — Igitur *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem iterum conceditur major et negatur minor ; ad hujus probationem respondetur *distinguendo majorem :* substantia non pendet in exsistendo ab accidentibus h. e. *potest exsistere* quin exsistant accidentia quaedam ex ea resultantia, *Neg.;* ejus realitas non educitur ex realitate accidentium, *Conc. Cdt. min.*

Obj. 2°. Ex eo quod substantia panis posset converti in corpus Christi, consequens foret quodlibet posse converti in quodlibet. Sed falsum est consequens. Ergo falsum est antecedens.

Resp. Ut aliquid convertatur in aliud, oportet ut ex termino totali a quo remaneat aliquid quod jam stabili modo fiat proprium termino ad quem. *Naturaliter* sola substantia completa in conversione accidentali et sola materia prima in substantiali conversione possunt esse elementum commune utrique termino. — *Supernaturaliter* quantitas cum acci-

dentibus in ea subjectatis potest separari ab uno et sustineri ab altero. Hoc alterum, supernaturaliter sustinens quantitatem, potest esse substantia corporalis aut etiam spiritualis. Inde corpus converti potest in aliud corpus aut etiam in substantiam spiritualem. — Probabilissime accidentia spiritualia absolute non possunt separari et sustineri per aliam substantiam spiritualem. Hinc angelus non convertitur in angelum neque in corpus. — Quamobrem respondetur *distinguendo majorem* : sequeretur quodlibet *corpus* posse absolute converti in quodlibet corpus aut etiam in angelum, *Conc.;* sequeretur quodlibet sive *corporeum* sive *incorporeum,* posse converti in quodlibet aliud, *Neg.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui falsum est corpus posse absolute converti in substantiam spiritualem. Etenim ex hoc foret consequens corpus posse converti in Deum. Atqui hoc est absurdum. — *Prob. maj.* Ratio ob quam corpus potest converti in angelum, dicitur esse quia angelus per virtutem supernaturalem valet efficienter sustentare quantitatem, siquidem corpus Christi, localiter praesens in Eucharistia, talem virtutem est adeptum. Atqui eadem ratio valet circa Deum. Sicuti enim citra jacturam immutabilitatis creat aut non creat, concurrit cum causis secundis aut non concurrit ; sic sine mutatione efficienter valet sustinere quantitatem a corpore separatam, ei infundendo modum supernaturalem perseitatis.

Respondet Lugo *concedendo majorem* et *negando minorem* (1). — Praeplacet sententia opposita. Ut tota substantia convertatur in aliam, non sufficit ut accidentia termini a quo sustineantur termino ad quem ; verum adhuc exigitur ut ex accidentibus separatis et termino ad quem oriatur aliquod unum; proinde ut uniantur, ut influxum attractivum exerceatur ab accidentibus, adeo ut, his motis, moveatur substantia quae efficienter substat. Accidentia autem talem influxum exercent in corpus Christi et non videtur repugnare ut similem exerceant influxum in substantiam angelicam, ideoque absolute impossibilis non est conversio corporis in angelum. Verum aperte repugnat ut accidentia influant in Deum, eumque attrahant. — Idcirco *negatur major.* — Ad probationem : *Dist. maj.* Sola ratio ob quam corpus in angelum converti possit, est quod angelus efficienter sustinere valet accidentia, *Neg.;* quod ea ita sustinere valet, ut efficiat cum accidentibus *aliquid unum, ratione influxus attractivi* quem ab accidentibus recipit, *Conc.* — *Cdt. min.*

(1) Lug. d. VII, s. 10, n. 180 sq.

Obj. 3°. Ut conversio eucharistica sit substantialis, debet formaliter terminari ad substantiam corporis Christi. Atqui ad eam non terminatur. — *Prob. min.* Conversio terminatur ad id quod per actionem conversivam accipit esse. Atqui substantia corporis Christi non accipit esse per actionem conversivam. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Conversio *qua conversio* debet terminari ad substantiam corporis Christi, *Conc.; qua actio, Neg. Cdt. min.* — Ad prob. *Dist. maj.* Conversio *qua actio* non terminatur nisi ad id quod accipit esse per eam, *Conc.;* conversio *qua conversio, Neg. — Conc. min.*

CAPUT IV.

De remanentia accidentium.

D. Th, III, q. LXXVII. — Suar. d. LVI et LVII. — Lugo. d. X. — Vasq. d. CXCIV.

§ 1. Notiones. — Quaestiones.

118. — NOTIONES. — 1. Notio *accidentis in genere.* Res tum spiritualis tum corporea varias denominationes accipit, diversimode modificatur. Id quod jugiter idem permanet vocatur *substantia;* denominationes vero et modificationes vocantur *accidentia realia.* Dividuntur in respectiva et absoluta.

2. Accidens *absolutum* est entitas distincta a substantia, eique tribuens ut sit hoc vel illo modo, in hoc aut in illo statu. Unitur intrinsecus substantiae et educitur ex ejus potentia. *Unitur,* inquam, substantiae, adeo ut ex accidente et substantia exsurgat ens unum per accidens, puta anima cogitans, corpus calidum. *Educitur ex potentia substantiae* h. e. fit in et ex substantia seu substantia modificatur, accidens est haec modificatio.

3. Alia accidentia absoluta dicuntur accidentia *per se,* alia autem accidentia *per accidens.* a) Corporibus duplex est accidens per se: α) *quantitas* afficiens corpus ratione materiae, in qua subjectantur immediate qualitates. — β) Principium proximum operandi seu *potentiae, vires.* Juxta plerosque et nobiliores scholasticos natura est quidem principium ultimum, seu radicale, agendi et patiendi; verum agit mediantibus viribus ab ipsa realiter distinctis. Vires, quae naturae competunt tamquam proprietates, ex essentia necessario et ab intrinseco dimanant,

concreantur et comproducuntur cum illa, ideoque dicuntur accidentia per se. Opponuntur accidentibus per accidens, quae per motum, sive per transitum ab uno statu ad alium, e potentia substantiae educuntur. — Haec distinctio realis sic explicatur: sicut compositum ex materia et forma non continet actu duas entitates manentes inter se distinctas, sed unam, compositam ex duabus, quarum una est determinabilis sive materia, altera determinans sive forma et actus; — sic etiam compositum ex substantia completa et principio proximo operandi non actu continet pluralitatem entitatum manentium inter se distinctarum, sed entitatem unam, solubilem in duas. Illud autem compositum est natum terminari immediate ad effectus, ratione istius vis instrinsecus unitae, et proinde istud accidens per se recte vocatur ratio agendi, principium quo proxime agit compositum. Eodem modo explicatur distinctio substantiae et quantitatis. — b) Corpora percipiuntur sensibus singulis hominis ratione variorum modorum sese habendi, sive modificationum, quorum alii aliis superveniunt. Sic corpus attingitur uti est coloratum, sonorum, calidum, sapidum, odoratum, durum, molle, insignitum electricitate et magnetismo. Ea autem quibus corpus est coloratum, sonorum, etc... sive colores, calor, sonus etc... dicuntur qualitates corporeae sive etiam sensibilia.

Alii aliter explicant naturam harum qualitatum: α) Juxta atomistas et dynamistas qualitates corporeae, objective consideratae, non sunt nisi diversi motus elementorum corporeorum, nempe sive aetheris corpus pervadentis, sive elementi ponderabilis. — Sic color et calor radians sunt motus vibratorii transversales aetheris; electricitas et magnetismus sunt motus vibratorii longitudinales istius elementi imponderabilis; sonus et calor conductus sunt motus vibratorii elementi ponderabilis. — Consequenter qualitates nonnisi causaliter insunt corporibus; sive aliter, corpus est coloratum et calidum, non eo quod ipsi inest id quod sensibus apprehenditur, sed eo quod causat seu determinat in sentiente perceptionem qualitatum. Eam autem determinat, quatenus se movet determinato motu, hunc motum communicat medio ambienti nempe aetheri et aeri interjacenti, hoc medio, tamquam vehiculo, communicat sensoriis motum similem, qui tendit ad cerebrum ubi determinatur perceptio sensibilis. — β) Juxta peripateticos sensibilia propria sunt modificationes intrinsecae elementorum corporeorum, sive accidentia absoluta; educuntur proxime ex potentia quantitatis, remote ex potentia substantiae; cum sibi succedant in corporibus, recte dicuntur accidentia per accidens realiter distincta a

substantia, recte etiam dicuntur alterationes. Proinde id quod per sensationem apprehenditur, non tantum determinatur a corporibus, sed eo ferme modo corpori inest quo modo repraesentatur, sive corporibus convenit causaliter et formaliter. — Praeter illud dogma fundamentale, admittebant veteres peripatetici modificationem hanc intrinsecam, in qua sita est essentia qualitatis, non concomitari motum localem ; vicissim admittebant in corpore produci posse motum localem, nulla producta alteratione. Neo-peripatetici, ut physicorum difficultatibus facere possint satis, praeter dogma fundamentale mox relatum, sequentia admittunt : a) Qualitates sensibiles corporum conjunguntur cum motibus vibratoriis qui hisce qualitatibus sunt proportionati. — Consequenter corpora sunt colorata, sonora, etc., ratione intrinsecae modificationis accidentalis quae annexum habet motum vibratorium molecularum corporearum. b) Hujus autem motus, qualitati annexi, causa efficiens instrumentalis est haec ipsamet qualitas ; sive aliter, agens extrinsecum in corpore producit immediate et per se intrinsecam modificationem quae est calor, color etc., mediante hac qualitate producit motum in substantia corporea. c) Immo quotiescumque agens extrinsecum motum localem in corpore producit, hunc motum non gignit nisi substantiam corpoream intrinsecus modificando et alterando.

119. — QUAESTIO. Quae modificationes sensoriorum producebantur ante consecrationem, eaedem, consecratione peracta, pergunt produci in sensoria ; quam resistentiam exercebant panis et vinum ante consecrationem, eadem exercetur post consecrationem ; quae qualitates sensibiles, calor, color etc., apprehendebantur ante consecrationem, eaedem, realiter aut apparenter, post consecrationem apprehenduntur. — Quaeritur a) *a quanam causa efficiente proficiscantur* hae actiones quibus modificantur sensoria et quibus influxus exercetur in corpora contigua ; b) *quid realiter respondeat* iis perceptionibus qualitatum sensibilium ?

Prima sententia est atomistarum et dynamistarum catholicorum. Modificationes sensoriorum, aliique effectus, *non producuntur ab aliquo remanente ex corpore panis et vini* transsubstantiatorum. b) Perceptionibus sensuum *nihil respondet objective ex pane et vino remanens* (1).

(1) Atomistae, si sibi constant, adstringuntur ad negandam exsistentiam accidentium corporeorum. Etenim dicunt essentiam substantiae corporeae reponi in sola extensione. Itaque ubi extensio, ibi substantia corporea; jamvero accidentia corporea nequeunt esse simplicia; si vero dicuntur extensa, simul essent substantia et accidens, quod implicat. — Dynamistae negant quidem de facto haberi accidentia re distincta a substantia;

Atomistae et dynamistae inter se dissentiunt in assignanda causa modificante sensoria.

Juxta atomistas a) modificatio organorum efficienter procedit sive a Deo sive a corpore Christi illocaliter praesenti in altari ; Deus nempe aut Christus producit omnes illos effectus qui antea a substantia panis et vini producebantur. Inde b) perceptionibus sensibilibus, a Deo aut a Christo determinatis, non respondent nisi *apparentiae* panis et vini, ac proinde locutio Tridentini « remanent *species* panis et vini » idem audit ac « remanent *apparentiae.* » — Hae apparentiae a nonnullis vocantur *species intentionales*, quia in sensoriis producuntur a Deo modificationes per quas tendimus in apparentias panis et vini (1).

Juxta Palmieri modificationes organorum, aliique effectus, efficienter procedunt *ab atomis aetheris,* quae prius substantiae panis et vini admixtae erant. Transsubstantiatione peracta, hae atomi servant inter se, ob interventum specialem Dei, eum ordinem quem antea, praesenti substantia, habebant, atque, ob eumdem Dei interventum, eas exercent actiones quae prius a substantia panis et vini exercebantur (2).

120. — *Secunda sententia* est scholasticorum asserentium ex corpore panis et vini, desinente substantia, *remanere complexum accidentium,* ab his accidentibus proficisci actiones quibus sensoria modificantur, adeoque ista accidentia respondere perceptionibus sensibilibus.

Ista sententia sic uberius explicatur : moleculae, quibus coalescunt corpora panis et vini, constant ex substantia et variis accidentibus, quorum alia quidem sunt accidentia per se, alia vero accidentia per accidens. Vires naturae natae sunt agere in istud compositum, illud intrinsecus modificare, educere alias formas substantiales aut accidentales e potentia materiae secundae aut materiae primae. Modo enim

attamen exsistentia horum accidentium componi potest cum eorum systemate : Sicuti enim scholastici admittunt animam informari accidentibus spiritualibus, salva manente simplicitate animae (quae stat in eo quod caret partibus quantitativis); sic nil officit systemati huic quin admittant vires quantitative simplices modificari accidentibus simplicibus. Ratio primaria, et fortassis unica, ob quam realis distinctio accidentium, sive corporeorum sive incorporeorum, a multis philosophis catholicis negetur, est quia autumant hanc distinctionem ita esse explicandam ac si in composito accidentali remaneret actualis pluralitas entitatum. Jamvero talem esse praeposteram intellectionem systematis scholastici pro certo habemus.

(1) Inde constat Carthesianismum sapere propositionem, « Christus est praesens sub apparentiis (sous les apparences) panis et vini, » quae in multis libris gallicis legitur. Ista propositio est *positive falsa,* si significare intendit nihil ex corpore panis et vini realiter remanere, sed tantum apparenter. Est autem *negative falsa* si significare intendit *substantiam* panis et vini nonnisi apparenter remanere : tunc enim vera est quoad id quod positive affirmat, sed non exprimit totam veritatem, siquidem de accidentibus panis et vini realiter remanentibus omnino tacet.

(2) Cf. Palmieri, *Inst. phil.* t. II. *Cosm.* c. III, Th. XXVI.

modificatio istius compositi tanta est, ut ab eo jam proficiscantur actiones specifice diversae, ac proinde ut acquisitae fuerint vires specifice diversae ; sic autem generata est natura nova, species nova, sive etiam educta est forma substantialis nova ex potentia materiae : quale enim operari, tale esse, ex adagio a scholasticis communiter recepto ; sic etiam amissae sunt vires, proprietates antiquae, seu corrupta est per accidens forma substantialis prior, seu etiam formaliter est expulsa. — Modo modificatio est minor minusque intima, talis nempe ut acquisitae non sint vires proprietatesque specie diversae ; tunc remanet eadem natura, species, substantia completa ; acquisitus est novus essendi modus secundarius, educta est ex potentia materiae secundae forma accidentalis.

Cum fit transsubstantiatio, operatio divina attingit et modificat idem compositum, at modo inverso ab eo secundum quem vires naturae id compositum attingunt : quod nempe agentia naturalia corrumpunt, id Deus conservat ; et quod agentia naturalia illaesum servant, id Deus corrumpit. Non enim corrumpuntur et convertuntur formae et vires in alias formas et vires, servata substantia sub novis modis essendi ; sed corrumpitur et convertitur tota substantia et conservantur vires, quantitas et formae accidentales quantitati inhaerentes. Haec accidentia efficienter sustentantur a corpore Christi et ab iis supernaturaliter proficiscuntur effectus qui antea procedebant a composito, ratione istorum accidentium. Hinc sensus apprehendunt aliquid quod ex corpore panis et vini realiter remanet, conversa tota eorum substantia in corpus et sanguinem Christi (1).

Qualificatio : Fide certum esse accidentia absoluta panis et vini realiter remanere, existimabant illi theologi qui floruerunt a tempore Concilii Tridentini ad finem seculi XVII. Unus Petrus de Alliaco, in opere quod junior adhuc scripsit triginta annis priusquam interfuit

(1) Quoad quaestionem praesentem, *Leibnitzianum* systema non essentialiter differt a systemate peripatetico. a) Essentia corporum constat materia, primo principio passivitatis, et forma, principio primo activitatis. b) Praeterea in materia est aliquid quod vocare possumus molem, ex quo nascitur ut corpora non penetrent se mutuo quasi essent vacua, sed inter se concurrere et a se invicem pati possint. Est etiam de natura corporis ut continuo agat vibratione aliqua. c) Haec moles et haec vis motrix distinguuntur a materia seu potentia prima patiendi et a forma substantiali seu potentia prima agendi. — d) Habemus ergo duas qualitates absolutas sive accidentia realia : molem seu potentiam resistendi, et conatum seu potentiam agendi ; quae qualitates sane non sunt modi substantiae corporeae, sed aliquod absolutum et reale ipsi superaddunt. Regulariter autem, quaecumque realiter distincta sunt, per potentiam Dei absolutam possunt separari.

Concilio Constantiensi, ait haereticum non esse eum qui negaret realitatem specierum, siquidem sensibus non satis judicatur utrum accidentia sint vera an apparentia. Ipse tamen remanentiam accidentium profitetur, quippe cui magis favet doctrina Ecclesiae (1). — Communiter hodie admittitur doctrinam de reali remanentia accidentium *non esse de fide catholica*. — Affertur ratio quia Concilia asserunt quidem remanere accidentia panis et vini, verum scopus eorum non est hanc realem remanentiam definire, adeoque non est de fide definita ; in Scripturis non affirmatur explicite haec doctrina sed implicite, neque satis clare ut dici possit esse de fide divina ; denique Ecclesia non inussit censuram systemati quo, a Cartesii tempore, nonnulli doctores remanentiam accidentium absolutorum denegaverunt. Quare haec doctrina dicenda est sive *proxima fidei* sive *theologice certa*.

Doctrinam remanentiae accidentium panis et vini impugnare coeperunt theologi qui cartesianismo se esse addictos profitebantur, et postea ii qui dynamismum sunt professi. Praecipuus impugnator fuit P. Emmanuel Maignan, Ordinis Minorum, in opere cui titulus : « *Philosophia sacra* ». Postea eamdem doctrinam impugnaverunt Fortunatus a Brixia, ejusdem Ordinis. — A systemate Maignanii non abhorrent Drouin et Witasse (2). — Denique nostra aetate iisdem placitis adhaerent Tongiorgi et Palmieri. Sunt qui dicunt hanc quaestionem esse mere philosophicam, adeoque dirimi non posse ex principiis theologicis : ita Sardagna, Perrone (3).

Ordo rerum tractandarum. Probabimus 1° theologice accidentia panis et vini remanere sine substantia ; ostendemus 2° hanc veritatem esse quidem supra rationem, non vero contra rationem.

§ 2. Accidentia panis et vini remanent sine substantia.

THESIS XVIII[a]. — Accidentia panis et vini remanere seorsim a substantia in mysterio Eucharistiae, colligitur ratione theologica, auctoritate Conciliorum, Patrum locutionibus haud obscure hanc remanentiam vindicantibus, denique unanimi consensu Scholae.

121. — Prima probatio : Ex ratione theologica.

Arg. I[m]. Petitur *ex dogmate transsubstantiationis*. Illud est admitten-

(1) Cf. Suar. d. LVI, s. I. — Vasq. d. CXCIV, c. I, n. I. — Lug. d. X, s. I, n. I. — Petr. de Alliaco, in IV, q. VI, a. 3. — (2) Fortunatus a Brixia, *Dissert. physico-theologica de qualitatibus sensibilibus corporum.* — Maignan, *Philosophia sacra* t. I, c. XXII. — Drouin, *De re sacram.* l. IV, c. IV, § 2, inst. 6. - Witasse, *De Euch.* sect. II, q. II, a 3. — (3) Sardagna, *De Euch.* n. 229. — Perrone, *Praelect. theol. de Euch.* pars I, c. I, prop. III, diff. I, inst. 5.

dum quo solo salvatur ratio verae conversionis panis et vini in corpus et in sanguinem Christi. Atqui salvari nequit ratio verae conversionis, nisi admittatur accidentia realia panis et vini remanere seorsim a substantia. — *Prob. min.* De ratione conversionis est, ut inter desitionem termini formalis a quo, nempe substantiae panis et vini, et positionem termini ad quem, nempe corporis et sanguinis Christi, intercedat nexus intrinsecus, adeoque ut utrique termino totali sit aliquid realiter commune, in ordine ad quod simultaneitas utriusque termini sit impossibilis ex natura rei. Ut autem simultaneitas utriusque termini sit impossibilis ratione tertii communis, requiritur ut illud tertium fuerit intrinsecum termino a quo, et ut terminus ad quem exerceat munus quod prius exercebatur termino a quo. Atqui haec optime verificantur, dato remanere accidentia absoluta, quae efficienter sustentari dicantur corpore Christi ; nullatenus autem verificantur, si nulla accidentia realia panis et vini dicantur remanere. Ergo.

Prob. min. 1. Si enim ex corpore panis et vini nil realiter remanet, et si modificationes organicae efficienter procedunt a Deo aut a corpore Christi : a) utrique termino communis est influxus passive receptus in organis ; hic autem est *extrinsecus* termino a quo, non autem intrinsecus. b) Non habetur *nexus intrinsecus,* seu positio corporis Christi non exigit ex natura sua ut terminus a quo desinat esse, sive simpliciter sive prouti est substantia completa. Ad summum praesentia Christi exigere potest ut panis cesset efficienter modificare organa; non essentialiter requirit panis exercere hunc influxum; ab eo enim cohiberi possunt panis et vinum, vel eo quod localiter moventur vel eo quod Deus denegat concursum.

2. Si modificationes organicae procedunt ab atomis aetheris, eumdem ordinem servantibus et ad novam causalitatem elevatis, tunc a) utrique termino, pani scilicet converso et corpori Christi, nihil est realiter commune : influxus enim in organa exercitus non procedit a corpore Christi, neque illud corpus ullo nexu ponitur devinciri cum atomis aetheris. b) Si atomi aetheris ponuntur esse tertium commune pani et corpori Christi, manifestum est illud tertium non fuisse intrinsecum substantiae panis et vini. c) Corpus Christi non obit munus quod exercebatur substantia panis et vini ; illud enim munus substantiae panis non consistit in sustentandis accidentibus, siquidem desunt ; quare dicetur consistere aut in exercendo influxu in organo, aut in repellendis attrahendisque atomis aetheris; jamvero atomi aetheris ponuntur in sensoria influere, non autem corpus Christi, neque huic

corpori ulla adscribitur activitas respectu aetheris circumjacentis ; quare si aliqua daretur conversio, dicendum esset panem et vinum converti in aetherem : aether enim exercet munus influendi in sensoria, quod munus prius exercebatur substantia panis et vini, a qua ut a causa principali proficiscebatur motus communicatus medio ambienti. Ergo.

Arg. II^m. Petitur *ex dogmate praesentiae realis.* 1. Verba « Hoc est corpus meum » indicant panem converti in corpus Christi, uti antea probatum est. Ergo indicant remanere aliquid cui substantia panis fuerit intrinseca, sive accidentia panis. Consequentia probatur ut in argumento primo.

2. Sensus verborum institutionis est : « Quod substat *sub accidentibus* physicis panis et vini, jam non est substantia panis, sed corpus meum ». Ergo affirmatur remanentia horum accidentium seorsim a subjecto. — *Prob. ant.* Qui dicit « hoc est corpus meum » attentionem intellectus et sensuum dirigit ad rem aliquam cujus natura declaratur per praedicatum. Ut attentio sensuum excitetur, offerri debet objectum cui inest objectum formale sensuum. Unde sic : Terminus *hoc* indigitat aliquid sensibile, quod remanebit sensibile post consecrationem et cui subesse Christum fide cognoscitur. Atqui illud sensibile aliud esse nequit nisi accidentia physica seu qualitates sensibiles panis et vini. Ergo.

Prob. min. Si illud sensibile, ad quod diriguntur sensus, non stat in accidentibus panis, dicendum est id esse vel substantiam panis ; vel substantiam corporis Christi ; vel accidentia corporis Christi ; vel actiones exercitas a corpore Christi aut a Deo, aut ab aethere, has actiones, inquam, sumptas principiative, seu uti sunt in istis principiis activis; vel tandem illud sensibile post consecrationem remanens sensibile esse easdem actiones terminative sumptas, seu ipsam modificationem productam in sensoriis. — Atqui hoc sensibile indigitatum verbis institutionis : a) non est substantia panis, siquidem ab essendo deficit per conversionem. b) Neque illud sensibile continetur substantia aut accidentibus corporis Christi, siquidem corpus Christi secundum substantiam et secundum accidentia omnem sensibilem perceptionem aufugit. — c) Neque stat in actionibus principiative sumptis Dei aut corporis Christi, quippe quae invisibiles sunt eodem numero ac substantia Dei et humanitatis Christi. — d) Neque stat in actione caetheris (1) : Etenim si actiones proficiscuntur ab aethere, jam in fine

(1) Sunt qui sic probant non videri actiones aetheris principiative sumptas: Aetheris substantia ejusque actio subjective sumpta invisibilis est. Etenim non cernitur modus quo trans medium aethereum aut aereum communicatur motus inde ab aliquo corpore

propositionis non indigitari potest corpus Christi, sed indigitanda est substantia aetheris. Quod ostenditur eo modo quo antea ostensum est falsam esse propositionem : « Hoc est corpus meum, » si substantia panis remanet estque principium quod sensoria modificat et cui insunt qualitates apprehensae. — e) Tandem illud sensibile, ad cujus apprehensionem diriguntur sensus, non est ipsemet influxus in organis receptus, seu species intentionalis. Hic enim influxus est *id quo* percipitur qualitas, non autem *id quod* indigitatur percipiendum sensibiliter.

3. *Ex verbis promissionis apud Joh.* VI : « Accipite et manducate... caro mea vere est cibus; sanguis meus vere est potus. » — Unde sic : Christus in Eucharistia vere manducatur. Ergo remanent accidentia physica panis et vini. — *Probatur consequentia :* Christus manducari debet aut secundum se, aut secundum aliquid cui substat et cui unitur. Atqui non manducatur secundum se, neque efficienter substat neque unitur sive aetheri, sive influxui recepto in organis. Ergo manducatur ratione accidentium quibus substat et unitur.

Arg. III^{m}. Eucharistia est *sacramentum*, seu signo sensibili constanti ex materia et forma annexa est a Deo vis demonstrandi et causandi gratiam. Atqui, nisi admittatur accidentia panis et vini remanere sine substantia, jam non habetur hujuscemodi signum sensibile, nisi quis velit admittere aetherem, prouti supernaturaliter factus est sensibilis, esse cum corpore invisibili Christi materiam sacramenti. — *Prob. min.* Si remanent accidentia, id quod demonstrat et causat gratiam integratur corpore Christi ex se invisibili, et accidentibus extensis et sensibilibus. Si negatur remanere accidentia, nihil realiter est sensibile, nisi admittatur praefata hypothesis de aethere. Quod enim est sensibile, influit in sensus et ratione influxus realiter apprehenditur a sensu. Sed, rejectis accidentibus physicis, nihil realiter apprehendi potest.

122. — Secunda probatio : Ex auctoritate Conciliorum. Affertur triplex Concilium : Lateranense, Constantiense et Tridentinum. —

---

usque ad sensoria; sive aliter non percipiuntur actiones subjectivae aetheris medii ambientis. Ergo perceptionem sensibilem aufugit actio aetheris qui prius circumornabat substantiam panis et eumdem situm servaret. — Tamen aliquatenus enervari potest vis istius rationis, dicendo *naturaliter* quidem videri non posse aetherem ejusque actionem, *supernaturaliter* tamen haec esse sensibilia, cum non repugnet aetheri supernaturaliter communicari virtutem quae est naturalis substantiae panis. — Si respondetur huic asserto, miraculosam esse hujuscemodi virtutem ; entia autem miraculosa praeter necessitatem non esse multiplicanda : reponitur non minus miraculosam esse virtutem accidentium agentium seorsim a natura.

Primum et tertium omittunt terminum « *accidentia* panis et vini », dicunt « *species* ». Cartesiani asserunt, divina Providentia invigilante, factum esse, ut adhibitus non fuerit terminus « *accidentia* », adduntque terminum « *species* » favere suae sententiae, siquidem species idem audit atque « apparentiae merae, species intentionales ». De quo quid sit sentiendum, mox apparebit.

Arg. I^m. Petitur ex Lateranensi IV, cap. *Firmiter :* « Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse sacerdos est sacrificium, Jesus Christus : cujus corpus et sanguis in sacramento altaris *sub specibus panis et vini veraciter continentur*, *transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem*, potestate divina » (Denz. n. 357). — Concilium sane non intendit definire nisi realem praesentiam Christi ; itaque non est de fide definitum accidentia superesse ; contendimus tamen hoc affirmari. Unde sic arguimus :

Corpus Christi veraciter continetur sub speciebus panis et vini. Atqui hoc cum veritate dici potest, si species idem audiunt ac physica accidentia panis et vini ; nullatenus potest dici, si species idem audiunt atque species intentionales, sive modificationes organicae vi quarum tendimus in qualitates panis ac si revera adessent ; vix dici potest, si idem audiunt ac atomi aetheris supernaturaliter elevatae ad influendum in sensoria. — Non posse cum veritate dici corpus et sanguinem Christi contineri sub specibus, si specierum nomine intelliguntur species intentionales, patet quia Christus nullatenus continetur sub speciebus intentionalibus proprie seu subjective sumptis, quod est manifestum ; neque veraciter continetur sub his speciebus objective sumptis, siquidem nullum objectum reale respondet perceptionibus sensibilibus. — Vix id dici posse, si specierum nomine intelliguntur atomi aetheris supernaturaliter influentes in sensoria, constat, quia prorsus inaudita est haec significatio qua species supponerent pro atomis aetheris.

Ad minuendam vim argumenti, contendunt Cartesiani « *contineri* » idem heic significare ac « *apparere,* » ideoque sensum esse « corpus Christi *apparet veraciter* sub specie panis. » — Falsitas hujus interpretationis est manifesta ex duobus : a) Falsum est corpus Christi apparere. b) Adhibentur verba secundum usum vulgarem ; sed nullibi *apparere* et *continere* pro eodem sumuntur (1).

Dices cum Fortunato : Si Lateranense per species intellexisset accidentia physica, id sane non latuisset s. Thomam. Atqui hoc eum latuit.

(1) Cf. S. Th. opusc. XXIII, cap. I, *de SS. Trinit.* Inn. III, *de sacrif. Missae,* l. IV, c. IX.

— *Prob. min.* Secus ad probandum remanere accidentia, provocasset ad Lateranense. Atqui non provocat. Illud enim probat eo solo quod sensus apprehendunt accidentia. Ergo.

Resp. S. Thomas, l. c., caput, *Firmiter* illustrans, haec habet : « Ut ergo ostendat quod in hoc sacramento non remaneat substantia panis et vini, sed tantum *species, id est accidentia sine subjecto,* dicit « sub speciebus panis et vini. »

Arg. II^{m}. Petitur ex Concilio Constantiensi (1414-1418). In actione VIII damnati sunt 45 articuli Wicleffi. Damnati autem sunt ante extinctum schisma Occidentis et electum novum Pontificem. Verum Martinus V per Bullam *Inter cunctas* (8 Kal. martii 1418), et Bullam « *In eminentis* » (ead. die), auctoritate suprema confirmavit damnationem a Concilio pronuntiatam. — Inter hos articulos tres priores de Eucharistia agunt. Sunt hujusmodi : — 1. Substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis remanent in sacramento altaris. — 2. Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento. — 3. Christus non est in eodem sacramento identice et realiter propria praesentia corporali. Denz. n. 477 sq.

Manifestum est articulo primo denegari a Wicleffo dogma transsubstantiationis et articulo tertio dogma praesentiae realis. Addit Wicleff articulum secundum quo negatur remanentia accidentium sine subjecto. Duplex videtur esse ratio cur additus sit hic articulus : *Prima* est quia fideles et theologi profitebantur duo distincte : a) non remanere substantiam ; b) remanere accidentia sine subjecto. *Secunda* est quia judicio Wicleffi articulus secundus ostendebat veritatem articuli primi. Sic nempe arguit : Impossibile est ut accidentia maneant sine subjecto. Atqui manifestum est in Eucharistia manere accidentia panis et vini. Ergo remanet substantia panis et vini.

Ex his sufficienter constare videtur Patres Constantienses, dum damnant distincte articulum Wicleffi, clarissime affirmare id quod fideles et theologi uno ore profitebantur, scilicet desinere substantiam panis et vini, ac remanere accidentia physica. — Attamen, cum nullum lapidem non moveant adversarii ut a se avertant condemnationem qua sua sententia videtur plecti a Patribus Constantientibus, oportet ut pressius rem demonstremus. — Contendimus duo : 1. Patres articulo secundo Wicleffi hunc tribuunt sensum : « Qualitates sensibiles panis et vini non manent sine substantia. » — 2. Propositio, a Patribus habita pro vera, est : « Accidentia absoluta, realiter a panis substantia distincta, remanent sine hac substantia. »

A. *Sensus articuli est : Qualitates sensibiles panis et vini non manent sine substantia.* »

Prob. 1. *Directe.* Terminus « accidentia panis et vini » sumitur in hoc articulo eodem sensu quo occurrit hac aetate tum apud omnes theologos tum apud ipsum Wicleffum. Atqui ab omnibus theologis accidentia panis et vini sumi pro qualitatibus sensibilibus, constabit ex quarta probatione. — A Wicleffo huic termino tribui eumdem sensum constat dupliciter : a) Aperte asserit se sumere terminum « accidentia » sensu quo peripatetici eum intelligunt, seque negare remanentiam accidentium sic intellectorum (1) — b) Doctrinam de remanentia accidentium absolutorum vocat scandalosam, mendacem; talis autem est, ejus judicio, non tantum eo quod per illam docetur desitio panis, sed etiam uti est condistincta a desitione substantiae panis et vini. Wicleff nempe tenet accidentia absoluta, etiam per Dei omnipotentiam, sine subjecto remanere non posse (2). Atqui hoc affirmari nequit, nisi ab eo qui neget accidentia panis et vini esse realiter distincta a substantia, proindeque ab eo qui nomine accidentium panis et vini intelligat qualitates sensibiles. Ergo.

2. *Indirecte.* Hac enim explicatione rejecta, sensus articuli vel erit : a) « Aether prius admixtus pani, non manet sine subjecto h. e. non producit modificationes organicas, desinente substantia ; » vel sensus erit b) « modificationes organicae non manent seu non fiunt sine

(1) In secunda parte *sermonum*, serm. LVIII, Wicleffus haec habet : « A tempore Innocentii III, — nescitur utrum catholice, an haeretice sentiebat, — ad unam tamen coguntur obedientiam illius Ecclesiae tamquam fidem, quod credatur accidens esse sine subjecto in hoc sacramento. Sed nec afferunt rationem, nec Scripturam, ut debeat ita credi : ideo fideles in Domino istud renuunt. » — Et infra : « Similiter quod accidens sit sine subjecto, tam philosophi, quam theologi renuerunt; propter hoc quod non potest sic esse de potentia Dei absoluta. » — In libro de *Apostasia*, c. I, scribit : « Nedum Philosophi, sed omnes sancti de millenario Christi (*) tacuerunt accidens esse sine subjecto. » — Et c. V : « Si ergo oportet fidelem credere ut fidem catholicam, quod sacramentum altaris sit accidens sine subjecto et Porphyrius et Aristoteles in isto verissime ac pertinentissime laborarunt, oportet in isto canonizare suas sententias. » Cf. THOM. WALDENS., Carmelita anglus, qui jussu Henrici V, a° 1425, septem annis post decretum Constantiense, incepit scribere opus de sacram. adv. Wicleffum in *Doctrinali fidei, t. II, de sacram.* c. LXXVII.

(*) Secundum Wicleffum audiendi tantummodo sunt ii Patres qui per mille primos annos ab exordiis Ecclesiae scripserunt; hanc aetatem vocat *millenarium*.

(2) WICLEFF : « In duobus stat nostra variatio in hac materia; *primo* in propositione affirmativa, qua dicitur quod accidens non est sine subjecto; *secundo* in propositione negativa, quod non remanet substantia panis et vini post consecrationem. » *De apostasia*, XVI... Hanc doctrinam de permanentia accidentium sine subjecto appellat *scandalosum mendacium* in eod. op. c. XXI; affirmat « quod non potest sic esse de potentia Dei absoluta » in *Serm.* LVIII. Fideliter itaque Walsinghamus doctrinam Wicleffi ita exponit : « Deus de potentia absoluta non potest facere, quod in sacramento altaris essent accidentia sine subjecto. » Cf. D'ARGENTRÉE, *Collect. Judic.* t. I, pars II, p. 8.

substantia connaturaliter eas producente. » Atqui neutro sensu sumi potest ista propositio. Ergo. — *Probatur primum :* Sensus articuli primi non est : « Aether non agit, absente substantia. » Etenim a) uti modo dictum est, apud vulgus, philosophos et theologos, accidens rei, simpliciter acceptum, est aliquid pertinens ad rem, eam denominans et faciens talem aut talem. Atqui sicuti aer qui est intra corpus humanum, non solet haberi velut aliquid corporis, sic aether non est aliquid corporis panis. Ergo. b) Penes Synodum vox « accidentia panis » non habet eum sensum quem non habet apud Wicleffum. Atqui apùd Wicleffum haec vox non significat aetherem circumjacentem. — *Probatur secundum :* Sensus articuli non est : « Modificationes non fiunt sine substantia panis. » Constat quia neque philosophi neque theologi, neque Wicleffus annectunt hunc sensum voci accidenti. De Wicleffo hoc est manifestum, omissis ceteris, quia tenet accidentia absoluta remanere nequire sine substantia, etiam vi omnipotentiae divinae. Atqui Wicleff profecto non contendit repugnare ut Deus producat modificationes organicas, licet praesens non sit substantia quae apprehenditur vi istius operationis. Ergo.

B. *Ex damnato articulo secundo Wicleffi eruitur veritas istius propositionis :* « *Accidens aliquod absolutum panis et vini remanet sine substantia* ».

Prob. Propositio damnata : « Accidentia panis et vini non manent sine subjecto », supponit accidentia panis et vini manere, consecratione peracta, et affirmat ea non manere sine subjecto. Quare ille qui eam damnat, censet vel falsum esse suppositum, adeoque non remanere accidentia panis et vini ; vel a supposito praescindit et pro vera habet hanc hypotheticam : « *Si accidentia panis et vini manent*, manent sine subjecto » ; vel denique suppositum pro vero habet, adeoque censet omnia aut nonnulla *accidentia panis et vini manere sine subjecto.* Atqui a) Patres nullatenus censuerunt falsum esse suppositum Wicleffi, sc. manere accidentia, consecratione peracta, tum quia omnes hac aetate defendebant remanentiam accidentium et quidem absque subjecto, quam profecto fidem populi et scholasticorum non damnat Constantiense ; tum quia sine ulla ratione asseritur Wicleffum fuisse damnatum ob falsam suppositionem articuli, non vero ob id quod articulus in recto affirmabat. b) Neque Patres praescindunt ab hoc supposito : Tunc enim articulum secundum damnassent hoc sensu : « Si accidentia panis et vini manent, non manent sine subjecto ». Atqui non damnatur articulus hoc sensu intellectus ob duo : α) Propositio absoluta nequit sic verti in hypotheticam, sed sumenda est ut jacet ; β) Patres Con-

stantienses damnando secundum articulum nihil affirmarent, quod jam definitum non sit, damnato articulo primo. Hoc enim articulo damnato, definitur substantiam panis et vini non remanere ; si autem non manet, clarum est accidentia, si manent, remanere sine substantia, et ridiculum foret tale quid definire ; itaque definitio est inepta et realiter nulla.

Ex his colligitur remanentiam accidentium physicorum vix non esse de fide definitam ex Constantiensi ; quare est saltem proxima fidei aut theologice certa.

Dices : Patres Constantienses non voluerunt affirmare, neque implicite neque explicite, accidentia panis et vini remanere, sed de hac quaestione prorsus praesciderunt, adeo ut sensus verborum sit : « Supposito, non definito, accidentia panis et vini remanere, dicendum est ea manere sine subjecto. » Etenim a) Concilium abstrahit a quaestionibus philosophicis. Atqui agitur de re philosophica. Ergo. — b) Censores theologi asseruerunt secundum articulum esse directe contra transsubstantiationem, ideoque censuerunt errorem secundi articuli non esse valde diversum ab errore primi articuli. Ergo iterum idem error Wicleffi fuit damnatus.

Resp. *Dist. ant.* Patres non intenderunt definire *de fide esse credendum,* accidentia panis et vini remanere, *Transm.;* doctrinae oppositae nullam censuram inusserunt, non clare mentem suam expresserunt, *Neg.* — *Ad 1m probationem* respondetur multas propositiones philosophicas fuisse definitas, ob nexum quem habebant cum dogmate, aut quia erant contentae in deposito fidei, licet essent etiam demonstrabiles sine subsidio revelationis. Hinc *Dist. maj.* Concilia abstrahunt a quaestionibus *mere philosophicis*, *Conc. ;* a quaestionibus *mixtis*, *Neg.* Nullus est qui non videt cum dogmate conversionis eucharisticae et cum dogmate de modo praesentiae Christi in Eucharistia connecti quaestionem utrum aliquid objectivi respondeat perceptionibus qualitatum. — *Ad 2m probationem :* Censuerunt theologi secundum articulum esse contra transsubstantiationem et vix diversum ab errore primi articuli, hoc sensu quod, negata accidentium remanentia, negatur conversio et vicissim, *Conc. ;* eo sensu quod secundus articulus non proponit explicite nisi id quod proponitur in primo, *Neg.* — Ceterum quidquid sit de censoribus, ipsemet Wicleff rejiciebat remanentiam accidentium non modo prouti nexa erat cum transsubstantiatione, sed adhuc ut per se falsam et repugnantem. Thomas Waldensis in opere suo — quod scripsit paulo post Concilium Constantiense, quodque

approbatum est a Martino V coram Cardinalibus, diligenti examine praemisso (1), — semper duos articulos Wicleffi refutat argumentis cuique articulo propriis adeoque veluti duos errores distinctos, licet inter se nexos ; idem Thomas damnationem articuli secundi a Concilio editam habet ut distinctam, licet a damnatione articuli primi dependentem.

Arg. III^{m}. Petitur *ex Concilio Tridentino*, in Sessione XIII : « Si quis... negaverit mirabilem illam ac singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, *manentibus duntaxat speciebus panis et vini*... A. S. » (Can. 2). Idem Concilium « docet ac simpliciter profitetur, in almo sanctae Eucharistiae sacramento, post panis et vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum... substantialiter *sub specie illarum rerum sensibilium contineri.* » (Cap. 1).

Observa. 1. Tridentini scopus est definire conversionem totius substantiae panis et vini. Quo clarius hoc exprimatur, addit id quod manet non esse aliquid substantiale, sed nonnisi species esse panis et vini. Itaque Tridentinum explicite non definit accidentia remanere. Attamen contendimus Patres Tridentinos hoc explicite affirmare. — 2. Vox *species* habet varias significationes. In Psychologicis significat id quod sensui imprimitur ab objecto, et ratione cujus objectum sensibus attingitur. Significat etiam ideam habitualem (speciem impressam intelligibilem). — In Logicis significat essentiam completam rei, constantem ex genere et differentia. — In Cosmologicis, ubi dicitur de re corporea, significat aut ipsum corpus in quantum per qualitates se manifestat sensibus, aut complexum qualitatum et accidentium ratione quorum corpus est spectabile, visibile, sensibile.

Quibus praenotatis, sic arguitur : Juxta Tridentinum, conversa substantia panis et vini, remanent species panis et vini. Atqui per has species intelligunt hi Patres complexum accidentium quibus corpus est spectabile, visibile. Ergo.

Prob. min. A. *Extrinsecus.* Tridentinum adhibet terminum « *sub speciebus, sub specie,* » quia idem terminus a Lateranensi usurpatur (Cfr. arg. I^{m}). — Lateranense eo utitur quia scholastici constanter eum usurpabant. Sic Hugo Victorinus, qui primus scholastice scripsit de re sacramentaria, sexcenties loquitur de speciebus panis et vini (2) ; ita etiam s. Thomas, in hymno *Verbum supernum*, ait : « Quibus sub bina

(1) Cfr. Thomas Waldensis, Breve Martini libro ipsius praemissum.
(2) Hug. Vict. *De sacram.* l. II, pars VIII, c. VII sq.

specie carnem dedit et sanguinem », et in summa theologica promiscue usurpat accidentia et species (1). — Scholastici hunc terminum invenerunt apud Patres : occurrit nempe apud Theodoretum, Aldemannum, Algerum et Lanfrancum seculo XI°. — Unde sic : Tridentinum intelligit nomine specierum id quod hoc nomine intelligitur a Lateranensi, a scholasticis et a Patribus. Atqui eo intelligi accidentia a Lateranensi fuit probatum, a ceteris constabit ex sequenti argumento.

B. *Intrinsecus* tripliciter : 1. Ex vi vocis : Patres attribuunt huic termino eam significationem quam habet ubi de re sensibili dicitur. Atqui significat complexum qualitatum sensibilium. Ergo. — 2. Juxta Tridentinum species sunt aliquid praeter substantiam panis et vini et ex pane et vino realiter et vere remanens : fit enim oppositio inter id quod cessat et id quod manet ; si unum realiter cessat, alterum debet dici realiter remanere. Atqui praeter substantiam sola accidentia remanere possunt. Ergo. — 3. Species eucharisticae possunt reservari, dividi, circumferri, comedi (2). Apparet Tridentinum sensu proprio loqui, quo nimirum sensu aliquid realiter, neque apparenter tantum, dividitur, etc. Ergo species habent objectivam realitatem diversam a substantia.

Dices 1° cum Fortunato : Christus post resurrectionem dicitur apparuisse sub specie hortulani. Atqui species ibi audiunt merae species intentionales seu modificationes sensuum, quibus apprehenditur hortulanus. Ergo eo solo quod producuntur modificationes organicae, quibus apprehenditur panis, species panis dici possunt manere.

Resp. a) Christus post resurrectionem apparuit instructus accidentibus quae figuram hortulani ipsi tribuebant. Species hortulani audit accidentia realia, sive intrinseca sive extrinseca, sive absoluta sive relativa, quibus Christus videbatur esse similis hortulano. Inde *Conc. maj. Neg. min.* — b) Christus non legitur fuisse contentus *sub specie* hortulani, sed legitur apparuisse tamquam hortulanus. Jamvero nihil continetur proprie nisi sub reali ; potest autem dici apparere sub re non reali, sed apparenti tantum.

Dices 2° : Tridentinum noluit definire remanere accidentia realia. Etenim a) numquam utitur vocabulo « *accidentium,* » sed ubique nomine « *speciei* » ; hoc vero nomen aeque de specie objectiva et subjectiva dicitur, immo primario significat speciem intentionalem. — b) Quando non loquitur simul de speciebus panis et vini, adhibet semper numerum

(1) S. Th. III, q. LXXVII. — (2) Cf. Trid. l. c. c. III in fine et c. VI.

singularem « *speciem panis, speciem vini.* » Atqui hoc est signum manifestum Tridentinum mentem suam noluisse aperire de praesenti quaestione. Ergo.

Resp. a) Mirum videri potest quod hi, qui defendunt quaestionem philosophicam de distinctione accidentium a substantia non esse diremptam a Tridentino, eidem Tridentino imponunt locutionem imprimis scholasticam. — b) Quanam probabilitate gaudet haec explicatio Tridentini : « Tota substantia panis conversa est, remanserunt species intentionales determinari solitae per substantiam panis » ? — c) Eo ipso quod sermo fit de re corporali, de ejus substantia, terminus *species* ex subjecta materia determinatur ad significanda ea accidentia quibus corpus est visibile. Si agitur de uno corpore, species, singulari numero, significat complexum accidentium, eodem modo atque vox gallica « *la forme.* » — d) Habebatur specialis ratio accidentia vocandi species, quia nempe haec vox in Lateranensi, apud scholasticos et apud Patres occurrit. — e) Ex his concludimus Tridentinum *affirmare* remanentiam horum accidentium, licet noluerit eam definire, siquidem talis non fuit ejus scopus. Itaque *Dist. ant.* Tridentinum non definivit hoc esse *de fide* tenendum, *Conc.* ; non significavit mentem suam esse quod remaneant accidentia, *Neg.* — *Ad. 1m prob. Dist.* Species, *ubi dicitur de corpore* et opponitur substantiae, significat speciem subjectivam, nempe speciem impressam sensibilem aut intelligibilem, *Neg.;* ubi agitur de potentia cognoscitiva, *Conc.*

123. — Tertia probatio. Ex Patribus. Alia argumenta desumuntur ex ss. Patribus qui scripserunt ante exortam haeresim Berengarii, aut sub ejus ortu, alia vero ex Patribus aetatis subsequentis.

Arg. Im. Species vocantur a Patribus res materiales sensibiles ; dicuntur abire in ventrem ; ex altera parte defenditur tota substantia ab essendo deficere : sic Origenes et Chrysostomus (1). Ergo tenent Patres remanere accidentia absoluta.

Arg. IIm. Patres in Eucharistia duo distinguunt : corpus Christi invisibile ; sacramentum seu signum corporis Christi, quod continet

(1) Origenes : « Cibus ipse per verbum Dei et orationem consecratus, secundum illud quidem ipsum quod materia constat in ventrem abit ». *Commenl. in Matth.* l. XI, n. 14. — *Observa :* Per materiam intelligit Origenes accidentia eucharistica quae materiam panis sensibus objiciunt.

Chrysost. « Cum ergo Sermo dicat : « Hoc est corpus meum, » obtemperemus et credamus et spiritualibus oculis ipsum respiciamus. Nihil enim sensibus percipiendum Christus nobis tradidit, sed in rebus quidem sensibilibus, omnia vero intelligibilia mente et fide suspicienda. » *Hom.* lxxxii *in Matth.* n. 4. M. LVII, 743.

corpus Christi ; unde species sunt verum signum : sic Augustinus, Facundus Hermianensis, Aldemannus contra Berengarium scribens (1). Ergo speciebus est realitas objectiva, accidentalis.

Arg. III^{m}. Petitur *ex controversia Patrum adversus Monophysitas.* Cum Eutychiani contenderent humanitatem Christi esse conversam in divinitatem et provocarent ad conversionem panis in corpus Christi, Patres eis occurrerunt dicendo in Eucharistia φύσιν panis manere ; uti post consecrationem, aiunt, non gustatur nec tangitur corpus Christi, sed φύσις panis ; sic post incarnationem non videbatur neque tangebatur divinitas, sed humanitas. Ex altera parte hi Patres non negant conversionem totius substantiae panis in substantiam corporis Christi, uti ostensum est. Ergo Patrum judicio post consecrationem manent accidentia quae sunt causa modificationum organicarum. Cfr. n. 97.

Arg. IV^{m}. Petitur *ex controversia seculo* IX *exorta Paschasium inter et Ratramnum necnon Rabanum.* a) Paschasius contendebat in Eucharistia praesens esse illud idem corpus (eodem modo) quod ex Maria erat genitum. Id dictum displicuit Rabano et Ratramno. Defenderunt ipsum corpus Christi non dividi et frangi. Ergo persuasum habebatur in Eucharistia aliquid realiter dividi et frangi. Hoc autem aliud esse non potest nisi accidentia panis et vini. — b) Juxta Rabanum species manentes sacramentales, seu adhuc continentes corpus Christi, convertebantur in carnem et sanguinem illius qui species comedebat. Immo juxta Amalicum species sacramentales patiuntur sortem illius partis cibi quae non convertitur in substantiam humanam. Ergo juxta omnes praeter corpus Christi invisibile, habetur aliquid sensibile. — c) Ratramnus monachus Corbeiensis accusavit Haimonem, episcopum Halberstadensem, quod doceret in Eucharistia haberi corpus Christi nudum, sine mysterio, sine velamine sensibili. Ergo iterum omnes

(1) AUGUST. « Non dubitavit Dominus dicere « hoc est corpus meum » cum *signum* daret corporis sui ». *Contra Adimant. Manich.* M. XLII. — In *ep.* XXIII (al. XCVIII) *ad Bonifacium* : « Secundum quemdam modum *sacramentum corporis Christi,* corpus Christi est. »

FACUNDUS : « Sicut sacramentum corporis et sanguinis ejus, quod est in pane et poculo consecrato, corpus ejus et sanguinem dicimus ; non quod proprie corpus ejus sit panis, et poculum sanguis, sed quod in se mysterium corporis ejus sanguinisque contineant. » *Pro defens. trium capit.* l. IX, c. v.

ALDEMANNUS : « Quod si quos movet cur hoc sacramentum non visibiliter transmutetur in speciem carnis et sanguinis, attendant quod Apostolus ait, « per fidem ambulamus et non per speciem »... Ut ergo fides exerceatur credendo quod non apparet, vitale sacramentum sub specie corporea viriliter latet, uti anima in corpore. Denique et baptismi aqua quaelibet oculis intuentium videtur, et homo baptizatus quid aliud quam quod antea erat apparet ?... O animalis homo, qui non percipit ea quae Dei sunt ». *De Euch. sacram.* Ad Berenq. M. CXLIII. 1294.

censebant in Eucharistia reperiri aliquam realitatem sensibilem (1).

Arg. V^m. Petitur *ex tenore controversiae cum Berengario.* a) Lanfrancus refert Berengarium ita ponere statum quaestionis: « Aut panis et vinum altaris *solummodo* sacramenta (signa corporis Christi) sunt, aut panis et vinum altaris sunt solummodo verum Christi corpus et sanguis. » Respondet Lanfrancus: « Prior sententia... tua est tuorumque sequacium. Posterior... *nullius hominum est* » (2). Ergo negat Lanfrancus panem et vinum altaris esse solummodo corpus Christi. Tenebat proin praeter corpus Christi haberi aliquid reale. Sed non contendebat remanere substantiam panis aut partem substantiae. Defendebat igitur remanere qualitates accidentales. — b) Explicans verba Ambrosii: « Quanto magis operatorius est sermo Christi (sc. verba consecrationis) *ut sint quae erant* et in aliud commutentur, » haec scribit: « *Esse secundum visibilem speciem* testatur (Ambrosius), commutari vero secundum interiorem essentiam in naturam illarum rerum quae antea non erant » (3). — c) Berengarius contendebat sacrificium Ecclesiae constare duobus, ex corpore Christi invisibili in caelis praesenti, et re visibili (4). Lanfrancus concessit sacrificium constare duobus nempe *visibili elementorum specie* et invisibili carne et sanguine Christi (5). Ergo Lanfrancus admittebat remanentiam accidentium.

Arg. VI^m. Petitur *ex Patribus seculo* XI, post exortam haeresim Berengarii scribentibus. Hildebertus, ep. Cenomanensis (quem s. Bernardus vocavit magnum sacerdotem, excelsum in verbo gloriae, et

(1) Cf. RABANUS, in *Thes. Zachariae,* t. X, p. 888. — Cf. n. 36, p. 458.

(2) LANFRANCUS *De corp. et sang. Christi,* c. V. M. CL, 414 sq. — (3) Ib. c. IX.

(4) BERENG. « Sacrificium ecclesiae duobus constat, duobus conficitur, visibili et invisibili, sacramento et re sacramenti; quae tamen res, id est Christi corpus, si esset prae oculis, visibilis esset, sed elevata in caelum, sedensque ad dexteram Patris usque in tempore restitutionis omnium... caelo devocari non poterit; sicut Christi persona Deo constat et homine. » Apud LANFRANCUM, N. X. M. 421.

(5) LANFRANCUS: « Caiphas, cum esset pontifex anni illius, verum de Salvatore nesciens prophetavit... Verum quidem dixit, verumtamen quo ejus verbum vergeret ignoravit. Sic et tu, volens loqui contra causam nostram, manifeste quam defendendam suscepimus, asseris partem nostram. Hoc est namque quod dicimus, hoc modis omnibus contra te ac sequaces tuos approbare contendimus, sacrificium scilicet Ecclesiae duobus constare, *visibili elementorum specie* et invisibili Domini Jesu Christi carne et sanguine, *sacramento,* et re sacramenti; quae res (ut verbis tuis utar) est corpus Christi, sicut Christi persona, te auctore, constat et conficitur Deo et homine, cum ipse Christus sit verus Deus et verus homo, quia omnis res illarum rerum naturam et veritatem in se continet ex quibus conficitur. Conficitur, autem, te etiam teste, sacrificium Ecclesiae sacramento et re sacramenti, id est corpore Christi. Est igitur sacramentum et res sacramenti. » Op. cit. c. X. M. CL, 421. — Cfr. ALGERUS, *De sacramentis corporis et sanguinis Domini,* l. I, c. VII. M. CLXXX, 760. GUITMUNDUS, *De corporis et sanguinis Domini veritate,* l. II. M. CXLIX, 1450.

magnam Ecclesiae columnam), affirmat substantiam quidem panis converti ; verum *non converti accidentia panis, sed ea manere immutata, sine substantia* (1).

Arg. VII^m. Petitur ex Patribus seculi XII. a) Juxta Gulielmum abbatem s. Theodorici, aliquid quod inhaerebat substantiae panis, sc. accidens, remansit. Cujus rei possibilitatem probat ex omnipotentia Dei (2). — b) Algerus affirmat figuram panis, soliditatem, colorem, saporem remanere, non apparenter, sed secundum rei veritatem ; vere contineri corpus Christi et speciem elementorum non mutatam. Quod probat eo quod α) Spiritus Sanctus et angeli apparuerunt vere, assumptis corporibus columbae, linguae igneae ; β) in sacramentis N. L. et V. L. ubique aliquid vere sensibile datur ; γ) absurdum foret id quod de re fallit aestimationem de alio exhibere veram fidem ; δ) phantastica illusio congruit magicis et diabolicis fraudibus. — Idem Algerus asserit sacramentum Christi confici ex vero corpore et sanguine Christi et *ex veris speciebus panis et vini ;* idque probat quia nulla erit confectio, si creditur confici ex phantasia et ex corpore Christi. — Idem Algerus sententiam suam probat adductis multorum testimoniis Patrum (3). — c) Robertus card. Pullus affirmat substantiam panis et vini transire,

(1) HILDEBERTUS : « Numquid ei (homini) capabile est qualiter substantia panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Domini conversa, non tamen conversa sunt pariter, sed manent immutata, sine panis et sine vini substantia, *tam panis quam vini accidentia ?* Quomodo accidentia sine subjecto, vel haec accidentia, in quo nata sint, sine subjecto ? Via in istis est ignota rationi, sed non penitus ignota fidei. Ratio hic totum ignorat, sed fides praesumit quod ratio non capit... Novit fides per gratiam, quod ratio per nullam scire potest experientiam. » *Brevis tractatus de Sacram. altaris.* M. CLXXI, 1153.

(2) GULIEL. ABB. : « Similitudo illa panis, quae in altari carnis oculis se ingerit, per se inspecta, non est corpus Domini. Sed cum esset *quiddam priori substantiae. id est pani, inhaerens,* vel *accidens*, migrante in Dominicum corpus substantia cui inhaerebat, *remansit ad peragendum sacri institutum mysterii.* Quod quidem contra usum et rationem est mundanae sapientiae, ut, sublata substantia, substantiae accidens subsistat. Sed legi naturae non subjacet Deus; immo ipsius legis lex est creator suus. Potestque accidentia, subducto substantiae fundamento, vel continere, vel in aliam transferre substantiam ; qui terram, vel secundum unum prophetam « appendit in nihilum » (Job. XXVI), vel secundum alium, « super maria fundavit, et super flumina praeparavit eam » (Ps. XXIII)... Est igitur in mysteriis vera Dominici corporis substantia, sed absque visibili specie sua ; et est vera species visibilis panis, sed absque substantia sua... Nihil enim falsum putandum est in sacrificio veritatis, vel sicut fit in magorum praestigiis, ubi delusione quadam falluntur oculi, ut videatur illud esse quod non est omnino ; sed vera species visibilis panis, quae fuit in pane, ipsa facta praeter substantiam suam, quodammodo in aliena peregrinatur, continente eam qui fecit eam, et ad suum transferente corpus. Quae tamen translata ad corpus Domini, non eo modo est ad illud quomodo accidens ad substantiam ; quia corpus Domini, quantum in sua substantia, nec album efficit albedo illa, nec rotundum rotunditas; sicque de reliquis. » *De sacram. altaris* M. P. L. CLXXX, 343.

(3) ALGERUS, *De sacramentis corporis et sanguinis Domini* l. I, c. VII, sq. M. CLXXX, p. 759.

remanere proprietates, formam (figuram), qualitates, idque non fallaciter sed vere (1).

Arg. VIII^m. Innocentius III, scholastico idiomate utens, declarat ea accidentia, ratione quorum panis erat albus etc., remanere sine substantia, adeoque supernaturaliter esse per se et proinde esse accidentia ex vi nominis, non vi participii, cum desit id cui inhaerant (2).

124. — Quarta probatio : Ex consensu Scholae. 1. Scholastici a seculo XII ad seculum XVI accidentia physica panis et vini remanere post consecrationem clarissime affirmant : sic Hugo a s. Victore, Alensis, Albertus Magnus, s. Thomas, Scotus, s. Bonaventura qui sibi probandum assumit hanc propositionem : « Totus panis convertitur in corpus Christi, solis accidentibus remanentibus » et alibi mutationibus annumerat transsubstantiationem, ubi sola accidentia manent sine subjecto. Sic etiam Scotus qui defendit hanc propositionem : « Dum manet Eucharistia, non est ibi substantia, nisi substantia corporis Christi. Accidentia etiam manent tunc sine subjecto » Demum non aliter loquuntur Ockam et Gabriel Biel (3). — 2. Vestigiis scholasticorum insiterunt omnes ad unum theologi usque ad mediam partem seculi XVII. P. Theophylus Raynaud theologorum sententias diligenter collegit et quadraginta circiter nominat auctores qui sententiam de speciebus

(1) ROBERTUS CARD. PULLUS : « Cum autem panis in carnem, vinum quoque virtute Christi vertatur in sanguinem, substantia utique vini et panis desinit esse quod fuerat, idque fit quod prius non erat: proprietates tamen amborum transeuntium manent... Transit itaque substantia, sed manet forma; neutrum miraris, sed omnipotentem contemplaris. Quamobrem non est sensuum delusio sed vera rei comprehensio, quod cum dominica in mensa sit solum caro et sanguis, nihilominus tamen vini natura percipiatur et panis. Non tamen quod caro et sanguis hujusmodi sint qualitatis; verum quod post mutationem utriusque substantiae, non mutatur qualitas naturae. Haec qualitas tamen frangendo et conterendo aliter aliterque variatur, res ipsa, quae sub specie latet, nullo modo alteratur. » In l. VIII, *Sententiarum*, c. v.

(2) INN. III : « Qualem significandi modum habet nomen accidentis in physica facultate, talem exsistendi modum habet accidens nominis in theologica veritate. Nam sicut hoc nomen *album* significat accidens in substantia, i. e. in adjacentia; sed hoc nomen *albedo* significat accidens sine subjecto, i. e. in exsistentia : sic ante consecrationem accidens est in subjecto, quoniam exsistit in alio. Sed post consecrationem accidens est sine subjecto, quoniam exsistit per se; transit enim substantia, sed remanent accidentia : nec dicitur accidens in vi participii, sed accipiendum est in vi nominis... Non enim debemus quaerere naturam in gratia, neque consuetudinem in miraculo. » *De sacro altaris mysterio*, l. IV, c. IX.

(3) HUG. VICT. *De sacram.* l. II, P. VIII, c. VII sq. — *Alensis:* IV p. q. XL. — ALB. M. in 4 d. 12, a. 16. — S. Th. III, q. LXXV, a. 5; ib. LXXVII, 1; in 4 d. 12, q. 1, a. 1, sol. 1. — SCOTUS, in 4 d. 10, q. II, ad 1^m et d. 12, q. VI. — S. BONAV. in 4 d. 11, p. 1, a. 1, q. II et d. 12, pars I, a. 1; *Compend. theol. verit.* l. VI, c. IV. — OCKAM, in 4 d. 11, q. VI. — BIEL, in 4 d. 12, q. 1, concl. 1^a.

tantum intentionalibus velut haereticam habent (1). Ita Toletus, Valentia, Suarez, Vasquez, Gonet, Mastrius, Lugo, Ysambert. Alii cum Gotti judicant sententiam oppositam esse *proxime contrariam fidei,* vel saltem *temerariam;* alii, ut Salmanticenses, *erroneam;* alii cum Tournely *rejiciendam* ut « quae cum theologiae placitis non satis cohaereat et receptum sanctorum Patrum et Conciliorum loquendi morem plane evertat » (2).

Satisfit difficultatibus.

125. — **Obj. 1°.** Ex Augustino (3). Juxta Augustinum essentia corporis stat in extensione. Atqui, hoc dato, non habentur accidentia separabilia a corpore. Ergo. Patet major quia ait non haberi corpus quod non habeat longitudinem et latitudinem. Atqui hoc perinde est ac asserere essentiam corporis reponendam esse in extensione. Ergo.

Resp. *Neg. maj.* Ad prob. *Dist. maj.* Secundum Augustinum corpus naturaliter esse non potest sine longitudine etc. *Conc.; absolute, Neg. Cdt. min.* Ex verbis Augustini immerito concludunt Cartesiani Augustinum in extensione reponere essentiam corporis, siquidem idem dicere potest is qui trinam dimensionem pro proprietate corporis habet. Ceterum Augustinus haud obscure profitetur realem distinctionem accidentium absolutorum a substantia (4).

Obj. 2°. *Cum Fortunato.* Quando Patres affirmant species panis et vini remanere in Eucharistia, non dicunt realitatem aliquam ex corpore panis et vini remanere, sed affirmant *apparentias* remanere, h.e. panem et vinum apparenter remanere, sic modificari sensoria ut existimentur remanere. Ratio est quia Patres usi non sunt termino

(1) Raynaud : *Exuviae panis et vini,...* lucubratio qua ostenditur esse veras qualitates tum a spectris sensum ludificantibus, tum a substantiis intra poros panis exsistentibus realiter distinctas. (Opp. edit. Lugduni, 1665, t. VI, p. 407 sq. Cf. punct. VII, sect. 2).

(2) Toletus, in III, q. LXXV, a. 5. — Valentia, d. VI, q. V, p. 1. — Suarez, d. LVI, s. 1. — Vasquez, d. CXCIV, c. 1. — Gonet, *Clypeus,* t. V, d. VI, a. 1. — Mastrius, in 4 d. 3, q. XV, n. 360. — Lugo, d. X, s. 1. — Ysambert, in III, q. LXXVII, d. 1, a. 1. — Gotti, t. III, tr. VII, q. III, dub. 4, § 1. — Salmant. d. VIII, dub. 1, n. 1 et dub. II, n. 22. — Tournely, *De Euch.* q. II, a 4.

(3) August. « Candor corporis non est essentia, quoniam ipsum corpus essentia est, et illa ejus qualitas; unde et ab ea dicitur candidum corpus, cui non hoc est esse quod candidum esse. Aliud enim ibi forma, et aliud color; et utrumque non in seipso, sed in aliqua mole; quae moles nec forma, nec color est, sed formata et colorata. » *De Trinit.* VII, 1, 2.

(4) August. « Prius abs te quaero utrum corpus nullum putes esse, quod non pro modo suo habeat aliquam longitudinem et latitudinem et altitudinem?... Si hoc demas corporibus, quantum mea opinio est, neque sentiri possunt, neque omnino corpora esse recte existimari. » *De quantitate animae,* n. 6.

accidentium, sed *specierum* ; illud autem est signum Patres censere non manere nisi apparentias : nullum enim vocabulum erat aptius ad hoc exprimendum. Ergo.

Resp. Species panis apud Patres non audit idem ac merae apparentiae panis sine objectiva realitate, sed idem ac complexus accidentium panis ratione quorum Christus velut panis apprehenditur. Talem esse mentem Patrum liquido constat quia ipsi naturam harum specierum fuse explicant, cum scilicet has species vocant rem terrenam, rem materialem, rem sensibilem, sensibilem naturam panis et vini, symbola mystica non discedentia a propria natura, proprietatem permanentem naturae panis et vini ; eam adhuc explicant cum dicunt species remanere, uniri Christo, localiter moveri, frangi, dividi, distribui.

Obj. 3°. Lanfrancus per species intelligit meras apparentias. Dicit enim corpus Christi vocari panem, speciem, quia « consueto sacrorum codicum more id fit, qui res quaslibet saepe vocant nominibus illarum rerum ex quibus fiunt, seu quae esse putantur et non sunt, sive quibus aliquo modo similes exsistunt (1) ». Ex eadem regula explicat cur Christus vocetur leo, agnus, vermis etc. Jamvero nulla fit mentio accidentium physicorum. Ergo species simitur pro mera apparentia.

Resp. Lanfrancus refert objectionem quam Berengarius movebat contra praesentiam realem ; hic dicebat nempe « quod tu verum Christi corpus esse asseris, in sacris litteris appellatur species, similitudo, figura, signum, mysterium, sacramentum. Nulla vero quae ad aliud referuntur, possunt esse id quod sunt ea ad quae referuntur. Non est igitur corpus Christi (2). » Probat Lanfrancus Eucharistiam in Scripturis vocari figuram non quidem corporis veri ac realis, sed panis, *mysterium* et sacramentum non quidem *nudum* aut corporis *simpliciter*, sed *dominicae passionis* (3). His dictis, explicat quare corpus Christi vocetur panis, species panis. Ratio est quia panis conversus est in corpus Christi et quia corpus Christi quadamtenus est similis pani, demum quia nutrit animas eo modo quo panis nutrit corpora (4). — Clarum est ex his non posse colligi Christum judicio Lanfranci esse praesentem sub meris apparentiis ; habet enim similitudinem seu speciem panis ratione accidentium quibus substat.

Obj. 4°. Fortunatus a Brixia, ut ostendat veteres Patres profiteri cartesianismum, asserit eos placitis Platonis adhaesisse, Platonem vero in Timaeo atomismum edocere.

(1) Lanfranc. *De corpore et sanguine Domini*, xx M. CL, 438. — (2) Ib. M. 436. — (3) Ib. M. 437. — (4) Ib. M. 438.

Resp. Inane esse argumentum constat tribus : a) Falsum est Platonem in Timaeo se prodere atomistam ; contra docet corpora constare ex materia prima et forma substantiali et acriter impugnat atomistas. b) Falsum est Patres priscos in omnibus habuisse Platonem pro magistro. Contra erant potius eclectici, Platonem sc. secuti in theologia naturali, Aristotelem vero in logicis et in physicis. c) Etiamsi platonizassent, non tamen ii erant qui philosophiam habuerint tamquam normam theologiae, sed aperte revelationem habebant ut normam juxta quam exigebant opinamenta philosophica.

Obj. 5°. In tantum valeret argumentum ex Patribus desumptum, in quantum Patres illi propugnassent remanentiam accidentium tamquam testes traditionis. Atqui eam non propugnant nisi tamquam doctores privati, seu philosophice explicant modificationes organicas quae fiunt post consecrationem eodem modo atque ante eam. Hae nempe modificationes videbantur ipsis non posse aliter explicari, nisi per qualitates panis et vini remanentes sine substantia ; quare de his qualitatibus interdum mentionem injiciunt ; verum si eis cognita fuisset explicatio tradita ab atomistis, ei certo adhaesissent, aut saltem eam permisissent. Ergo.

Resp. Falsum omnino est Patres propugnasse remanentiam accidentiam sine substantia ut rem philosophicam, quia nempe non videbant aliter explicari non posse modificationes organicas ; falsum proinde est fore ut ss. Patres adhaesissent systemati cartesianorum, si hoc systema ipsis fuisset propositum. — Etenim hanc remanentiam propugnant tamquam rem theologicam, quae nempe fluit ex revelatis. Illud enim manifestum est ex eo quod Patres remanentiam accidentium comprobant ex verbis institutionis, ex conversione panis et vini et ex eo quod Eucharistia est sacramentum. Frequenter ad ultimam rationem provocant, dicentes Eucharistiam constare duobus : ex signo seu re visibili, et ex re sacramenti seu corpore Christi invisibili. Id est prorsus manifestum ex multiplici testimonio inter argumenta exposito.

§ 3. Quaenam accidentia panis et vini remaneant.

Suar. d. lvi.

126. — *Post consecrationem remanent quantitas panis et vini, omnesque qualitates sensibiles propriae et communes.*

A. *Quantitas* enim vel ponitur sola ratione esse distincta a substantia,

vel realiter. Si primum asseritur, sane non manebit quantitas substantiae, sed praeter hanc quantitatem admittenda erit quantitas identificata cum qualitatibus panis et vini ; haec igitur manebit cum ipsis. — Si alterum affirmaveris, effectus formalis quantitatis reponetur vel in compositione ex partibus, vel in extensione aptitudinali substantiae, vel in extensione actuali, vel in impenetrabilitate, vel in ratione mensurae etc. Jamvero ex his quae sensibus renuntiantur, manifestum est remanere id quo substantia panis et vini erat extensa actu et aptitudine, impenetrabilis, mensura. — Falsum ducimus quantitatem tribuere substantiae compositionem ex partibus ; si enim hoc esset verum, materia ex se esset simplex (oportet enim ut ex se sit simplex aut composita), et acquireret partes per aliud sibi superadditum. Igitur substantia habet partes ex se ; partes etiam habet quantitas. Ceterum dato hanc sententiam esse veram, dicendum esset substantiae superstes esse id quo partibus ornabatur.

B. *Sensibilia remanent.* 1. Patres enim et Concilia affirmant generatim remanere species h. e. accidentia ad quae terminantur operationes sensitivae ; non raro enumerant varia objecta formalia sensuum, ut odorem, saporem, etc. ; dicunt remanere naturam, φύσιν panis, h. e. omne id quo panis in sensoria influebat et percipiebatur ; nulla umquam fit exceptio. — 2. Deus voluit ut mysteriosa maneret praesentia realis Christi et conversio. Jamvero si vel una qualitas sensibilis non remaneret, videret sensus et intellectus per Deum factam esse mutationem aliquam ; intelligeret et videret miraculum fieri.

127. — *Accidentia, quae sensibilia non sunt, remanent,* dummodo habeant entitatem a substantia distinctam. Talia sunt ubi, quando, juxta nonnullos relatio realis. Ratio est tum quia inhaerent quantitati immediate et, hac mediante, substantiae : sunt enim et ipsa quanta ; ergo sublata quantitate panis et vini, auferuntur et ipsa. Tum quia nulla est ratio specialis cur haec accidentia destruerentur : oporteret enim ut accidentia nova educerentur ex potentia quantitatis.

Censet Suarez probabile quidem, at certum non esse, remanere omnia haec accidentia. Illud enim, ait, non colligitur ex modo loquendi Patrum et Conciliorum, cum non vindicent nisi remanentiam specierum et eorum accidentium quorum permanentia necessaria est ad occultandum mysterium.

Censent nonnulli materiam et formam uniri per modum unionis ; dicunt hunc modum ex natura rei, seu modaliter, esse distinctum a substantia. Idem asserunt de quibusdam relationibus intime afficientibus

substantiam et ab ea modaliter distinctis. Tenent autem hos modos esse absolute inseparabiles a substantia, eos includere ordinem essentialem ad substantiam, de eorum essentia esse ut actu substantiae inhaereant.

128. — Inquirunt scholastici *quomodo quantitas conservetur,* quid in ea producatur quo jam remaneat per se.

1ª sententia negat ullum modum exsistendi produci supernaturaliter in quantitate, aitque quantitatem denominari per se exsistentem a sola negatione subjecti. Ita sentit Scotus. — Hujus sententiae rationes praecipuae hae sunt: a) *Impossibilis* est hic modus. Foret enim accidentalis. Nil enim substantiale est in Eucharistia praeter corpus Christi; secus panis non converteretur in corpus Christi. Sed accidentalis esse non potest: Deberet enim esse talis ut in natura sua repugnaret inhaerere subjecto. Cum enim sit modus exsistendi per se, habet quasi effectum formalem contrarium actuali inhaerentiae. Sed nullum est accidens cui hoc repugnat, uti patet. — b) *Inutilis* est: qua enim actione Deus conservabat quantitatem in subjecto, eadem conservat quantitatem separatam.

2ª sententia affirmat quantitatem privari modo positivo et reali inhaerentiae in substantia; et loco illius modi eam recipere modum per se essendi repugnantem actuali inhaerentiae. Hanc sententiam propugnat Suarez.

3ª sententia affirmat quantitatem non privari modo inhaerentiae, cum inhaereat immediate in substantia, at eam locupletari modo supernaturali essendi per se. Hanc sententiam tenent s. Thomas, Cajetanus, Ferrariensis ([1]). — Huic sententiae superius adhaesimus. inquirendo naturam transsubstantiationis.

Omnes qualitates inhaerent quantitati, sunt enim quantae et impenetrabiles; unde in iis immediate nulla est facienda mutatio, seu nulla entitas est in iis producenda ut possint salvae consistere sine substantia.

Scholion. Inquirunt theologi utrum qualitates possent conservari sine quantitate. Negare videtur s. Thomas. Affirmant Suarez, Capreolus, Ferrariensis, Soto, Ledesma. Si enim non repugnat, aiunt, quantitatem conservari sine substantia, non videtur cur absurda foret conservatio qualitatum seorsim a quantitate ([2]).

([1]) S. Th. III, q. LXXVII, a. 1, ad 4ᵐ; in 4 d. 12, q. 1, a. 1, solut. III. — Cajet. In III, q. LXXVII, a. 7. — Ferrariensis, In IV *Contra Gentes*, c. LXVI.

([2]) Vid. Suar. d. LVII, s. 3 in fine.

§ 4. De his quae species agere et pati possunt.

D. Th. III, q. LXXVII, a. 3-7.

129. — I. *Utrum species, quae remanent in hoc sacramento, possint immutare aliquid extrinsecum* (D. Th. l. c. a. 3). Species efficiunt omne id quod prius a pane et vino fiebat. Constat a) a posteriori, ex influxu quem exercent in organis et in aliis corporibus ; b) a priori, ex eo quod iis infunditur qualitas, vi cujus jam per se faciunt id quod prius substantia per ea faciebat.

II. *Utrum species sacramentales possint corrumpi* (ib. a. 4). — Corruptio est motus ex esse in non esse. Species autem posse ex esse in non esse moveri, constat quia servant illud esse motui subjectum quod habebant cum pani et vino erant unitae. Corrumpuntur autem a) divisione aut additione, qua dimensio corrumpitur ; b) alteratione qualitatum, puta coloris, saporis etc. ; c) corrumpuntur per accidens, h. e. corrupto subjecto. Licet enim desit proprie subjectum speciebus, eis tamen infunditur id quod subjecti locum occupat. Ex hoc fit ut species ita alterari possint, ut enascatur nova natura ; sic species vini se cum alia substantia miscere valent in novam naturam.

Cum corpus et sanguis Christi succedant substantiae panis et vini, tamdiu perdurat Christi praesentia, quamdiu substantia panis et vini praesens remansisset. Cum vero ita alterantur qualitates ut, nova forma adveniente, expelleretur forma panis et vini, si adesset, tum corpus Christi cessat esse praesens. Illud autem contingere potest dupliciter : α) ex parte qualitatum, cum adeo mutantur, ut substantia panis et vini cum his qualitatibus permanere non posset ; β) ex parte quantitatis, cum nempe ita dividitur ut desit quantitas requisita per substantiam.

Observa. 1. Circa quaestionem an species sacramentales possint frangi, varia fuit olim sententia. Quidam posuerunt nullam veram fieri fractionem in Eucharistia, sed apparentem dumtaxat. Quod falsum esse constat, supposita remanentia accidentium et veracitate sensuum rite dispositorum. Alii dixerunt fieri quidem fractionem, verum fractionis subjectum deesse, siquidem corpus Christi non frangitur cum in qualibet parte sit totaliter, praeter corpus Christi autem non habetur aliud subjectum. — Dicendum igitur est quod fractio fit in quantitate dimensiva panis, sicut in subjecto. Addere juvat fractionem specierum, quae fit in sacrificio, esse sacramentum dominicae passionis, seu

signum fractionis quam passum est corpus Christi (D. Th. l. c. a. 7).

2. Ergo aliquis liquor potest commisceri speciebus vini consecratis. Species enim acquirunt quadamtenus modum essendi substantiae ; vi illiusagunt et patiuntur quidquid ageret et pateretur panis aut vinum. Jamvero liquor aliquis posset commisceri vino ; ergo commisceri potest speciebus vini (D. Th. l. c. a. 8).

III. *Utrum ex speciebus sacramentalibus aliquid possit generari* (ib. a. 5). a) Posse aliquid ex his generari est manifestum. Etenim corruptio unius est generatio alterius ; sed ostensum est species posse corrumpi, iisque corruptis, cessare Christi praesentiam ; ita autem non corrumpuntur ut omnis entitas specierum evanescat ; ex altera parte, abeunte Christo, non remanent species sine substantia ; substantia vero succedens non est panis. Ergo generatur nova substantia. — b) Difficilius est dicere e quonam subjecto generetur substantia nova ; substantia enim completa fit ex materia, per eductionem formae ex ejus potentia ; heic autem deest materia. Tres sunt sententiae : α) Alii dixerunt substantiam non generari ex speciebus, sed *ex aere ambiente*. Cujus positionis impossibilitas est manifesta, tum ex eo quod aer non corrumpitur necessario ubi corrumpitur species, tum ex eo quod corpus quod, corruptis speciebus, oritur, plerumque fieri ex aere nequit. β) Alii posuerunt *substantiam panis et vini* redire cum species corrumpuntur. Quod iterum falsum esse apparet, tum quia Christi praesentia cessat praecise cum substantia panis et vini cessaret ; tum quia per miraculum dicenda esset redire sive tota substantia panis, sive ejus materia. — c) Alii dicunt modum perseitatis, qui efficienter a corpore Christi producitur in speciebus, vicibus fungi materiae, adeo ut ex complexu istius modi et quantitatis qualitatumque generari possit id quod ex materia prima panis est generabile.

Ergo species possunt nutrire. Aliquid enim nutrit in quantum corrumpitur et convertitur in substantiam nutriti. Jamvero uti species sacramentales convertuntur in cineres, ita in substantiam corporis humani converti possunt (D. Th. l. c. a. 6).

§ 5. Dogma transsubstantiationis et remanentia accidentium sunt supra rationem non vero contra rationem.

130. — Restat ut demonstremus transsubstantiationem, speciatim vero remanentiam accidentium esse mysterium propriissime dictum. Ad hoc autem duo requiruntur : a) ut sola revelatione nobis innotescat

factum conversionis totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Christi, et remanentiae accidentium sine ullo subjecto cui inhaereant; deinde ut, supposita revelatione facti, ratio intrinseca possibilitatis rei nobis maneat prorsus impervia, proindeque ut utrumque sit *supra rationem*. b) Ut nullum in medio afferri possit principium philosophicum certum, cui certo contradicat veritas revelatione cognita; ac proin ut ista veritas *non sit contra rationem* ([1]).

([1]) « Comme l'Eucharistie est un ensemble de merveilles et de mystères qui sont en opposition manifeste avec tout ce que la nature nous met sous les yeux, il n'est que trop aisé de donner aux difficultés une forme saisissante et populaire. La présence pour ainsi dire spirituelle du corps et du sang de Jésus-Christ sous les espèces eucharistiques et sous chacune de leurs parties, si petites soient-elles, cette présence multipliée à l'infini et sur toute la terre, cette même présence produite par les paroles sacramentelles qui atteignent le pain et le vin dans leur fond le plus intime, en saisissent la substance et la convertissent dans la substance du corps et du sang du Fils de Dieu, pour n'en laisser subsister que les merveilleuses apparences, quelle série de mystères qui étonnent et déconcertent la raison! Que de lois de la nature troublées! Comme il est facile à l'impiété, habile et railleuse, de semer le doute et la négation dans les esprits illettrés, et comme la raison du croyant instruit elle-même est promptement prise de vertige et sent le besoin d'appuyer sa foi sur des bases inébranlables!

Malheureusement s'il est toujours plus facile d'attaquer un mystère que de le défendre, si la difficulté est plus aisément saisie que la réponse, cela est particulièrement vrai quand il est question de l'Eucharistie : ce que nous venons de dire suffit à le faire voir.

La meilleure défense du mystère nous semble encore être l'exposition courte et claire des preuves qui démontrent péremptoirement le dogme de la présence réelle, base des autres dogmes eucharistiques. On a l habitude de développer la preuve tirée des paroles lumineuses du divin Sauveur, de l'enseignement absolument unanime des Pères et des docteurs depuis les temps apostoliques, de la foi des martyrs qui ont attesté leur croyance par l'effusion de leur sang. N'est-il pas utile d'ajouter l'argument que fournissent la prodigieuse influence que l'Eucharistie a toujours exercée sur les âmes et les merveilles de vertu qu'elle a fait éclore a tous les siècles chrétiens? N'est-elle pas convaincante aussi la preuve tirée de ce fait qu'il serait sacrilège et absurde de prétendre que Jésus-Christ — dont la divinité doit être admise au préalable, attendu qu'il serait inutile de parler de l'Eucharistie à qui ne croirait pas en l'Homme-Dieu, — que Jésus-Christ, dis-je, aurait institué le rite eucharistique avec la prévision certaine qu'immédiatement après sa mort ce rite serait jusqu'à la fin du monde la restauration de l'idolâtrie, sous une de ses formes les plus grossières? — Cette triple défense du dogme, accessible à tous les esprits, a encore l'avantage d'être pour beaucoup un remède préventif.

Cependant il est nécessaire quelquefois d'aborder de front les difficultés faites au dogme de l'Eucharistie et d'en examiner le bien fondé, surtout quand les esprits, qui en ont été frappés, ne manquent pas de culture scientifique.

On se gardera toutefois d'essayer la réfutation directe, comme si la raison pouvait expliquer le mystère en démontrant positivement la possibilité des merveilles eucharistiques. On se tiendra sur la défensive, c'est plus prudent et la position y est plus forte. On montrera que les incrédules, pour prouver l'impossibilité dont ils s'autorisent dans leur négation, devraient mieux connaître et la toute-puissance de Dieu, et l'essence de la matière, ses dernières énergies, les états qu'elle est susceptible de revêtir sous la pression du doigt de Dieu. Si la nature offre tant de phénomènes encore inexpliqués, si les penseurs ne se sont pas mis d'accord sur la nature intime des corps, de quel droit l'homme exigerait-il le dernier mot, quand c'est Dieu qui est supposé opérer directement? Ces raisons indirectes, on les rend facilement saisissantes en montrant et les multiples forces de la matière inconnues autrefois, aujourd'hui démontrées scientifiquement, et ces autres forces encore inconnues, mais soupçonnées de nos savants, et l'objet de leurs infatigables recherches; ou bien encore en énumérant les innombrables et étonnantes transformations

THESIS XIX[a]. — Dogma transsubstantiationis et remanentia accidentium panis et vini sunt quidem supra rationem, verum non sunt contra rationem.

Prob. Dogma transsubstantiationis sequentia involvit : 1° corpus Christi a) replicatur ; b) est illocaliter praesens ; c) compenetratur cum speciebus. 2. Ab essendo deficit tota substantia panis et vini, remanentque accidentia sine subjecto. 3. Corpus Christi succedit pani et vino in ordine ad substandum accidentibus. Ideo a) producitur in corpore Christi qualitas efficienter sustentativa accidentium ; b) in speciebus producitur modus supernaturalis perseitatis. Atqui haec sunt quidem supra rationem, verum non sunt contra rationem. Ergo.

131. — A. PRAEFATA SUNT SUPRA RATIONEM. 1. Replicationem, praesentiam illocalem et compenetrationem mixtam esse supra rationem non tamen contra illam, antea fuit probatum. Restat ut idem probetur de ceteris modo enumeratis.

2. Experientia, e qua originem repetunt omnes cognitiones in hoc statu viae, non subministrat exemplum conversionis totius substantiae, sed tantum formae substantialis aut accidentalis. Nulla vis naturae valet convertere totam substantiam, neque conservare accidentia sine

---

subies par la matière sous l'influence des causes créées et finies. On conclura en demandant à l'incrédulité de quel droit elle parle d'impossibilité pour la toute-puissance de Dieu, aussi longtemps que la matière n'a pas livré ses derniers secrets. — Ce sont là les vieilles raisons ; elles semblent encore les meilleures et le mieux à la portée de tous les esprits.

S'il est nécessaire d'éclairer davantage la foi d'un savant versé dans les sciences physiques, de la défendre contre les doutes dont son esprit est troublé, gardons-nous de lier le dogme eucharistique à une théorie philosophique qui n'aurait pas ses sympathies, qu'il repousserait même comme erronée. Si, par exemple, un savant adhère au dynamisme, cas fréquent de nos jours, s'il ne voit dans les corps qu'un système de forces inétendues s'attirant et se repoussant, pourquoi lui présenterait-on la défense du dogme d'après la théorie scolastique ; pourquoi ne profiterait-on pas plutôt de certaines facilités que présente le dynamisme pour écarter toute contradiction du mystère de la présence réelle ? Pourquoi ne montrerait-on pas que si le corps est un système de forces inétendues, donnant l'illusion d'un continu réel, grâce a la répulsion exercée par certains éléments du système, si comme certains dynamistes le prétendent, chaque force occupe une sphère d'action propre et est à la fois dans chacun des points de cette sphère : il suffit à Dieu, pour opérer la présence quasi spirituelle du corps et du sang de son Fils sous les saintes espèces, de neutraliser les forces répulsives qui les composent en leur opposant la toute puissance de son bras et en même temps d'agrandir surnaturellement la sphère occupée par ces forces ? Or, comment pourrait-on démontrer scientifiquement que Dieu est impuissant à produire cette merveille? Si on prétend qu'il est manifestement impossible que le corps et le sang de Jésus Christ soient à la fois en mille lieux, il est facile de faire observer que si Jésus-Christ remplit l'univers de sa divinité, on ne montrera jamais qu'il lui est impossible, malgré sa puissance infinie, d'entraîner avec lui son humanité, pour la mettre là où lui-même, grand prêtre de la loi nouvelle, prononce, par la bouche de son ministre, les paroles de la consécration ». — Extrait de la *Science sacerdotale du dogme Eucharistique*, Mémoire présenté par G. LAHOUSSE, S. J. au *XIe Congrès Eucharistique international*, réuni à Bruxelles en juillet 1898.

substantia. — Nullum apparet argumentum ad demonstrandum haberi in rebus capacitatem absolutam talis conversionis et conservationis accidentium. — Speciatim accidentia sunt modificationes subjecti, postulant inhaerere in subjecto. Quomodo posset apparere menti possibilem esse modificationem sine substantia modificata, calorem, saporem, duritiem sine subjecto colorato, sapido, duro etc. etc.

132. — PRAEFATA NON SUNT CONTRA RATIONEM.

A. *Transsubstantiatio non est contra rationem.*

In tantum evidenter repugnaret transsubstantiatio, in quantum evidens esset accidentia panis et vini esse absolute inseparabilia a substantia; aut in quantum corpus Christi non posset, beneficio qualitatis supernaturalis, efficienter substare eisdem accidentibus; aut in quantum tota substantia panis et vini non posset deficere ab essendo. Id enim est perspicuum quia ubi praefata deprehenduntur, ibi dantur omnia elementa conversionis, scilicet positio termini ad quem, desitio termini a quo, nexus intrinsecus inter utramque. — Atqui nullum horum trium est manifeste impossibile. Ergo.

1. De remanentia accidentium agetur sub litt. B.

2. Non repugnat evidenter ut in corpore Christi producatur *qualitas sustentativa accidentium* et in speciebus *modus supernaturalis* perseitatis. Corpus enim Christi illocaliter praesens non habet quidem naturalem aptitudinem ut agat in extenso et ut producat in re extensa entitatem supernaturalem; sed ostendi non potest ei non esse potentiam obedientialem ad hoc ut Dei omnipotentia ex ejus potentia passiva educat hujusmodi virtutem. Pariter species naturaliter quidem non exigunt hujuscemodi modum perseitatis, verum non ostendetur deesse ipsis potentiam obedientialem.

2. Non evidenter repugnat *desinere substantiam panis*. Si enim non manifeste est impossibile ut corpus Christi sustentet accidentia, non repugnabit substantiam ab essendo deficere. Ad primum enim evidenter sequitur alterum. Etenim eo quod corpus Christi efficienter sustentat accidentia, consequitur illa accidentia jam non inhaerere substantiae. Atqui impossibile est ut substantia conservetur in ordine physico sine ulla quantitate, qualitate, ubicatione etc. Ergo.

133. — B. *Remanentia accidentium sine subjecto non est contra rationem.*

Supponitur in philosophia demonstratum fuisse quantitatem et qualitates physicas realiter distingui a substantia. — Si hoc negaretur, theologi tantum esset affirmare hanc distinctionem, quae ex dogmate fluit tamquam corollarium, non adversari evidenter principiis philoso-

phicis certis. — Advertere juvat non absolute exigi distinctionem realem quantitatis a substantia ad hoc ut remanentia qualitatum sensibilium defendatur ab impugnationibus rationalistarum. Si enim propugnatur identitas realis quantitatis et substantiae, admittendum est accidentibus per accidens suam esse quantitatem propriam cum iisdem identificatam, eam proinde quantitatem conservari seorsim a substantia cum accidentibus quibus identificatur. — His positis, ostendemus remanentiam accidentium sine subjecto cui inhaerent non esse evidenter contra rationem.

Arg. I^m. In tantum impossibilitas separationis accidentium a substantia esset evidenter impossibilis, in quantum vel accidentia non haberent realitatem sibi propriam, vel Deus non posset supplere efficienter (h. e. producendo in accidentibus modum supernaturalem subsistendi per se) concursum quem substantia creata naturaliter praestat ea sustentando. Atqui a) ex philosophia manifestum est accidentia habere realitatem sibi propriam ; b) manifestum non est Deum non posse supplere efficienter concursum a substantia exercitum. Ergo.

Arg. II^m. Enervantur argumenta ab adversariis allata.

134. — Obj. 1°. Absurdum est dicere definitionem convenire alii ac definito. Atqui hoc asserit qui ponit accidentia divinitus conservari posse sine subjecto. — *Prob. min.* Accidens enim sic esset per se. Atqui esse per se est substantiae. Ergo qui ponit accidentia esse separabilia, asserit definitionem substantiae convenire alii.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad prob. *Dist. maj.* Accidens esset per se *naturaliter, Neg. ; supernaturaliter,* ope qualitatis supernaturalis perseitatis, *Conc. Cdt. min.* Esse per se *naturaliter* est definitio substantiae, *Conc. ;* secus, *Neg.*

Obj. 2°. Accidens naturaliter indiget subjecto in quo exsistat ; inde si supernaturaliter a Deo conservatur sine subjecto, Deus potest supplere concursum quem praestat substantia ad exsistentiam accidentium. Atqui hoc est absurdum. — *Prob. min.* Concursus subjecti non consistit in efficientia exercita a subjecto circa accidentia, sed in eo quod a subjecto praebetur accidenti fulcrum in quo accidens sustineatur. Atqui Deus nequit accidenti praebere tale fulcrum ; nam sic fungeretur munere subjecti, quod repugnat actui puro divino.

Resp. *Dist. maj.* Si accidentia conservantur a Deo sine subjecto, Deus supplet concursum subjecti *infundendo qualitatem supernaturalem perseitatis, Conc.* ; Deus supplet eo sensu quod, uti substantia est subjectum accidentium, ita Deus fieret *subjectum* adeoque accidentia Deo inhaererent eumque modificarent, *Neg. — Cdt. min.*

Obj. 3°. Formae substantiali materiali intrinsecus repugnat ut in esse suo perseveret seorsim a materia prima. Ergo repugnat ut accidens in esse suo perseveret seorsim a substantia. *Prob. ant.* Forma substantialis materialis per totum suum esse est actualitas materiae. Atqui repugnat ut id quod est ex se toto actualitas materiae, seorsim subsistat a materia. Ergo. — *Prob. consequentia.* Quo magis aliquid distat a ratione substantiae, eo magis repugnat ut seorsim ab alio exsistat. Atqui accidens magis distat a ratione substantiae quam forma substantialis; haec enim, licet non sit substantia, est tamen pars substantiae.

Resp. a) Alii ita solvunt: *Dist. ant.* Repugnat ut forma substantialis seorsim a materia consistat, propterea quod *non haberet partes quantitativas* et sic abstraheretur tum a materia, tum a conditionibus materiae, *Conc.;* hoc repugnat *alia ex ratione, Neg.* — Ad prob. conseq. *Dist. maj.* Quo magis aliquid distat a ratione substantiae, eo magis repugnat *ratione ipsius distantiae* ut seorsim exsistat, *Neg.;* eo magis hoc repugnat, si insuper ex se *non habet partes quantitativas*, *Conc.* — Sic respondent hi qui effectum formalem quantitatis reponunt in compositione ex partibus.

b) Alii respondent: *Neg. ant.* Ad prob. *Conc. maj. Neg. min.* Forma per se non subsistens est tota quanta actus materiae. Quantitas est actus substantiae corporeae completae. Utraque naturaliter esse non potest, nisi actus actuet potentiam. De neutra ostendi potest impossibilitas ut conservetur a Deo seorsim a subjecto, dum ex potentia utriusque educatur modus supernaturalis exsistendi per se.

c) Alii respondent: *Conc. ant. Neg. cons.* Ad prob. *Dist. maj.* Nisi specialis habeatur ratio pro eo quod minus distat a substantia, ne seorsim exsistat, *Conc.;* si specialis occurrit ratio, quae non afficit id quod magis a substantia distat, *Neg. Conc. min.* Contendunt specialem rationem exigere ne forma substantialis per se non subsistens conservetur sine materia, licet minus distet a substantia quam quantitas.

135. — Obj. 4°. Accidens fit per eductionem e potentia subjecti. Atqui quod fit ex subjecto, id absolute nequit exsistere absque hoc altero. — *Prob. min.* Id quod educitur e potentia subjecti est per totam suam essentiam actualitas alterius. Etenim educi e potentia subjecti idem est ac subjectum esse actu id quod prius erat potentia. Atqui repugnat ut id quod per totam suam essentiam est actualitas alterius, exsistat seorsim. Ergo repugnat ut id quod educitur, etc.

Resp. *Dist. maj.* Accidens fit per eductionem e potentia subjecti, h. e. subjectum fit tale aut tale per accidens *cui competit realitas propria,*

licet cum substantia constituat unum ens, *Conc.;* educitur e potentia subjecti ita ut *nihil realitatis propriae* competat accedenti, et ut haec realitas supernaturaliter non valeat suscipere modum perseitatis, *Neg.* — *Cdt. min.* Id quod educitur ex potentia subjecti et cui *non competit realitas propria* nec potest esse susceptivum modi supernaturalis perseitatis, nequit exsistere sine subjecto, *Conc.;* cui competit *realitas propria* et quod potest esse susceptivum modi supernaturalis perseitatis, illud nequit exsistere sine subjecto, *Neg.*

Obj. 5°. Si accidens potest divinitus conservari absque subjecto, non est forma essentialiter affixa materiae, sed sua actualitate supergreditur potentialitatem materiae. Atqui hoc est absurdum, talis enim forma est subsistens et spiritualis. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Accidens divinitus conservatum absque subjecto non est essentialiter affixum materiae quoad *ortum* suum, *Neg.;* quoad *conservationem, Subd.* non est essentialiter affixum materiae, h. e. *substantiae* corporeae, *Conc.; quantitati* corporeae, *Neg. Cdt. min.* — Ad prob. *Dist.* 1^{m}: Talis forma est subsistens *naturaliter, Neg.; supernaturaliter, Conc.* — *Dist.* 2^{m} : Talis forma est spiritualis, si non subjectatur *in quantitate* ita ut ex hac inhaesione habeat partes quantitativas aut extensionem aptitudinalem, *Conc.;* secus, *Neg.*

136. — Obj. 6°. Si divinitus accidens seorsim exsistere potest, sic exsistere valuit ab initio exsistentiae suae, adeoque accidens fieri potest non tantum per eductionem e subjecto, sed etiam per veram creationem. Atqui repugnat ut accidens fiat per creationem. Ergo. — *Prob. min.* Repugnat ut unus idemque sit terminus duarum actionum diversarum, non tantum specifice, sed toto genere. Atqui creatio et eductio ex subjecto sunt duae actiones toto genere diversae. Ergo.

Patet major quia actio specificatur a termino in quem tendit; itaque si idem est terminus, eadem est species actionis.

Resp. *Dist. assumptum majoris :* Si accidens divinitus seorsim exsistere potest, sic ab initio exsistere valuit *naturaliter* et quin habeat qualitatem supernaturalem perseitatis, *Neg.;* sic exsistere potuit ab initio *supernaturaliter* et ope illius supernaturalis qualitatis, *Conc.* — *Dist. maj.* Accidens fieri potest per veram creationem, si producitur in ipso *praedicta qualitas, Conc.;* secus, *Neg.* — *Cdt. min.* — Ad prob. minoris, *Dist. maj.* Repugnat ut unus idemque *ratione ejusdem modi exsistendi*, seu nullo supperaddito, sit terminus duarum actionum genere diversarum, *Conc.;* repugnat ut unus et idem, *ratione diversorum modorum exsistendi,* sit terminus, etc. *Neg.*

SECUNDA PARS.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE.

---

137. — Aliae quaestiones de sacramento Eucharistiae respiciunt causas intrinsecas, aliae causas extrinsecas, instituentem nempe, conficientem et suscipientem. — De *causis intrinsecis* quaeritur a) quaenam sint partes constitutivae istius sacramenti ; b) quaenam sit istius sacramenti efficacia. — De causis *extrinsecis* inquiritur quisnam sit minister sacramenti. — Denique agemus de necessitate sacramenti relate ad subjectum. — Quare secunda pars quatuor capitibus absolvetur.

CAPUT I.

De partibus constitutivis sacramenti Eucharistiae.

Circa essentialia sacramenti Eucharistiae inquiritur 1° utrum Eucharistia sit sacramentum a reliquis sacramentis distinctum. — Quaeritur 2° quaenam sit ejusdem materia et forma.

ARTICULUS I.

De distinctione Eucharistiae a reliquis sacramentis.

D. Th. III, q. LXXIII, a. 1 et 2. — Suar. d. XXXVIII. — Lug. d. 1, s. et d. II.

Quaeritur a) an Eucharistia sit *verum* sacramentum ; b) utrum sit *unum* an multiplex ; c) utrum sit *distinctum* a reliquis sacramentis ; d) utrum sit *excellentius* ceteris sacramentis ; e) utrum sit *permanens*, an consistat *in usu ?* — Ultima quaestio, supposita solutione ceterarum, soluta manet ex dictis de permanentia Christi sub speciebus.

138. — AD I^m QUAEST. Ut Eucharistia sit sacramentum, oportet ut ei conveniat definitio sacramenti generice considerati, quae stabilita est in tractatu de sacramentis in genere, nempe ut sit signum demonstrativum et practicum gratiae, seu caerimonia religiosa stabili lege a Christo instituta eo fine ut in praesenti conferat gratiam. — Contenditur hanc definitionem de ea verificari. Quomodo ratione ritus et ratione effectus distinguatur a ceteris sacramentis,ex aliis quaestionibus examinandis perspicuum fiet.

Omissis antiquis haereticis, quos referunt Epiphanius, Theodoretus, et Euthymius, Petrobrussiani, teste Petro Cluniacensi, affirmarunt Christum quidem hoc mysterium celebrasse, at apostolis collatam non esse potestatem Eucharistiam conficiendi. — Ineunte seculo XI, Gundulphiani respuebant Eucharistiam, ut sacramentum, et baptismum. — Idem sacramentum rejiciunt Sociniani.

Fide certum est Eucharistiam esse verum sacramentum, a) ex Trid. α) sess. VII, can. 7, (ubi referuntur septem sacramenta a Christo instituta) ; β) sess. XIII, can. 1, 2, 3, 4, 6, qui tractant de sacramento Eucharistiae ; γ) sess. XXI, can. 1, qui negat omnes fideles sumere debere utramque speciem sacramenti Eucharistiae. — b) ex Lateranensi IV, cap. *Firmiter*, definiente corpus et sanguinem Christi veraciter contineri in sacramento altaris.

139. — AD II^m QUAEST., qua investigatur utrum Eucharistia sit sacramentum *unum*, an *duo :* Ex dogmate numeri septenarii sacramentorum hoc saltem probatum relinquitur, gratiam nempe sacramentalem corpore Christi collatam non differe specifice a gratia sacramentali sanguine Christi collata : quomodo enim dici posset nonnisi septem esse sacramenta, si in Eucharistia darentur duarum gratiarum duo signa, eaque diversa quoad materiam et quoad formam ? Sensus itaque quaestionis est utrum una eademque gratia significetur per *unum signum* constans duabus partibus, an per *duo signa*. Si enim una eademque gratia sacramentalis significatur et confertur duobus signis integris, aliquo sensu manet verum quod nonnisi septem sunt sacramenta. — Porro s. Thomas, s. Bonaventura, Albertus Magnus, Durandus, Alensis aliique multi asserunt in Eucharistia nonnisi unum esse sacramentum. Contra Aureolus, Major, Gabriel videntur censere duo esse sacramenta : unius quidem materiam esse speciem panis cum corpore Christi et formam esse consecrationem panis, alterius vero materiam esse speciem vini cum sanguine Christi, et formam esse consecrationem calicis.

THESIS. XX[a]. — Eucharistia est sacramentum verum, unum, distinctum a ceteris sacramentis, iisque multo excellentius.

Prima pars. EUCHARISTIA EST SACRAMENTUM VERUM.

140. — **Arg. I[m].** Petitur ex *Conciliis*. Dogma est fidei definitum in pluribus Conciliis, v. g. in Carthagin. III (an. 397) ; in Lateranensi IV cap. *Firmiter* (Denz. n. 357) ; in Florentino, decreto pro Armenis (Denz. 593), et maxime in Tridentino, sess. VII de sacram. in genere, can. 1, in sess. XIII et in sess. XXI.

Arg. II[m]. Petitur *ex Scripturis :* Quod est signum sensibile, stabili lege a Christo institutum, demonstrativum et practicum gratiae, id est sacramentum. Atqui haec verificantur de Eucharistia : — 1. *Eucharistia est res sensibilis*. Verba enim consecrationis sunt sensibilia ; species panis et vini sunt sensibiles. Atqui his verbis et his speciebus cum corpore Christi continetur Eucharistia. — 2. Haec res *stabili lege est instituta a Christo* ut perenniter duraret in Ecclesia. In ultima coena non tantum praesentia facta sunt corpus et sanguis Christi, substantia panis et vini conversa est, species panis et vini sine subjecto praesentes manserunt, uti antea ostensum est ; sed adhuc Christus jussit ut apostoli et successores idem praestarent usque ad finem mundi. Id enim eruitur a) *Ex verbis institutionis :* « Hoc facite in meam commemorationem ». Cum Christus apostolis dicebat : « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes, » praeceptum dedit successoribus apostolorum docendi et baptizandi, et sacramentum baptismi instituebat. Cum eisdem dixit : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt » (Joh. XX, 23), instituit Christus sacramentum paenitentiae. Ergo a pari cum dixit apostolis : « Hoc facite in meam commemorationem », successoribus etiam dedit praeceptum Eucharistiam conficiendi. Idem eruitur b) *Ex verbis promissionis* apud Joh. VI, 48 sqq. « Ego sum panis vitae.... Hic est panis de caelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur... Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die ; caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. » — *Unde sic :* Christus vult omnes homines salvos fieri. Atqui ut salutem consequantur, ipso Christo illud instituente, necesse est ut carnem Christi manducent, ut sanguinem bibant. Ergo Christi stabili lege Eucharistiam instituit. Demum eruitur idem c) ex perpetua praxi Ecclesiae a tempore

apostolorum, quae sufficienter innotescit ex multiplici testimonio traditionis antea enarrato. — 3. *Eucharistia est demonstrativa et practica gratiae.* Etenim a) forma, seu verba consecrationis, ex se indicat praesentiam Christi sub speciebus. b) Species ex se sunt fundamentaliter aptae ut indicent nutriri animas, seu Christum fieri cibum animarum, ideoque conferri auxilia gratiae et gratiam habitualem qua anima fiat idonea ad capescendum regnum caelorum. c) Christus annexuit huic ritui vim demonstrandi et conferendi gratiam, uti manifestum est ex verbis promissionis (Joh. VI, 50, 52, 57).

Arg. III^{m}. Petitur ex *Traditione.* 1. Patres Eucharistiam esse sacramentum profitentur cum illam reliquis sacramentis connumerant, eamque dicunt a Christo institutam esse, significare et conferre gratiam. Atque talem esse modum loquendi ss. Patrum perspicuum est ex testimoniis bene multis, quorum alia quidem fuerunt tradita in prima parte hujus tractatus, alia vero tradentur cum sermo fiet de fructu sacramenti altaris. — 2. Primis seculis christianis simul administrabantur Eucharistia et baptisma ; uterque ritus monumentis pictis aut sculptis exhibetur ut causa sanctificationis.

141. — Secunda pars. SACRAMENTUM EUCHARISTIAE EST ESSENTIALITER DIVERSUM A CETERIS SACRAMENTIS.

Prob. Arg. I^{m}. Illud sacramentum a ceteris est essentialiter diversum, quod, in eodem genere conveniens, propriam habet differentiam specificam. Atqui sacramentum Eucharistiae cum reliquis convenit quidem in eodem genere signi demonstrativi et practici gratiae, verum habet propriam differentiam specificam. Ergo.

Prob. min. A. *In Eucharistia :* 1. *Forma* seu prolatio verborum convertit panem et vinum, praesentem sistit Christum sub speciebus ante usum sacramenti seu ante susceptionem corporis et sanguinis Christi a subjecto sacramenti. — 2. *Materia remota* est res proprie dicta, panis et vinum. Materia autem *proxima :* a) sunt α) species panis et vini (materia sensibilis). β) Corpus Christi sub speciebus (materia per se non sensibilis). Eadem materia b) permanet quamdiu species non corrumpuntur, ideoque Eucharistia dicitur sacramentum permanens. c) Corpus Christi per modum cibi et convivii sumitur a subjecto Eucharistiae. — 3. *Finis* Eucharistiae est ut nutriatur anima, augeatur caritas et devotio.

B. *In reliquis sacramentis :* 1. *Forma* est quidem ens successivum ; verum non praesentem facit Christum, sed producit immediate gratiam in subjecto sacramenti, non quidem per se solam, verum uti cum

materia constituit aliquid moraliter unum. — 2. *Materia* remota est res aliqua naturalis, sed materia proxima : a) non est corpus Christi neque res naturalis, sed actio aliqua. Ideo b) materia proxima non permanet, sed est ens successivum, ideoque totum sacramentum stat in usu. Tunc est cum fit; tunc autem fit cum applicatur subjecto. c) Non suscipitur ipse Christus a subjecto sacramenti, sed ei applicatur ritus sacramenti quo moraliter aut physice, pro sententiis de quibus actum est, infunditur gratia. — 3. *Finis* est diversus, uti ex inspectis singulis sacramentis est perspicuum.

142. — **Tertia pars.** SACRAMENTUM EUCHARISTIAE EST CETERIS LONGE EXCELLENTIUS.

Prob. Arg. I^m. *Ratione theologica.* Sola Eucharistia continet corpus et sanguinem Domini. Ergo dignitate et excellentia longe superat reliqua sacramenta. — *Prob. conseq.* 1. Quo sanctius est ens, eo est dignius et excellentius; porro illud sacramentum quod ipsum continet Christum, est sanctius illis sacramentis quae sunt sancta sola habitudine quatenus significant et conferunt sanctitatem. — 2. Quo magis sacramentum est signum sacrum, eo dignius est et excellentius; sed Eucharistia est signum omnium sanctissimum, quoniam continet rem sanctissimam. — 3. Quod continet Christum, est finis et comsummatio ceterorum sacramentorum. Omnia enim sacramenta ordinantur ad hoc ut fideles perfectius uniantur Christo. Haec autem unio consummatur in Eucharistia ([1]).

Arg. II^m. Petitur *ex Tridentino.* In sessione XIII, vocat Eucharistiam, ratione Christi in ea contenti, divinum ac mirabile, sacrosanctum et sanctissimum, praestantissimum beneficium (cap. 1). — Dicit Christum divitias amoris sui in ea veluti profudisse (cap. II). — Virtutem sanctificandi esse communem huic sacramento et reliquis; Eucharistiae vero proprium esse quod continet auctorem gratiae (cap. III). — b) In sessione VII anathematis damnat eos qui dicunt omnia sacramenta esse aequalia. Ratio praecipua canonis petitur ex excellentia Eucharistiae supra cetera sacramenta (can. 3).

143. — **Quarta pars.** SACRAMENTUM EUCHARISTIAE EST UNUM.

In superioribus ostensum est Eucharistiam esse sacramentum; postea ostendetur materiam reponi in corpore et sanguine Christi et in speciebus panis et vini sive in speciebus consecratis, formam vero

([1]) Cfr. S. TH. in 4 d. 7, q. 1, a. 1, sol. III.

in verbis utriusque consecrationis. — Heic autem contenditur his omnibus nonnisi unum contineri sacramentum.

Prob. Arg. I^m. Illud est proprie et actu sacramentum, cui Christus, omnium sacramentorum institutor, annexuit significationem sacramentalem. Atqui Christus Jesus Eucharistiam instituens annexuit significationem sacramentalem, non quidem utrique speciei consecratae seorsim ab altera, verum complexui duarum specierum cum duabus consecrationibus. — *Prob. min.* a) Christus annexuit significationem sacramentalem ei quo continetur memoria et figura mortis cruentae in cruce. Ratio petitur ex s. Paulo in I Cor, XI, 26 scribente : « Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. » Si enim jubentur fideles manducantes corpus dominicum et bibentes sanguinem facere memoriam mortis Domini, concludendum est Christum voluisse ut Eucharistia esset figura ejusdem mortis. Atqui figura mortis cruentae Domini continetur duplici specie consecrata cum duplici consecratione, siquidem hac vivide ob oculos ponitur cruenta effusio sanguinis. — b) Eadem veritas colligitur ratione quam affert s. Thomas : Eucharistia est instituta per modum convivii, ut significaretur ejusdem finis, quae est spiritualis animae refectio. Atqui ad corporalem refectionem concurrunt cibus et potus. « Et ideo etiam ad integritatem hujus sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus et spiritualis potus, secundum illud Joh. VI : « Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus » ([1]).

Arg. II^m. Juxta *Tridentinum* nonnisi septem sunt sacramenta. Atqui ro quod in Eucharistia forent plura sacramenta, hoc falsificaretur. — *Prob. min.* Eatenus, hoc non obstante, salva maneret definitio Tridentini, in quantum sacramenta enumerata fuissent sub ratione generica, non autem sub ratione specifica. Atqui hoc falsum est. Eo enim quod sub generica ratione enumerarentur sacramenta, nil obstaret quin plura aut pauciora esse dicerentur ; possent facile dici esse tria, aut quinque, ut ex dictis in tractatu de sacramentis in genere est manifestum.

Confirmatur catechismo romano n. 10 : « Licet autem duo sint elementa, panis scilicet et vinum, ex quibus integrum Eucharistiae sacramentum conficitur ; non tamen plura sacramenta, sed unum tantum esse *Ecclesiae auctoritate docti* confitemur ».

([1]) S. Th. III, q. LXXIII, a. 2.

144. — **Dices 1.** In Eucharistia sunt duae materiae et duae formae. Atqui ubi dantur duae materiae et duae formae, ibi dantur duo sacramenta. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* In Eucharistia dantur duae materiae et duae formae *non unitae moraliter* inter se, adeoque *integrae, Neg.;* quarum *una unitur moraliter alteri* ita nempe ut unaquaeque sit materia aut forma *partialis, Conc.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui una materia non unitur moraliter alteri, neque una forma alteri formae. Etenim a) species panis et forma ei respondens significant et causant praesentiam corporis dominici ; species vini et forma ei respondens significant et causant praesentiam sanguinis dominici. Atqui quae sic se habent, ea non uniuntur moraliter inter se. — b) Species consecrata panis per se solam confert gratiam adeoque per se solam est signum practicum gratiae. Atqui quod per se solum confert gratiam, per se solum eamdem gratiam significat. Sacramenta enim causant significando. Ergo.

Resp. *Ad 1m arg. Dist. maj.* Una species cum consecratione ei respondente causat praesentiam corporis *vi verborum* et praesentiam sanguinis *per concomitantiam ;* altera causat praesentiam sanguinis *vi verborum* et praesentiam corporis *per concomitantiam, Conc.;* una species non causat nisi praesentiam *corporis*, altera nonnisi *sanguinis* praesentiam, *Neg.* — *Cdt. min.*

Ad 2m arg. Dist. maj. Species consecrata panis, *prouti moraliter unitur* speciei consecratae vini, confert gratiam per se solam h. e. licet non sumatur species vini, *Conc. ;* confert gratiam per se solam h. e. *independenter ab omni unione morali* cum specie vini, *Neg.* — *Cdt. min.*

Dices 2. Qui suscipit speciem panis, non dicitur suscipere partem sacramenti, sed totum sacramentum Eucharistiae. Atqui eo quod ex duabus speciebus constitueretur unum sacramentum, sequeretur eum, qui nonnisi panis speciem communicat, recipere partem sacramenti.

Resp. Qui nonnisi speciem panis recipit, dicitur totum sacramentum recipere : a) quia recipit totum Christum, qui est res praecipua sacramenti (Trid. sess. XXI, c. III) ; b) quia recipit tantum gratiae, quantum reciperet per communionem sub utraque specie. Hoc sufficere ut una species convenienter appelletur totum sacramentem, confirmatur eo quod pars vocatur totum cum a ceteris partibus separata sufficit fini intento. — Attamen si sacramentum consideratur tamquam signum, recipiunt fideles in una specie id quod cum altera specie significat unum quid, non vero recipiunt id quod ex se solo id totum significat.

— Hinc respondetur *distinguendo majorem :* Qui recipit unam speciem, recipit totum sacramentum h. e. *totum effectum sacramenti, Conc.;* recipit *id quod significat totam rem significandam, Subd.* quod *ex se solo* id totum significat, *Neg.;* quod *cum altera specie* illud significat totum, *Conc.*

Dices 3. Ecclesia in suis orationibus saepe loquitur de Eucharistia, ut de multis sacramentis, « sacramenta quae sumpsimus. » Ita etiam loquuntur Patres et Concilia.

Resp. a) Concilia et Patres pluries loquuntur de Eucharistia tamquam de uno sacramento, quam de ea uti de pluribus. Sic Florentinum et Tridentinum. — b) Eucharistia dici potest esse plura sacramenta sensu latiori, seu quatenus est signum multarum rerum sacrarum. — c) Usus vigebat ut omnes aut multi fideles reciperent Eucharistiam. Hinc convenienter dicitur in Missa « sacramenta quae sumpsimus. »

Dices 4. *In utraque specie habetur tota essentia sacramenti.* Etenim a) totus Christus invenitur sub utraque specie. — b) In utraque specie habetur virtus causandi gratiam, nam : α) juxta Tridentinum sufficit communio sub una specie, uti postea stabilietur ; β) sub utraque datur totus Christus qui est imprimis causa gratiae. — c) Utraque species habet essentialiter significationem sacramentalem : α) « In specie panis, ait Bellarminus [1], significatur sufficienter refectio animae, etiamsi non adderetur species vini, et similiter in specie vini, etiamsi non adderetur species panis. Nam etiamsi species panis non significet refectionem spiritualem nisi per modum cibi, et species vini per modum potus, tamen ut aliquid dici possit absolute et vere sacramentum, satis est si significet aliquam refectionem spiritualem et eamdem revera efficiat. Quocirca duo illa signa, species videlicet panis et species vini, non tam essentiales quam integrales partes hujus sacramenti esse videntur. Ex quo sequitur ut Eucharistia sub una specie sit verum et integrum sacramentum essentialiter, licet etiam pars sacramenti dici possit, si partes materiales symboli externi considerantur. Dixi autem *ex parte symboli externi,* nam ex parte rei significatae, i. e. ex parte refectionis spiritualis, nihil deest ulli speciei. » β) Utraque species significat unionem fidelium. Uti enim advertit Bellarminus l. c. « Panis quatenus constat ex multis granis in unum redactis, significat unionem fidelium ; quatenus constat ex farina et aqua significat unionem Christi cum Ecclesia... Quocirca beatus Paulus cum dixisset : « Unum corpus

[1] Bellarm. *De Euch.* l. IV, c. xxii.

multi sumus, qui de uno pane participamus, » non putavit esse addendum « et de une calice. » Idem posset dici de specie vini. »

Resp. Ex rationibus traditis nonnisi unum colligi potest, scilicet utramque speciem seorsim ab altera esse *aptitudinaliter* sacramentum; sed nullatenus sequitur Christum non annexuisse *actu* significationem sacramentalem complexui duarum specierum.

145. — **Scholion 1m.** Quaeres quot sint sacramenta in pluribus hostiis ?

Resp. Unum est sacramentum, cum species consecratae habent physicam unitatem per partium continuationem et una forma fuerunt consecratae. — Cum species sunt discontinuae, tres esse possunt modi loquendi, quos refert Suarez (1) : — 1. Tot sunt sacramenta numero distincta, quot sunt species diversae et discontinuae. Etenim a) species sunt sacramentum; ergo, multiplicatis speciebus, multiplicantur sacramenta. b) Quaelibet species non est pars alterius, neque in essendo neque in significando. Quod una specie significatur, illud totum significatur alia specie. c) Quae hostiae sunt in diversis locis, sunt plura sacramenta. Ergo. *Contra est* a) modus loquendi communiter receptus : Sacerdos in missa dividit hostiam in tres partes; non tamen dicitur recipere tria sacramenta, neque haec hostia post divisionem est magis plura sacramenta quam antea. b) In unitis moraliter unitas vel multiplicitas non pendet ex physica unione aut separatione. — 2. Hostiae quae moraliter uniuntur, per modum unius proponuntur adeoque censentur esse sacramentum unum. Ratio est duplex : a) Ubi una forma, ibi unum est sacramentum. Atqui unica forma consecrantur multae hostiae. b) Eucharistia est convivium ; unitati vero convivii pluralitas escarum non officit. Igitur omnes hostiae unius pyxidis constituunt sacramentum, donec distribuantur diversis personis. — 3. Omnes species consecratae, ubicumque et quomodocumque sint, sunt unum numero sacramentum. Ratio affertur quod a) si Verbum assumeret plures humanitates, esset unus homo. Ergo corpus Christi quasi assumens et se uniens pluribus speciebus, cum eis constituit unum sacramentum. b) Plures hostiae exsistentes in loco contiguo, efficiunt unum sacramentum. Ergo idem dicendum, si sunt in locis separatis. c) Legitur in I Cor. x, 17 : « Unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. » Sicut omnes fideles constituunt unum numero corpus, ita participant unum sacramentum. d) Non adeo raro Patres

(1) Suarez, d. xxxix, s. 4.

dicunt Christum obtulisse unam hostiam, eamque offerri ab omnibus sacerdotibus, unde unum est sacrificium quod in diversis locis offertur. Atqui si unum est sacrificium, etiam unum est sacramentum. Ergo. — Vix probabilis est tertia ista sententia. Videtur enim contraria tum sensui fidelium autumantium Eucharistiam admittere pluralitatem numericam haud secus atque cetera sacramenta, tum locutionibus Patrum. — Ad ultimam rationem in contrario allatam, manifestum est emollienda esse ista verba Patrum de sacrificio Missae. Unum scilicet dici potest sacrificium, quatenus eadem est victima, idemque principalis offerens; verum simpliciter loquendo sacrificium est multiplex, siquidem forma sacrificii est multiplex, multiplex enim est oblatio ejusdem hostiae, in qua oblatione continetur forma sacrificii.

Scholion 2m. *Conveniens fuit in N. L. institui sacramentum Eucharistiae.*

Colligitur 1° ex Trid. sess. XIII, c. II: « Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum, et in illius sumptione colere nos memoriam sui praecepit, suamque annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius,... et tamquam antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis cujus ipse caput exsistit, cuique nos, tamquam membra, arctissima fidei, spei et caritatis connexione adstrictos esse voluit. »

2. Rationem congruentiae indicat s. Th. (1). Vita spiritualis vitae corporali conformatur. Haec autem generatur, augmentum accipit et alitur. Sic vita spiritualis generatur baptismo, roboratur confirmatione, alitur Eucharistia. Hanc vitam sub nova lege nutriri Eucharistia congruum erat : « Est enim, ait Suarez, lex evangelica perfectissima et plenitudinem gratiae in se continens; et ideo conveniens fuit, ut hujus legis sacramenta, a Christo ejus auctore instituta, augmentum et conservationem gratiae possent conferre modis omnibus vel necessariis, vel humanae fragilitatis accommodatis; ex quibus unus ac praecipuus est, ut per modum cibi et potus spiritualis homines nutriri possent et ab innumeris periculis, quibus in hac mortali vita subditi sunt, defendi. »

(1) S. Th. III, q. LXXIII, a. 1.

ARTICULUS II.

De partibus constitutivis sacramenti Eucharistiae.

SUAR. *De sacram.* d. XXXXII. — LUG. *De sacram. Euch.* d. 1, sect. 2-5.

§ 1. QUAESTIONES.

146. — Ex prima parte hujusce tractatus probatum relinquitur in Eucharistia deprehendi corpus et sanguinem Christi et species sensibiles panis et vini ; corpus autem et sanguis ponuntur sub speciebus per verba consecrationis quae non differunt a verbis institutionis. Quaeritur quaenam ex praefatis sint partes constitutivae sacramenti Eucharistiae seu significent gratiam sanctificantem subjecto sacramenti conferendam, eamdemque gratiam moraliter causent. — Quaestio hic agitanda aliter proponitur, pro nexu quo devincitur cum quaestionibus discussis in tractatu de sacramentis in genere. In hoc nempe tractatu ostensum est in omni sacramento deprehendi res et verba ; rem habere rationem materiae et verba rationem formae ; materiam et formam esse partes intrinsecus constitutivas signi sacramentalis. Dari in Eucharistia rem et verba est manifestum ; at reliqua sunt immanifestiora. Movetur enim quaestio tum de verbis, tum de rebus.

Circa verba consecrationis quaeritur an sint pars intrinsecus constitutiva sacramenti et quomodo significent gratiam.

Circa materiam quaeritur 1° utrum species Eucharistiae sint de ratione intrinseca sacramenti ; 2° utrum corpus Christi sit de ratione intrinseca ; 3° utrum sumptio Eucharistiae sit pars.

Alia multa, ad partes constitutivas Eucharistiae spectantia, tractantur in theologia morali. Haec inquirit quaenam sit materia remota valida et licita sacramenti ; de materia proxima inquirit utrum praecepto divino an humano necesse sit in duplici materia confici sacramentum, quaenam quantitas requiratur etc.; de forma inquirit quaenam verba constituant essentiam ejus.

147. — **CIRCA I^m QUAEST.**, *utrum verba consecrationis sint pars sacramentalis,* advertenda prius haec sunt : Omnes admittunt verba consecrationis esse moraliter verba Christi, siquidem Christus est minister principalis sacramenti et sacrificii Eucharistiae ; omnes etiam tenent ista verba efficere (physice aut moraliter) transsubstantiationem, adeoque praesentiam realem sub speciebus panis et vini ; denique omnes admittunt eadem verba esse saltem partem essentialem sacrificii. Inde

constat verba consecrationis pertinere ad sacramentum Eucharistiae: si enim essentia reponitur tota in materia, si nempe haec sola significat et causat gratiam, forma dicenda erit causare mediate eamdem gratiam, adeoque pertinebit ad sacramentum tamquam ejus causa. Inde etiam constat verba consecrationis esse fundamentaliter apta ut assumantur in rationem partis intrinsecus constitutivae sacramenti, siquidem immediate significant Christum esse praesentem sub speciebus in statu cibi et potus. — Itaque quaestio sic proponitur: An Christus annexuit verbis consecrationis *virtutem infallibiliter significandi et causandi gratiam quae confertur subjecto Eucharistiae.* — Doctores abeunt in tres sententias:

1ª sent., quam tradunt Scotus, Sotus, Victoria, Gabriel, Catharinus, Ledesma, Alanus, tenet *verba non esse partem intrinsecus constitutivam sacramenti* ([1]). Hi auctores consequenter tenent non esse de ratione sacramenti ut essentialiter et intrinsecus constituatur rebus ut materia et verbis ut forma; sed solum ut ex rebus et verbis constituatur quocumque modo. In Eucharistia autem verba dicunt necessaria ad constitutionem sacramenti per modum causae efficientis. — Quare in hac sententia verba sunt *forma extrinsece efficiens sacramentum.* — Sotus dicit verba ex se esse *sacramentale* quoddam: qui modus loquendi approbari nequit, cum haec verba habeant infallibiliter effectum maxime supernaturalem ([2]).

2ª sent., cui assentitur s. Thomas ([3]), tenet verba esse *partem intrinsecus constitutivam* sacramenti. — In hac sententia, verba consecrationis exercent tria munera: a) Efficiunt transsubstantiationem, adeoque Christum reddunt praesentem in statu cibi et potus. b) Sacrificaliter offerunt Christum, dum eum faciunt praesentem in statu victimae, adeoque sunt forma sacrificii. c) Sunt forma sacramenti, sc. instituta sunt a Christo ad significandam et conferendam gratiam sacramentalem una cum corpore Christi et speciebus, suntque pars determinans istius compositi seu determinant per unionem sui corpus Christi et species ut secum significent et causent gratiam.

Observa. In sententia causalitatis physicae, aegre explicatur quomodo verba operentur gratiam et proinde sint forma sacramenti. Videtur

([1]) Scot. in 4 d. 8, q. 1, ad 3[m]. — Sot. in 4 d. 1, a. 1, — Gabr. ib. q. unic. in princ. et lect. xxxviii, in Can. — Victoria, *Sum.* n. 52. — Ledesma, q. xiv, a. 1, dub. 2. — Catharinus, opusc. ii *de verbis quibus Christus consecravit.* — Alanus, *De Eucharistia*, l. I, c. iii, iv, v. — ([2]) Sotus, in 4 d. 8, q. 1, a. 1. — ([3]) S. Th. in 4 d. 8, q. 1, a. 1, solut. 1; III, q. lxxviii, a. 1.

enim tota causalitas physica adscribenda humanitati Christi, sive cum speciebus sive sine speciebus. Hinc forma non valet dici nisi causa mediata gratiae, vi axiomatis « causa causae est causa causati ».

3ª sent. tenet non verba, sed id quod ex verbis relinquitur esse formam hujus sacramenti.

148. — CIRCA IIᵐ QUAEST., *utrum species consecratae sint de ratione intrinseca sacramenti*, dantur duae sententiae.

1ª sent. negat. Eam profitetur Waldensis qui dicit in aliis sacramentis solum visibile signum, invisibilem gratiam significans, esse ipsum sacramentum ; hic vero sacramentum esse invisibilem gratiam per visibile signum proxime significatam, h. e. sacramentum Eucharistiae esse *Christum quem verba significant et sub speciebus constituunt.* Igitur species dici non possunt sacramentum nisi analogice, in quantum sunt signum sacramenti, ea nempe ratione qua color dicitur sanus quia est sanitatis signum. — Eadem sententia tribui solet Cajetano et Marsilio. Asserunt species non esse partem sacramenti ; quia *sola verba sunt totum sacramentum.* Huic sententiae videtur favere s. Thomas (1).

2ª sent. affirmat. Qui eam tenent, dividuntur quoad 3ᵐ quaestionem.

149. — CIRCA IIIᵐ QUAEST., *utrum corpus Christi sit de ratione sacramenti,* admittunt profecto omnes non haberi sacramentum Eucharistiae, nisi corpus Christi vere sit praesens sub speciebus, adeoque corpus Christi essentialiter requiri ut habeatur sacramentum seu esse in obliquo saltem de ratione sacramenti. — Verum ubi inquirunt an corpus sit pars signi sacramentalis, duplex est sententia :

1ª sent., est Marsilii et Soti tenentium *solas species* esse materiam sacramenti (2).

2ª est s. Thomae, s. Bonaventurae, Capreoli, Alani, Victoriae, Ledesmae, Suarezii, Vasquezii, Lugonis (3). Tenet compositum ex corpore et speciebus, seu *corpus Christi sub speciebus contentum,* esse materiam sacramenti.

150. — CIRCA IVᵐ QUAEST., *utrum sumptio Eucharistiae sit de ratione sacramenti,* duplex est sententia :

1ª sent. dicit *sumptionem esse partem sacramenti.* Sic loquuntur haere-

(1) Waldensis, *De sacramentis,* t. II, c. xxi. — Cajet, *in III part. s. Th.* q. lxiii, a. 6. — Marsilius, in 4 q. 1, a. 1 et q. vii, a. 2. — S. Th. in 4. d. 8, q. 1, a. 1, solut. 1. — (2) Marsilius, in 4 q. 6, a. 2. — Sotus, in 4 d. 1, q. 1, a. 4 et d. 8, q. 1, a. 1. — (3) S. Th. in 4 d. 8, q. 1, a. 1, sol. 1, ad 2ᵐ. — Cajet. in III, q. lxxv, a. 1 in fine. — Alanus, *De Euch.* l. I, c. iii, iv, v. — Capreol. in 4 d. 8, a. 3, ad 1ᵐ. — Victoria, in *Summa,* n. 152. — Ledesma, I, pars. IV, q. xiv, a. 1 in fine.

tici ii qui contendunt Christum non esse praesentem ante usum, ac proinde sacramentum Eucharistiae reponendum esse *in usu* haud secus ac cetera, et in usu consistere partem praecipuam sacramenti. — Aureoli judicio apud Capreolum (1), ante usum sacramentum non est integrum.

2ª sent. tenet *sumptionem non esse partem sacramenti Eucharistiae.* Patroni istius sententiae bifariam dividuntur: a) Juxta Gabrielem sumptio est per se sacramentum ab Eucharistia distinctum, quamvis per reductionem sub illo numeretur. — b) Juxta Thomam, Bonaventuram etc. sumptio nullum est sacramentum, sed tantum usus sacramenti, conditio requisita ad hoc ut sacramentum operetur.

§ 2. Quaenam sint partes constitutivae sacramenti Eucharistiae ostenditur.

THESIS XXIª. — Partes essentialiter constitutivae sacramenti Eucharistiae sunt verba consecrationis per modum formae, corpus et sanguis Christi cum speciebus per modum materiae.

151. — **Prima pars.** Verba consecrationis sunt forma intrinseca Eucharistiae, h. e. vis significandi et conferendi gratiam fuit annexa complexui duorum, in quo verba funguntur munere partis determinantis.

Probatio. A. *Verba sunt pars intrinseca sacramenti.*

Illud est pars intrinseca sacramenti, quod ex institutione Christi significat et causat gratiam, dummodo alii parti uniatur. Atqui verba consecrationis, conjuncta cum corpore Christi et speciebus, significant gratiam et eam operantur. — *Prob. min.* Verba consecrationis ex institutione Christi sunt moraliter verba Christi et significant explicite et infallibiliter Christum esse praesentem in statu cibi et potus. Atqui quod est hujusmodi: a) significat implicite et ex institutione Christi animam esse nutriendam, sumptis speciebus, adeoque significat una cum speciebus et corpore Christi gratiam conferendam subjecto sacramenti. — Praeterea b) quod est hujusmodi, id operatur, una cum materia, eamdem gratiam, siquidem quod a Christo instituitur ad gratiam significandam, instituitur etiam ad eam conferendam. Ergo.

B. *Verba habent rationem formae, seu sunt pars determinans signi sacramentalis.*

(1) Capr. in 4 d. 8, a. 2, in arg. cont. 1m conclus.

Prob. Illud est forma sacramenti Eucharistiae, quod est pars intrinseca sacramenti et determinat materiam ad significandum secum gratiam sacramentalem. Atqui verba determinant materiam ad secum significandam gratiam, et ex probatis sunt pars intrinseca sacramenti. — *Prob. min.* Id determinat materiam Eucharistiae ad significandam secum gratiam, quod nos docet materiam sacramenti dari, seu praesentem esse Christum sub speciebus per modum cibi et potus. Atqui verba consecrationis hoc nos docent. Ergo. — *Observa.* Ex eodem medio etiam sic comprobari potest verba esse partem sacramenti. Id nempe est pars constitutiva sacramenti Eucharistiae, sine quo species consecratae non significare valent gratiam. Atqui eam non significant, nisi apprehendantur una cum verbis. Ratio est quia nonnisi per verba nobis innotescit Christum esse praesentem sub speciebus per modum cibi et potus. Ergo.

Confirmatur. Verba consecrationis vel sunt sacramentum distinctum ab Eucharistia, vel sunt totum sacramentum Eucharistiae, vel nullum sacramentum, vel pars Eucharistiae. Atqui tria priora sunt rejicienda. Ergo manet quartum.

A. *Verba Eucharistiae non constituunt integrum sacramentum diversum ab Eucharistia.* Quod non immediate causat gratiam habitualem, non est totum aliquod sacramentum. Atqui verba consecrationis non causant immediate gratiam. Ergo.

B. *Eadem verba non constituunt totum sacramentum Eucharistiae.* — 1. Verba consecrationis non producunt immediate gratiam. Ergo non sunt totum sacramentum Eucharistiae. — 2. Juxta Patres consecratione perficitur sacramentum Eucharistiae. Ergo sacramentum non consistit in solis verbis. — 3. Eucharistia est sacramentum permanens quod adoratur, circumfertur, sumitur: a) Berengarius jussus est profiteri post consecrationem non solum sacramentum manere, sed etiam corpus et sanguinem Christi. Sed verba non manent. Ergo sacramentum heic intelliguntur species. — b) Tridentinum in sessione XIII, c. 1, dicit post consecrationem Christum contineri in hoc sacramento. In eadem sessione saepe asserit Eucharistiam esse sacramentum permanens, illud adorari, circumferri etc. etc.

C. *Eadem verba non sunt extra sacramentum omne:* Etenim verba consecrationis sunt moraliter actio Christi, significant immediate rem maxime supernaturalem, eamque aliquatenus causant, praesentem eam sistendo; haec autem res est corpus et sanguis Domini in statu cibi et potus. Sed quod est hujuscemodi non est tantum res sacramentalis.

152. — **Secunda pars.** SPECIES PANIS ET VINI SUNT MATERIA PARTIALIS.

Prob. Arg. I^m. Species consecratae aut sunt totum sacramentum, aut pars sacramenti, aut nullum sacramentum. Atqui species non esse *totum* sacramentum facile constat quia tum verba consecrationis, ex modo probatis, et corpus Christi, ex statim probandis, sunt partes sacramentales. — Species non esse *nullum* sacramentum constat quia Eucharistia est signum sensibile permanens (Cfr. Trid. sess. XIII, cap. III). Atqui hujuscemodi signum non foret, si species nullatenus pertinerent ad ejus constitutionem intrinsecam. Etenim verba sunt quidem sensibilia, verum non permanent; corpus autem Christi permanet, at non est sensibile. Ergo.

Arg. II^m. Petitur *ex auctoritate theologorum et Conciliorum.*

A. *Theologi:* Species consecratas esse partem sacramenti docet Magister, qui dicit hoc sacramentum esse invisibilis gratiae visibilem formam. Idem perspicue docent tum s. Thomas, tam multi alii theologi asserentes species esse sacramentum tantum: sic Hugo a s. Victore, Altissiodorensis, Alensis, Cajetanus, Vignerius, Innocentius III qui in variis capitibus sequitur doctrinam theologorum (1).

B. *Concilia:* a) Tridentinum in sessione XIII c. III docet sacramento Eucharistiae cum reliquis sacramentis illud esse commune quod sit invisibilis gratiae visibilis forma. Praeterea asserit Christum contineri in hoc sacramento (cap. I); jamvero quod continet Christum, id esse nequit nisi species : non enim contineri dicitur Christus in seipso, neque in verbis. — b) Non aliter loquitur Concilium Romanum in quo jussus est Berengarius haeresim suam ejurare.

Arg. III^m. Species consecratae, quatenus continent Christum, ex institutione Christi sunt signum gratiae, eamque dici possunt causare causalitate morali partiali. Ergo sunt pars sacramenti. — *Prob. ant.* 1. Sunt *signum gratiae:* Significant Christum in ipsis contineri per modum cibi et potus, et consequenter in recto significant gratiae auctorem, in obliquo significant gratiam suscipientibus collatum iri. — 2. *Causant gratiam:* a) Cetera signa gratiarum a Christo instituta, sunt efficacia gratiae. Ergo hoc signum non caret hac efficacia. — b) Uti Deus infallibiliter movetur ad causandam physice gratiam per perso-

(1) MAGISTER IV, d. VIII. — S. TH. III, q. LXXIII, a. 1, ad 2^m et ad 3^m. — HUGO A. S. VICT. *De sacram.* l. II, pars VIII, c. IV. — ALTISSIOD. *Summa,* l. IV, tract. V, c. I. — ALENSIS, IV p. q. XXXI, memb. 3. — CAJET. in III, q. LVII, a. 1 in fine. — VIGNERIUS, *Summa,* l. XVI, § 3. — INNOC. III, in cap. *Cum Marthae,* de celebratione missarum.

nam Christi proferentis verba consecrationis, sic movetur per conversionem panis in corpus Christi, per praesentiam Christi sub speciebus. Ergo species aliquatenus movent moraliter.

153. — **Tertia pars.** CORPUS CHRISTI EST PARS CONSTITUTIVA SACRAMENTI.

Prob. Arg. I^m. *Ex locutionibus Scripturae, Patrum et Conciliorum.*

A. Eucharistiae sacramentum dicitur panis caelestis. Pro eodem accipiuntur recipere *sacramentum* et *corpus Christi* sumere. Corpus Christi dicitur esse *alimentum* animae, adeoque augere gratiam. Atqui horum singula sunt falsa, nisi corpus Christi sit saltem pars sacramenti. Species enim ex se neque sunt panis caelestis, neque cibus animae. Ergo corpus Christi est saltem pars sacramenti.

Prob. maj. 1. *Ex Script.* I Cor. XI, 28,29 : « Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit : non dijudicans corpus Domini. » Paulus loquitur de sacramento Eucharistiae, illudque vocat *panem* et *corpus Christi.*

2. *Ex Patribus:* a) Justinus dicit: « Hoc alimentum apud nos vocatur Eucharistia. » Dein infra Eucharistiam dicit esse carnem et sanguinem Christi. — b) Tertullianus : « Caro, inquit, corpore et sanguine Christi vescitur ut anima saginetur. » Sed anima sacramento vescitur. Ergo. — c) Gregorius Magnus : « Polluimus, inquit, panem h. e. corpus Christi, quando sordidi accedimus ad altare » ([1]).

3. *Ex Conciliis.* Tridentinum in sessione XIII, cap. II, dicit : « Sumi autem voluit Christus sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius qui dicit : « Qui manducat me, et ipse vivet propter me. » Unde pro eodem habentur : « Sacramentum alit » et « corpus Christi alit ». Cfr. cc. I et V, ubi Eucharistia vocatur *admirabile* et *sanctissimum sacramentum*, et c. VII ubi dicitur *divinum et caeleste sacramentum.*

B. Sacramentum est *adorandum* (Trid. sess. XIII, c. V, can. 6). Atqui ut sacramentum sit adorandum, oportet ut corpus Christi sit pars principalis istius sacramenti. Species enim sunt quidem veneratione valde dignae ob extrinsecam unionem cum corpore Christi, verum non sunt objectum adorationis latriae.

C. Id quod est *sacramentum*, dicitur *offerri Deo in sacrificium ;* vicissim quod est oblatum in sacrificium, dicitur manere ut sacramentum. Atqui

([1]) JUSTINUS MARTYR, in *Apol.* II, in fine. — TERTULL. *De resurr.* — GREG. M. cap. *Multi* q. 1.

hoc non est verum, nisi corpus Christi sit pars intrinseca sacramenti. Ergo.

D. Eucharistiae *sacramentum* dicitur *confici verbis Christi.* Unde quod conficitur his verbis est sacramentum. Jamvero conficitur compositum ex speciebus et Christo praesenti. — Alibi dicunt Patres confici corpus Christi. Sic auctor librorum *de sacramentis* et Ambrosius (1).

Arg. II^{m}. Juxta Patres sacramentum Eucharistiae constat ex elemento visibili specierum et elemento invisibili, sc. carne Jesu Christi. — Sic Lanfrancus antea memoratus. — Eodem ferme modo loquitur Damascenus et Irenaeus dicens Eucharistiam constare ex duabus rebus, ex caelesti et ex terrena (2).

Arg. III^{m}. Quod vere unitur alii ex se sensibili et gratiam demonstrat causatque ex institutione Christi, illud est saltem pars sacramenti. Atqui hujusmodi est corpus Christi. Ergo. — *Ad maj.* Materia sacramenti debet esse per se sensibilis saltem ratione unius partis. Verum non requiritur ut omne id quod dicitur esse materia sacramenti sit per se sensibile. Sufficit ut insensibile uniatur alii ex se sensibili et cum eo in notitiam gratiae ducat, gratiamque operetur ; sic enim satis verificatur notio sacramenti. — *Ad min.* 1. Corpus Christi extrinsecus unitur speciebus, uti ostensum est agendo de indole transsubstantiationis. — 2. Corpus Christi, auctoris gratiae, est maxime aptum ad significandam gratiam ; vis significandi et conferendi gratiam ei est attributa a Christo luculentis verbis apud Joh. VI: « Nisi manducaveritis etc. Qui manducat... manet in me et ego in eo... vivet in aeternum » etc.

154. — Scholion I^{m}. *Quaeres quid sit et quid non sit sumptio seu usus Eucharistiae ?*

A. *Quid non est sumptio ?* 1. Usus Eucharistiae non est *pars sacramenti.* — a) Sacramentum conficitur consecratione. Sacramentum sumitur a fidelibus. Adoratur et continet corpus Christi. Atqui si sumptio est pars sacramenti, numquam integrum sacramentum conficeretur : pars enim conficeretur, et destructio illius partis esset altera pars ; numquam adoraretur, etc. — b) Sacramentum Eucharistiae a

(1) Auctor. l. *De sacram.* « Antequam consecretur, panis est ; ubi verba Christi accesserint, corpus est Christi. » L. IV, c. v.

Amer. in l. *De iis qui initiantur :* « Sacramentum quod accipis, sermone Christi conficitur, et in illo sacramento Christus est, *quia corpus est Christi,* non corporalis esca est, sed spiritualis. » Cap. IV.

(2) Damasc. « Quia compositi sumus ex duplici natura, datus est nobis cibus, qui est Dominus noster, et sub specie panis nobis proponitur. » *De orth. fide,* l. IV, c. XIV. — Irenaeus, in l. IV, c. XXXIV

solo presbytero conficitur, a diacono autem administratur. Ergo ante usum supponitur integrum.

2. Usus Eucharistiae non est *sacramentum ab aliis distinctum.* — a) Secus essent plura sacramenta quam septem; quod superius est ostensum esse falsum. — b) Sacramentum novae legis, quod consistit in usu, habet propriam formam, proprium effectum ab aliis distinctum. Sed in sumptione non invenitur forma propria neque effectus diversus Eucharistiae. Ergo. — c) Promissio gratiae non est facta per se sumptioni, uti causae istius gratiae, sed corpori Christi sub speciebus praesenti, uti liquet ex Johanne capite VI.

B. *Quid est sumptio Eucharistiae?* — Sumptio Eucharistiae est *applicatio sacramenti*, seu *conditio necessaria ut sacramentum operetur.* Effectus enim sacramenti est augmentum gratiae et caritatis. Jamvero ut sacramentum hunc effectum operetur, necesse est, voluntate Christi apud Joh. VI manifestata, ut sumatur. — In hoc igitur differt Eucharistia a ceteris. Haec enim consistunt essentialiter in usu, nempe in actione ministri applicata subjecto; non habetur autem actio sacramentalis sine receptione seu sumptione sacramenti; sed haec receptio non distinguitur adaequate ab actione, sed est ejus terminus.

155. — **Scholion II**^{m}. *Eucharistia definiri potest secundum partes physicas:* Signum demonstrativum et practicum gratiae constans ex speciebus et ex corpore et sanguine Christi tamquam ex rebus seu materia, et ex verbis consecrationis tamquam ex forma. — Definiri potest *secundum partes metaphysicas:* Signum demonstrativum et practicum gratiae secundae qua vita supernaturalis suscipit incrementa, homo magis ac magis unitur Deo, delentur peccata venialia, minuitur concupiscentia, et quae tribuit jus ad auxilia supernaturalia quibus virtutes exerceantur, tentationes graves superentur et peccata vitentur. — Bonitas hujus definitionis elucescet ex disputandis thesi sequenti.

Scholion III^{m}. *Quaeres pro quo supponat Eucharistia vel sacramentum Eucharistiae absolute dictum?* — Juxta alios supponit pro speciebus, connotando corpus contentum. — Juxta alios supponit pro corpore, connotando species continentes. — Juxta alios supponit pro composito, seu cibo sacramentali.

Scholion IV^{m}. Distinguuntur in Eucharistia, a) res tantum; b) sacramentum tantum; c) res et sacramentum. — a) *Res tantum* est gratia sacramentalis in subjecto infusa, de qua postea. b) *Res et sacramentum*, est corpus Christi: significatur per verba et species, significat et causat gratiam. Peculiare est Eucharistiae quod res et sacramentum est in

sola materia ; in ceteris enim sunt in suscipiente. — c) *Sacramentum tantum* sunt solae species sensibiles.

Satisfit difficultatibus.

156. — **Contra I^m^ partem. Obj. 1°.** Ut verba consecrationis sint forma sacramenti, debent determinare materiam per modum causae formalis. Atqui hoc est impossibile. — *Prob. min.* Verba consecrationis jam determinant materiam per modum causae efficientis. Atqui quod determinat per modum causae efficientis, non valet determinare per modum causae formalis. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Debent determinare materiam secundum hujusce *esse physicum, Neg.*; secundum hujusce *esse morale*, sc. vim significandi et causandi gratiam, *Conc. Cdt. min.* — Ad prob. *Dist. maj.* Verba, tamquam causa efficiens moralis, determinant *esse physicum* materiae, *Conc.;* ejusdem *esse morale, Neg.* — *Cdt. min.* Nil determinat alterum *secundum idem esse*, per modum causae efficientis et per modum causae formalis, *Conc.;* secundum *diversa esse*, *Subd. in compositis physicis, Conc.; in moralibus*, *Neg.*

Inst. Atqui in nullo composito nihil valet determinare materiam tum per modum causae efficientis, tum per modum causae formalis, etiam secundum diversa esse. Etenim repugnat ut idem sit simul altero prius et posterius in eodem ordine. Atqui causa efficiens est prior effectu, causa formalis est posterior materia. Ergo.

Resp. *Conc maj. Conc. 1^a^ pars min. Dist. 2^a^ pars min.* In compositis *physicis,* causa formalis qua talis est posterior materia, *Conc.* aut *Transm.;* in compositis *moralibus, Subd.* Causa formalis *specificative* sumpta debet *realiter* seu in *essendo* et in ordine physico esse posterior materia, *Neg.*; causa formalis *formaliter* sumpta non exercet suum munus nisi natura prius adsit materia, *Conc.*

Observa. 1. Verba consecrationis sunt tum causa efficiens (moralis), tum causa formalis materiae Eucharistiae. Eam enim *secundum esse physicum* determinant per modum causae efficientis, siquidem operantur transsubstantiationem ; deinde eamdem per modum causae formalis determinant secundum *esse morale* seu secundum vim significandi et causandi gratiam, siquidem haec verba cum materia constituunt integrum signum sacramentale. — 2. Forma compositi *physici* nequit esse causa efficiens materiae ejusdem compositi ; verum nihil obstat quin forma compositi *moralis* prius fuerit causa efficiens materiae. Postquam causalitatem efficientem exercuit, potest moraliter uniri

effectui et constituere compositum morale cujus sit causa formalis. Sic in Eucharistia verba consecrationis efficiunt materiam, deinde moraliter uniuntur materiae et constituunt signum sacramentale. 3. Causa *efficiens* est natura prior effectu. — Causa *formalis* est, saltem plerumque, natura posterior materia in composito physico. In composito morali forma potest esse natura prior in essendo et materialiter inspecta ; attamen, si formaliter inspicitur, est natura posterior, non enim exercet suum munus informandi nisi prius adsit materia. Sic in sacramentis nil obstat quin verba sint simul causa efficiens materiae et causa moralis : Etenim prius natura dantur verba secundum esse physicum, efficiunt transsubstantiationem quae est natura posterior ; tunc verba uniuntur moraliter materiae eamque formaliter determinant.

Obj. 2°. *De facto verba consecrationis non sunt pars essentialis intrinseca Eucharistiae.* Quod enim gratiam non significat, id non est pars intrinseca sacramenti. Atqui verba gratiam non significant. — *Prob. min.* Verba h. e. c. m. significant transsubstantiationem. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Quod gratiam non significat neque *explicite* neque *implicite,* id etc. *Conc. ;* quod non significat *explicite* gratiam, id non est pars intrinseca sacramenti, *Neg.* — *Cdt. min.*

Obj. 3°. Illud non est pars sacramenti, quod non operatur gratiam sanctificantem. Atqui verba consecrationis non operantur gratiam. Ergo. — *Prob. min.* a) Nil agit cum jam non est. Atqui verba consecrationis jam non sunt cum producitur gratia ; antecedunt enim sumptionem Eucharistiae. Ergo. — b) Gratia dicitur produci per corpus Christi.

Resp. *Dist. maj.* Id non est sacramenti pars quod non operatur gratiam *moraliter, Conc. ; physice, Neg. Cdt. min.* — Ad 1^{m} prob. *Dist. maj.* Nil agit *physice,* cum non est, *Conc.* (quomodo respondeant patroni causalitatis physicae, hi viderint). Nil agit *moraliter*, cum non est, h. e. nil est causa moralis effectus qui physice attingitur ab alia causa, cum jam defecit ab essendo causa moralis, *Neg.* — Ad 2^{m} prob. *Dist.* Corpus Christi est causa *physica* gratiae, *Neg.; moralis, Subd. principalis, Conc. ; unica, Neg.* — Deus movetur principaliter ad elargiendam gratiam per praesentiam Christi ; cetera elementa movent quatenus sunt moraliter actiones Christi et conjunguntur cum Christi praesentia substantiali.

Inst. Atqui corpus Christi est causa unica gratiae. Secus enim minueretur dignitas corporis Christi et ejus virtus. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Minueretur dignitas et virtus corporis Christi, si Christus non esset minister principalis proferens verba, *Conc. ;* si est minister principalis, *Neg.*

Obj. 4°. Eucharistia est sacramentum permanens. Atqui verba non possunt esse forma rei permanentis. Verba enim non sunt permanentia, sed consistunt in fieri. Ergo.

Resp. *Dist.* Eucharistia est sacramentum permanens *ratione materiae* permanentis, *Conc.;* ratione *omnium* elementorum, *Neg.*

Inst. Atqui Eucharistia est sacramentum permanens ratione omnium elementorum. Etenim a) remanet in altari integrum sacramentum: id enim est manifestum locutionibus Patrum et Conciliorum. Atqui hoc falsificatur eo quod remaneret tantum ratione unius partis constitutivae. Ergo. — b) Secus res permanens in esse suo intrinsecus constituitur per formam quae non permanet. Atqui hoc videtur absurdum. Ergo.

Resp. Ad 1ᵐ: Eodem jure probaret quis solo corpore Christi constitui sacramentum. Corpus Christi enim, seorsim a sanguine inspectum, vocatur a Patribus sacramentum. — Omnes locutiones Patrum et Conciliorum amico foedere inter se conciliantur, si singula, nempe verba, corpus Christi et species, dicuntur partes sacramenti. Nullum enim est ex his quod non dicatur sacramentum. Hinc respondetur aut *negando majorem,* aut *distinguendo:* Remanet sacramentum integrum hoc sensu quod *verba supponuntur permanere virtualiter in effectu* et *quod ceterae partes formaliter permanent*, *Conc.;* hoc sensu quod *omnes partes sacramenti formaliter* et secundum esse physicum permanent, *Neg.*

Ad 2ᵐ: *Dist. maj.* Res permanens constituitur in suo esse *morali* (sc. heic in esse *sacramentali,* seu in ratione veri signi gratiae), per formam qua non permanet formaliter, licet tamen permaneat virtualiter, *Conc.;* in suo esse *physico, Neg. Cdt. min.* Quod est permanens, requirit ut in suo esse *physico* constituatur per formam permanentem *Transm.* aut *Conc.;* requirit ut in esse *morali,* seu in ratione signi constituatur per formam formaliter permanentem, *Neg.*

Inst. Atqui res permanens constituitur in omni esse suo per formam formaliter permanentem. Etenim qualis materia, talis forma. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* In compositis *physicis, Conc.;* necessario in composito *morali,* adeoque in composito *sacramentali, Neg.*

Inst. Atqui in composito sacramentali. Etenim sacramenta, quae stant in usu, non determinantur per formam permanentem. Ergo sacramentum permanens non determinatur intrinsecus per formam transeuntem.

Resp. *Neg. conseq.* Ceterorum sacramentorum materiae consistunt

in usu; inde eorum formae consistentes in verbis sunt ejusdem rationis. Eucharistia differt a ceteris sacramentis, quia materia est permanens; verum sine petitione principii nequit asseri, ob principium allatum, Eucharistiam adhuc debere differre a ceteris vel eo quod nullam habeat formam, vel quia ejus forma debeat esse permanens, haec enim est praecise quaestio.

Obj. 5°. Ex Inn. III. « Distinguendum est tamen subtiliter inter tria quae sunt in hoc sacramento discreta, videlicet forma visibilis, veritas corporis et virtus spiritualis ; forma panis et vini, veritas carnis et sanguinis, virtus unitatis et caritatis. Primum est sacramentum et non res. Secundum est sacramentum et res. Tertium, res et non sacramentum. Sed primum est sacramentum geminae rei. Tertium vero, res gemini sacramenti. Secundum autem, sacramentum unius et alterius res exsistit. Credimus igitur quod formam verborum, sicut in canone reperitur, et a Christo apostoli et ab ipsis eorum acceperint successores » (1). Ergo secundum Innocentium verba sunt praeter essentiam sacramenti.

Resp. a) *Dist. ant.* Et sacramentum ibi supponit *pro toto signo* sacramentali, *Neg.; pro parte* formaliter permanente, uti postulabat scopus Innocentii, *Conc.* — b) Caritas est effectus gemini sacramenti *quod habet virtutem ex verbis virtualiter in eo remanentibus, Conc.;* secus, *Neg.* Vel etiam sic : *Dist.* Gemini sacramenti, *exclusis verbis, Neg.; praecisis verbis, Conc.* Christus est qui, utpote minister principalis, censetur proferre verba, adeoque iis tribuere dignitatem; quia vero idem Christus est praesens in materia, ideo ei adscribitur effectus, praeciso quolibet alio.

Observa. Solet dici : In Eucharistia *sacramentum tantum* continetur speciebus; *res tantum* gratia sacramentali; *res et sacramentum* corpore Christi. Immerito concluditur exinde verba consecrationis esse praeter essentiam sacramenti. Qui enim hoc concluderet, falso supponeret omnia elementa singulorum sacramentorum debere includi in uno horum trium. Nihil obstat quin dicatur unum ex elementis Eucharistiae fuisse excep:tum, illud nempe de quo controversia movetur utrum sit inter partes intrinsecas Eucharistiae. — Praeterea si ostenderetur singula constitutiva sacramentorum includi debere in uno horum trium, dici posset verba consecrationis esse sacramentum tantum, siquidem significant gratiam et non significantur alio. — Sunt

(1) Inn. *Regest.* l. V, c. cxxi. M. CCXIV, 1121.

tamen quibus displicet haec ratio loquendi, quia verba causant transsubstantiationem.

157. — **Contra III^m partem obj. 6°** : *Corpus Christi non est pars intrinseca sacramenti Eucharistiae.* Etenim sacramenta sunt moraliter actiones Christi. Atqui corpus Christi non est moraliter actio Christi. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Sacramenta, saltem *secundum formam* quae dat esse rei, sunt moraliter actiones Christi, *Conc.;* etiam secundum *materiam, Subdist.* sunt actiones Christi *formaliter aut eminenter, Conc.;* necessario *formaliter, Neg. Cdt. min.* — Cf. tract. *de sacram. in genere,* n. 141.

Obj. 7°. Illud non est pars intrinseca sacramenti, quod ne partialiter quidem est signum demonstrativum gratiae. Atqui corpus Christi ne partialiter quidem est signum gratiae. Ergo. — *Prob. min.* Quod non est sensibile, non est signum gratiae; insensibile enim non inducit hominem in cognitionem alterius, adeoque deficit a ratione signi. Atqui corpus Christi non est sensibile. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad prob. *Dist. maj.* Quod non est sensibile per se, *nec unitur rei sensibili,* id non est signum, *Conc.;* quod non est sensibile per se, *sed unitur rei sensibili,* non valet esse partialiter signum quatenus huic alteri unitur, *Neg. — Cdt. min.*

Obj. 8°. Ut corpus Christi dici queat pars sacramentalis, oportet ut constituat unum signum cum speciebus. Atqui hoc non obtinet. Ergo. — *Prob. min.* Eo quod species et corpus Christi concurrerent in unitatem signi, sequeretur vel corpus Christi determinare species ad aliquod determinate significandum, vel determinari a speciebus. Atqui neutrum potest dici. Si enim *primum* affirmatur, corpus Christi fit forma sacramenti et jam verba non erunt forma, quod dici nequit. Si *alterum* affirmatur, jam species non sunt materia, sed forma; insuper imperfectio adscribitur corpori Christi. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad. prob. *Conc. maj. Transm. 1^a pars minoris.* Non conceditur, quia est falsa : eo enim quod corpus Christi determinaret species, non sequeretur corpus Christi esse praecise formam sacramenti, siquidem indigeret determinari verbis ad significandum; sequeretur tantum illud magis appropinquare ad rationem formae quam species siquidem determinaret alteram partem materiae. — *Neg. 2^a pars minoris.* — Ad. 1^m prob. *Dist.* Species, eo quod determinarent corpus Christi, jam non essent materia, sed forma, h. e. *magis appropinquarent ad rationem* formae quam corpus Christi, siquidem clarius significarent, *Conc.;* essent *proprie forma*, seu non indigerent determi-

nari verbis ad significandam gratiam, *Neg.* — Ad 2^m^ probationem negatur corpus Christi evadere elementum ignobilius.

Observa. In sacramento duplex ordo attendi potest : a) vis significandi, b) dignitatis elementorum e quibus coalescit.

1. Cum inquiritur quid se habeat per modum materiae, quid per modum formae, petitur quid determinate significet gratiam seu clarius et distinctius homines inducit in cognitionem gratiae, quid vero minus determinate. — Jamvero per verba consecrationis distincte cognoscitur corpus Christi adesse sub speciebus per modum cibi, per species cognoscitur idem, suppositis verbis ; corpus autem Christi ratione sui non attingitur. Hinc manifestum est verba consecrationis se habere per modum formae signi, reliqua per modum materiae ; in hac autem materia, corpus Christi invisibile nonnisi mediantibus speciebus nos inducere in cognitione gratiae. Merito igitur respondetur species magis pertinere ad rationem materiae sacramenti Eucharistiae quam corpus Christi.

2. Perspicuum est corpus Christi esse longe nobilius speciebus et verbis consecrationis, siquidem species consecrationem suam et virtutem accipiunt a corpore Christi. Itaque si nomine *formae* intelligitur pars nobilior compositi, corpus Christi dicendum erit forma, et species erunt materia. Eadem ratione in sacramento paenitentiae, ubi actus paenitentis sunt materia, contritio, utpote nobilior, dicitur forma, confessio dicitur materia. Attamen nil obstat quin pars praecipua hujuscemodi compositi dicatur materia. In composito enim accidentali, substantia completa, licet accidente nobilior, dicitur materia, accidens autem forma ; in artificialibus, figura est forma, aggregatum substantiarum est materia.

Obj. 9°. Si compositum ex speciebus et ex corpore Christi est sacramentum, illud idem compositum erit causa gratiae, seu causa gratiae erunt non solae species, sed corpus Christi. Atqui corpus Christi nequit esse causa gratiae. Est enim illocaliter praesens ; ut sic non operatur transeuntur neque patitur. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Erit causa *physica*, *Neg.*; causa *moralis*, *Conc. Cdt. min.* Corpus Christi illocaliter praesens naturali virtute non operatur transeunter ; potest tamen elevari ad has operationes. Ceterum necesse non est ut ei adscribantur operationes transeuntes, siquidem nequeunt sacramenta physica causalitate attingere effectum. Profecto praesentia illocalis non aufert a Christo vim dignitate sua movendi Patrem ad infundendam gratiam.

Obj. 10°. Patres et Concilia distinguunt Corpus Christi a sacramento et dicunt species esse sacramentum tantum; dicunt etiam hoc sacramentum continere corpus Christi, post consecrationem non tantum manere sacramentum, sed adhuc corpus Christi. Atqui hi modi loquendi indicant Patrum judicio corpus Christi non esse partem intrinsecam sacramenti Eucharistiae. Ergo.

Resp. Non raro Patres vocant corpus Christi sacramentum v. g. in locutione « *sanctissimum sacramentum* », uti argumentis constat. — Non raro etiam species, ut distinctae a corpore Christi, vocantur sacramentum : sic dicunt Patres corpus Christi contineri sub sacramento, post consecrationem non solum manere in altari sacramentum sed adhuc corpus Christi. — Profecto varietas ista modorum loquendi mira non est. Etenim licet sacramentum Eucharistiae sit signum unum, cum tamen constet tribus, alia nomina ei conveniunt praecipue ratione specierum, alia ratione corporis Christi, alia demum ratione consecrationis. — Ratione corporis Christi, vocatur panis vitae, sacrificium, cibus animae, Eucharistia ; ratione specierum vocatur sacramentum, quia species sunt solae permanenter sensibiles per se.

CAPUT II.

De effectibus sacramenti Eucharistiae.

D. Th. III, q. LXXIX. — Suar. d. LXIII et LXIV. — Lug. d. XII. — Vasq. d. CCIII et CCIV.

158. — Eucharistia, ut omne sacramentum, gratiam confert ex opere operato. Inquirimus 1° quisnam sit hic effectus sacramentalis. Inquirimus 2° num specialis effectus ab Eucharistia producatur in corpore. — Cum gratia sacramentalis produci nequeat nisi amotus fuerit obex, cumque eo abundantior sit gratia, quo minor adest obex secundum quid, agemus 3° de dispositionibus animae requisitis ad productionem gratiae sacramentalis.

§ 1. De gratia sacramentali Eucharistiae.

D. Th. l. c. — Suar. d. LXIII, s. 1. — Lug. l. c. — Vasq. d. CCIII.

Quaeritur 1° utrum Eucharistia per se conferat augmentum gratiae,

quo homo magis ac magis uniatur Deo. — Quaeritur 2° utrum praeterea per se conferat gratiam primam, peccataque remittat. — Dato respondendum esse negative, quaeritur, 3° utrum per accidens conferat gratiam primam. — Quaeritur 4° utrum remittat peccata venialia. — Demum quaeritur 5° utrum conferat jus ad auxilia gratiae actualis.

159. — AD I^m QUAEST. *Responsio affirmativa* est *de fide* ex Tridentino. Etenim ex una parte in sess. VII, can. 6 asseritur omnia sacramenta N. L. conferre gratiam ; ex altera parte sess. XIII, can. 5 legitur : « Si quis dixerit vel praecipuum fructum Eucharistiae esse remissionem peccatorum vel ex ea non alios effectus provenire, A. S. » — Hic effectus vocatur adhuc nomine *unionis cum Christo.* Observandum est dari duplicem unionem cum Christo in hoc sacramento. Altera vocatur *sacramentalis :* est ipsa intussusceptio Christi in statu sacramentali cibi et potus. Finis intussusceptionis, qua Christus corpus suum et sanguinem pretiosum corporibus nostris commiscet, nostrisque membris impertit, est ut animabus arctissime uniatur Christus et vita supernaturalis eisdem tribuatur. Haec autem est altera unio, quae *supernaturalis* vocatur. Prior unio est communis digne et indigne sumentibus sacramentum ; altera est bonis propria, aut saltem bene dispositis.

160. — AD II^m QUAEST. Responsio communis theologorum est Eucharistiam non esse per se institutam ut conferat gratiam primam et remittat lethalia.

Lutherus autem affirmat haec tria: a) Effectus primarius Eucharistiae est remissio peccatorum mortalium. b) Hinc ut quis digne suscipiat Eucharistiam, non requiritur ut non sit conscius peccati mortalis ; immo quo plurium lethalium est conscius, eo aptior est ad recipiendam Eucharistiam. c) Sufficienter quis se praeparat ad Eucharistiam per fidem, qua firmiter credat omnia peccata remitti per hoc sacramentum. — Kemnitius propugnat primum assertum Lutheri, rejicit cetera. — Calvinus contradictoria affirmavit in l. IV. *Inst.* c. XVII, § 40, 41, 42 : Etenim in § 40 haec habet : « Cibus hic spiritualis, si in animam inciderit, malitia nequitiaque pollutam, majore illam ruina praecipitat. » In § 42 dicit requiri fidem et caritatem ad dignam sumptionem Eucharistiae. Contra § 41 reprehendit catholicos quod requirunt statum gratiae a suscipientibus Eucharistiam.

161. — AD III^m QUAEST. Duplex est sententia : 1. Alii tenent Eucharistiam *interdum per accidens remittere peccata mortalia.* Sic s. Thomas, Paludanus, Richardus, Durandus, Scotus, Alensis, Antoninus, Victoria, Vega, Bellarminus, Petrus Soto, Jansenius, Suarez, Valentia,

Salmanticenses (1). Horum judicio Eucharistia cum sumitur ab eo qui est attritus et qui est bona fide quia vel ignorat invincibiliter statum peccati, cui tamen est obnoxius, vel quia existimat se rite esse absolutum, licet non sit absolutus, Eucharistia, inquam, remittit peccata lethalia per accidens. *Per accidens*, inquam, non quidem quatenus hujusmodi remissio praeter intentionem instituentis foret, sed quia nullus potest accipere remissionem peccati lethalis cujus conscius est, adeoque quia Eucharistia per se tantum confertur augmentum gratiae sanctificantis.

2. Alii id *negant*. Sic Gabriel et Major. Citantur etiam Bonaventura et Alensis. Negant etiam Vasquez et Lugo (2). Asserunt remissionem lethalium contradicere institutioni prout illam cognoscimus. α) Sacramentum enim institutum est, ait Lugo, ut efficiat solum id quod significat ; sed nullo modo significat gratiam primam. β) Sacramentum non operatur, quando est obex ; sed per attritionem non tollitur sufficienter obex ad Eucharistiam. γ) Demum, si attritio sufficeret ad fructum sacramenti percipiendum, inanis foret commendatio Pauli praeparationem exigentis.

162. — AD IV^m QUAEST. utrum videlicet Eucharistia remittat peccata venialia, docet s. Thomas cum Magistro peccata *venialia remitti* ex opere operato per Eucharistiam. Idem tenent Bonaventura, Innocentius et catechismus Pii V (3).

163. — AD V^m QUAEST. utrum videlicet Eucharistia rite suscepta conferat jus ad auxilia gratiae actualis, respondetur a) Eucharistiam conferre jus ad gratias actuales quibus peccata actualia vitentur et tentationes superentur ; b) Eucharistiam esse ex se efficacem ad roborandam voluntatem ut firmius adhaereat Deo, ac subinde conferre jus ad gratias actuales quibus anima eliciat actus huic statui conformes. — Insuper Eucharistia saepissime excitat animi devotionem et caritatis fervorem, cum speciali spiritus suavitate ac dulcedine.

Horum praecipua demonstrabuntur sequenti thesi.

---

(1) D. Th. III, q. LXXIX, a. 3; ib. q. LXXX, a. 4, ad 2^m; in 4 d. 9, q. 1, a. 3, solut. II; in 4 d. 12, q. 1, a. 3. — Palud. d. 9, q. 1, n. 14. — Richard. a. 2, q. 1 et d. 12, a. 5, q. 1. — Scotus, d. 9, q. unica. — Alens. q. XLVI, memb. 3, a. 2. — Anton. III p. tit. XIV, c. XII, § 6. — Victoria, in *Summa*, n. 76. — Vega, l. IX *in Trid.* c. XXXIV. — Pet. Soto, lect XII *de Euch.* — Jansenius, *Conc. Evang.* c. CXXXI. — Suar. d. LXIII, s. 1. et 2.

(2) Gabriel, in 4 d. 9, q. II, a. 2, conc. 1. — Major, d. 9, q. 1. — Bonav. a. 2, q. III, d. 12, a. 4. q. II. — Alensis, q. XLI, membr. 3, a. 2, ad ult. — Lugo, d. XII, s. 1.

(3) S. Th. III, q. LXXIX, a. 5; in 4 d. 12, q. 2, a. 1, solut. 1. — Magist. IV, d. XII.

THESIS XXII[a]. — Eucharistia per se confert gratiam secundam qua vita supernaturalis incrementa suscipit et homo magis ac magis unitur Deo. Nonnisi per accidens confert gratiam primam et remissionem lethalium. Praeterea ex opere operato delet peccata venialia, minuit concupiscentiam, et tribuit jus ad auxilia supernaturalia, quibus virtutes exerceantur, tentationes graves superentur et peccata vitentur.

164. — Prima pars. EUCHARISTIA PER SE NON CONFERT GRATIAM PRIMAM, NEC REMISSIONEM PECCATORUM.

Prob. A. Script. I Cor. XI, 27-29. « Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibet indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. » In hoc loco Paulus in mentem Corinthiorum revocat quam excellens sit Eucharistia, quam reverenter sit suscipienda. Concludit oportere ut unusquisque semetipsum probet, ne indigne manducet corpus Christi. Ratio autem cur indigne accedere non possint ad Eucharistiam, est quia is qui indigne sumit Eucharistiam, tamquam cibum profanum, est reus corporis et sanguinis Domini violati et indigne tractati, et insuper judicium sibi manducat et bibit h. e. manducat et bibit id de quo condemnabitur. — Porro his verbis non tantum vetat Paulus ne ebrii ad Eucharistiam accedant, sed postquam invectus est adversus eos qui privatim ac laute et non raro ad ebrietatem usque coenabant et pauperes excludebant vel saltem non exspectabant, jam vetat ne quicumque ullo peccato lethali gravatus ad Eucharistiam accedat, indigne manducet corpus dominicum; quare jubet ut unusquisque sese examinet an digne sit dispositus ad tanta mysteria et nonnisi cum conscientia munda de pane illo edat et de calice bibat. Haec enim interpretatio non modo est conformis scopo quem prosequitur Paulus et suadetur verbis quibus utitur, sed adhuc vindicatur interpretatione traditionali. Sic nominatim Tridentinum, Cyprianus, Chrysostomus, Ambrosius, Leo aliique (1). Ergo cum Eucharistia sit recipienda in statu gratiae, restat ut dicatur eamdem non esse institutam ad remittenda peccata lethalia.

B. Traditione Arg. I[m]. Petitur ex *Tridentino,* secundum quod « sanc-

(1) TRID. Sess. XIII, c. VII et can. II. — CYPR. *Sermo de lapsis.* — LEO M. *Epist.* XCI *ad Theod. Forojuliensem.*

titas et divinitas hujus caelestis sacramenti » exigit ut homo « cum magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat » (sess. XIII, c. VII); unde peccatores « sacramentaliter dumtaxat id sumere » sacramentum dicendi sunt (c. VIII). Inde Tridentinum in canonibus anathemate plectit eos qui docent fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum ss. Eucharistiae sacramentum, » et « praecipuum fructum sanctissimae Eucharistiae esse remissionem peccatorum ; » et declarat « illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem » (can. 5 et 11).

Arg. II[m]. *Ex Patribus.* Dicenda est Eucharistia per se non conferre gratiam primam, si licitum non est ei qui in statu lethali versatur, ad eam accedere. Atqui juxta doctrinam Patrum hoc non est licitum. Ergo. — *Prob. min.* tripliciter : 1. Juxta Patres ut licitum sit Eucharistiam accipere, requiritur a) ut quis vivat secundum mandata Dei; b) ut sit purus, mundus, innocens, sanctus; c) ut paenitentia de peccatis fiat, ut manus prius imponantur. — 2. Qui in statu lethali communicat, foedatur crimine proditoris et Judaeorum crucifigentium. Maxima ii imminent mala. — 3. Quare arcendi a mensa Eucharistiae sunt hi qui noti sunt esse indigni : Sic Justinus, Origenes, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus ([1]). — Ergo judicio Patrum non est licitum ei, qui in statu lethali versatur, ad Eucharistiam accedere.

([1]) JUSTINUS : « Alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia, quod nulli alii participare licitum est quam veram esse doctrinam nostram credenti, et lavacro propter remissionem peccatorum et regenerationem abluto, et secundum Christi mandata viventi. » *Apol.* I, n. 66.

ORIGENES : « Cum anima tua aegrotet, et peccatorum languoribus urgeatur, securus es, contemnis gehennam atque ignis aeterni supplicia despicis et irrides? Judicium Dei parvipendis, et commonentem te Ecclesiam despicis? Communicare non times corpus Christi, accedens ad Eucharistiam, quasi mundus et purus, quasi nihil in te sit indignum, et in his omnibus putas quod effugias judicium Dei? Non recordaris illud quod scriptum est, quia *Propterea in nobis infirmi, et aegri et dormiunt multi ?* Quare multi infirmi? Quoniam non seipsos dijudicant, neque seipsos examinant, nec intelligunt quid est communicare Ecclesiae, vel quid est accedere ad tanta et tam eximia sacramenta. Patiuntur hoc, quod febricitantes pati solent, cum sanorum cibos praesumunt, sibimet ipsis inferentes exitium. » *Hom. II in ps.* XXXVII, n. 6.

CYPR. « Nondum paenitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo et clero imposita, Eucharistia illis datur, cum scriptum sit : « Qui ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. » *Epist.* X *ad Martyres.*

AMBR. « Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit antea sanatus, et illi, qui vocantur ad coenam, prius vocando sanantur... Ubique igitur mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensae caelestis exuberet. » *In Luc.* VI, 70, 71. M. XV, 1686.

AUG. « Aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Quam multi de altari accipiunt

Arg. III^{m}. Patres non raro ex vetere lege depromunt argumenta ad ostendendum Eucharistiam non posse sumi in statu lethali, adeoque eam non esse institutam ad remittenda peccata. Sic Basilius, ex eo quod mundities legalis requirebatur ad manducandas victimas antiquae legis, concludit : « Quanto magis qui in peccato est corpusque Christi temere edit, judicium gravius sibi arcesset ? Mundemus igitur nos ab omni inquinamento... et ita demum accedamus ad sancta » ([1]). — Hieronymus, ex eo quod nonnisi mundi vesci poterant panibus propositionis, concludit a fortiori nonnisi mundos vesci posse pane eucharistico : « Tantum interest inter panes propositionis et corpus Christi, quantum inter umbram et corpora, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum et ea ipsa quae per exemplaria praefigurabantur » ([2]).

Arg. IV^{m}. Patres eamdem veritatem demonstrant ex parabolis Evangelii. Sic Chrysostomus, ex eo quod discumbens sine veste nuptiali in tenebras exteriores missus est, concludit : « Quomodo stabis ad tribunal Christi, qui, pollutis manibus et labiis, ad corpus illud audeas

---

et moriuntur et accipiendo moriuntur ? Unde dicit Apostolus : « Judicium sibi manducat et bibit. » Non enim buccella dominica venenum fuit Judae ? Et tamen accepit, inimicus in eum intravit, non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. Videte ergo, fratres, panem caelestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare portate : peccata etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera. » *In Evang. Joh.* tr. XXVI, n. 11.

Chrys. « Quamobrem oportet semper vigilare : non parvum enim imminet supplicium iis, qui indigne communicant. Cogita quantum contra proditorem indignaris, et contra eos qui Christum crucifixerunt. Cave ergo, ne tu ipse reus sis corporis et sanguinis Christi. Illi sacrum corpus trucidarunt, tu post tot beneficia cum sordida suscipis anima. Neque satis habuit hominem fieri, alapis caedi, immolari, sed seipsum commiscet nobiscum, non fide tantum, sed reipsa nos corpus suum constituit. Quanta ergo puritate oporteret eum esse, qui hoc fruitur sacrificio ? Quanto radiis solaribus puriorem esse oporteret manum illam, quae hanc carnem secat, os quod spirituali repletur igne, linguam tremendo sanguine tinctam ? Cogita quantum adeptus sis honorem ? qua fruaris mensa ? Quod angeli tremunt videntes, nec sine metu respicere audent ob fulgorem inde manantem, eo nos alimur, huic commiscemur factique sumus Christi unum corpus et una caro. » — « Haec vobis, qui communicatis, dico, necnon vobis qui ministratis. Nam necesse est vos alloqui, ut cum multa diligentia haec dona distribuatis. Non parvum vobis supplicium deputatum est, si quem improbum vobis notum ad hujus mensae participationem admittatis Sanguis ejus exquiretur de manibus vestris. Quamvis dux quispiam sit, quamvis praefectus, sive is ipse, qui diademate redimitur, si indigne accedat, cohibe ; majorem tu quam ille potestatem habes. Si tibi fons purus gregi custodiendus commissus esset, ac videres os ovis cujuspiam luto foedatum, non sineres demisso capite fluentum turbare. Nunc non aquae sed sanguinis, sed spiritus fonti custodiendo deputatus, si peccatis terra et luto foedioribus inquinatos accedere videas nec indigneris, nec cohibeas, quam veniam merearis ? Idcirco vos Deus hoc honore decoravit, ut haec discernatis... Time Deum, non hominem... Si non audes, mihi adduc ; nec permittam hujusmodi ausus. Animam potius amittam, quam indigno sanguinem dominicum praebeam ; et sanguinem potius profundam, quam tremendum sanguinem dem cui non par est. » *In Matth.* hom. LXXXII (al. LXXXIII), n. 5, 6. Cfr. *Orat. de B. Philogonio.*

([1]) Basil. M. XXXI, 1586. — ([2]) Hier. *in cap.* 1 *ad Titum.* M. XXVI, 599.

accedere ? Et regem quidem ore male olenti deosculari nolueris, caeli autem regem foetenti et male olenti animo oscularis » (1). — Ambrosius, ex eo quod filius prodigus accepit veniam patris antequam ad convivium est vocatus, iterum concludit oportere « ut per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensae caelestis exuberet » (2).

Arg. V^m^. Petitur *ex constante praxi Ecclesiae*, quae constat tum decretis Conciliorum, tum liturgiis, tum disciplina paenitentiali. — a) Peccatores antiquitus tenebantur paenitentiam agere et reconciliari Deo prius quam admittebantur ad susceptionem Eucharistiae. — b) Inter missarum solemnia, cum corpus et sanguis erant distribuenda fidelibus, clamabat diaconus : « Exite, catechumeni, *paenitentes, indigni* ». Apud Graecos servata est consuetudo dicendi : « Sancta *sanctis.* » — c) Tridentinum in sessione XIII, canone 11, anathema dicit ei qui assereret solam fidem esse praeparationem sufficientem ; jubet ne quis in lethali constitutus ad Eucharistiam accedat, nisi prius peccata sit confessus, habita copia confessoris.

C. Ratione theologica. 1. Eucharistia nonnisi a jam viventibus vita spirituali, vi institutionis, accipi potest. Ergo per se non confert gratiam primam. *Prob. ant.* Eucharistia est instituta per modum cibi et potus. Atqui cibus et potus non porriguntur mortuis, sed viventibus. Ergo. — 2. Qui est inimicus regis, illique est notus tamquam hostis, non accumbit epulis regiis. Ergo qui est inimicus Dei, non accumbit epulis quibus Deus filium suum manducandum praebet.

165. — Secunda pars. EUCHARISTIA CONFERT PER SE GRATIAM SECUNDAM QUA ANIMA UNITUR DEO.

Prob. Arg. I^m^. Eucharistia per se confert aliquam gratiam sanctificantem, adeoque aliquam unionem cum Spiritu Sancto ; itaque per se confert aut gratiam primam aut secundam. Atqui per se Eucharistia non confert gratiam primam, ex modo probatis. — Conferri gratiam constat tum generatim ex eo quod omne sacramentum confert gratiam ex opere operato adeoque unionem cum Spiritu Sancto ; tum argumentis specialibus quibus Eucharistia affirmatur producere gratiam et describitur tamquam speciali ratione uniens fidelem Deo :

A. SCRIPTURA. Joh. VI : « Qui manducat me, et ipse vivet propter me. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeter-

(1) CHRYS. *In Eph.* l. III. M. LXII, 29. — (2) AMBR. *In Luc.* l. c.

num. » — Igitur qui Eucharistiam recipit, manet in Deo et in Christo; in anima ejus producuntur effectus quadamtenus similes effectibus quos cibus materialis in corpore producit : sc. uti alimentum unitur alito, illum roborat, illius vitam conservat, et auget vires debilitatas ; sic qui Eucharistiam sumit, unitur Christo et Deo, roboratur, ejus vita supernaturalis conservatur et augetur, vires fractae restaurantur.

B. Patres. Gratiam sanctificantem, specialem unionem fidelis cum Deo, insignem caritatem, produci per Eucharistiam affirmant Patres passim.

Cyrillus Alex. « Sicut si quis cerae liquefactae aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est ; sic qui carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso et ipse in Christo inveniatur » (1).

Chrysost. « Si quis in liquefactum aurum manum vel linguam injiciat, si tamen id fieri possit, statim inauratam reddit ; id proposita mysteria longe melius animae praestant. Fluvius enim igne ferventius ebullit ; at non urit, sed abluit tantum... Qui hujus sanguinis participes sunt, cum Angelis stant et Archangelis et supernis potestatibus, regia Christi stola induti et armis spiritualibus instructi. Sed nihil magnum hactenus dixi : nam ipso sunt induti rege » (2). Praeterea indicium illius effectus, scilicet quod sacramentum foveat unionem fidelium inter se et cum Deo, invenit Chrysostomus in materia remota Eucharistiae, nempe in pane qui est unum quid ex multis granis constans (3).

Augustinus. « Cibus sum grandium ; cresce et manducabis me. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuae ; sed tu mutaberis in me » (4).

Leo M. « Non aliud agit participatio corporis et sanguinis Christi, quam ut in id quod sumimus, transeamus » (5).

C. Concilia (6). a) *Conc. Lateranense IV* ait Christum dedisse nobis in hoc sacramento corpus et sanguinem suum « ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. » — b) Concilium *Florentinum,* in decreto pro Armenis, asserit per aquam vino mixtam significari effectum sacramenti « qui est unio populi christiani ad Christum, » siquidem aqua significat populum, vinum autem in Christum convertitur. Paulo inferius haec habet : « Hujus

(1) Cyr Alex. *In Joh.* IV, xvii. — (2) Chrys. *In Joh.* hom. xlvi (al. xlv', n. 4. — (3) Id. *In I Cor.* hom. xxiv, n. 2. Cf *In Matth.* hom. lxxxiii. — (4) August. *Confess.* l. VII, c. x. — (5) Leo M. *Sermo XIV de passione.* — (6) Lateran. IV, cap *Firmiter.* Denz. *Enchirid.*, n. 357. — Florent. Denz. n. 593. — Trident. Sess. XIII, c. ii.

sacramenti effectus... est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur : omnemque effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem : in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum. » — c) *Tridentimun:* « Sumi autem voluit (Salvator) sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius qui dixit : « Qui manducat me, et ipse vivet propter me » ; et tamquam antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput exsistit, cuique nos, tamquam membra, arctissima fidei, spei et caritatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata ». Sess. XIII, cap. II.

166. — **Tertia pars.** EUCHARISTIA REMITTIT MORTALIA PER ACCIDENS.

Prob. Arg. I^m. *Negativum.* Nihil obstat quin Eucharistia remittat lethalia per accidens. Impedimentum enim oriretur vel ex defectu virtutis intrinsecae ; vel ex discrimine sacramentorum vivorum et mortuorum ; vel ex speciali indole hujus sacramenti vivorum, quae est Eucharistia. Atqui 1° *non deest Eucharistiae virtus intrinseca* remittendi lethalia, siquidem substantialiter adest auctor gratiae. — 2. *Non destruitur discrimen inter sacramenta vivorum et mortuorum.* Sacramentis enim vivorum proprium est ut per se non conferant nisi gratiam secundam, adeoque ut non remittant peccatum lethale cujus habetur conscientia ; contra sacramentis mortuorum id proprium est ut remittant peccatum lethale certo cognitum. — 3. *Non obstat specialis indoles Eucharistiae.* Impedimentum enim speciale peteretur ex eo quod Eucharistia est instituta per modum cibi et potus, adeoque quod diceretur supponere in subjecto vitam spiritualem, quemadmodum cibus et potus corporalis supponit vitam corporalem. Atqui ex eo quod Eucharistia est instituta per modum cibi et potus, nullatenus consequitur ea non remitti per accidens peccata lethalia. Deficit enim quoad duo perfecta similitudo inter Eucharistiam a peccatore susceptam cum bona fide et cibum corporalem mortuo administratum : a) Peccator non est penitus mortuus spiritualiter, cum habeat gratiam actualem qua est supernaturaliter

attritus et remote capax justificationis. b) Eucharistia est absolute capax gignendi vitam spiritualem in penitus mortuo ; contra cibus corporalis est absolute incapax dare vitam mortuo. Ergo.

Si ais : Juxta Tridentinum non confertur gratia per sacramentum, ubi ponitur obex. Atqui peccatum lethale est obex respectu Eucharistiae. Ergo.

Resp. a) *Conc. maj. Dist. min.* Peccatum lethale, *cujus habetur conscientia,* est obex, *Conc.;* quod citra culpam nescitur, *Neg.* — b) Alii sic *distinguunt :* Ubi ponitur obex h. e. ubi actualiter peccatur vel non eliciuntur dispositiones quae existimantur requisitae, *Conc.*; ubi habetur impedimentum quod, si cognosceretur, impediret gratiam, *Neg.*

Arg. II^m. *Ex Traditione.* Uti antea notatum est, dicunt Patres Eucharistia devote suscepta tolli peccata, sanari vulnera, ablui sorditiem ; porro ex modo probatis constat non infundi per se gratiam primam ; superest ut Patres voluerint significare reatum peccati remitti per accidens. — Sic loquuntur Damascenus, Cyrillus Alexandrinus, Chrysostomus, Ambrosius, Cyprianus (1).

Damascenus : « Iis qui sacramentum hoc per fidem digni suscipiunt, in peccatorum remissionem, et vitam aeternam animique et corporis praesidium cedit, omne incommodum propulsat, eamque vim habet ut spurcitiam omnem abstergat, neque in quibus sumus peccatis considerat, sed aegrotos curat, collisos redintegrat, et, sicut pastor bonus qui animam suam pro ovibus suis posuit, ab omni nos eripit casu ». — Alibi : « Eucharistia, velut divinus carbo, peccata nostra comburit et corda illuminat ».

Cyrillus Alex. : « Eulogia sacra, *non mortis solum,* verum etiam morborum nostrorum depellendorum vi pollet. Christus enim exsistens in nobis sopit saevientem in nostris membris carnis legem,... delicta in quibus sumus nobis non imputans, sed potius ut aegrotos sanans. »

Chrysostomus comparans hoc sacramentum cum veteri agno : « Si hoc, inquit, remissionem peccatorum, sicut illud certe facit, supervacaneum illud omnino est. »

Cyprianus dicit hoc sacramento fieri ut maestum pectus ac triste, quod prius peccatis ingentibus premebatur, divina indulgentiae laetitia resolvatur.

---

(1) Damasc. *De fide orth.* l. IV, c. xiv et xiii. M. XCIV, 1147-1151. — Cyr. Alex. *In Joh.* l. VI, c. lvi, lvii. M. LXXIII, 582, 586. — Chrys. *In Matth.* hom. lxxxiii, n. 4 sq. M. LVII, 742. — Cypr. *Epist.* lxiii, n. 35. M. IV, 371.

Liturgiae : Ecclesia enim in postcommunione Dominicarum quadrages. ait : « sit *ablutio scelerum*, fortitudo fragilium. » — Observandum est verba liturgiae sic explicari a s. Thoma : « Dicendum quod petimus ut hoc sacramentum sit ablutio scelerum, vel *eorum quorum conscientiam non habemus*... vel ut contritio in nobis perficiatur ad scelerum remissionem, vel etiam ut nobis robur detur ad scelera vitanda » ([1]).

167. — Quarta pars. Eucharistia delet venialia.

Prob. 1. Tridentinum asserit Eucharistiam liberare a venialibus (sess. XIII, c. II). Sensum non esse liberari a futuris venialibus, patet quia illico additur : « praeservari a lethalibus. » Aliud est liberare, aliud praeservari ; praeservamur quidem a lethalibus dum fortiores efficimur contra tentationes, solvimur autem et liberamur vinculis quibus obnoxii eramus ob venialia commissa.

2. Locutiones passim apud sanctos Patres occurrunt quae ostendunt animam susceptione Eucharistiae fieri splendidissimam, immunem ab omni macula, etc.

3. Angelicus perspicue dicit Eucharistiam habere virtutem ad remissionem venialium, illudque probat ex eo quod Eucharistia sumitur per modum cibi, proindeque quod restauratur id quod venialibus deperditur ([2]).

168. — Quinta pars. Christi praesentia in eo qui digne illum suscipit, moderatur fomitem, excitat bonos affectus in appetitu sensitivo, ita ut promptius et facilius virtutes exerceantur.

Prob. 1. Ex auctoritate *Patrum* et *Scholasticorum* aientium Eucharistia extingui ardorem concupiscentiae, minui fomitem, augeri devotionem.

Juxta Patres Eucharistia : a) animam et corpus sanctificat : sic Cyrillus Hierosolymitanus ; b) cedit in animae et corporis praesidium ; tendit ad animae et corporis incolumitatem : sic Damascenus ; c) omnes intra vermes serpentesque mortificat, liberat a noxia peste (irae) : sic Chrysostomus ; d) sedat saevientem in nobis legem peccati, pietatem corroborat, perturbationem omnem exstinguit : sic Cyrillus Alexandrinus ; e) minuit sensum in minimis : sic Bernardus ([3]) ; f) cohibet sensum libidinis : sic catech. Pii v. (Cf. pars vi).

([1]) S. Th. III, lxxix, a. 3, ad 1m. — ([2]) S. Th. III, lxxix, 4.
([3]) Cyr. Hier. *Cat. mystag.* iv. — Damasc. IV, xiv. — Chrys. *Hom. IV in Matth* — Cyr. Alex. *In Joh.* III, xxxvii ; IV, xvii. — Bern. *Sermo de coena*, n. 3.

Eosdem effectus attribuunt Eucharistiae doctores Scholae: s. Thomas, Ricardus, Gabriel, Soto, Gerson (1).

2. Idem probatur *ratione*. a) Beneficio Eucharistiae augetur caritas. Ergo minuitur concupiscentia. — b) Affectus voluntatis, ab Eucharistia excitati, redundant in appetitum, adeo ut consequatur moderatio concupiscentiae et voluptatis.

169. — Sexta pars. EUCHARISTIA CONFERT JUS AD GRATIAS ACTUALES QUIBUS SUPERENTUR TENTATIONES ET VIRTUTES EXERCEANTUR, ADEOQUE MINUIT CONCUPISCENTIAM ET MALOS HABITUS.

Prob. Arg. I^m. *Ex Script.* Joh. VI, 49, 50. « Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de caelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. » — Unde sic : Eucharistiae effectus in anima superabit effectum mannae in corpore. Non morietur nec a Deo separabitur anima quae cibo eucharistico se nutriverit ; contra mortui sunt qui manna vescebantur. Atqui in tantum est verum ob Eucharistiam animam non mori, in aeternum esse fruituram Deo, in quantum ob eamdem Eucharistiam concedenda sunt auxilia quibus superentur tentationes graves et quibus actus virtutum exerceantur.

2. Joh. VI, 58 : « Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me et ipse vivet propter me. » — Unde manducans Eucharistiam vivet propter Christum, secundum normam qua Christus vivebat propter Patrem. Atqui ad hoc opus est ut Eucharistia jus conferat ad auxilia quibus solis possibilis est hujusmodi vita. Ergo.

Arg. II^m. *Ex Patribus.* 1. S. Ignatius Martyr Eucharistiam nominat « pharmacum immortalitatis et antidotum ne moriamur, sed semper vivamus in Jesu Christo » (2).

2. « Quos excitamus et hortamur ad praelium, ait Cyprianus, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione sanguinis et corporis muniamus; et cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela quos tutos esse contra adversarios volumus, *munimento dominicae saturitatis armemus*. Nam quomodo docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus ? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos

(1) D. TH. III, q. LXXIX, a. 1, ad 3^m; a. 6, ad 3^m; opusc. LVIII, c. XXI; opusc. LIX, c. VI. — RICARD. in 4 d. 4, a. 1, q. II. — GABR. lect. LXXXIII in *Can.* — SOTO, d. 11, q. II, a. 5. — GERSON : *Serm. IX super Magnificat.*

(2) IGNAT. MART. *Ep. ad Ephes.* n. 20.

facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus » (1).

3. Chrysostomus omnes effectus ab Eucharistia producti luculenter exponit in homilia XLV (al. XLVI) in Johannem : a) Eucharistia Deus per gratias actuales et per extrinsecam Providentiam, excitat castas cogitationes castosque affectus, tollit occasionem quae pravos motus provocare solent, arcet daemones ne fomitis incendium augeant. b) Eucharistia indit magnam vim animae, eam incendit, reddit terribilem contra diabolum. Pulchritudinem parit animae et non sinit nobilitatem animae marcescere. Ex hac enascuntur arbores ad caelum pertingentes, quae fructus semper tempestivos producunt. Ex Eucharistia tamquam ex fonte manant multi rivi quos emittit Paraclitus (2).

4. Juxta Cyrillum Alexandrinum Eucharistia non tantum mortem, sed etiam morbos depellit, sopit concupiscentiam, passiones mortificat, pietatem excitat, delicta sanat. (3)

5. Juxta Bernardum l. c. Eucharistia operatur in nobis duo: sensum minuit in minimis, in gravioribus consensum tollit. Si quis proinde non tam saepe, non tam acerbos sentit iracundiae motus, invidiae, luxuriae, etc. hoc debet Eucharistiae.

170. — **Scholion I^m^.** Eucharistia, qua sacramentum, prodest *ad remissionem poenae temporalis,* verum eam non remittit ex opere operato, sed *ex opere operantis* h. e. ex dispositione quacum recipitur (4). — Eucharistiam prodesse aliquatenus ad remissionem poenae temporalis quae, peccato remisso, luenda nobis manet, est communis theologorum sententia. — Poenam non remitti ex opere operato variis constat : a) Scriptura, Concilia, Patres non meminerunt hujus effectus. b) Non colligitur neque ex augmento gratiae Eucharistia collato, neque ex fine sacramenti : Reatus enim poenae non impedit caritatem. c) Eucharistia quatenus est *sacrificium* ordinatur per se ad remissionem poenae temporalis. Merito ergo notat Aquinas (4) Eucharistiam directe et ex vi sacramenti habere cum solum effectum ad quem est instituta; institutam autem non esse ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum et ad membra ejus, sicut et nutrimentum unitur alito; ex consequenti, per quamdam concomitantiam ad principalem effectum, hominem consequi remissionem poenae secundum modum suae devotionis et fervoris. Ratio est quia unio

(1) CYPR. M. III, 856. — (2) Cf. CHRYSOST. Cf. M. LIX, 259-261. — (3) CYRILL. ALEX. *In Joh.* VI, 57. — (4) Cf. S. TH. III, q. LXXIX, a. 5.

subjecti ad Christum fit per caritatem; ex fervore autem caritatis quis consequitur remissionem peccatorum.

171. — **Scholion II^{m}.** Eucharistia de se est efficax ad exitandum *animi devotionem et fervorem caritatis cum speciali Spiritus suavitate ac dulcedine.* Ratio hujus rei petitur *ex modo* quo est instituta; hic modus traditur a Florentino (Denz. n. 593): Eucharistia enim confert spiritualiter effectus quos cibus et potus materialiter conferunt; hi autem reficiunt corpus, sustendando, augendo, reparando et delectando. — Ratio etiam petitur *ex fine* institutionis, qui est nutrire et fovere amicitiam divinam. — Probatur denique *Patribus:* a) « Damascenus, ait s. Thomas, comparat hoc sacramentum carboni quem Isaias vidit. Carbo enim lignum simplex non est, sed unitum igni. Ita et panis communionis non simplex panis est, sed unitur divinitati. Sicut Gregorius dicit...: amor Dei non est otiosus; magna enim operatur, si est. Et ideo per hoc sacramentum, quantum est ex sui virtute, non solum habitus gratiae et virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum, secundum illud II Cor. v: *Caritas Christi urget nos.* » ([1]) — b) In hoc sacramento, ait Clemens V cum Viennensi, habetur omne delectamentum et omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur. » — c) « Hoc sacramentum, ait Ambrosius, inebriat affectus fidelium, ut curam seculi hujus, metum mortis sollicitudinemque deponant. » ([2])

172. — **Scholion III^{m}.** Eucharistia ex opere operato *in solo subjecto gratiam producit.* Constat tum quia quodlibet sacramentum non est efficax ex opere operato nisi in subjecto; tum quia promissio gratiae a Christo facta ad solum recipientem pertinet: « Qui manducat me, ait Christus, vivet propter me. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.... in me manet et ego in eo. » — Attamen pro animabus purgatorii et pro vivis offertur communio quatenus ex opere operantis iis est proficua. Etenim de congruo gratias et dona temporalia iis meretur: Communicandi enim actio est exercitium virtutis religionis, qui actus ex se est dignus praemio seu est meritorius. Est etiam satisfactorius, et impetratorius. Quamobrem peti a Deo potest ut praemium, quo quis est dignus, aliis conferatur; per hunc actum potest satisfieri pro alio, alii impetrari gratia.

173. — **Scholion IV^{m}.** Quaeres utrum Eucharistia producat effectum *in ipsa sumptione* ([3]).

([1]) S. Th. III, LXXIX, 1, 2^{m}. — ([2]) Ambr. *Serm. XV in ps.* CXVIII. — ([3]) Cf. Suar. d. LXIII, s. 4.

Responsio affirmativa est communis. a) Manducanti facta est promissio. Ergo in manducatione datur effectus. b) Cetera sacramenta conferunt gratiam in usu. Ergo et Eucharistia, quae applicatur per ejus sumptionem. — Difficultas est in quonam instanti conferatur gratia sacramentalis. Confertur enim in instanti indivisibili ; manducatio autem est successiva. Jamvero videtur gratia non posse conferri primo instanti motus, cum incipiat per primum sui non esse et proin cum in primo instanti manducatio non sit, neque in ultimo, cum motus desinat per sui non esse, neque in aliquo instanti intermedio, cum non major ratio habeatur pro uno quam pro altero. — Probabiliter totus effectus confertur simul, non in primo instanti sed in aliquo instanti indivisibili quod coexsistat nostro tempori. — De qua quaestione, subtiliori quam utiliori, vide, sis, Suar. l. c.

174. — **Scholion V^m^.** Quaeres utrum Eucharistia conferat aliquem effectum gratiae *post sumptionem, quamdiu durat praesentia Christi* (1).

Juxta Gabriel, Major., Paludanum, Cajet., quamdiu Christus est praesens in corpore illius qui digne illum sumpsit, tamdiu gratiam in illo continuo influit. Id probant diversa ratione : a) Eucharistia est instituta per modum cibi, juxta Florentinum producit effectus similes; sed cibus corporalis continuo operatur, nutrit et confortat. b) Jesus Christus maneret otiosus intra nos, cum habeat vim sanctificandi et adsit passum (quae ratio sapit causalitatem physicam). — Juxta Soto, Ledesma, Victor., gratia semel dumtaxat influitur. Praecipua ratio est quia hoc sacramentum confert gratiam per manducationem et potum, quatenus consistunt *in usu sumentis*. Postea autem sequitur digestio specierum quae non est actio humana, sed mere naturalis et physica, nil conferens ad effectum sacramenti. — Suarez sequentia ex ordine statuit : 1. Certum est a Christo sic potuisse institui Eucharistiam, ut gratia influeretur tamdiu quamdiu Christus praesens manet. Talem legem fuisse latam pie credi potest. — 2. Si eo tempore quo Christi praesentia durat, priusquam transmutantur species, dispositio hominis non perficitur, nullum gratiae augmentum confertur. — 3. Si hoc tempore homo se magis ac magis disponit, valde probabile est in eo augeri ex opere operato augmentum gratiae. — Hic enim modus instituendi Eucharistiam videtur aptissimus ad excitandos homines ad devotionem et reverentiam exhibendam huic sacramento eo tempore quo Christus est praesens.

(1) Cf. Suar. d. LXIII, s. 7.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

175. — **Contra I^m partem : Obj. 1°.** *Eucharistia per se confert gratiam primam.* — Probatur *consecratione calicis :* « Hic est sanguis N. L. qui pro multis effunditur, vel qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. » — Unde sic : Quod effunditur pro peccatis, remittit per se peccata et gignit gratiam primam. Atqui sanguis Christi in Eucharistia dicitur effusus pro peccatis. Ergo.

Resp. a) *Transm. maj. Dist. min.* Sanguis Christi praesens in Eucharistia dicitur *effusus,* quia effusus est *in cruce* pro peccatis, *Conc. ;* quia effunditur mystice in Eucharistia, *Subd.* prout Eucharistia *est sacrificium, Conc.;* prout est *sacramentum, Neg.* — b) *Dist. maj.* Quod effunditur pro peccatis, id remittit *immediate* peccata, *Neg. ; mediate,* nempe mediantibus donis paenitentiae ob merita sanguinis Christi collatis, *Conc.* Verba quibus consecratur calix habent hunc sensum : Sanguis qui continetur sub speciebus fuit effusus in Calvariae monte pro remissione peccatorum. Idem sanguis mystice offertur in Missa, uti est sacrificium, in remissionem peccatorum, ad applicandos nempe fructus passionis : remittit autem sanguis Christi peccata, non quidem immediate gignendo gratiam sanctificantem, sed mediantibus gratiis actualibus, ad actus salutares paenitentiae excitantibus et ob merita sanguinis Christi collatis. — Sanguinem Christi, quatenus eucharistice sumitur, non dici remittere peccata neque effundi in remissionem peccatorum, colligitur ex aliis argumentis e deposito fidei haustis.

Obj. 2°. *Ex verbis promissionis :* « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam... in me manet et ego in illo... vivet propter me » (Joh. VI, 54 sq.). Unde sic : Qui non manducat corpus Christi nec bibit ejus sanguinem non habet vitam ; contra qui haec facit, habet Deum in se manentem. Atqui qui ita loquitur, clare indicat Eucharistiam per se gignere gratiam primam. Ergo.

Resp. *Dist. 1^a pars maj.* Qui non est particeps Eucharistiae non habet vitam, quia nempe vitam, aliis medis productam, *amittit, Conc.*, quia Eucharistia *gignit primo vitam, Neg.* — *Dist. 2^a pars maj.* Qui est particeps Eucharistiae *indigne*, habet vitam, *Neg.* (Paulus enim dicit contrarium); qui *digne* eam participat, *Subd.* habet vitam h. e. *retinet* vitam eamque *adauctam, Conc.; secus, Neg.* — *Cdt. min.* Sacramentum

dici potest dare vitam vel quia gignit gratiam primam, vel quia gratiam sanctificantem, aliis mediis productam, per se conservat et adauget, ita quidem ut, hoc sacramento neglecto, interiret vita. — Jamvero ex Paulo I Cor. et ex Patribus scitur Eucharistiam per se non conferre gratiam primam. Restat itaque ut dicatur dare vitam quatenus vitam, secus interituram, conservat et adauget ; haec autem peragit dum operatur augmentum gratiae sanctificantis et est titulus fundans jus ad gratias actuales multas quarum ope vitantur peccata et minuitur fomes. — Qui non est particeps Eucharistiae, non habet vitam secundum Johannem, non quidem quia non producitur aliis mediis (ex Joh. III et XX, de baptismo et de paenitentia, contrarium constat), sed quia vitam, sacramentis mortuorum productam, amittit ; eam autem amittit, tum quia transgreditur graviter legem a Christo latam, tum quia privatur multis auxiliis quae necessaria sunt ad facilius peccata vitanda et domandas passiones.

176. — **Obj.** 3°. Patres passim dicunt per Eucharistiam peccata remitti et exstingui, omnem spurcitiam abstergi, animam lavari ac mundari. Atqui hoc perinde est atque gratiam primam conferri Eucharistia. Ergo.

Resp. His locutionibus non significari aut saltem non comprobari quod Eucharistia per se confert gratiam primam constat duobus : a) Plurimi Patres exigunt statum gratiae ut Eucharistia fructuose accipiatur, uti ex argumentis constat. — b) In hujusmodi locis : α) Patres loquuntur saepissime de Eucharistia uti est sacrificium et sacramentum ; β) interdum loquuntur de peccatis, abstrahendo ab hoc utrum sint venialia, an mortalia ; γ) per peccata deleta intelligi possunt aut poenae temporales quae subeundae manebant, aut pravi habitus et concupiscentia quae minuuntur vi sacramenti, aut denique vires quae conferuntur ad superandas tentationes.

Obj. 4°. Juxta Florentinum, Eucharistia incorporamur Christo, Tridentinum dicit anathema dicenti « praecipuum fructum hujus sacramenti esse remissionem peccatorum ». Atqui in tantum Eucharistia nos incorporat Christo, in quantum peccata nostra delet. Qui negat praecipuum fructum Eucharistiae esse peccatorum deletionem, supponit hanc remissionem esse aliquem ex hujuscemodi fructibus.

Resp. *Dist. 1ª pars maj.* Incorporamur Christo, h. e. per se loquendo *primum finus membra Christi, Neg.;* insertio in corpore Christi *conservatur et roboratur, Conc. — Cdt. 1ª pars min. — Conc. 2ª pars maj. — Neg. 2ª pars min.*

Florentini verbis non significari *primum incorporari* Christo, sed insertionem corpori Christi fieri in Eucharistia stabilem et fortiorem, constat ex eodem Florentino aiente : « Hujus sacramenti effectus... est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris ejus unitur, consequens est quod *per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur.* »

Tridentinum negando « *praecipuum* fructum hujus sacramenti esse remissionem peccatorum, » nullatenus significat *aliquem* fructum, licet non praecipuum, esse per se remissionem peccatorum. Etenim Tridentinum α) intelligi potest loqui de peccatis in genere, sive sint venialia sive sint mortalia. β) Deinde Eucharistia per accidens remittit mortalia. Haec tamen remissio per accidens non est praecipuus effectus. γ) Si Eucharistia per se remitteret mortalia, ac proin si confessio non esset necessaria huic remissioni peccatorum, nonne hac contineretur effectus praecipuus Eucharistiae ? δ) Denique qui loquitur uti Tridentinum, potest velle praescindere a quaestione num mortalia remittantur, adeo ut sensus sit : Dato lethalia remitti, saltem hic effectus non est primarius.

Obj. 5°. Ex eo quod sacramentum Eucharistiae est institutum per modum cibi et potus, consequens non est illud non conferre per se gratiam primam. Potest enim simul fuisse institutum per modum pharmaci. Immo tamquam pharmacum est institutum uti constat ex liturgiis et Patribus (1). Atqui eo quod instituitur tamquam pharmacum, dicendum est per se delere lethalia, peccatum enim est quaedam infirmitas. Ergo.

Resp. a) Qui in statu lethali versatur, dici solet suscitandus a morte, iterum creandus, omnis vitae expers. Pharmacum autem apponitur viventibus, ut valentior sit vita. b) Eucharistia dici potest pharmacum eo quod curat leviores morbos, exstinguit malos habitus, auxilia confert contra tentationes. c) Patres ubi de sumptione Eucha-

(1) Ignatius (*Epist.* xiv, *ad Ephes.* in fine). « Frangentes, inquit, panem quod pharmacum immortalitatis est, mortis antidotum vitamque in Deo concilians per Jesum Christum, medicamentum purgans vitia et omnia pellens mala. »

Cypr. (Hom. IV *in serm. de Coen.*) « Panis hic ad totius hominis vitam salutemque proficit, simul medicamentum et holocaustum ad sanandas infirmitates et purgandas iniquitates exsistens. » — Et infra tribuit huic sacramento vim nutriendi, et vivificandi ; « Panis propter nutrimenti congruentiam, sanguis propter vivificationis efficientiam. » Et infra, « ut penetrans omnia hujus medicamenti virtus, sanaret quidquid morbi carni vel spiritui veteris vitae adlinierat corruptela. »

August. (*Serm.* xxvii *de verbis Dom.*) « Qui vulnus habet medicinam requirat : vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est caeleste et venerabile sacramentum.

ristiae loquuntur, haud obscure significant puritatem, nitorem animae requiri. — Quare *Dist. maj.* Eucharistia est instituta per modum pharmaci ad arcendum lethalia futura, ad curandos morbos leviores etc. *Conc.;* ad reddendam vitam exstinctam, *Neg.* — *Cdt. min.*

177. — **Contra II^m^ partem.** — **Obj. 6°.** *Eucharistia non confert per se gratiam secundam.* Oportet ut Eucharistia habeat effectum sibi proprium. Atque augmentum gratiae est effectus communis omnibus sacramentis vivorum. Ergo Eucharistia per se non confert gratiam secundam.

Resp. Omnia sacramenta vivorum conveniunt inter se in eo quod producunt augmentum gratiae. Sola Eucharistia ordinatur per se primo et directe ad nutriendam caritatem propter solam majorem perfectionem ejus majoremque unionem cum Christo et cum corpore ejus. « Unum corpus sumus, ait Paulus, qui de uno pane et de uno calice participamus. » Cetera ordinantur ad speciales fines et conferunt jus ad auxilia his finibus proportionata.

178. — **Contra III^m^ partem. Obj. 7°.** *Eucharistia non delet lethalia per accidens.* Etenim Eucharistia est alimonia animae, non praestat itaque animae id quod cibus non tribuit corpori. Atqui cibus nullum robur, etiam per accidens, confert corpori mortuo. Ergo Eucharistia numquam tribuit vitam spiritualiter mortuo.

Prob. maj. a) Concilium Florentinum in decreto pro Armenis ait : « Renati autem et roborati, nutrimur divina Eucharistia. » b) Trid. sess. XIII, c. II : « Sumi autem voluit (Christus) sacramentum hoc, tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius etc. » Ergo.

Resp. Eucharistia comparatur cibo corporali, et asseritur alere vitam spiritualem. Nequit inde tamen educi quod numquam gignit per accidens vitam spiritualem, quia nempe cibus corporalis numquam est capax gignendi vitam corporalem. Non deest enim discrimen inter utrumque cibum : a) Eucharistia non est principium formale vitae spiritualis, sed est *causaliter* vita nostra et cibus, h. e. producit gratiam qua vivamus et fortes simus. Inde nihil obstat quin Eucharistia per accidens vitam animae tribuat. Contra cibus corporalis est formaliter, non vero causaliter, vita nostra corporalis ; ex se non habet quo vitam tribuat, sed a vivente assimilari debet, ut hic nutriatur. — b) Non sola Eucharistia est cibus animae. Sacramenta mortuorum tribuunt vitam per se, per accidens eam augent ; actus supernaturales vel disponunt ad vitam vel adaugent. — Demum c) qui recipit Eucharistiam

bona fide in statu peccati, non destituitur omni principio supernaturali, siquidem supernaturaliter credit et est attritus. — Hinc respondetur *distinguendo majorem.* Eucharistia *per se loquendo* non praestat nisi id quod cibus corporalis praestat, licet diverso modo, *Conc.;* non potest per accidens gignere alium effectum, *Neg.* — *Conc. min.* — *Dist. cons.*

Inst. Atqui cibus eucharisticus etiam per accidens non nutrit nisi eos qui ornantur gratia sanctificante. Secundum Florentinum enim Eucharistia non nutrit nisi renatos et roboratos; secundum Tridentinum nisi viventes vita Christi. Ergo non nutrit nisi justos.

Resp. *Dist. cons.* Secundum Concilia Eucharistia *per se loquendo* non nutrit nisi renatos etc. *Conc.;* per accidens non potest sanctificare eos qui non sunt renati, roborati, viventes vita Christi, *Subd.,* non potest sanctificare eos qui ne *inchoative* quidem, sc. baptismo, fide et attritione sunt renati, roborati, viventes, *Conc.;* eos qui non habent gratiam sanctificantem, *Neg.*

§ 2. De dispositione requisita in subjecto.

D. Th. III, q. LXXIX, a. 3, 8. — Suar. d. LXIII, sect. 2, 3, 8.

179. — Quaeritur 1° quaenam dispositio requiratur ut recipiatur effectus *per accidens* procedens ex Eucharistia. — Quaeritur 2° quaenam dispositio requiratur ut recipiatur effectus qui *per se* producitur ab Eucharistia, seu quisnam sit obex simpliciter et quisnam obex secundum quid.

Circa I^m quaestionem, praeter sententiam haereticorum, quae superius est exposita, inter catholicos est duplex sententia: *Prima* dicit gratiam primam infundi ei qui Eucharistiam recipit sine actuali conscientia peccati mortalis seu existimans se probabiliter versari in statu gratiae, nulla alia dispositione requisita. Ita Durandus, Paludanus, s. Antoninus. Rationem afferunt quia sic accedens *non ponit obicem,* cum non peccet; sacramenta autem conferunt gratiam non ponentibus obicem. — *Secunda* dicit requiri et sufficere attritionem cum ignorantia inculpabili peccati lethalis non remissi. Sic s. Thomas, Alensis, Bonaventura, Gabriel, Cajetanus, Soto.

Circa II^m quaestionem, quadruplex est sententia: *Prima* tenet necessariam esse positivam dispositionem actualis devotionis, quae adsit in ipsa sumptione; carentiam autem venialis peccati non esse necessariam, nisi quatenus actualem devotionem impedire potest. Sic s. Thomas, Alensis, s. Antoninus, Bonaventura, Durandus, Paludanus, Cajetanus,

Petrus Soto. — *Secunda* tenet necesse esse ut homo in ipsa seu cum ipsa sumptione non peccet actualiter, etiam venialiter ; nullam vero aliam dispositionem positivam requiri, nisi necessaria sit ad vitandum peccatum actuale. Sic qui accederet voluntarie distractus, aut sine ullo bono motu, non posset excusari a veniali culpa irreverentiae. Ita Marsilius. — *Tertia* sententia affirmat necessariam esse carentiam actualis peccati et actualem devotionem. — *Quarta* dicit neutrum esse per se necessarium ut recipiatur augmentum gratiae sanctificantis. Ita Suarez (s. 3) qui dicit idem doceri a multis, iisque tum antiquioribus tum recentioribus, et putat hoc non esse alienum a mente divi Thomae. — Has sententias indicasse sufficiat, cum sufficienter de his tractet theologia moralis.

§ 3. — De effectu quem Eucharistia in corpore producit.

Suar. d. lxiv.

180. — Quaeritur 1° utrum corpus Christi efficienter aliquid producat in corpore communicantis. — Quaeritur 2° utrum corpus Christi uniatur corpori communicantis. — Quaeritur demum 3° utrum resurrectio vel gloria corporis sit effectus istius sacramenti.

*Circa I*m *quaestionem*, duplex exstat sententia : *Prima* tenet corpus Christi efficere in corpore communicantis quasdam *qualitates per quas extrinsecus ei uniatur,* puta *dispositiones ad immortalitatem gloriosam.* Porro sicut in anima producitur gratia quae eam facit idoneam ad visionem Dei, sic in corpore producitur id quo fiat aptum ad gloriam. — Qui hanc sententiam tenerent, bifariam dividerentur prouti adscriberent corpori Christi causalitatem physicam aut moralem. Quam sententiam Suarez ducit esse temerariam. — *Secunda* tenet in corpore nihil produci. Ita Turrecremata, Martinez, et s. Thomas. Asserit enim Aquinas hoc sacramentum non operari in corpus nisi quatenus effectus gratiae in corpus redundat, cum membra nostra exhibemus arma justitiae Dei (1).

*Circa II*m *quaestionem* duae sunt sententiae : *Prima* est nonnullorum catholicorum qui in odium haereticorum, veritatem praesentiae Christi in Eucharistia denegantium, asseruerunt corpus Christi corpori communicantis uniri intrinsecus et substantialiter. Sic seculo xvi cardinalis Mendoça, episcopus Burgensis, in concione quadam docuit per sacra-

(1) D. Th. III, q. lxxix, a. 1, ad 3m.

mentum Eucharistiae digne sumptum fideles, praeter unionem caritatis et affectus cum Christo, consequi realem et substantialem, naturalemque unionem carnis suae cum carne ejus. Adversus eum vehementer se invexerunt theologi Salmanticenses et Complutenses. — *Secunda* est s. Thomae et omnium scholasticorum nullam unionem intrinsecam corporum agnoscentium, utpote alienam a dignitate et a majestate hujus sacramenti. In hac sententia inter hominem et Christum non habetur alia unio nisi extrinseca, spiritualis, moralis : a) *extrinseca*, inquam, tum in eodem loco, tum in agendo et patiendo, si admittatur causalitas physica ; b) *spiritualis* et *moralis*, quatenus moraliter unitur homo Deo et Christo ratione gratiae productae.

Circa III^m *quaestionem* tres esse possunt sententiae : *Prima* asserit ratione hujus sacramenti conferendam esse corporibus aliquam specialem perfectionem gloriae et immortalitatis, adeo ut discrimen sit intercessurum inter beatos qui Eucharistiae per vitam suam mortalem fuerunt participes, et ceteros. Illud autem discrimen reponi posset in speciali pulchritudine, vel aliqua qualitate quae similis esset aureolae qua martyrium et virginitas condecoratur. — *Secunda* asserit resurrectionem et immortalitatem corporis non aliter esse effectum hujus sacramenti, nisi quatenus sequitur ex effectibus gratiae, quorum Eucharistia est principium. Illud duobus modis potest intelligi : a) Dicendo Eucharistiam dando immediate gratiam, dare mediate jus ad vitam aeternam animae et corporis. b) Dicendo Eucharistiam, cum instituta sit ut hujus ope perseveretur in gratia in finem usque, postulare ut homo adipiscatur gloriam aeternam non tantum secundum animam, sed et secundum compositum. — *Tertia* sententia defendit resurrectionem et immortalitatem corporis esse specialem effectum hujus sacramenti quatenus *specialis conjunctio cum Christo in hoc sacramento est proprius et specialis titulus ob quem gloriose resurgit corpus justi ;* attamen idem donum deberi gratiae et gloriae animae.

THESIS XXIII^a. — Sacramentum Eucharistiae est immediate et ex se pignus gloriosae resurrectionis justorum ; est autem hujusmodi quatenus conjunctio corporis cum Christo est specialis et proprius titulus gloriae corporis. Attamen corpus Christi nullam producit dispositionem ad hanc resurrectionem, neque ullam aliam qualitatem supernaturalem ; neque ulla fit unio intrinseca inter corpus Christi et corpus subjecti Eucharistiae.

181. — Prima pars. EUCHARISTIA EST PIGNUS GLORIOSAE RESURRECTIONIS.

Prob. Arg. I^m. *Ex Script.* Joh. VI, 55 : « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die. » — Inter varios effectus Eucharistiae eligit Christus resurrectionem gloriosam, eam, tamquam fructum immediatum, dicit conferri ob Eucharistiae sumptionem. Ergo resurrectio non tantum datur ob gratiam ab Eucharistia collatam, sed immediate ob ipsam manducationem corporis Christi.

Arg. II^m. *Ex Patribus.* Juxta locutiones Patrum Eucharistia est semen immortalitatis quod carni corruptibili immittitur, in ea crescit, et carnem nostram aliqua die transmutabit in substantiam incorruptibilem « configuratam corpori claritatis Christi. » Possibilitas hujus rei ostenditur a Patribus eo quod Christus mortuos suscitavit: sic Cyrillus Alexandrinus et Chrysostomus. Atqui hae locutiones saltem significant, si tropice sumuntur, sumptionem Eucharistiae esse pignus resurrectionis ([1]). Ergo.

Arg. III^m. *Ratione congrua* quam ita exponit Franzelin ([2]) : « Ipsam carnem eorum qui digne suscipiunt sacramentum, tamquam contactu suae sanctissimae carnis consecratam, considerat ut carnem suam speciali affinitate. Quamvis enim corpora nostra, quamdiu per statum gratiae templa sunt Spiritus Sancti, sint per hoc ipsum membra Christi, de ossibus ejus et de carne ejus, ex quo tempore ipse naturam nostram per incarnationem fecit suam et participavit carni et sanguini nostro (I Cor. VI, 15, 19; Eph. V, 30; Heb. II, 14); haec tamen mystica unitas carnis nostrae cum carne Christi suam pleniorem consummationem velut sacramentalem consecrationem accipit per conjunctionem glori-

---

([1]) Cyrill. Alex. « Itaque (Christus) non solo verbo mortuos excitari vult, sed ut ostendat vivificum esse suum corpus, ut jam antea diximus, mortuos tangit, et per ipsum vitam jam corruptis immittit. Quod si solo tactu sanctae carnis id quod corruptum est vivificatur, quomodo vivificam illam eulogiam non uberiorem consequemur, cum eam quoque degustabimus? In suum enim ipsius bonum, hoc est immortalitatem, nos qui participes ejus fuerimus omnino transformabit. Neque vero eam ob rem mirari velis aut Judaeorum more apud te, *quomodo*, quaerere: sed cogita potius aquam natura sua frigidam esse, sed in lebetem infusam, cum igni admota fuerit, tum suae propemodum naturae immemorem, in potioris virtutem migrare: eodem quoque modo nos, licet ob carnis naturam corruptibiles simus, verumtamen mixtione verae vitae, deposita nostra infirmitate, ad id quod proprium illius est reformari, id est vitam. Oportebat enim, oportebat non solum per Sanctum Spiritum in vitae novitatem animam reformari, sed et crassum ac terrenum corpus hoc crassiore et cognata participatione sanctificari et ad incorruptionem vocari. » *In Joh.* l. IV. M. LXXIII, 578.

Chrysost. « Ego autem mea carne alo quos genui, me eis exhibeo, omnibus faveo, omnibus optimam de futuris spem praebeo. Qui in hac vita se nobis exhibet, multo magis in futura. » *Hom. XLV in Joh. n.* 3. M. LIX, 261.

([2]) Franzelin, *De sacramento Eucharistiae*, Thesis XIX.

ficati corporis et sanguinis ejus cum ipsis corporibus nostris, in qua conjunctione celebrantur nuptiae Agni cum sponsa sua Ecclesia adhuc peregrinante in membris singulis, quae jucundiores et plenioris unitionis solum celebrabuntur in Patria » (Cfr. Apoc. XXI, 2, 3).

182. — Secunda pars. EUCHARISTIA EST HUJUSMODI PIGNUS, QUATENUS CONJUNCTIO CORPORIS SUMENTIS EUCHARISTIAM CUM CHRISTO EST SPECIALIS ET PROPRIUS TITULUS GLORIAE CORPORIS.

Prob. *Ex falsificatione ceterarum sententiarum :*

1. *Falsificatur 1ª sententia :* Sine ratione asseritur *specialem perfectionem* esse conferendam corporibus gloriosis ob susceptionem Eucharistiae. Scriptura enim non promittit iis qui vescuntur carne et sanguine Christi, aliam resurrectionem praeter eam quae est communis omnibus beatis, uti constabit comparanti Joh. VI cum Matth. XXV, 31 sq.

2. *Falsificatur 2ª sententia :* a) Eucharistia devote suscepta est titulus immediatus et specialis resurrectionis gloriosae. Atqui hoc falsificatur si asseritur Eucharistiam nonnisi ratione unionis Christi cum anima fundare illud jus. Id enim manifestum est quia haec unio cum anima habetur ratione gratiae infusae in subjecto Eucharistiae. — b) Nulla est ratio negandi conjunctionem corporis sumentis Eucharistiam cum Christo fundare jus ad gloriosam resurrectionem. Sola enim ratio cur a nonnullis id negetur, ex eo petitur quod status gratiae jam fundat istud jus; sed eo quod gratia fundat jus ad resurrectionem, non ideo sequitur susceptionem Eucharistiae, ratione conjunctionis corporis cum Christo, non esse titulum ejusdem juris. In tantum enim unum consequeretur ad alterum, in quantum eadem res non posset pluribus titulis promitti et deberi. Atqui potest idem ex pluribus titulis esse debitum ; quod constat eo vel solo quod corporis resurrectio et gloria erat debita Christo tum ratione unionis hypostaticae, tum ratione gratiae et gloriae animae, tum ratione meritorum.

183. — Tertia pars. CORPUS CHRISTI NON PRODUCIT IN CORPORE SUSCIPIENTIS DISPOSITIONEM AD GLORIOSAM RESURRECTIONEM, NEQUE ALIAM QUALITATEM SUPERNATURALEM.

Prob. Nulla ratio neque extrinseca neque intrinseca suadet hanc efficientiam : 1. *Nulla ratio extrinseca :* De hujusmodi dispositione, in corpore nostro producta a corpore Christi, nullum exstat indicium apud Joh. 6 ; id non docent Patres, neque Concilia, neque Scholastici. Ergo temerarium est asserere hujusmodi qualitatem produci in corpore Christi. — 2. *Nulla ratio intrinseca :* Neque necessaria neque utilis est haec dispositio : Vel enim producitur in materia corporis vel in poten-

tiis animae inhaerentibus carni. Atqui a) non producitur *in materia corporis*. Ratio est quia qualitas in materia corporis producta non inservit operibus bonis faciendis per hanc virtutem, cum operativa non sit; neque pulchritudinem confert, cum sensu non percipiatur. — Neque inservit perfectioni corporis gloriosi; corrumpitur enim per mortem, corrupto corpore. Ergo. — Neque b) producitur praefata dispositio in *potentiis animae carni inhaerentibus*. Qualitas infusa potentiae sensitivae vel est species vel est habitus. Sed α) non infunditur species per Eucharistiam. Etenim non aufugeret sensum intimum elici operationes beneficio harum specierum et horum habituum. Neque infunditur β) habitus : esset enim operativus et iterum operationes novae non laterent conscientiam.

184. — Quarta pars. CORPUS DIGNE SUMENTIS EUCHARISTIAM NON UNITUR INTRINSECUS CORPORI CHRISTI.

Probatur. 1°. *Ex Patribus*. Non raro Patres corporalem unionem cum Christo excludunt, non relicta nisi unione spirituali. Sic loquuntur Damascenus, Cyrillus Alexandrinus (1).

2. *Ex silentio scholasticorum*. Accurate enumeraverunt scholastici effectus sacramenti Eucharistiae. De unione tamen corporum altissimum servant silentium.

3. Corpus Christi illocaliter est praesens sub speciebus. Mediis speciebus tangit corpus suspicientis. Cum uniendae jam sunt species cum communicantis substantia, diu jam fuerunt alteratae et corruptae, ac proin diu jam cessavit realis Christi praesentia. Ergo.

Scholion 1m. Cum Christus digne sumitur, non tantum mediis speciebus tangit corpus, sed quamdiu durat ejus realis praesentia, est causa moralis gratiarum quibus excitamur ad amandum Deum et Christum et ad volendum aeternaliter eos possidere. Transacta praesentia, habetur relatio specialis inter subjectum Eucharistiae et Christum: Censetur subjectum esse Christi; Christus censetur gerere curam specialem de anima et de corpore ejus. — Ratione horum effectuum, qui digne recepit Christum dicitur in eo manere, uniri Christo, sibi incorporasse Christum. Interdum etiam hoc solo sensu dicitur substantialiter, corporaliter uniri Christo. Iisdem denique expressionibus Patres astruunt veritatem receptionis Christi per Eucharistiam, in oppositione ad receptionem figurae Christi, aut ad receptionem Christi per fidem.

(1) SUAR. d. LXIV, n. 3. — DAMASC. l. IV, c. XIII. M. P. L. t. XCIV, col. 1035 sqq. — CYR. HIER. *Catech. IV mystag.* M. P. G. t. XXXIII, 1098.

Scholion 2m. Commendatur communio *in voto*. Ex opere operante enim multa bona affert. Attamen plerique effectus Eucharistiae sunt proprii reali sumptioni Christi.

CAPUT III.

De causa ministeriali Eucharistiae.

185. — PROLOGUS. 1. Causa *efficiens* Eucharistiae alia est instituens, alia ministerialis. — Ex his quae demonstrata sunt de praesentia reali Christi Domini in Eucharistia et ex his quae de sacramentis in genere sunt dicta, sufficientissime constat Christum esse institutorem Eucharistiae vi potestatis excellentiae a Deo acceptae. — Ministerialis est alia quidem *conficiens*, alia vero *administrans*. De utraque statim dicetur.

2. Varii *fines* institutae Eucharistiae enarrari possunt: a) Ut Christus Jesus perenniter in terra adoraretur in sacramento altaris. — b) Ut in Ecclesia cultus specialis institueretur, in quo ipse Christus adoraretur. — c) Ut producerentur in animis digne eam suscipientium varii effectus qui modo fuerunt expositi, gratia, unio cum Deo etc. — d) Ut Christus animis fidelibus ipsum adorantibus, esset socius, solamen, robur. — e) Ut Deus patefaceret hominibus varia attributa sua bonitatem, potentiam, patientiam, et sic eos excitaret ad amorem et ad observationem legis suae. Cf. n. 39 sq.

De ministro Eucharistiae. — Solum sacerdotem, sc. episcopum et presbyterum, esse ministrum conficiendae Eucharistiae est definitum Concilio Lateranensi IV contra Albigenses, cujus haec sunt verba: « Et hoc utique sacramentum (Eucharistiae) nemo potest conficere nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus, secundum claves Ecclesiae, quas ipse concessit apostolis, eorumque successoribus Jesus Christus. » Tridentinum insuper definivit adversus novatores Christum dicendo « Hoc facite in meam commemorationem, » ordinasse ut apostoli aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum (1). Soli sacerdotes sunt ministri ordinarii Eucharistiae dispensandae; ministri extra-

---

(1) Later. IV. Cf. Denz. *Enchiridion*, n. 357. — Trid. Sess. XXII, can. 2.

ordinarii sunt diaconi. — Mininister *ordinarius* ille intelligitur cui jure divino competit dispensatio Eucharistiae ; *extraordinarius* vero ille qui vi ordinationis habet ut ei dispensatio Eucharistiae committi possit.

THESIS XXIV^a^. — Soli sacerdotes instruuntur potestate conficiendi Eucharistiam. Hi etiam soli sunt ministri ordinarii dispensandae Eucharistiae ; diaconi sunt ministri extraordinarii.

186. — Prima pars. SOLI SACERDOTES SUNT MINISTRI EUCHARISTIAE CONFICIENDAE.

Probatio I^a^. Ex Script. Hi soli instruuntur potestate conficiendi Eucharistiam, quibus immediate aut mediate directa sunt haec verba Christi : « Hoc facite in meam commemorationem. » (Luc. XXII, 19). Atqui haec verba directa fuerunt solis apostolis eorumque successoribus, quorum nomine intelliguntur hi omnes et soli qui ordinantur sacerdotes, suscepto sacramento ordinis. Ergo. — Patet minor tum quia Christus, ubi potestatem conferebat apostolis, solebat eamdem communicare non quidem omnibus fidelibus, sed certis personis quae forent successores apostolorum, tum interpretatione traditionali, de qua constabit sequenti argumento.

Probatio II^a^. Ex Tradit. Arg. I^m^. *Ex Conciliis :* a) Concilium *Nicaenum*, canone 18, habet: « Pervenit ad sanctum magnumque Concilium, quod, in quibusdam locis et civitatibus, presbyteris gratiam sacrae communionis diaconi porrigant ; quod nec regula, nec consuetudo tradit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, corpus Christi accipiant. » — b) Concilium *Florentinum*, in decreto pro Armenis, docet : « Sacerdos, in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum. » — Neque aliter loquitur c) Concilium *Lateranense* supra citatum. — Demum d) Concilium *Tridentinum* l. c. definit : « Si quis dixerit, illis verbis, « hoc facite in meam commemorationem, » Christum non instituisse apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum ; A. S. »

Arg. II^m^. *Ex Patribus.* Patres testantur multis modis solis sacerdotibus commissam esse potestatem consecrandi corpus et sanguinem Christi Domini :

1. Saepissime eam attribuunt sacerdotibus rite ordinatis, numquam vero ceteris. — a) Justinus Martyr scribit eum qui fratribus praeest, seu episcopum vel presbyterum, Eucharistiam conficere, quae deinde

a diaconis praesentibus distribuatur, et ad absentes perferatur (1). — b) Cyprianus in epistola IV commendat presbyteris, qui in carceribus detentos martyres invisunt, ut hoc non glomeratim faciant, sed caute, « ita ut presbyteri quoque, qui illic apud confessores offerunt, singuli cum singulis diaconis per vices alternent, ne ex hoc invidia concitetur, et introeundi aditus denegetur. » — Chrysostomus per integros libros loquitur de praerogativis sacerdotum (2). — d) Gaudentius Brixianus idem perspicue docet (3).

2. Saepe etiam perspicuis verbis negant hanc potestatem fuisse datam sive diaconis sive laicis. — a) Tertullianus ea de re maxime haereticos perstringit, quod « laicis sacerdotalia munera injungunt » (4), et testatur Eucharistiae sacramentum antelucanis coetibus sumi, « nec de aliorum manu, quam praesidentium », seu episcoporum, aut presbyterorum (5). — b) Origenes sacerdotes ad sanctitatem hortatur ex eo quod ipsis solis patent tanta munera (6). — c) Epiphanius hanc potes-

(1) Justinus : « Deinde ei qui fratribus praeest, panis affertur, et poculum aquae et vini : quibus ille acceptis laudem et gloriam universorum Parenti per nomen Filii et Spiritus Sancti emittit et Eucharistiam, sive gratiarum actionem, pro his ab illo acceptis donis prolixe exsequitur. Postquam preces et Eucharistiam absolvit, populus omnis acclamat « Amen »... Postquam vero is, qui praeest, preces absolvit, et populus omnis acclamavit, qui apud nos dicuntur diaconi, panem et vinum et aquam, in quibus gratiae actae sunt, unicuique praesentium participanda distribuunt, et ad absentes perferunt. » *Apol. I*, n. 65.

(2) Chrysost. « Sacerdotium enim in terra peragitur, sed caelestium ordinum classem obtinet : et jure quidem merito. Non enim homo, non angelus, non archangelus, non alia quaepiam creata potestas, sed ipse Paracletus hoc officium ordinavit, qui manentibus in carne auctor fuit ut angelorum ministerium animo conciperent... Stat enim sacerdos, non ignem gestans, sed Spiritum Sanctum ; preces multo tempore fundit, non ut fax demissa caelitus apposita consumat, sed ut gratia in sacrificium delapsa per illud omnium animos inflammet, et argento igne purgato splendidiores exhibeat. Hoc itaque terribilissimum mysterium quis tandem, nisi admodum insaniat, vel mente captus sit, despicere queat? An ignoras humanam animam ignem sacrificii hujusmodi numquam gestare potuisse, sed omnes funditus perituros fuisse, nisi magnum adesset gratiae Dei auxilium? Si quis enim secum reputet quantum illud sit, nempe hominem carne et sanguine involutum prope beatam illam et immortalem naturam constitui, tunc probe intelliget quanto honore Spiritus gratia sacerdotes ornaverit. » *De sacerdotio*, l. III, n. 4.

(3) Gaud. Brix. « Voluit enim (Christus) beneficia sua permanere apud nos, voluit animas pretioso sanguine suo sanctificari per imaginem propriae passionis ; et ideo discipulis fidelibus mandat, quos primos Ecclesiae suae constituit sacerdotes, ut desinenter ista vitae aeternae mysteria exercerent, quae necesse est a cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari, usquequo iterum Christus de caelo adveniat ; quo et ipsi sacerdotes, et omnes pariter fidelium populi exemplar passionis Christi ante oculos habentes quotidie, et gerentes in manibus, ore etiam sumentes et pectore, redemptionis nostrae indelebilem memoriam teneamus, et contra venena diaboli dulcem medicinam sempiterni tutaminis consequamur. » *De Exodi lectione*, II. M. XX, 860.

(4) Tertull. *De praescript.* XLI. — (5) Id. *De corona militis*, III.

(6) Origenes. « Ad illa quae mystica sunt, et in secretis recondita et solis sacerdotibus patent, non solum nullus animalis homo accedit, sed ne ipsi quidem, qui habere aliquid

tatem diaconis denegat (1) et redarguit quemdam pseudomonachum, Zachaeum nomine, quod « cum laicus esset, attingere ac sacrificia celebrare nefario ac temerario ausu est aggressus » (2). — d) Hieronymus hoc argumento ostendit apud Luciferanos veram Ecclesiam non esse, quod sacerdotes non habeant, qui corpus Christi conficiant, sed diaconum dumtaxat : « Hilarius, ait, cum diaconus de Ecclesia recesserit, neque Eucharistiam conficere potest, episcopos et presbyteros non habens » (3), et aperte alibi hanc potestatem diaconis denegat (4). — e) Pelusiota duplex sacrificium distinguens, unum strictioris et propriae appellationis, quod offertur Deo, cum Eucharistia consecratur, alterum latioris et minus propriae appellationis, quod omnes immolamus dum carnis concupiscentiis fortes obsistimus, primum reservat solis sacerdotibus, secundum ait omnibus esse offerendum (5).

Arg. III^m. *Ex praxi Ecclesiae.* a) Sacerdotes saepe penetrarunt in carceres ubi christiani detinebantur, ut Eucharistiam consecrarent et in viaticum morituris traderent. b) Anachoretae Aegypti et Thebaidos diu conservabant Eucharistiam sibi a sacerdote traditam. c) Non raro laici, cum infideles convertissent, statim ad episcopos accurrerunt ut sacerdotes mitterentur qui Eucharistiam conficerent. Atqui haec sunt prorsus inutilia, dato potestatem consecrandi corpus et sanguinem Christi fuisse divinitus collatam omnibus fidelibus.

187. — **Secunda pars.** EUCHARISTIA DISPENSANDAE MINISTRI ORDINARII SUNT SACERDOTES, EXTRAORDINARII VERO DIACONI.

A. *Sacerdotes sunt ministri ordinarii.*

---

exercitii et eruditionis videntur, nondum tamen meritis et vita ad sacerdotalem gratiam ascenderunt... Quia igitur hujusmodi dispensatio est mysteriorum Dei et ministerii quod habetur in sanctis, tales nos exhibere debemus ut digni efficiamur ordine sacerdotii, ne velut irrationabilibus nobis onera graviora imponantur, sed tamquam rationabiles et sancti sacerdotalibus officiis deputemur. » *Hom. IV in Num.* n. 3. M. XII, 601.

(1) EPIPHANIUS. « Neque diaconis quidem ipsis ullum in ecclesiastico ordine sacramentum perficere conceditur, sed hoc dumtaxat, ut eorum quae perficiuntur ministri sint (ἀλλὰ μόνον διακονεῖν τὰ ἐπιτελεύμενα) — (2) Id. *Expositio catholicae fidei*, XIII.

(3) HIER. *Dial. adv. Lucifer.* n. 21. — (4) Id. « Cum Apostolus perspicue doceat eosdem esse presbyteros quos episcopos (quoad potestatem conficiendae Eucharistiae), quid patitur mensarum et viduarum minister (diaconus) ut supra se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur. » *Epist. ad Evang.* Epist. CXLVI, n. 1.

(5) PELUSIOTA : « Quemadmodum in Veteri Testamento sacerdotii munere fungi, exceptis sacerdotibus, nemini licebat, Paschae tamen tempore omnes quodammodo sacerdotii honore afficiebantur, quilibet enim pecudem suam immolabat : sic etiam in Novo Testamento, cui nullum alterum successurum est, peculiari quidem ratione, ac veluti praerogativae nomine incruentae victimae sacrificium ii habent, quibus illud concessum est ; at interim unusquisque sui corporis sacerdos creatus est, non ut citra ordinationem et institutionem subditorum imperium arripiat, sed ut vitiis imperans, corpus suum castitatis delubrum, aut templum efficat. » *Epist.* l. III, ep. LXXV.

Prob. 1. *Script.* Apostoli et successores a Christo Jesu potestatem receperunt faciendi id quod ipsemet Christus fecerat. Atqui Christus Eucharistiam non modo confecerat, sed adhuc dispensaverat. Ergo.

2. *Traditione* cujus testis est Tridentinum, aiens: « Semper in Ecclesia Dei mos fuit ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent » (sess. XIII, VIII).

B. *Diaconi sunt ministri extraordinarii.* — Ille est minister extraordinarius Eucharistiae dispensandae, qui recepit potestatem eam dispensandi non quidem a Christo sed ab Ecclesia vi ordinationis. Atqui diaconi non receperunt potestatem a Christo, siquidem non sunt successores apostolorum; eam vero bene receperunt ab Ecclesia vi ordinationis: hoc enim constat ex praxi Ecclesiae in qua nempe diaconi saepe leguntur delegati esse ad distribuendam Eucharistiam. Hanc praxim manifestant tum testimonia in superioribus recitata, tum Constitutiones apostolicae, Concilium Carthaginense IV, Gelasius P. (1).

188. — Annotationes ad difficultates (2). — I. *Ad difficultates ex Scripturis petitas:* 1. Ad I Cor. XI, 25, 26. Postquam Paulus retulit verba Domini: « Hoc facite in meam *commemorationem* », addit « quotiescumque enim enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, *mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* » Immerito exinde colligunt Novatores potestatem consecrandi fuisse datam fidelibus. Mors Domini annuntiatur, seu illius fit memoria, cum fit consecratio duplex et cum participatur corpus et sanguis Christi. Apostoli et successores jubentur utroque modo facere memoriam mortis dominicae; fideles vero affirmantur a Paulo facere memoriam manducando panem et calicem bibendo.

2. Fideles in Scripturis vocantur sacerdotes lato sensu, quatenus Deo offerunt sacrificium laudis et bonorum operum; non quasi offerant sacrificium stricto sensu acceptum, id nempe sacrificium quod Deo offertur cum Eucharistia consecratur.

189. — II. *Ad difficultates ex Patribus petitas:* 1. Tertullianus haec scribit: « Inde igitur apud nos plenius, atque instructius praescribitur, unius matrimonii esse oportere, qui adleguntur in ordinem sacerdotalem. Usque adeo quosdam memini bigamos loco dejectos. Sed dices:

---

(1) *Constit. apost.* « Oblatione ab Episcopo vel presbytero facta, ipse diaconus (synaxin) dat populo, non tamquam sacerdos, sed tamquam qui ministrat presbyteris. » VIII, 28.
Conc. Carthag. « Diaconus, praesente presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget. » Can. 38
Gelas. P. « Diaconi,... sacri corporis Christi prorogationem sub conspectu Pontificis seu presbyteri, nisi his absentibus, jus non habeant exercendi. » *Epist. ad. ep. Lucaniae,* VIII.

(2) Cf. De Augustinis, *De Euch.* pars. II, art. 5, p. 211 sq.

ergo ceteris licet, quos excipit. Vani erimus, si putaverimus, quod sacerdotibus non liceat, laicis licere. Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est: « Regnum quoque nos et sacerdotes Deo et Patri suo fecit ». Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiae auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus. Ades, ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers et tinguis, et sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici. Igitur si habes jus sacerdotis in temetipso, ubi necesse est, habeas oportet etiam disciplinam sacerdotis, ubi necesse sit habere jus sacerdotis » (1). — Ad haec verba varia veniunt notanda : a) Laici a Tertulliano dicuntur sacerdotes non proprie et formaliter, sed solum remote et aptitudinaliter, quatenus nempe ad sacerdotium admitti possunt, si a se arceant impedimentum bigamiae. Hoc aperte constat ex verbis ejus ibidem : « Omnes nos Deus ita vult dispositos, ut ubique sacramentis ejus obeundis apti simus... Usque adeo nisi et laici ea observent, per quae presbyteri adleguntur, quomodo erunt presbyteri, qui de laicis adleguntur? Ergo pugnare debemus ante laicum jussum a secundo matrimonio abstinere, dum presbyter esse non alius potest, quam laicus qui semel fuerit maritus ». — b) Auctoritas Ecclesiae dicitur constituere differentiam inter ordinem et plebem *inchoative*, quatenus Ecclesia e plebe eligit deputandos ministerio sacro ; non vero complete, quatenus in ordinatione potestas consecrandi non daretur immediate a Deo. — c) Cum Tertullianus ait : « Ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers et tinguis et sacerdos es tibi solus », per verbum *offerre* non debet significare *consecrare* seu sacrificium missae offerre, sed potest significare sacrificium laudis aut bonorum operum, vel alludere ad *repraesentationem quamdam* oblationis proprie dictae, quae quandoque fiebat cum nullus sacerdos adesset in conventu fidelium. Etenim christianis in cryptis simul convenientibus, et secum corpus Christi portantibus, si nemo inter eos esset sacerdos, delectus aliquis e laicorum numero Christi corpus, quod jam prius alias a sacerdote consecratum fuerat, Deo certis precibus offerebat, et sic quamdam oblationis speciem ad commune solatium usurpabat.

2. Ex canone Concilii Arelatensis I, a. 314, et Ancyrani, ejusdem anni, adversarii probare nituntur diaconos olim habuisse potestatem consecrandi Eucharistiam. Concilium enim Arelatense I, (can. 15) habet : « De diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit

(1) TERTULL. *De exhort. castitatis*, VII.

minime fieri debere. » Concilium vero Ancyranum (c. II): « Diaconus... ab omni sacerdotali ministerio cessare, et panem vel calicem offerendi, vel praedicandi. » — Perperam ex his concluditur diaconos habere potestatem consecrandi, solum exercitium posse impediri ab Ecclesia ne licite fiat. Etenim a) nulla mentio fit hujusmodi potestatis divinitus collatae. b) Probabilius consecratio supponit pro *dispensatione*.

3. S. Ambrosius ([1]) inducit s. Laurentium ita episcopum suum Xystum, qui ad martyrium properabat, alloquentem : « Cui commisisti Dominici sanguinis *consecrationem*, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic sanguinis tui consortium negas. » — Iterum consecratio sumitur pro *dispensatione*. Hoc constat a) ex contextu ubi Laurentius diaconus non dicit se offerre sacrificium, sed ministrare sacrificio, quod a sacerdote offertur. « Quo sacerdos sancte, ait, sine diacono properas tuo ? Numquam sacrificium sine ministro offerre consueveras... Experire certe utrum idoneum ministrum elegeris. » b) Ex verbis ipsis, ubi s. Laurentius non ait se habere munus conficiendi sacramentum, sed *consortium consummandorum sacramentorum*, id est ministerium ad distribuendum fidelibus sacramentum.

CAPUT IV.

De necessitate Eucharistiae.

§ 1. — Status quaestionis.

190. — Duo quaerentur : a) utrum usus Eucharistiae sit necessarius ad salutem et utrum de necessitate medii an praecepti ; b) utrum fidelibus laicis necessaria sit sumptio Eucharistiae sub utraque specie, an sufficiat sub una specie.

Illud est necessarium necessitate *medii* quod per modum *causae* ita ad salutem conducit, ut, illo non adhibito, absolute comparari nequeat salus. — Illud est necessarium necessitate *praecepti*, quod tantum *vi legis a Deo latae* est adhibendum ut salus comparari queat, proindeque adhibendum est ut vitetur peccatum quod obstat saluti. Porro ab observatione legis excusant varia, puta ignorantia inculpabilis legis,

---

([1]) Ambr. *De off.* l. I, c. xli.

impotentia legem servandi. Itaque eadem adjuncta auferunt necessitatem illius quod necessarium non est nisi necessitate *praecepti*. Contra nulla adjuncta efficere valent ut necessarium non sit ad salutem comparandam illud quod necessarium est necessitate *medii;* quare salus comparari nequit, etiamsi citra ullam culpam omittitur.

AD I^m QUAEST. respondetur usum Eucharistiae necessarium non esse necessitate medii, quod clarissime asseritur a Tridentino (1); verumtamen necessariam esse adultis necessitate praecepti tum divini tum ecclesiastici.

Quamobrem si a seculo III° ad XI^m data fuit communio infantibus Ecclesiae graecae et latinae, ideo tamen data non est quia ducebatur necessaria saluti. « Ut enim, inquit Concilium Tridentinum, sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est » (1).

AD II^m QUAEST. duae sunt sententiae :

Prima est Johannis Huss et Hussitaram, tenentium *communionem sub utraque specie esse laicis necessariam*, saltem adultis, ex necessitate praecepti divini. Ob hanc sententiam suam appellati sunt *utraquistae* et *calixtini*. Hanc sententiam primum proposuerunt circa annum 1414 Petrus Dresdensis, ludimagister, et Jacobellus Misnensis. Eam renovaverunt Carlostadius et Calvinus qui asserere non erubuit ex officina diaboli prodiisse constitutionem quae dimidiam coenae partem populi Dei eripuit. — Protestantibus hac in re consenserunt Graeci schismatici recentiores, duce Jeremia Patriarcha qui in responsione ad Tubingenses scribit : « Utriusque specici participes esse oportere dicitis et recte dicitis. » (Cap. X).

Secunda est catholicorum asserentium communionem sub utraque specie *non esse necessariam necessitate medii nec praecepti divini*. Quae sententia definita est tum Concilio Constantiensi in sessione XIII decreto a Martino V confirmato per Bullam *in Eminentis* datam 8 cal. Martii 1418 (Denz. n. 585); tum Concilio Tridentino in Sessione XXI, canone 1.

Usque ad seculum duodecimum vigebat apud laicos consuetudo communicandi sub utraque specie; verum, ait Conc. Constant., « haec consuetudo ad evitandum aliqua pericula et scandala est rationabiliter introducta, quod a conficientibus sub utraque specie, et a laicis

(1) Trid. Sess. XXI, cap. IV et can. 4.

tantummodo sub specie panis suscipiatur, » quae consuetudo *communicandi sub sola specie panis in legem disciplinarem transiit,* testibus Concilio Constantiensi et Concilio Tridentino (can. 2).

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS XXV[a]. — Sumptio Eucharistiae necessaria quidem est fidelibus adultis necessitate praecepti divini et ecclesiastici, non vero necessitate medii. Attamen nec laicis nec sacerdotibus sacrificium non offerentibus necessaria est ex praecepto divino sub utraque specie.

191. — Prima pars. Sumptio Eucharistiae necessaria non est necessitate medii.

Prob. Arg. I[m]. *Ex Patribus.* Id non est necessarium necessitate medii sine quo salus comparari potest a parvulis, immo non raro ab adultis. Atqui Ecclesia semper tenuit infantulos baptizatos et vita functos, Eucharistia non recepta, participes esse regni caelestis. Hanc fidem praeclare testatur Augustinus (1) et luculenter constat consuetudine jamdudum universali non concedendi communionem infantibus in articulo mortis. — Salutem comparari interdum ab adultis, sine usu Eucharistia, constat auctoritate Fulgentii in epistola ad Ferrandum a quo interrogatus fuerat quid de aeterna salute cujusdam Aethiopis sentiendum esset, qui subito post receptum baptismum e vivis excesserat, Eucharistia non recepta (2). Idem testatur consuetudo aliquando vigens denegandi communionem lapsis paenitentibus, etiam in extremo vitae periculo.

Fundatur haec pars in verbis Marci xvi, 16 : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit »; et in verbis Pauli ad Tit. iii, 5 : « Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis » ; demum in I Pet. iii, 21 : « Quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma. »

(1) August. « Tantum valebit (baptismus parvulo collatus), ut si ante rationis usum ex hac vita emigraverit, per ipsum sacramentum, commendante Ecclesiae caritate, ab illa condemnatione, quae per unum hominem intravit in mundum, christiano adjutorio liberetur. Hoc qui non credit, et fieri non posse arbitratur, profecto infidelis est, etsi habeat fidei sacramentum. » *Epist.* xcviii (al. xxiii) *ad Bonifacium.* — « Verumtamen si (parvulus), percepto baptismate, de hac vita emigraverit, soluto reatu cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in aeternum justificatos praesentia Creatoris illuminat. » *De peccat. mer. et remiss.* c. xix.

(2) Fulgent. « Arbitror, sancte frater, disputationem nostram praeclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc seculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. » *Epist. XII ad Ferrandum,* n. 26.

Arg. II^m. *Ratione theologica.* Eucharistiam non esse necessariam parvulis sic ostenditur : Necessaria foret vel ad acquirendum gratiam primam vel ad eam conservandam. Atqui necessaria non est ad acquirendam gratiam, siquidem acquiritur baptismo ; neque ad conservandam, siquidem non amittitur nisi peccato quod committi nequit ante expeditum usum rationis. Ergo.

192. — Secunda pars. USUS EUCHARISTIAE NECESSARIUS EST ADULTIS :

A. *Necessitate praecepti divini.* Probatur 1. Ex. Joh. VI, 54 : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » His verbis a Christo praescribi usum Eucharistiae est manifestum ; jamvero ex supra dictis constat Eucharistiam non esse necessariam necessitate medii. Ergo superest ut dicatur esse tantum necessaria necessitate praecepti divini.

2. Luc. XXII, 19 et I Cor. XI, 25 : « Hoc facite in meam commemorationem ». Christus dedit his verbis praeceptum non tantum sacerdotibus, iisque solis, ut Eucharistiam consecrarent, sed etiam fidelibus, qui possunt hoc praecepto ligari, ut eam reciperent in ipsius commemorationem. In hunc sensum interpretatur ista verba Concilium Tridentinum in sessione XIII, cap. II.

B. *Necessitate praecepti ecclesiastici.* Legem enim annuae communionis tempore Paschatis suscipiendae tulerunt tum Concilium Lateranense IV, capite *Omnes utriusque sexus* (Denz. n. 363) : tum Concilium Tridentinum in sessione XIII, can. 9.

193. — Tertia pars. NECESSARIA NON EST JURE DIVINO COMMUNIO SUB UTRAQUE SPECIE.

Prob. Arg. I^m. Necessitas non colligitur ex Joh. VI, 54 : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » Nihil enim impedit quin particula copulativa *et* intelligatur esse disjunctiva *vel*, aut copulativa quidem, sed in *sensu negativo*, ita sc. ut sensus sit : « Nisi manducaveritis carnem meam *vel* biberitis sanguinem, non habebitis vitam in vobis, » aut : « Si neque manducaveritis... neque biberitis. » — Haec interpretatio comprobatur duobus : a) Aliis verbis Christi in eodem sermone. Uti enim observat Tridentinum, qui dixit : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; » dixit quoque ; « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. » Et qui dixit : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam; » dixit etiam : « Panis, quem ego dabo,

caro mea est pro mundi vita. » Et denique, qui dixit : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo; » dixit nihilominus : « Qui manducat hunc panem vivet in aeternum. » (Sess. XXI, cap. 1). — b) In Exodo XXI, 15 in textu hebraico legitur : « Qui percusserit patrem suum et matrem, morte moriatur; » porro haec verba procul dubio accipi debent in sensu disjunctivo, cum necesse non sit utrumque parentem percutere, ut quis comminatam poenam incurrat. Ideo Vulgata transtulit : « Qui percusserit patrem suum *vel* matrem. »

Arg. II^{m}. Petitur *ex usu et praxi Apostolorum.* 1. In Act. II, 42, dicitur de primis fidelibus : « Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus. » — Heic agi *de Eucharistia* patet dupliciter : a) Fractio panis dicitur conjungi cum orationibus. Atqui hic erat ritus consuetus celebrandi Eucharistiam. b) Laudantur fideles quod perseverantes fuerint in fractione panis. Atqui merito quidem laudantur, supposito ibi agi de Eucharistia ; contra immerito laudarentur, si ageretur de cibo communi. — Per fractionem panis designari usum Eucharistiae *sub sola specie panis,* patet a) ex sensu obvio et silentio calicis; b) ratione allata a Bellarmino : « Quia plurimi in Jerusalem christiani erant, qui in illis initiis servabant legalia Moysis, apostolis permittentibus, ut patet ex cap. XXI Actorum; et ex iis nonnulli usque ad certum tempus Nazaraei erant, non bibentes vinum, nec radentes capita, usque ad finem dierum voti sui. Hos autem neque credibile est contra votum suum bibisse de calice Domini ; neque probabile est abstinuisse omnino a communione, cum Lucas dicat omnes perseverantes fuisse in doctrina et communicatione fractionis panis. Quare probabilissima conjectura est, ideo Lucam solum meminisse fractionis panis, quod ab ea specie nulli abstinerent. Unde etiam b. Paulus I Cor. X, non sine causa de calice dicit : « Calix benedictionis, cui benedicimus » ; de pane autem : « Panis, quem frangimus ». Calix enim semper benedicebatur, sed non semper distribuebatur. Unde etiam paulo infra dicit : « Unus panis et unum corpus sumus, qui de uno pane participamus » ([1]).

2. In I Cor. XI, 27 legitur : « Itaque quicumque manducaverit panem hunc *vel* biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini », ubi innui videtur usus communicandi sub una specie.

([1]) BELLARM. *De sacram. Euch.* l. IV, c. XXIV.

Arg. III[m]. Petitur *ex praxi Ecclesiae.* Si Christus tulisset praeceptum communicandi sub utraque specie, numquam permisisset Ecclesia ut sub sola specie panis communicaretur. Atqui id tamen a primis jam temporibus permisit. Id enim constat varia ratione.

1. *Ex communionibus infirmorum.* a) Paulinus diaconus in vita s. Ambrosii (n. 47) refert s. Honoratum episcopum, cum in superiori tabulato noctu decumberet, caelesti voce admonitum fuisse, ut cito descenderet et Ambrosio moribundo subveniret ; quare « descendens obtulit sancto Domini corpus, quo accepto, ubi glutivit, emisit spiritum ». b) Eusebius narrat Serapionem morti proximum recepisse « exiguam Eucharistiae partem (sub specie nempe panis) madefactam », seu aqua intinctam, ut vertit Valesius, et, particula paulatim absorpta, continuo animam edidisse ([1]).

2. *Ex communione infantium.* Testatur Cyprianus, exemplo adducto, antiquitus communionem infantibus fuisse datam sub sola specie vini ([2]). Haec consutuedo adhuc nunc viget apud Graecos.

3. *Ex communione domestica.* Tempore persecutionis fideles conservabant Eucharistiam domi sub sola specie panis, ut eam secreto sumerent. Hujus consuetudinis testis est Tertullianus qui ait « non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes ; et si sciverit omnem, non illum esse credet, qui dicitur », scilicet corpus Christi ([3]). Testis pariter est s. Zeno Veronensis, qui dicit : « Omnibus peraeque unus panis cum ligno (arca lignea in qua Eucharistia recondita erat) datur » ([4]).

4. *Ex missa praesanctificatorum.* a) Graeci tempore quadragesimali non consecrant nisi diebus sabbati ac dominicis et festo Annuntiationis; reliquis vero diebus solum panem praeconsecratum sumebant sacerdotes et fidelibus distribuebant. — Sanguinis quidem guttas aliquot infundunt pani consecrato recentiores Graeci ; verum in antiquis auctoribus nullum deprehenditur hujusce rei vestigium. Ceterum recentes panem statim imponunt igni ut cum exsiccent. — b) Latini feria VI[a] majoris hebdomadae solum panem praesanctificatum pridie sumunt.

5. *Ex communione publica* in qua liberum fuit fidelibus sive unam tantum sumere speciem sive duas. Id testatur, de Ecclesia Romana, Leo Magnus qui docet latentes Manichaeos detegi posse ex eo quod ad communionem accedentes abstinebant semper a calice, et semper unam

([1]) Euseb. *Hist. Eccles.* VI, xliv. — ([2]) Cypr. *De lapsis,* n. 18. M. IV, 499. — ([3]) Tertull. *Ad uxorem,* l. II, c. v. — ([4]) Zeno Veron. l. I, tract. XI, n. 4.

panis speciem in publica communione accipiebant (1). Idem constat de Ecclesia Constantinopolitana ex mirabili facto quod Sozomenus narrat et evenit in quadam muliere e secta Macedonianorum (2). — Praeterea in Ecclesia Anglicana viguisse usum sub sola specie panis communicandi testatur Beda (3).

Arg. IV^m. *Ratione theologica.* Sub una specie sumitur totus Christus, uti probatum est, et salvatur ratio sacramenti tum quoad significationem tum quoad efficientiam. Ergo non est necesse, ex natura sacramenti, ut sumatur utraque species.

Prob. ant. 1. *Salvatur significatio sacramenti.* Etenim utraque species moraliter unitur alteri speciei et sic annexam habet significationem sacramentalem. Praeterea utraque species seorsim considerata est apta ad significationem sacramentalem. Utraque enim specie seorsim ab altera significatur : a) *praesentia totius Christi,* siquidem totus constituitur praesens vi verborum et per concomitantiam. b) *Passio Christi,* siquidem vi verborum solum corpus sub specie panis praesens est, solusque sanguis sub specie vini. c) *Convivium spirituale,* siquidem non solum corpus est praesens sub specie panis, sed adhuc sanguis per concomitantiam. d) *Unio fidelium* inter se et cum Christo, siquidem secundum Patres haec unio significatur eo quod unus est panis ex multis granis constans (4).

2. *Salvatur efficientia sacramenti.* Colligitur ex verbis Christi apud Joh. VI, 59 : « Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum ». Quare merito dicit Tridentinum « Fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi ; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia, necessaria ad salutem, eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt » (5).

Coroll. Ergo, cum potestas in Ecclesia perpetuo fuerit « ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire iudicaret » (6), potuit Ecclesia pro diversitate adjunctorum ex rationibus proportionatis modo permittere laicis modo prohibere usum calicis. Itaque legitime prohibitus est usus calicis a Concilio Constantiensi et a Tridentino.

---

(1) Leo M. *Serm.* XLII, seu II *de quadrag.* — (2) Sozomenus, *Hist.* l. VIII, c. V. — (3) Beda, in l. II, c. V. M. XCV, 90. — (4) Cf. August. *Serm.* CCLXXII *ad infantes.* — (5) Trid. Sess. XXI, c. III. — (6) Id. c. II.

194. — **Scholion 1m.** *Quaeres utrum qui communicat sub sola specie panis, et qui communicat sub sola specie vini, aequalem effectum habeant ?*

Resp. A. Sumptio cujuscumque speciei est *sufficiens ad dandam aliquam gratiam habitualem et sacramentalem.* Id enim eruitur 1° *ex Scriptura :* a) De specie panis : « Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum ». Ergo panis confert gratiam. b) De specie vini : Si una species ex se dat gratiam, idem est dicendum de altera ; eadem enim est ei efficacia. — Idem eruitur 2° *ex Tridentino :* a) In sess. XXI, c. I, docet laicos et clericos non conficientes non teneri ad communicandum sub utraque specie, « *neque ullo pacto, salva fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat* ». Controversia cum haereticis erat num species panis sufficeret ad salutem ; Tridentinum ulterius pergit, asseritque alterutram sufficere. — b) Definit Synodus, c. III, fatendum esse Christum esse totum et integrum sub altera tantum specie, verumque sacramentum sumi sub altera tantum specie ; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui *unam* speciem solam accipiunt. — Insuper idem constat 3° *ex Patribus* : a) De specie vini : α) Auctor librorum de sacramentis dicit hominem bibendo sanguinem inebriari spiritualiter (1). β) Cyprianus dicit subeunti martyrium prius esse dandum sanguinem Domini, ut vires accipiat ad effundendum pro ipso sanguinem (2). γ) Ex Patribus liquet interdum usitatum fuisse in Ecclesia aliquibus dare solam speciem vini. — b) De specie panis afferri possunt multa testimonia Patrum, in superioribus allata, in quibus fit sermo de sola specie panis. — Demum id probatur 4° *ratione theologica.* Quaeque species continet totum Christum, unaquaeque significat refectionem animae, unionem membrorum Ecclesiae inter se et cum Christo. Ergo unaquaeque valet producere gratiam (3).

B. Ceteris paribus, *idem est effectus* sive quis *solam speciem panis* sive *solam speciem vini* communicet. Etenim a) nulla est ratio cur uni speciei adscriberetur major efficacia quam alteri. Promissio est eadem et eisdem facta verbis, dignitas rei contentae est eadem, significatio est eadem. b) Juxta Tridentinum communio sub altera specie sufficit ad salutem ; non commendatur sumptio sub una potius quam sub altera specie. Ex altera parte juxta idem Concilium Eucharistia est antidotum praeservans a mortalibus ; si major copia antidoti per duas species

(1) Auctor ll. *De sacram.* IV, VI ; V, III. — (2) Cypr. *Epist.* l. I, ep. LXIII. — (3) Cf. Suar. d. LXIII, sect. 6.

quam per unam concederetur, commendanda esset communio sub utraque specie.

Scholion 2m. Quaeres utrum qui communicat *sub duabus speciebus* recipiat *majorem gratiam* quam is qui nonnisi *sub una specie* communicat ?

Resp. Per se non datur major gratia sumenti utramque speciem quam sumenti unam dumtaxat. Sic s. Thomas, Bonaventura, Bellarminus, Suarez, et plerique. Contrarium propugnatum est a Melch. Cano in Tridentino, Alensi, Ricardo, Lugone et Vasquez (1). — Ratio est quia totus Christus sub utraque specie continetur; qui proin unam tantummodo recipit speciem, totum Christum, qui est fons gratiarum, recipit. Ergo summe probabile est eum recipere tantum gratiae qui sub una specie communicat, quantum recipit sub utraque specie communicans. Idem eruitur ex Tridentino (Cf. schol. 1m). — Notat Suarez nonnullos auctores existimare rem esse certam abhinc a Tridentino, siquidem communio sub una tantum specie est danda laicis. Verum illud praescribi potuit ob reverentiam erga Eucharistiam, licet minor aliquis effectus consequeretur ex receptione unius speciei. — Attamen per accidens, si crescit fervor et devotio, nova gratia gigni potest per communionem sub altera specie.

Si ais: Sub duabus speciebus Christus continetur bis; in una semel. Ergo modo bis confertur gratia, modo semel. — Respondetur distinguendo consequens : Dicendum esset gratiam sacramentalem bis conferri, si causalitas sacramenti esset *physica, Transm.;* si causalitas sacramenti est *moralis* tantum, *Neg.* — Christi praesentia movet Deum ad physice causandam in subjecto sacramenti gratiam. Unus Christus est praesens in singulis partibus unius speciei; non crescit tamen gratia pro magnitudine speciei; sic etiam non crescit gratia prout duae species sumuntur aut una.

195. — Annotationes ad difficultates. *Ad difficultates contra 1m partem.* 1. Ad Joh. III, 5 : Ex eo quod verba: « *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* » etc. indicant baptismum esse necessarium necessitate medii, non sequitur eamdem necessitatem attribui Eucharistiae his verbis ejusdem Johannis : *Nisi manducaveritis* etc. Fatemur enim neutra verba ex se significare determinate necessitatem medii aut praecepti, adeoque nonnisi Traditione determinari quaenam species necessitatis utroque textu indicetur. Jamvero Traditione constat baptismum

(1) S. Th. IV, q. LXXX, a. 12, ad 3m; Opusc. LI *de Sacramento Altaris*, c. XXIX. — Bonav. in 4 d. 11, pars II, a. 1, q. 11. — Suar. l. c. — Lug. *De sacram. Euch.* d. XII, s. 3.

quidem a Christo affirmari esse necessarium necessitate medii, Eucharistiam vero sola necessitate praecepti.

2. Innocentius I ad Patres Milevitanos scribens sic refutat Pelagium: « Illud vero quod eos vestra fraternitas asserit praedicare, parvulos aeternae vitae praemio, etiam sine baptismatis gratia, posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis, et biberint ejus sanguinem, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur ipsum baptismum vel cassare, cum praedicant hos habere, quod in eos creditur nonnisi baptismate conferendum. Si ergo nihil volunt officere, non renasci fateantur necesse est, nec regenerationis sacra fluenta prodesse » (1). Innocentium laudat Augustinus ad Julianum scribens: « Vide quid respondeas (Innocentio)... qui parvulos definivit, nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsus habere non posse. Huic responde: immo ipsi Domino, cujus ille antistes usus est testimonio. » Et alibi scribit: « An vero quisquam et hoc dicere audebit, quod ad parvulos haec sententia (Nisi manducaveritis etc.) non pertineat, possintque sine participatione corporis hujus et sanguinis in se habere vitam? » (2).

Pelagiani distinguebant inter regnum caelorum et vitam aeternam, aiebantque infantulos sine baptismo decedentes fieri participes vitae aeternae, non vero regni caelorum, siquidem ab hoc regno excluduntur a Christo. — Innocentius existimat quidem non dari distinctionem inter vitam aeternam et regnum caelorum; at in verbis modo citatis arguit ad hominem, permittit nempe vitam aeternam distingui a regno caelorum et probat ex Johanne VI infantulos non baptizatos non fieri participes vitae aeternae. A regno caelorum, ait, excluduntur quia non sunt baptizati, a vita aeterna quia non receperunt Eucharistiam.

Porro ex his non sequi judicio Innocentii I Eucharistiam esse necessariam necessitate medii, constat a) quia numquam dicit talem esse necessitatem Eucharistiae ut perveniatur *ad regnum caelorum,* quod tamen vult nominetus differre a vita aeterna. Idem constat b) quia Innocentius sic arguit a fortiori: Si, vobis fatentibus, non participant parvuli sine baptismo vita functi regnum caelorum, a fortiori non participant vitam aeternam, siquidem ad hanc necessaria est manducatio corporis Christi, saltem spiritualis et aptitudinalis, quae non datur

(1) INNOC. I. Vid. ep. inter *epistolas* S. AUGUSTINI *Epist.* CLXXXII, al. XCIII, n. 5.
(2) AUG. *Cont. Julian.* l. I, c. IV. *De pecc. mer. et remiss.* l. I, c. XX. Cf. *Epist.* CLXXXVI, al. CVI, *ad Paulinum,* c. VIII. *Ad Bonif. contra duas epist. Pelagianorum,* l. II, c. IV.

nisi per baptismum. — Eamdem esse mentem s. Augustini clare patere existimamus ex his quae scribit sanctus doctor in eodem opere de peccatorum meritis et remissione (1) et ex his quae scribit ejus discipulus Fulgentius (2).

Ad difficultates contra 3^m partem : Cum Apostolus ait in I Cor. II, 28 : « Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat » ; praeceptum probationem spectat, non sumptionem utriusque speciei. Re quidem vera Apostolus, immediate ante verba modo citata, disjunctive dixerat : « Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini » ; inde versu sequenti hunc sensum exprimit : probet seipsum homo, et nonnisi bene probatus consecratum panem manducet, aut calicem bibat.

(1) AUGUST. « Ac per hoc si ambigui aliquid habent verba apostolica, quibus dicit : « Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit » (Rom. V, 12), possuntque in aliam duci transferrique sententiam : numquid et illud ambiguum est, « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei » (Joh. III, 5)? Numquid et illud : « Vocabis nomen ejus Jesum ; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum » (Matth. I, 21)? Numquid etiam illud : « Quia non est opus sanis medicus, sed aegrotantibus » ib. IX, 12) : hoc est, quia non est necessarius Jesus eis, qui non habent peccatum, sed eis qui salvandi sunt a peccato! Numquid etiam illud, quia *nisi manducaverint homines carnem ejus,* hoc, est, participes facti fuerint corporis ejus *non habebunt vitam* (Joan. VI, 51)? His atque hujusmodi aliis, quae nunc praetereo, testimoniis divina luce clarissimis, divina auctoritate certissimis, nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam aeternam posse habere praeter Christi corpus, cui ut incorporentur, sacramento baptismatis imbuuntur? Nonne veritas sine ulla dubitatione testatur, eos non ob aliud ad Jesum, hoc est, ad salvatorem et ad medicum Christum piis gestantium manibus ferri, nisi ut per medicinam sacramentorum ejus possint a peccati peste sanari. » *De pecc. mer. et remiss.* l. III, c. IV, n. 8.

(2) FULGENT. « Nullus autem debet moveri fidelium in illis, qui etsi legitime sana mente baptizantur, praeveniente velocius morte, carnem Domini manducare et sanguinem bibere non sinuntur ; propter illam videlicet sententiam salvatoris qua dixit : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis » (Joan. VI, 54). Quod quisquis non solum secundum veritatis mysteria, sed secundum mysterii veritatem considerare poterit, in ipso lavacro sanctae regenerationis hoc fieri providebit. Quid enim agitur sacramento sancti baptismatis, nisi ut credentes membra Domini nostri Jesu Christi fiant, et ad compagem corporis ejus ecclesiastica unitate pertineant? Ipsis enim dicit beatus Apostolus : « Vos estis corpus Christi, membra de membro. » (I Cor. XII, 27)... Quocirca quoniam *unus panis* et *unum corpus,* tunc incipit unusquisque particeps esse illius unius panis, quando coeperit membrum esse illius unius corporis, quod in singulis membris, quando in baptismo capiti Christo subjungitur, tunc jam Deo viva hostia veraciter immolatur. » Epistolam suam Fulgentius sic concludit : « Nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficiter nec alienari ab illo panis calicisve consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, et calicem bibat, de hoc seculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. » *Epist. XII ad Ferrandum,* XI, 24.

§ 3. De communione frequenti (1).

196. — Communio frequens intelligitur ea quae fit aut singulis hebdomadis, aut pluries in hebdomada, aut singulis diebus. — Inquiritur a) utrum melius sit et perfectius frequenter communicare quam raro ; b) quaenam dispositiones exigantur ad frequentem communionem.

Seculo XVII edidit Arnauld librum « de la fréquente communion », quo frequentem communionem vehementer impugnat. Petavius hunc librum docte refutavit in opere « de la pénitence publique et de la préparation à la communion ». — In odium sententiae Arnaldii propugnaverunt sententiam extreme oppositam V. de Marzilla O. S. B. et M. de Valderas, aientes omnibus fidelibus, in statu gratiae versantibus, utilem ac fructuosam esse communionem frequentem, immo quotidianam. Eidem adhaesisse sententiae Gerson, Salmeron, Molinam, asserunt Analecta juris pontificii, sed immerito.

THESIS XXVI[a]. — Communio frequens, in se inspecta, est perfectior et laudabilior quam communio rara. Ad communionem frequentem exiguntur, non quidem ex necessitate praecepti, sed ex summa convenientia, perfectiores dispositiones quam ad communionem raram. Attamen non requiritur sanctitas eximia.

197. — **Prima pars.** Communio frequens, in se inspecta, est perfectior et laudabilior quam communio rara.

Prob. Arg. I[m]. *Ex fine et effectibus Eucharistiae.* 1. Sacramentum Eucharistiae, ex fine suo, unit animam Deo ; confert per se augmentum gratiae ; delet per accidens lethalia ; remittit venialia ; temperat concupiscentiam ; est titulus ad gratias actuales quibus virtutes exerceantur, tentationes superentur, peccata vitentur. Varia ista dona conferuntur ex opere operato, adeoque eo frequentius quo frequentior est usus Euchariastiae ; eadem dona sunt capacia augmenti, iisque perpetuo indiget homo. Ergo melior est usus frequens Eucharistiae quam usus rarus.

2. Eucharistia est instituta *per modum convivii :* « Caro mea vere est

(1) Cfr. S. Thom. III, q. LXXX, a. 10 ; in 4 d. 12, q. III, a. 1 et in I Cor. XI, l. VII. — Salmeron, t. IX, tract. XLI et XLII. — Lugo, d. XVII. — P. Montrouzier : *Revue des Sciences ecclésiastiques*, t. XV et XVIII. — Dalgairns : *La sainte communion*, t. II. — De Ségur : *Le chrétien vivant en Jésus. La très sainte communion.*

cibus et sanguis meus vere est potus. » Quemadmodum corpus non roboratur viribus nec conservat vitam, nisi frequenter sumat cibum corporalem, ita anima nonnisi aegre conservat statum gratiae nec roboratur incremento virtutum, nisi frequenter sumat cibum eucharisticum. — « Estque prudenter annotandum, ait P. Salmeron (op. cit.), Eucharistiam dici cibum, non quemlibet fructum singularem, qui certo anni tempore venire solet, non pharmacum aliquod aut medicamentum vel quid simile quod raro sumi solet, sed *communem cibum* et familiarem, nempe panem et vinum, quae sunt usitata et familiaria, ut nos erudiat usitatam et familiarem nobis esse debere sacram Eucharistiam. »

Arg. II^{m}. Petitur *ex actibus virtutum ad quos excitat sumptio Eucharistiae :* « Qui crebius communicat, habet veluti necessariam occasionem vitam Christi meditandi, passionem caritatemque ejus erga nos ineffabilem ruminandi. Ex his porro sanctis meditationibus saepius inculcatis ac repetitis, magis potest anima proficere et ampliores progressus in via Dei facere, quam si raro communicaret. Habet praeterea ansam frequentius conscientiam excutiendi, peccataque sua deflendi, confitendique cum humilitate... » ([1]).

Arg. III^{m}. Petitur *ex causa impellente* ad frequentem communionem : « Ille perfectior ac laudabilior est habitus qui a nobiliori et perfectiori virtute proficiscitur. *Caritas* autem ad frequentiam communicandi impellens praestantior est *timore* qui abstinentiam suadet. Accedens item ad mensam Christi plures et nobiliores virtutes exercet, ut amorem erga tantum largitorem, confidentiam divinae bonitatis, reverentiam ad tale sacramentum, humilitatem qua se tanto medicamento indigere ipso facto profitetur » ([2]).

Si ais : Ob reverentiam erga Eucharistiam est abstinendum a frequenti hujus usu. — Respondet Salmeron : « Qui a sacramenti sumptione se abstinent, illud spectare videntur ut religiosius ac reverentius deinceps possint accedere et majori cum fructu communicare. Sed major devotio ac reverentia comparatur saepe accedendo quam abstinendo... Etsi aliquando accidat rarius accedentem devotius et reverentius communicare, oppositum tamen saepe accidere consuevit ut frigidius ac minus devote tales accedant. »

Arg. IV^{m}. *Ex praxi Ecclesiae.* Ex historia ecclesiastica constat fideles

([1]) Cf. SALMERON, op. cit. p. 351. — ([2]) Cf. ib.

per varia secula ad sacram synaxim accessisse, quoties sacrificio missae adessent; constat eosdem per aliquod tempus Eucharistiam domi asservasse, ne eadem privarentur (1). Haec praxis constat *testimoniis Patrum.* — Frequentem enim fuisse communionem prioribus seculis testantur Ignatius Martyr, Justinus, Cyprianus, Chrysostomus, Basilius, Augustinus, auctor librorum de sacramentis (2).

Ignatius Martyr. « Festinate ergo frequenter accedere ad Eucharistiam. Quando enim assidue hoc agitur, expelluntur potestates Satanae ».

Justinus. « Solis qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eumdem locum conventus fit ; et commentaria apostolorum, aut scripta prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde, lectore quiescente, praesidens orationem... habet. Sub hac consurgimus communiter omnes et precationes profundimus; et sicuti retulimus, precibus peractis, panis offertur et vinum et aqua... Et distributio communicatioque fit eorum, in quibus gratiae sunt actae, *cuique praesenti,* absentibus autem per diaconos mittitur. »

Chrysostomus. « Quemadmodum qui sibi nullius mali conscius est, hunc oportet singulis diebus accedere, sic qui peccatis occupatus est nec paenitet, eum ne in festis quidem accedere tutum est. Neque enim semel in anno accedere liberat nos a peccatis, si indigne accesserimus; quin hoc ipsum auget potius damnationem, quod cum semel tantum accedamus, ne tum quidem pure accedimus. »

Cyprianus in verba orationis dominicae : « *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie :* « Panem nostrum vocamus, quia Christus noster panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus ne, qui in Christo sumus, et Eucharistiam ad cibum salutis quotidie accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes a caelesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso praedicante : Ego sum panis vitae. »

Basilius. « Singulis etiam diebus communicare ac participem esse sancti corporis et sanguinis Christi bonum est ac perutile... Nos quidem quater singulis hebdomadibus communicamus, dominica die, quarta die, in parasceve et sabbato et aliis diebus, si sancti alicujus memoria recolatur... Omnes in solitudinibus monachi, ubi non est

(1) Cf. Migne, *Curs. theolog.* T. XX, p. 282 sqq. — (2) Ign. Mart. *Epist. ad Ephesios.* — Justinus : *Apol. I ad Antoninum Pium.* — Chrysost. *Or. de b. Philogon.* — Cypr. *Serm. VI de or. dom.* — Auctor. l. *de sacram.* V, IV ; IV, VI. — Basil. M. P. G. XXXII, 183. — Augustinus: *Epist.* LIV *ad Jan.* n. 4. M. XXXIII, 201. — Auctor. l. *de Eccles. discipl.* t. III, c. LIII.

sacerdos, communionem domi servantes, suis ipsorum manibus sumunt. Alexandriae autem et in Aegypto, unusquisque, etiam de plebe, ut plurimum habet domi communionem, et, quando vult, per se ipse fit illius particeps. »

Auctor *ll. de sacram.* « Accipe quotidie quod quotidie tibi prosit; sic vive ut quotidie merearis accipere; qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. » — « Si quotiescumque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo merito semper accipere, quia semper pecco, et quia semper infirmus, debeo semper accipere medicinam. »

Augustinus. « Dixerit aliquis non quotidie accipiendam Eucharistiam : quaesieris quare. Quoniam, inquit, eligendi sunt dies quibus purius homo continentiusque vivit, quo ad tantum sacramentum dignus accedat... Alius contra :... peccata si tanta non sunt ut excommunicandus quisque judicetur, non se debet a quotidiana medicina dominici corporis separare. Rectius inter eos fortasse quispiam dirimit litem, qui monet ut praecipue in Christi pace permaneant. »

Auctor *l. de Eccles. discipl.* « Quotidie Eucharistiae communionem percipere nec laudo nec reprehendo : omnibus tamen diebus dominicis communicandum suadeo et hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit. »

Tridentini denique accedit auctoritas : « Optaret quidem sacrosancta Synodus ut singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret » (1).

198. — **Secunda pars.** De dispositionibus requisitis.

A. *Ex necessitate praecepti sufficit status gratiae.* Etenim nec Apostolus (I Cor. xi) nec Tridentinum nec Patres, quando loquuntur de eo quod requiritur ut non indigne corpus Christi accipiatur, distinguunt inter communionem et communionem, inter sanctitatem et sanctitatem. Ergo nobis non licet aliud requirere ex necessitate praecepti.

B. *Ex convenientia summa exiguntur dispositiones perfectiores.*

Prob. 1. *Ex documentis pontificiis.* Inn. XI in decreto de communione quotidiana die 12 febr. 1679 lato ait : « (Parochus) det operam ut unusquisque digne pro devotionis et praeparationis modo rarius aut crebrius

(1) Trid. sess. xxii, c. vi. Object. vide, sis, Salmeron, t. IX, tract. xlii, p. 356.

Dominici corporis suavitatem degustet.... Itidem Moniales quotidie sacram communionem petentes admonendae erunt ut in diebus ex earum Ordinis instituto praestitutis communicent ; si quae vero puritate mentis eniteant et fervore spiritus ita incaluerint, ut *dignae frequentiori aut quotidiana* sanctissimi sacramenti perceptione videri possint, id illis a superioribus permittatur ». Denz. n. 1086.

2. *Ex auctoritate Scholasticorum :* a) s. Thomas ait : « Quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animae, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere » (1). Alibi : « Si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare; si autem sentiret per quotidianam frequentationem reverentiam minui et fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abstinere, ut cum majori reverentia et devotione postmodum accederet » (2). Hoc loco Aquinas nomine *reverentiae* intelligit devotionem actualem et praeparationem ac fervorem, qui poterit aliquando per accidens minui ob nimiam frequentiam.

b) S. Bonaventura : « Si ergo quaeritur utrum expediat frequentare alicui, dicendum quod si videat se esse in statu Ecclesiae primitivae, laudandum est quotidie communicare ; si autem in statu Ecclesiae finalis, utpote frigidum et tardum, laudandum est quod raro ; si autem medio modo, medio modo se debet habere et aliquando debet cessare, ut addiscat reverti ; aliquando accedere, ut inflammetur amore » (3).

c) Lugo, citatis multis theologis, addit : « Omitto auctores nostrae societatis quae, licet ab ejus ortu in frequentiam hujus sacramenti valde fuerit propensa, semper tamen cautissime communionem quotidianam dari voluit, et nonnisi probatae vitae testimonio praeeunte » (4).

C. *Non exigitur ex convenientia sanctitas eximia.*

Prob. 1. *Ex praxi veteris Ecclesiae.* In primaeva Ecclesia *universi* fideles, a lethalibus exempti, ad quotidianam communionem recipiebantur. Atqui non erant omnes sanctitatis eximiae, uti constat tum a priori ex notitia naturae humanae, tum a posteriori ex documentis ecclesiasticis.

2. *Ex doctrina Patrum.* Hortantur sane fideles *ut magna cum praepa-*

(1) S. Th. III, LXXX, 10. — (2) Id. in 4 d. 12, q. III, a. 1, sol. II. — (3) Bonav. in 4 d. 12, p. II, q. 2. — (4) Lug. *De sacram. Euch.* d. XVII, s. 2. — Cfr. Suarez. d. LXIX, s. 4. — Valentia, d. VI, q. VIII, p. 4, et alios bene multos a Lugone citatos.

ratione ad Eucharistiam accedant, ita tamen ut *communi sanctitate* contenti sint pro frequenti receptione communionis (1).

3. *Ex natura rei.* Eucharistiae sacramentum non est institutum ut sit *merces virtutis* sed *medium ad virtutem* acquirendam, ad peccata mortalia praecavenda, venialia delenda ; nec recipitur ut sancti Christum sanctificemus, sed ut sanctificemur. Ergo modo quis panem Angelorum ad hos fines recipere velit, scilicet ut arctius adhaereat Deo, ut in via virtutis progressum faciat, ut animam suam reficiat ac roboret, exclusis vanitate et humano respectu et pura consuetudine, per se censendus est idoneus ad Eucharistiae frequenter participandam, quamvis ceteroquin adhuc imperfectus sit (2).

199. — Scholion. Sequentes regulae circa communionem frequentem statui solent. 1. Si sermo sit de communione *hebdomadaria,* consulenda et permittenda est iis etiam qui peccata lethalia interdum admittunt, dummodo sincerum concipiant dolorem de peccatis praeteritis et firmum propositum eadem cum auxilio gratiae vitandi et Eucharistiam accipere concupiscant ut majores habeant vires ad debellandas passiones perversas. — 2. Si sermo sit de communione *pluries in hebdomada* repetita, consulenda et permittenda est iis etiam qui ob fragilitatem non raro admittunt deliberate peccata venialia, dummodo non conquiescant in voluntate abstinendi a solis peccatis lethalibus, sed adhuc firmum nutriant propositum abstinendi a venialibus deliberatis, adeoque serium concipiant animum perfectius Deo serviendi. — 3. Si sermo sit de communione *quotidiana*, concedenda est iis etiam qui subinde ex fragilitate venialia peccata committunt deliberate, dummodo careant affectu deliberato in eisdem peccatis, mox de peccatis admissis sincere doleant, perfectiora sectentur, et Eucharistiam sumere concupiscant ut passiones vincant et perfecte virtutes christianas excolant.

---

(1) Cfr. testimonia supra relata, v. g. Aug. *ep.* liv *ad Jan.* ; *auct.* ll. *de sacr.* l. IV, c. vi.

(2) Juvat citare haec verba D. de Segur : « La Sainte Communion, bien faite, fréquente, surtout quotidienne, c'est le préservatif suave et tout puissant de l'esprit de foi, de la bonne prière, du recueillement intérieur, du détachement chrétien, de la sainte chasteté, de l'humilité, de la douceur, de la patience ; c'est le foyer du zèle, de la ferveur, de l'amour de la Sainte Vierge, du dévouement au pape et à l'Eglise, de la charité envers les pauvres ; c'est la joie de la pénitence et du sacrifice ; c'est le secret de la paix du cœur, en un mot c'est la vie et le soutien du christianisme tout entier. » *Le chrétien vivant en Jésus,* ch. viii.

TERTIA PARS.

DE SACRIFICIO MISSAE.

---

200. — Tertia pars distribuetur in quatuor capita : Caput I^{m} ex revelatione probabit in Eucharistiae mysterio offerri verum sacrificium. — Caput II^{m} inquiret in quanam parte Missae essentia sacrificii verificetur : et quanam ratione verificetur in hac parte. — Caput III^{m} aget de ministro sacrificii. — Caput IV^{m} de finibus sacrificii, in quo capite agendum erit : a) de iis pro quibus offertur sacrificium ; b) de effectu et de valore sacrificii.

CAPUT I.

De institutione sacrificii Missae.

Suar. d. lxxiii, lxxiv. — Lugo. d. xviii, s. 1 et 2 ; — Bell. l. V, (l. I *de sacrificio*). Vasq. d. ccxx, ccxxi.

Antequam ostendatur mysterium Eucharistiae esse sacrificium propriissime acceptum, indaganda est definitio sacrificii in genere inspecti. Quare praesens caput duobus articulis absolvetur.

ARTICULUS I.

De sacrificio in communi.

Suar. d. lxxiii ; — Lugo d. xviii, s. 1; — Bell. l. c. cap. ii, iii, iv; — Vasq. d. ccxx.

§ 1. Exponuntur variae definitiones tradi solitae.

Sacrificium sumitur sensu proprio et sensu metaphorico. Metaphorice dicuntur sacrificia ea quibus non inest quidem forma sacrificii

veri, sed quae cum vero sacrificio habent aliquam similitudinem ratione cujus vocantur eodem nomine. Ex dicendis patebit immolationem cordis, victoriam de passionibus etc. metaphorice vocari sacrificia. — Patet heic agi de sacrificio proprie dicto.

Quaerere notionem sacrificii perinde est ac quaerere quaenam notae insint omnibus et solis rebus et actionibus quae, usu communi linguarum, ab auctoribus sacris et profanis sacrificia proprie dicuntur, sive hae notae constituant essentiam, sive sint proprietates ad essentiam consequentes.

201. — **Definitiones haereticorum.** 1. Philippus Melanchton ita definit sacrificium : « Est *caerimonia vel opus quod nos Deo reddimus, ut cum honore afficiamus.* » Duplex est illud opus : a) *satisfactiorium,* quo homo satisfacit pro peccatis et Deus placatur; b) *eucharisticum*, quod quidem nos non reconciliat Deo, sed quo a reconciliatis grates persolvuntur pro beneficiis acceptis. Inter haec sacrificia recensentur fides, praedicatio evangelii, oratio, castigatio carnis, sumptio Eucharistiae, omne opus quo laus Deo praestatur ([1]).

2. Calvinus, postquam definitionem a Philippo propositam reprehendit his verbis : « Qui sacrificii vocabulum ad omnes caerimonias et religiosas actiones extendunt, qua ratione id faciant, non video », ipse attulit definitionem haud meliorem. Asserit nempe sacrificium idem esse ac *oblationem Deo factam :* « Nos, ait, perpetuo Scripturae usu, sacrificium appellari scimus, quod graeci nunc θυσίαν, nunc προσφοράν, nunc τελετήν dicunt, quod generaliter acceptum complectitur *quidquid omnino Deo offertur* » ([2]). Dividit sacrificium, uti et Philippus, addens εὐχαριστικόν etiam vocari λατρευτικόν et σεβαστικόν h. e. sacrificium cultus et venerationis.

3. Kemnitius definit sacrificium : « *omne opus bonum quod agitur, ut sancta societate inhaereamus Deo* », quae verba sunt Augustini ([3]). Distinguit Kemnitius quatuor genera rerum aut operum quae in Scriptura vocantur sacrificia : a) Holocausta, hostiae pacificae, hostiae pro peccato, sacrificium professionis, uti decimae et primitiae. His autem continetur sacrificium externum et caerimoniale V. L. — b) Mors Christi, quae dicitur sacrificium crucis. — c) Actiones interiores, invisibiles, spirituales fidelium. Ad haec sacrificia reducuntur praedicatio evangelii, oratio, eleemosyna, laus Dei, mortificatio, aliaque id genus opera. —

([1]) Melanchton, *Apol. Confess. August.* art. de Missa. — ([2]) Calv. *Instit.* l. IV, c. xviii, § 13. — ([3]) Aug. *De civ. Dei*, X, v, vi. M. XLI, 282 sq.

d) Id quod fit in memoriam sacrificii crucis, vocatur sacrificium commemorativum. Addit sacrificium hoc sensu non occurrere in Scripturis [1].

202. — Definitiones catholicorum. A. Juxta catholicos sacrificium dicitur tum *de re* quae offertur, tum de *actione*. Haec autem actio imperatur virtute religionis, non autem proprie elicitur hac virtute, cum sit externa. — Porro virtus religionis inclinat ad praestandum Deo debitum cultum, honorem nempe et reverentiam tum internam tum externam, ob summam excellentiam et supremum dominium. Inclinat ergo ad eliciendos actus internos quibus increata Dei bonitas laude afficitur et quibus propria subjectio et dependentia agnoscitur ; insuper inclinat ut exterius manifestentur hi interni affectus mentis et voluntatis. — Quare sacrificium, uti est actio, agnoscit Dei excellentiam dominiumque, et hominis a Deo dependentiam. Verum his non continetur tota sacrificii definitio. Dantur enim alii actus virtutis religionis, sc. adoratio, oratio, a quibus sacrificium distinguatur oportet sua differentia specifica. Jam aliquatenus distinguitur ab iis quatenus adoratio et oratio quidem formaliter sumptae sunt internae, sacrificium vero proprie acceptum est actio externa ; verum datur alia eaque profundior differentia, vi cujus praecipuus actus religiosus est sacrificium, ita quidem ut hic actus in solius Dei honorem efficiatur : ceteri enim actus, ut oratio, gratiarum actio, veneratio et adoratio etiam fiunt in honorem creaturarum, ut significetur eorum excellentia et aliqualis nostra ab iis dependentia. — Hanc differentiam assignare debet definitio sacrificii.

B. Porro de sacrificio proprie dicto variae conditae sunt definitiones :

1. Bellarmínus haec habet : « Sacrificium est oblatio externa facta soli Deo, qua ad agnitionem humanae infirmitatis et professionem divinae Majestatis a legitimo ministro res aliqua sensibilis et permanens ritu mystico consecratur et transmutatur » [2].

2. Suarezii judicio, sacrificium est « externa et sensibilis actio qua res aliqua ita Deo offertur, ut legitimo ac solemni ritu in Dei honorem et cultum aliquo modo immutetur a publico et legitimo ministro » [3].

3. Vasquezii judicio, ex parte formae, hoc est ex parte significationis, « sacrificium est nota exsistens in re qua profitemur Deum auctorem

(1) Kemnit. *Exam. Conc. Trid.* II pars, disp. *de sacrif. Missae*, initio. — (2) Bellarm. l. c. cap. II. — (3) Suar. l. c. s. I.

vitae et mortis ». Per notam autem intelligit Vasquez signum quod est in rebus, exclusa nota quae est in verbis. — Ex parte materiae Vasquez definit sacrificium sic : « Sacrificium est res quae per sui immutationem Deo offertur » ; seu « mutatio rei quae Deo offertur ». Prior definitio ex parte materiae est sacrificii pro re oblata, posterior vero pro ipsa actione sacrificandi. — Definitio ex parte formae convenit tam rei oblatae quam actioni ; utraque enim suo modo idem significatur, una quidem in fieri, altera in facto esse. Sic Vasquez [1].

4. Alii sic : « Sacrificium est oblatio facta Deo per immutationem alicujus rei in signum legitime institutum divinae excellentiae et reverentiae. » Vel adhuc : « Externus actus religionis continens supremum cultum latriae soli Deo debitum. »

E quibus catholicorum definitionibus colligere est ex communi sententia haec quatuor esse de ratione sacrificii generice considerati :

1. Requiritur rei sensibilis et substantialis adeoque permanentis immutatio qua usui communi subtrahitur. Qualis immutatio exigatur, disputatur inter theologos. Sunt qui existimant sufficere *moralem* immutationem rei offerendae per quamdam *consecrationem :* sic censent Arriaga et Viva, et Suarez ut probabile habet [3]. Alii solam immutationem *perfectivam,* seu *consummativam, transformativam in melius* ad essentiam sacrificii pertinere dicunt : sic Scheeben, Schanz, aliique recentiores [4]. Communiter tenent theologi de ratione sacrificii esse *destructionem* rei oblatae, eamque formalem aut aequivalentem : sic inter alios Bellarminus, Vasquez, Lugo [5]. Haec res dicitur *sacrificata, sacrificaliter oblata.* — Ea tantum res in sacrificium offerebatur, quae vitae alendae inservicbat, puta animalia, fructus terrae, panis, vinum.

2. Requiritur rei destructae oblatio soli Deo facta. Destructio et oblatio dicuntur *sacrificatio.*

3. Oblatio rei destructae fit a legitimo ministro, h. e. a ministro qui auctoritate publica est institutus. Non requiritur ut destructio physice ab eo procedat ; sed sufficit ut moraliter procedat ab eo, seu ut fiat, eo jubente, annuente etc., et in ordine ad oblationem.

4. Hac destructione et oblatione significatur hominem agnoscere summam Dei excellentiam supremumque Dei dominium supra omnia

(1) Vasq. l. c. cap. III, n. 26. — (2) Cf. s. Th. IIa IIae, q. LXXXV, a. 3, ad 3m et q. LXXXVI, a. 1. — (3) Suarez, d. LXXIII, s. 5, n. 5 ; d. LXXV, s. 5, n. 7. — Arriaga, *De Euch.* d. IL. — Viva, *De Euch.* d. V, q. 1, a. 2. — (4) Scheeben, *Handb. der Kath. Dogmatik,* III, 400. — Schanz, *Die Lehre von den heiligen Sacramenten,* p. 478. — (5) Bellarm. *De Sacrif.* l. I, c. 11. — Vasquez, d. CCXX, c. 11, n. 12. — Lugo, d. XIX, s. 1, n. 7.

creata, totalemque hominis a Deo dependentiam, vi quorum dignus est Deus in cujus honorem vita humana immoletur ; quare significatur hominem esse paratum ad seipsum immolandum, si hoc a Deo peteretur. Propter hunc finem offerebantur res ad vitam humanam sustinendam spectantes. Sunt enim prae ceteris aptae ad significandum supremum Dei in vitam humanam dominium.

Porro ex his perspicuum fit quomodo sacrificium differat a ceteris actibus cultus divini. Oratio enim externa et adoratio per se non significant nisi agnitionem Dei excellentiae et dominii, et ideo fieri etiam possunt in honore sanctorum, ratione eorum excellentiae et aliqualis dominii supra homines, quippe quos protegunt et defendunt ; sacrificium vero per se efficacissime significat agnitionem excellentiae infinitae Dei supremique dominii supra omnes res creatas ; efficacissime etiam significat hominem agnoscere Deum esse dignissimum in cujus honore immoletur vita humana.

C. Nonnulla ex praejectis postulant uberiorem expositionem :

1. *De partibus physicis sacrificii.* Sacrificium constat duplici parte realiter distincta, quarum una habet rationem materiae, altera rationem formae. — Materia remota sacrificii est res sensibilis ; materia proxima sacrificii, uti est res, continetur *re sensibili et substantiali prout destruitur ;* materia proxima sacrificii, ut est actio, continetur *actione destructiva.* Forma vero sacrificii reponitur in rei destructae *oblatione.* Res enim destructa et actio destructiva sunt indifferentes ad rationem sacrificii ; oblatio tollit indifferentiam, actuatque potentialitatem materiae. — Inde definitur sacrificium *secundum partes physicas* : « Realis aut aequivalens rei sensibilis destructio, ac rei destructae oblatio Deo a legitimo ministro facta ad profitendum eam esse excellentiam Dei, primi principii, absoluti domini, et ultimi finis, ut dignus sit in cujus honorem vita humana immoletur ».

Addere juvat a nonnullis distingui triplicem actionem : a) *consecrativam* Deo ; b) *immutativam ;* c) *oblativam* Deo. Hae actiones possunt realiter distingui, et tunc non oportet ut actio immutativa procedat a sacerdote. — Attamen realis distinctio non exigitur, sed sufficit distinctio rationis. Ut enim notat Suarezius, « immutatio rei oblatae, quatenus fit ex institutione divina et ad divinam excellentiam significandam, consecratio dicitur, quia ut sic est quid sacrum, unde per eam sacratur seu sacra efficitur res illa quae sic immutatur. Ac denique haec eadem sacra immutatio, quatenus in Dei cultum et honorem fit, est *ipsamet oblatio sacrificativa,* quia per eam res oblata humanis

usibus inepta redditur, Deoque dicatur et in illius cultum transfertur ».

2. *De partibus metaphysicis sacrificii.* Ex praejactis cernere est actionem sacrificandi esse signum, ei nempe annexam esse significationem *theologicam* et *moralem*. Annexa est significatio a) *theologica :* Significatur enim Deum esse excellentissimum, causam, finem ultimum et supremum dominum omnium rerum, speciatim vero hominum, ita quidem ut dignus sit in cujus honorem vita humana immoletur. Haec significatio dicitur *theologica* quia significat divina. — Annexa est significatio b) *moralis :* Significatur hominem interius agnoscere praefata. Haec significatio dicitur *moralis,* quia significatur actus moralis per se pertinens ad bonos mores hominum. Inde sacrificium generice inspectum, secundum *partes metaphysicas*, est signum sensibile constans ex re destructa et oblatione ejus, cui annectitur significatio supra descripta. Materia sacrificii sic definiti est signum materialiter sumptum, seu ritus sacrificalis totus ; forma est significatio.

Praefata significatio theologica et moralis est essentialis sacrificio, adeoque in omni statu naturae annectitur sacrificio. Semper enim vera sunt ea quae significantur. Huic autem sacrificii generice sumpti significationi annectitur in diversis statibus naturae varia alia significatio :

a) In statu naturae lapsae homo ob peccatum reus est mortis. Per sacrificium poterat et debebat homo agnoscere hoc debitum mortis in poenam peccati subeundae. Igitur nova significatio theologica et moralis est annexa sacrificio.

b) In V. L. vetuit Deus ne offerrentur alia sacrificia atque ea quae ipse per Moysem instituit. Ipse enim Deus statuit quarumnam rerum destructioni et oblationi formaliter inesse deberet et possit significatio de qua supra. — Noluit fieri sacrificia humana ; verum statuit ut homines sibi substituerent alias victimas. Quare sacrificia V. L. erant signa *suppositiva.* Insuper eis inerat significatio *mystica,* quatenus praefigurabant sacrificium crucis. Vocatur mystica quia res significata est mysterium seu res magis recondita et supernaturalis.

c) In ara crucis, Christus Jesus, factus obediens usque ad mortem, in se tulit peccata omnium hominum et poenas luit hominibus ob peccata luendas. — Mortem suam Patri offerendo ut repararet injuriam Deo per peccata irrogatam, agnovit excellentiam divinam, supremum Dei dominium et debitum generis humani mortis sustinendae. Mors Christi habet igitur rationem sacrificii propriissime dicti.

d) In Nova Lege abolita sunt sacrificia Veteris Legis ; itaque si

Deus aliud sacrificium non instituisset, jam nullum foret sacrificium in nova oeconomia. Verum in mysterio Eucharistiae deprehenditur sacrificium relativum et incruentum : *sacrificium,* adeoque oblatio Deo facta rei aequivalenter destructae ; *relativum,* quo nempe fit commemoratio sacrificii crucis ; *incruentum,* quo non fit realis effusio cruoris, sed mystica et aequivalens. — Itaque quemadmodum sacrificia V. L. respiciebant sacrificium crucis tamquam ejus figurae et typi ; sic sacrificia N. L. illud respiciunt tamquam ejus commemoratio, ejusque repetitio incruenta. — Haec venient demonstranda suo loco.

3. *De ministro.* Sacrificium posset distingui ratione offerentis in privatum et in publicum : *privatum* diceretur illud quod homo nomine suo offerret Deo ; *publicum* vero id quod vi legis religiosae offertur Deo, nomine totius populi, ab eo qui auctoritatem in hunc finem accepit. — Nonnisi sacrificium *publicum* Deo acceptum, vocatur propriissime sacrificium (1). — Minister potest sacrificium peragere duobus modis : a) Destruendo victimam eamque Deo offerendo. Tunc autem non exigitur ut oblatio fiat actione distincta a destructione, uti supra est notatum. — b) Victimam aut rem destructam offerendo. — Itaque ut minister dicatur sacrificare necesse non est ut sacerdos ipse victimam physice occidat aut rem destruat ; sed sufficit ut immolationis sit causa moralis, quatenus facta est eo jubente, et *physice victimam* offerat Deo. Haec enim oblatio a ministro facta ex se sufficit ut minister dicatur *auctor sacrificii.* Oblatio enim est forma physica sacrificii, estque elementum praecipuum formae logicae : significatio enim, quae est forma signi, annectitur rei destructioni et oblationi ; sed oblatio distinctius significat quam destructio. Jamvero qui formam tribuit rei, dicitur recte ejus auctor.

Minister sacrificii nomine proprio vocatur *sacerdos.* Sacerdos, a *sacra dare* derivatus, dicitur, vi vocis, ille qui est mediator Deum inter et hominem ; sive enucleatius, ille qui a) legem explicat populo ; b) nomine populi Deum colit et adorat ; c) satisfacit pro peccatis. Cum satisfactio et adoratio potissimum fiant per sacrificium, inde sacerdos definitur realiter per praecipuum suum munus, quod est sacrificare. Sacerdos itaque ille est qui insignitur potestate publica offerendi Deo sacrificia. Ceterae sacerdotis functiones sacrae ad sacrificium referuntur (2).

(1) Cf. Schol. 4m ad thesim XXVIII.

(2) Ad rem Aquinas : « Proprie officium sacerdotis est esse mediatorem inter Deum et

203. — **Divisio sacrificiorum.** Sacrificium proprie dictum quadrupliciter dividi potest, ratione quatuor causarum.

A. *Ratione causae instituentis,* dividitur in sacrificium triplicis legis : 1. Sacrificium *legis naturae* a) determinatum fuit institutione hominum, excepto fortassis uno alterove sacrificio, puta sacrificio Melchisedech. b) Deinde per se, ex opere operato, nullam efficaciam habebat ; non conferebat effectum nisi ex opere operantis, nempe ex fide et devotione sacrificium petentium et offerentium. c) Passionem Christi non significabat nisi modo obscuro. — 2. Sacrificium *legis scriptae :* a) ab ipso Deo fuit immediate institutum ; quae divina institutio est promulgata per Moysen. b) Ex opere operato nullam gratiam conferebat, haud secus ac vetera sacramenta. c) Fuit distinctius ac clarius quam sacrificia legis naturae, umbra et figura passionis Christi futurae. — 3. Sacrificium *legis gratiae :* a) a Christo est institutum ; b) ex opere operato producit effectus proprios ; c) non tantum est figura et umbra passionis, sed cum in eo Christus contineatur et Patri offeratur, cumque insuper ipsemet Christus sit principalis offerens, est quadamtenus veritas sacrificii crucis.

B. *Ratione materiae remotae,* sacrificium est triplex : *Primum* mactat et offert Deo *animalia* (vitulos, columbas, agnos). Gentes, cum bellum aggrederentur, animalia offerebant ; ideo haec dicebantur *hostiae ;* eadem vocabantur *victimae* vel quia offerebantur ut victoria impetraretur, vel in gratiarum actionem de victoria reportata. — *Secundum* offert Deo *fructus* terrae. Vocabatur *immolatio*, a mola, uti multis visum est. — *Tertium* offert liquores. Vocatur *libamen.* — Paulatim promiscue usurpata sunt varia haec nomina.

C. *Ratione materiae proximae et formae,* sacrificium dupliciter dividi potest :

1. In V. L. a) *Holocaustum.* In eo tota res oblata igne consumebatur. — b) *Hostia pro peccato.* Post interfectionem, animal partim igne consumebatur, partim reservabatur in usum sacerdotum qui illud in atrio vel in templo comedebant. — c) *Hostia pacifica.* Animal partim igne, partim usu sacerdotum, partim usu offerentium, consumebatur.

---

populum : in quantum scilicet divina populo tradit (unde dicitur sacerdos, quasi sacra dans), secundum illud Malach. II, 7 : « Legem requirent ex ore ejus » scilicet sacerdotis ; et iterum in quantum preces populi Deo offert, et pro eorum peccatis aliqualiter satisfacit : unde Apostolus dicit ad Hebr. V, 1 : « Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. » III, q. XXII, a. 1.

2. Generatim sacrificium dividitur in *cruentum* et in *incruentum*, prouti sacrificium fiebat sine sanguinis effusione, aut cum effusione. In lege naturae, Melchisedech obtulit sacrificium incruentum, cruentum vero erat in magno usu. — In lege scripta utrumque reperitur. — In lege gratiae, cruentum fuit sacrificium crucis, incruentum est sacrificium altaris.

D. *Ratione finis* operantis, multiplex est sacrificium. Omne sacrificium habet finem aliquem communem, qui est de ejus essentia : Insuper potest ab operante totus ritus, interna et externa agnitio Dei excellentiae et dominii, offerri in alium finem. — In V. L. deprehenditur quadruplex sacrificium ratione horum finium. 1. *Holocaustum* desinit in finem essentialem et communem omni sacrificio. Ideo tota res cremabatur. Sacrificium dicitur *latreuticum* tantum. — 2. *Hostia pro peccato* offertur in remissionem peccatorum, h. e. vel ad satisfaciendum pro poena ex opere operantis, vel ad impetrandam a Deo contritionem qua remitteretur reatus culpae, vel ad obtinendam justitiam legalem. Pro aliis generibus peccatorum, alia hostia offerebatur. Illud sacrificium dicebatur *satisfactorium*. — 3. Hostia *pacifica* offerebatur *ad gratias agendas* Deo de donis collatis. Ideo vocabatur sacrificum *laudis* aut *gratiarum actionis*, aut *eucharisticum*. — 4. Hostia *pacifica* offerebatur etiam Deo ut *impetrarentur beneficia*. Quare vocatur sacrificium *impetratorium*.

Porro jam ostendenda est bonitas definitionis sacrificii generice sumpti, sive ostendendum est reapse id vocabulum, quoties sumitur sensu proprio, habere significationem modo expositam. Id autem fiet duplici thesi, quarum prima falsitatis arguet notionem haereticorum et quarum altera argumentis muniet notionem catholicorum.

§ 2. Falsitatis arguuntur definitiones Protestantium.

THESIS XXVII. — Usu auctorum sacrorum et profanorum sacrificium, proprie sensu acceptum, non est omne opus, sive internum sive externum, quo Deo honor praestatur aut ei inhaeremus, uti volunt Melanchton et Kemnitius: neque est omnis oblatio Deo facta, uti vult Calvinus.

204. — Prima pars. Sacrificium non est omne opus in Dei gloriam effectum.

Prob. Arg. I^m. *Petitur ex modo loquendi Scripturae*. Eo quod omne opus bonum esset sacrificium proprie dictum, sequeretur opera paenitentiae,

misericordiae, obedientiae esse sacrificia proprie dicta. Atqui hoc adversatur Scripturae. Ergo.

Prob. min. dupliciter : 1. Misericordia, contritio, humilitas, obedientia a Deo opponuntur sacrificio simpliciter accepto. » Misericordiam volui et non sacrificium et scientiam Dei plus quam holocausta » (Os. VI, 6). « Si voluisses sacrificium (proprie dictum), dedissem utique, holocaustis (proprie dictis) non delectaberis. Sacrificium (improprie dictum) Deo spiritus contribulatus ; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies » (Ps. L, 18, 19). « Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini ? Melior est enim obedientia quam victimae et auscultare magis quam offerre adipem arietum » (I Reg. XV, 22).

2. Haec opera a Scripturis interdum vocantur sacrificia, non simpliciter, sed cum addito restringente. Vocantur sacrificium *laudis,* hostiae *spirituales*, vituli *labiorum* etc. Sic oratio vocatur sacrificium laudis in Ps. XXXXIX, 14 : « Immola Deo sacrificium laudis » ; ib. 23 : « Sacrificium laudis honorificabit me » ; in Ps. CVI, 22 : « Et sacrificent sacrificium laudis » ; in Ps. CXV, 17 : « Tibi sacrificabo hostiam laudis et nomen Domini invocabo » ; ad Hebr. XIII, 15 : « Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus ». Inde patet sacrificium analogice sumi ubi hoc nomine, etiam sine addito, vocantur opera misericordiae aut oratio : sic in Eccli. XXXV, 4 : « Qui facit misericordiam, offert sacrificium » ; Ps. CXL, 2 : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo ; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum ». Cf. Is. I, 11 sq. ; Jer. VII, 21 sq.; Os. XIV, 3 ; Sap. III, 6; Rom. XII, 1; ib. XV, 16 ; Phil. II, 17 ; Hebr. XIII, 16.

Arg. II^{m}. Sacrificium proprie dictum est actus virtutis religionis. Id enim constat auctoritate scholasticorum qui omnes sacrificia ad religionem referunt, perpetua traditione Patrum et sensu communi. — Ergo omne opus bonum non est proprie sacrificium. — *Ad cons.* Virtus religionis inclinat ad laudandum Deum ex motivo excellentiae ejus et supremi dominii supra omnes res creatas. — Haec virtus potest inspirare varios actus aliarum virtutum, puta temperantiae, misericordiae, qui ideo, non quidem proprio sed latiori sensu, dicuntur actus religionis.

Arg. III^{m}. Sequeretur genuflexiones, cantus, et id genus opera, esse sacrificia proprie dicta. Sed hoc esse falsum constat. Ergo.

205. — Secunda pars. SACRIFICIUM NON EST QUAELIBET OBLATIO DEO FACTA. — Ex dicendis perspicuum erit sacrificium esse oblationem ;

sed haec non convertuntur ; sacrificium est species generis oblationis.

Prob. *Ex modo loquendi Scripturae.* Multa in Scripturis dicuntur Deo offerri, quae tamen nullatenus intelliguntur esse materia sacrificii. Ergo omnis oblatio Deo facta non est sacrificium.

Prob. ant. In Exodo XXV et XXXV offerenda dicuntur aurum, argentum, aes, ligna, lapides pretiosi, byssus, pili caprarum et alia id genus, quae inservirent construendis tabernaculo, arcae foederis, mensae panum propositionis etc. — In Numeris VIII, Aaron offert Deo levitas quasi munus filiorum Israel ; Scriptura tamen non dicit hos homines fuisse sacrificatos.

206. — **Utraque pars probatur** adhuc tum argumento petito ex significatione termini « sacrificii », in lingua hebraica et in latina, quod in thesi sequenti proponetur, tum sequentibus argumentis.

Arg. I^m. Ex eo quod omne opus bonum aut omnis oblatio Deo facta forent sacrificia, consequeretur plerosque fideles, immo omnes, esse sacerdotes proprie dictos, dummodo omne officium erga Deum adimplere non recusent. Etenim sacerdotium proprie dictum et sacrificium proprie dictum sunt correlativa : Ubi unum, ibi alterum ; munus enim praecipuum et essentiale sacerdotis est sacrificare. — Id enim constat ex variis : 1° auctoritate : *Hebr.* V, 1 : « Omnis namque pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis » ; Justinus asserit Deum non accipere sacrificium nisi a sacerdotibus ; Augustinus haec duo, velut inseparabilia, semper conjungit (1). — Idem colligitur 2° vi vocabulorum. Latine pro eodem accipiuntur sacerdos et minister sacrificii. — Graece a θύειν, sacrificare, derivantur θυσία sacrificium et θύτης sacerdos ; et ab ἱερεύειν, sacrificare, derivantur ἱερεῖον, sacrificium et ἱερεύς sacerdos. Ergo, cum omnes homines teneantur facere opera bona et dona offerre Deo, consequens foret omnes esse sacerdotes.

Porro fideles plerosque non esse sacerdotes constat quia a) in V. L. soli filii, nepotes et posteri Aaronis fuerunt sacerdotes. Illud testatur Pontifex Azarias regi Osiae sacerdotium usurpare volenti, II Paralip. XXVI, 18. — Idem constat b) quia in Ecclesia Christi soli episcopi et presbyteri sunt habiti velut sacerdotes. Id testantur α) Patres : Justinus l. c., Tertullianus, Cyprianus ; β) Paulus dicens : « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron », et testans Christum

(1) JUSTINUS, *Dial. cum Tryphone*, ultra medium. — AUGUST. *De civ. Dei* VIII, cap. ult. et XXII, x. M. XLI, 255, 772.

non semetipsum clarificasse ut fieret pontifex, sed eum a Patre hunc honorem accepisse ; γ) Concilium Nicaenum (c. XIV) et Tridentinum tum in sessione XXII, canone 2, tum in sessione XXIII, can. 1 et 7.

Arg. II^{m}. Ubi sacrificium, ibi altare. Atqui ubi bonum opus, aut ubi quaelibet oblatio Deo facta, ibi non ideo habetur altare. Ergo.

Prob. maj. a) Hebraice et Graece ab eadem radice derivatur sacrificium et altare. Nam a זבח sacrificavit, fiunt זבח sacrificium et מזבח altare ; a θύειν sacrificare fiunt θυσία sacrificium et θυσιαστήριον altare ([1]). — b) Apud omnes gentes ubi sacrificium offerebatur, ibi altare erigebatur. Quod confirmatur Genesi VIII, ubi legitur primum altare esse erectum primi sacrificii causa.

Arg. III^{m}. In Ecclesia Christi unum est sacrificium proprie dictum. Ergo omnia opera bona, quaelibet oblatio Deo facta, non sunt verum sacrificium. — *Ant. prob.* a) Augustinus probat epulas, quas nonnulli sepulchris martyrum imponebant, non esse sacrificium, ex eo quod unum sit christianorum sacrificium quod Deo offertur ([2]). Alibi declarat omnibus sacrificiis veteribus successisse unicum et singulare sacrificium Eucharistiae ([3]). Alibi vocat sacrificium Eucharistiae verissimum, unicum et singulare ([4]). — b) Leo P. haec habet : « Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis tui implet oblatio ». ([5]) — c) Chrysostomus : « Magnus erat et sine modo numerus sacrificiorum in lege, quae omnia nova superveniens gratia uno complectitur sacrificio, unam et veram statuens hostiam » ([6]).

Si ais : Augustinus sic definit sacrificium : « Sacrificium verum est omne opus quod agitur ut sancta societate inhaereatur Deo, relatum scilicet ad illum finem, quo veraciter beati esse possimus » ([7]). — Respondetur actiones internas metaphorice vocari sacrificia, quia iis immolatur quadamtenus voluntas, concupiscentia etc. Tale sacrificium est Deo gratius, estque dignitate praestantius et majoris meriti quam actio externa, qua in V. L. hostia immolabatur et offerebatur Deo. Augustinus autem opponit sacrificium metaphoricum internum ad sacrificium

([1]) Latini nomen altaris et arae acceperunt a forma et a ritu. Altare venit ab *alto* et ara oritur ab actione sacerdotis qui aram seu *ansam tenere* consueverat, dum sacrificium offerebat (Ita Varro). — ([2]) AUGUST. *De civ. Dei*, VIII, XXVII. M. XLI, 255. — ([3]) ID. *De bapt.* III, XIX, 27. M. XLIII, 154. *Contra adversarium Legis et Prophetarum* I, XX. M. XLII, 626. — ([4]) ID. *De sp. et litt.* XI. M. XLIV, 211. *Contra Crescon.* I, XXV. M. XLIII, 462. — ([5]) LEO P. *Serm.* VIII *de passione*. — ([6]) CHRYS. *In Ps.* XCV. — ([7]) AUG. *De civ. Dei.* X, VI. M. XLI, 283.

proprium et externum V. L., ratione dignitatis et meriti. Non contendi rationem formalem sacrificii in his actibus internis inveniri, constat ex allatis testimoniis, quibus asserit Augustinus in N. L. unicum esse sacrificium.

§ 3. Stabilitur vera sacrificii notio.

THESIS XXVIII[a]. — Convenienter definitur sacrificium : Realis aut aequivalens rei sensibilis destructio atque illius rei oblatio Deo a ministro legitimo facta, ad profitendum eam esse excellentiam Dei primi principii, ultimi finis et absoluti omnium domini, ut dignus sit in cujus honorem vita humana immoletur.

207. — Requiritur realis aut aequivalens rei destructio. Hac nota excluduntur a censu sacrificiorum variae actiones transeuntes in honorem Dei factae, puta psalmodiae, preces, genuflexiones.

Prob. Arg. I[m]. Petitur ex *etymo* vocis : radix enim hebraica זבח ideam *mactandi* exprimit. — Graece θυσία oritur juxta alios quidem a θύειν mactare (unde illud Matth. xxii. ταῦροί καὶ σιτιστὰ τεθυμένα tauri et altilia occisa); juxta alios autem a nomine θυμίασις exhalatio ([1]). Inde secundum alios quidem θυσία primo significat oblationem per effusionem sanguinis et derivate oblationem per combustionem ; secundum alios vero significat primo oblationem per combustionem et derivate oblationem per effusionem sanguinis. — Confirmatur quia Chrysostomus et Theophylactus (ad Hebr. x) reponunt differentiam inter θυσίαν sacrificium et προσφοράν oblationem, in eo quod θυσία dicitur de ritu quo res occidantur vel aliter consumuntur, προσφορά autem dicitur de simplici oblatione, vel de re sacrificata in quantum offertur.

Arg. II[m]. Quoties in Scriptura veteri res dicitur sacrificari sensu proprio, intervenit realis aut aequivalens destructio. Contra ubi res offertur sine ulla destructione, numquam dicitur sacrificari. Ergo. — *Prob. 1[a] pars ant.* a) In Genesi xxii, Isaac dicebatur sacrificandus, in holocaustum offerendus aut in victimam holocausti quamdiu existimabatur occidendus et cremandus. — b) In Levitico, cap. i et seq. agitur profecto de sacrificiis proprie dictis ; jamvero res sacrificatae narrantur destrui vel ex antea dictis colligitur eas fuisse destructas.

([1]) Cf. Eusebium, *Demonstr. evang.* l. I, c. vi. M. XXII.

Animalia occiduntur ; inanima comburuntur si sunt solida : sic comburuntur simila, sal, thus ; si sunt liquida, effunduntur : sic effunduntur sanguis, vinum, aqua. — *Prob. 2ª pars ant.* In Exodo, cap. XXV et XXXV, multa dona narrantur Deo esse oblata ad formandum tabernaculum, arcam foederis etc. ; jamvero numquam dicuntur fuisse sacrificata, in holocaustum oblata etc. Ergo. — Eadem ratione argueretur ex sacrificiis gentium.

Re quidem vera apud gentes et apud populum israeliticum semper apparet destructio in sacrificiis Deo oblatis. In sacrificiis cruentis effundebatur sanguis et victima consumebatur igne ; in sacrificiis incruentis res solidae concremationi offerebantur, liquores in libationibus effundebantur, et sic reddebantur inutiles pro usibus hominum et aequivalenter destruebantur. Ideo Patres traducunt destructionem veluti notam et characterem sacrificii (1).

Si ais : Melchisedech obtulit Abrahae panem et vinum. Actio fuit sacrifica ; nulla tamen legitur intervenisse destructio. — Respondetur : a) Non pauci existimant Melchisedech non obtulisse panem et vinum in sacrificium, sed ut iis reficerentur vires servorum Abrahae. Addunt panem et vinum figurasse *sacramentum* Eucharistiae, quod ex Paulo est certum. b) Omne quod a Melchisedech praestitum est, non narratur; unde potuit effundere vinum, comburere panem ut absolveretur sacrificium.

Conf. 1. Omnia sacrificia, ex voluntate Dei, adumbrant sacrificium praestantissimum crucis ; illud situm est in morte et destructione Christi, et in oblatione sui Patri facta a Christo ut repararet injurias peccatis hominum Deo irrogatas. Ergo reliqua sacrifica includunt destructionem. — 2. Sacrificia sunt maxima protestatio summae subjectionis nostrae Deo. Atqui non possumus perfectius protestari summam subjectionem, quam agnoscendo destructione alicujus rei Deum esse Dominum totius entis nostri. Ergo.

208. — De ratione sacrificii est rei destructae externa oblatio Deo facta.

(1) Errat itaque Scheeben cum asserit nonnisi seculo XVI coepisse destructionem haberi veluti essentialem sacrificio, siquidem s. Thomas seculo XIII, vestigiis Patrum insistens, habet destructionem pro nota qua genus oblationis contrahitur ad speciem sacrificii (IIª IIæ, q. LXXXVI, a. 1). Errat cum asserit ideo destructionem habitam esse ut essentialem sacrificio, ut explicaretur propria ratio sacrificii Missae, siquidem haec nota destructionis potius impeditiorem reddit explicationem sacrificii eucharistici. Cf. Thalhofer, *Handbuch der Kath. Liturgik*, I, § 11, p. 172.

A. Requiritur oblatio : Eruitur 1° ex *Scripturis*. Qui leguntur sacrificasse, dicuntur saepissime *obtulisse Deo :* a) Hebr. v, 1. « Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in iis quae sunt ad Deum, ut *offerat* dona » etc. — b) Abel dicitur de primogenitis gregis sui obtulisse (Gen. IV, 4). — c) Noe egressus ex arca dicitur obtulisse holocausta supra altare (Gen. VIII, 20). — d) « Offeres eum (filium tuum) in holocaustum » (Gen. XXII, 2). — Praeterea in Levitico saepe jubentur sacerdotes offerre Deo sanguinem victimae. — Idem eruitur 2° ex *ss. Patribus*. a) Tertullianus dicit tria esse munera sacerdotum novae legis : tingere, offerre, docere ; tingere autem idem est ac baptizare, offerre est idem ac sacrificare, docere idem ac concionari. Notat apud Graecos sacrificium saepe vocari προσφοράν, oblationem. b) Chrysostomus et Theophylactus θυσίαν et προσφοράν de eodem actu praedicant.

B. Requiritur oblatio externa : 1. Nomine sacrificii omnes intelligunt honorem publicum et manifestum Deo factum. Atqui ad hoc requiritur ut oblatio sit externa. — Oblatio interna, qua quis Deo offert seipsum et omnia, potest esse opus operantis nobilius quam oblatio externa, Deoque magis gratum. Nihilominus oblatio interna non est pars essentiae sacrificii ; ad summum essentialiter praerequiritur tamquam conditio, eo modo quo intentio ministri requiritur ad valorem sacramenti. — 2. Augustinus definit sacrificium : « invisibilis sacrificii sacramentum, id est sacrum signum » (1). Ergo oblatio, quae ostensa est esse de essentia sacrificii, est sacramentum. Atqui oblatio non est sacramentum, nisi sit externa. Ergo.

C. Haec oblatio fit soli Deo : 1. Apud omnes gentes offertur Deo peculiaris cultus, qui vocatur latriae et quo Deus agnoscitur tamquam summum et primum bonum, causa prima et finalis rerum creatarum. Decebat ut aliquod signum foret proprium huic cultui latriae, adeoque non adhiberetur in honore sanctorum aut hominum. Jamvero ceterae caerimoniae cultus non pertinent ad solum cultum latriae : Sic genuflectere, caput denudare, corpus prosternere, supplicare, etc. sunt tot actiones quae etiam fiunt ut creaturis praestetur honor. Ergo sacrificio imposita est vis significandi honorem soli Deo debitum.

2. Scriptura et Patres affirmant sacrificium fieri soli Deo : « Qui immolat diis, occidetur, praeterquam Domino soli » Ex. XXII, 20. —

(1) August. *De civ. Dei*, X, v. M. XLI, 282.

« Ut alia nunc taceam, quae pertinent ad religionis obsequium, quo colitur Deus : sacrificium certe nullus hominum est qui audeat dicere deberi, nisi Deo. Multa denique de cultu divino usurpata sunt, quae honoribus deferrentur humanis..., ita tamen ut quibus ea deferrentur, homines haberentur qui dicuntur colendi et venerandi ; si autem eis multum additur, et adorandi : quis vero sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit » (1). Sic Augustinus, qui alibi affirmat ideo daemonem exigere sacrificia, quia novit ea exigi a Deo ; additque homines superbos sibi saepe exegisse cetera obsequia Deo praestari solita, rarissimos esse inventos qui jusserint sibi sacrificia fieri (2).

209. — De significatione sacrificio imposita, eique propria. 1. Requiritur ratio ob quam immoletur, destruatur, offeratur Deo res inserviens vitae alendae. Destructione enim hujusce rei et oblatione profecto aliquid peculiare significatur. Atqui quamnam aliam significationem homo, rem hujusmodi destruens et offerens Deo, annectere huic ritui potest, nisi Deum esse dignum cui totam substantiam rerum offeramus, eum esse dominum omnium rerum, nos esse paratos ad nosmetipsos immolandos pro gloria sua, si hoc divinae majestati esset acceptum ? Nonne praecise sacrificabatur res destinata vitae alendae, ut symbolice repraesentaret ipsum hominem et ipsi substitueretur ? Quia nempe licitum non est propriam immolare vitam, ideo homo sibi substituit victimam sui vicariam quae vitam humanam symbolice repraesentat. Quemadmodum itaque homo semetipsum immolando in Dei honorem, Dei dominium profiteretur, ita sacrificando victimam sui vicariam edit eamdem professionem.

2. Ratio substitutionis est manifesta *in sacrificiis Veteris Legis.* Abraham pro Isaac substituit arietem « quem assumens obtulit pro filio » h. e. vice filii sui (Gen. xxii, 13). — Eadem ratio ob oculos ponitur impositione manuum super caput victimae (Ex. xxix, 10, 15. Lev. i, 2 ; iii, 2 ; iv, 4 ; xv, 24 sq.), de quo ritu Eusebius scribit : « Capiti victimae unumquemque, dum sacrificat, manus habere injectas (lex) imperat, et ad sacerdotem animal ipsum adducere capite comprehensum atque detentum, quasi qui pro suo ipsius capite hostiam exhibeat » (3). — Adhuc ob oculos ponitur in sacrificio expiationis totius populi, per caerimonias hirci emissarii (Lev. xvi). E duobus hircis unum,

(1) August. *De civit. Dei,* X, iv. M. XLI, 281. — (2) Id. *Contra advers. Legis et proph.* I, xviii. M. XLII, 624. — (3) Euseb. *Demonstratio evangelica,* I, x. M. XXII, 86.

moraliter loquendo, constituebant victimam; alter, vicaria substitutione, immolabatur pro delictis populi; alter emissione in desertum substitutionem praefatam repraesentabat. Hoc constat verbis Levitici: Sacerdos « posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel et universa delicta atque peccata eorum; quae imprecans capiti ejus emittet illum per hominem privatum in desertum. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam et dimissus fuerit in deserto, revertetur Aaron in tabernaculum testimonii » (Lev. XVI, 21 sq.). — Substitutio vitae animalis pro homine declaratur in Lev. XVII, 11. Ratio enim cur vetitum sit vesci sanguine animalium haec est: « Quia anima carnis in sanguine est, et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris et sanguis pro animae piaculo sit ». — Rationem substitutionis non alienam fuisse a mentibus gentilium in suis sacrificiis offerendis, constat tum ex imaginibus impositionem manuum super victimam repraesentantibus (1), tum usu Aegyptiorum apud quos sigillum imprimebatur victimae, in quo depictus erat homo, genibus nixus, manibus post tergum incurvatis, cujus gutturi gladius erat infixus (2).

3. Juxta Augustinum sacrificium est visibile sacramentum sacrificii invisibilis. Invisibile autem sacrificium videtur non esse aliud atque interna devotio et dispositio qua homo per intellectum recognoscit Deum ut supremum dominum, et per voluntatem vult se Deo submittere, ipsum colendo et profitendo ejus excellentiam (3). — Substitutionem

(1) Cf. FILLION, *Atlas archéologique*, pl. XC, fig. 2; XCI, fig. 12. — (2) Cf. UHLEMANN *Handbuch der ägypt. Alterthumskunde*. Thl. II, § 49.

(3) AUG. « Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse, si biberit: aut luci, si viderit. Nec quod ab antiquis patribus talia sacrificia facta sunt in victimis pecorum, quae nunc Dei populus legit, non facit, aliud intelligendum est, nisi rebus illis eas res fuisse significatas, quae aguntur in nobis, ad hoc, ut inhaereamus Deo, et ad eumdem finem proximo consulamus. Sacrificium ergo visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est sacrum signum est. Unde ille paenitens apud prophetam, vel ipse propheta quaerens Deum peccatis suis habere propitium: « Si voluisses, inquit, sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non spernet ». Intueamur quemadmodum, ubi Deum dixit nolle sacrificium, ibi Deum ostendit velle sacrificium. Non vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis. Illo igitur, quod eum nolle dicit, hoc significatur, quod eum velle subjecit. Sic itaque illa Deum nolle dixit, quomodo ab stultis ea velle creditur, velut suae gratia voluptatis. Nam si ea sacrificia, quae vult, quorum hoc unum est, cor contritum et humiliatum dolore paenitendi, nollet eis sacrificiis significari, quae velut sibi delectabilia desiderare putatus est, non utique de his offerendis in lege vetere praecepisset. Et ideo mutanda erant opportuno certoque jam tempore, ne ipsi Deo desiderabilia, vel certe in nobis acceptabilia, ac non potius quae his significata sunt crederentur. » *De civ. Dei*, X, v. M. XLI, 282. Cfr. *epist.* CII, q. III.

vicariam animalium hominibus inesse sacrificiis, luculenter exponit Eusebius. (1).

210. — Destructio rei, aut saltem oblatio, fit a legitimo ministro.

1. Probatur ex usu omnium gentium. Sub lege naturae sacerdotes erant capita familiarum, vel ii quibus Deus id inspirabat. In lege scripta soli filii Aaron. In lege evangelica soli episcopi et presbyteri. — 2. Secus sacrificiis accenserentur oblationes et destructiones rerum a privatis hominibus factae, quales sunt oblationes candelarum. Atqui nusquam hae actiones pro sacrificiis habitae sunt. Ergo. — 3. Idem colligitur ex Paulo ad Hebr, v, 1. « Omnis... pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis... Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. » — Cfr. n. 206, arg. 1m.

Observa. Tota thesis sequenti etiam processu probatur. Illud est essentia sacrificii, quod convenit omni et soli sacrificio, estque radix ceterorum rituum qui passim in variis sacrificiis habentur. Atqui hujuscemodi est ratio tradita. Convenit enim sacrificiis triplicis legis et sacrificiis gentium. Non convenit variis caerimoniis quibus Deo praestatur honor et quae, ex consensu communi, non vocantur sacrificia sensu proprio.

211. — Scholion 1m. Sacrificium est *signum ad placitum et ex institutione.* Nam non est signum naturale. Ergo est ad placitum. Antecedens constat quia occisioni vituli v. g. ex se non inest significatio sacrificii. — Attamen ritus sacrificalis est fundamentaliter aptus ut ei annectatur praedicta significatio.

Scholion 2m. Ubi sacrificio, praeter significationem theologicam, competit significatio mystica, haec non est primaria nec essentialis. Nam a) si deest mystica significatio, manente theologica et morali cum debita institutione, habebitur verum sacrificium; non autem e converso. — b) Constat ex consensu communi : α) Apud omnes gentes exstiterunt sacrificia proprie dicta : infideles enim falsis numinibus vere sacrificaverunt ; jamvero ritibus illis nulla inerat significatio mystica. β) Tem-

(1) Euseb. : « Cum patriarchae divino spiritu illustrati viderent magno sibi opus esse obsequio ad suorum humanorum delictorum purgationem, pretium pro salute sua vitae et animae largitori se debere putabant ; sed cum nihil praestantius aut pretiosius prae anima sua haberent, quod dicarent, pro hac interim brutorum animalium vitam offerebant, pro sua anima animam vicariam offerentes » (τῆς σφῶν ψυχῆς ἀντίψυχα προσκομίζοντες). *Dem. evang.* I, x. M. XXII, 84.

pore revelationis primaevae fideles obtulerunt sacrificia ; nescitur tamen utrum offerentes mysticam significationem semper tribuerint suis sacrificiis. — c) Si homines in statu naturae conditi fuissent, probabiliter exstitissent vera sacrificia, quae nullam mysticam significationem habuissent. — d) Sacrificio crucis non inerat significatio mystica ; non enim destinabatur ad significandum aliquid aliud, sed potius est id ad quod cetera sacrificia, ex libera Dei institutione, ordinationem habuerunt.

212. — **Scholion 3m.** Quaeres utrum ad rationem sacrificii necessaria sit divina institutio, an humana sufficiat ?

Resp. 1. Per se genus humanum, in omni statu naturae, potest instituere sacrificia, quibus Deo supremum conferat honorem. Constat quia quicumque sit status naturae, Deus est excellentissimus, causa prima, finis ultimus, supremus omnium dominus. Igitur in omni statu naturae, nisi per accidens Deus positive aliter statuerit, homo potest significare exterius se agnoscere hanc Dei excellentiam et supremum dominium ; signum autem maxime aptum est destructio rei et ejus oblatio Deo. Ergo non solis verbis animum suum patefacere potest, sed vero sacrificio. — Et re quidem vera si homo in statu naturae fuisset relictus, non videtur quare sacrificia non potuissent institui. Idem dicendum de statu naturae elevatae, supposito Deum non instituisse per seipsum sacrificia.

2. Ad factum quod attinet, ipse Deus instituit immediate sacrificia in lege veteri et Christus in lege nova, et prohibuerunt ne humana potestate alia instituerentur sacrificia. — Patet Deo competere hujuscemodi jus. Collata quidem est rei publicae potestas se gubernandi, ferendique leges quibus societas in finem dirigatur ; verum haec potestas est subordinata potestati Dei supremi provisoris. Ideo Deus propria potestate condere potest leges quas nulla auctoritas humana mutare aut abrogare potest. — Porro Deum hac potestate esse usum in legere veteri, patet ex sacrificiis quae leguntur instituta ab eo per Moysen et quibus nullum umquam, durante lege mosaica, est additum aliud sacrificium, e quibus etiam nullum est demptum. — In lege gratiae Christum instituisse sacrificium, et irritum declarasse quodvis aliud sacrificium, ex dicendis perspicuum fiet.

3. Si quaeritur quare Deus sit usus hac potestate, varia afferri potest ratio : a) Sacrificium Eucharistiae est opus supernaturale, adeoque a solo Deo institui potest ; ab ipso enim solo tradi potest potestas Filium suum praesentem sistendi et immolandi. b) Deus

velle potuit ut nonnullis sacrificiis inesset non tantum significatio moralis, sed insuper significatio mystica quae supponit revelationem mysterii. c) Velle potuit ut sacrificio inesset ea efficacia quae ab ipso solo tribui potest. d) Amorem suum ostendit hac institutione : Honorificentius enim est uti sacrificiis divinis quam humanis. Ideo sub lege naturae nulla, aut nonnisi paucissima, a Deo sunt instituta sacrificia, cum Deus parcior fuerit in communicandis supernaturalibus.

Scholion 4m. Quaeres utrum homines individui privata auctoritate instituere possint sacrificia privata ?

Resp. 1. Sola auctoritate publica instituuntur sacrificia quae *nomine totius populi* offeruntur ; id est manifestum tum usu omnium gentium, quippe quae omnes instituerunt publica sacrificia, tum ratione. Natura enim humana postulat ut familiae in corpus politicum coadunentur, nam a toto corpore praestandus est Deo cultus. Requiritur ergo, nisi Deus potestatem sibi reservaverit, ut publica auctoritate instituatur cultus, quo, nomine omnium, honoretur Deus et sacrificia offerantur; requiritur ut designentur hi qui cultui praesint, ut determinetur quonam honore afficiendi sint, quibus insignibus decorandi etc.

2. Potestas instituendi sacerdotium nulli privatae personae competit, sed in tota societate est aut in principe. Constat ex Paulo Hebr. v, 1 : « Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis... Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron ».

3. Potestas sacrificium instituendi *nonnisi auctoritati publicae* competit. — Nam a) ubi sacrificium instituitur, ibi instituitur sacerdotium. Sed sola auctoritas publica instituit sacerdotium. b) Sacrificium, ut decenter fiat, exigit templa, altaria, vasa sacra, vestes. Sed solius auctoritatis publicae est haec determinare ; a fortiori ejus est determinare substantiam rei. c) Ad unitatem et concordiam in republica expedit ut omnes conveniant in substantiali et solemni modo colendi Deum ; hic autem stat in sacrificio. Jamvero ut unus sit modus, oportet ut sola auctoritate publica instituatur: secus enascitur varietas et confusio ; secus etiam ansa praebetur superstitionibus.

Confirmatur : « In *oeconomia patriarchali,* ait Franzelin, quamdiu populus nondum in civili societate, sed per familias, in societate domestica consistebat, videmus familiarum patriarchas vel primogenitos, quibus exsors aliqua erat auctoritas, suo suorumque nomine sacrificia offerre ; constituto autem jam populo, dum cultus publicus divinis

legibus disponitur, *tribus una* speciali modo consecratur Deo pro universo populo, et ex hac tribu *familia una* seligitur, quae sola, tamquam media inter Deum et populum, sacrificia Deo offerret » (1).

Ex praefatis sequitur martyrium non esse sacrificium proprie dictum. Martyrium enim non est institutio publica ; nulla auctoritas instituit ut martyres immolarentur et seipsos in sacrificium offerrent ; unde numquam martyres, qua tales, habiti sunt velut sacerdotes.

ARTICULUS II.

De veritate sacrificii Novi Testamenti.

D. Thom. III, q. lxxxiii, a. 1. — Suar. d. lxxiv. — Lugo, d. xix, s. 2. — Bell. l. V (l. I *de sacrif.*) c. v sqq. — Vasq. d. ccxxi.

Morti Christi in ara crucis inesse rationem sacrificii, adeoque Christum esse sacerdotem, in tractatu de Incarnatione probatur. — Heic inquiritur a) utrum Christus in ultima coena instituerit, non tantum sacramentum, sed etiam sacrificium, quod vulgo dici solet sacrificium Missae. b) Utrum cetera sacrificia fuerint abrogata. c) Quaenam sit habitudo sacrificii Missae ad sacrificium ultimae coenae et ad sacrificium crucis. — Quae priusquam examinantur, pauca praemittenda sunt de voce *Missae*.

§ 1. De voce missae.

Bellarm. l. c. c. I.

213. — Quaeritur 1° de antiquitate hujus vocis ; 2° de etymologia ; 3° de significatione.

De antiquitate. Invenitur apud antiquos Patres : Ambrosius haec habet : « Ego, inquit, mansi in munere, *Missam facere coepi,* orare in oblatione Deum, ut subveniret ». — Augustinus : « In lectione, inquit, quae nobis *ad Missas* legenda est, audituri sumus. » — Teste Bellarmino, exstat idem vocabulum apud Victorem Uticensem, Cassianum, Leonem, Felicem IV, s. Benedictum, Gregorium I. Denique in antiquissimis Conciliis, ut in Romano sub Sylvestro I, in Carthaginensi II et IV, Ilerdensi, Valentino, Agathensi, Aurelianensi I.

(1) Franzelin : *De sacrificio*, Thesis II.

Etymologia. Omissa sententia Protestantium, vi cujus Missa est Deus antichristi romani seu Papae, duplex est sententia. Alii volunt missam esse vocem hebraicam, alii volunt eam esse latinam.

A. Priores missam significare dicunt *oblationem voluntariam.* Quo sensu in Deut. XVI occurrit מִסָּה. Id sentiunt, praeter Phi. Melanchton, nonnulli. — Quae sententia parum est probabilis. Hac enim admissa, dicendi essent apostoli usi esse hac voce. Si autem hoc esset, non videtur cur apud solos Latinos sit servata, cur non occurrat apud Graecos, Syros etc. qui retinuerunt alias voces hebraicas, puta alleluiah, amen, sabaoth, hosanna, pascha, sabbatum. Scitur enim sacrificium Eucharistiae a Graecis dici λειτουργίαν (munus, ministerium publicum), Syri vero et Maronitae, qui sacrificium celebrant lingua chaldaica, illud appellant קוּדְשָׁא (sanctum, sacrum).

B. Qui contendunt vocem esse latinam, dividuntur.

1. Juxta Hugonem a s. Victore Missa significat *oblationem* et *preces* ad *Deum esse missas.* — 2. Juxta alios significatur voce Missae *Angelum* a Deo mitti qui sacrificio assistat et illud ad Deum deferat. Sic Magister et s. Thomas. — 3. Juxta alios apud veteres significabatur mittenda et conferenda esse munera unde fieret sacra coena, et epulae darentur pauperibus. Ita Calvinus et Philippus Melanchton. — Falsitas patet quia Patres distinguunt inter missam et ἀγάπας. Ἀγάπη erat convivium christianorum excogitatum ob refrigerium pauperum. — 4. Juxta alios Missa idem est ac *missio;* celebratio sacrificii dicta est missio ob dimissionem. Eodem modo apud veteres collecta et collectio, peccata remissa et remissio idem significant. Haec est sententia Isidori, Rabani, Alcuini. Porro dimittebantur primo paenitentes et catechumeni, qui non poterant adesse nisi concioni et lectioni Evangelii. Unde haec prima pars ritus fuit vocata *missa catechumenorum* seu ritus post quem mittebantur catechumeni, et, post eorum dimissionem, incipiebat celebratio mysteriorum, seu *missa fidelium.* Finita communione, populo dicebat diaconus: « *Ite missa est* » seu jam dimissio est congregationis, exire omnibus licet. — Alii demum non admittunt hanc explicationem, arbitrati vocem *Missa* in usu fuisse jam ante introductionem consuetudinis catechumenos dimittendi, ac proinde recurrunt ad *missam* vel *missionem eulogiarum* quae ad finem sacrificii committebantur fidelibus vel diaconis, ut deferrentur absentibus.

Significatio. — 1. Primitus Missa significabat actionem dimittendi populi, quae inter celebrationem sacrificii fiebat. Sic Concilium Carthaginense IV, Augustinus, Cassianus. Hinc paulatim alias partes sacrificii

significavit. — 2. Postea usurpata est vox *Missa* pro divino officio lectionum, et aliorum id genus, quae celebrantur ante dimissionem catechumenorum. — 3. Deinde hac voce fuit significata pars Liturgiae quae est ab offertorio usque ad finem, quae proprie dicitur missa fidelium. Ita Ambrosius. — 4. Demum extensa est ad totam celebrationem divini officii, in quo Eucharistia consecrabatur. Haec facta est significatio communis.

§ 2. Celebrationem Eucharistiae esse sacrificium ostenditur.

214. — Quaeritur utrum Missa sit sacrificium, h. e. an actio illa sacra in qua corpus et sanguis Christi sistuntur praesentia sub speciebus panis et vini, sumpta cum caerimoniis quae hanc actionem praecedunt et sequuntur, sit sacrificium. — Non inquiritur profecto utrum omnes ritus sint de essentia sacrificii, sed utrum inter illos habeatur aliquis cui conveniat notio sacrificii.

Protestantes uno ore negant in Missa haberi sacrificium more catholicorum intellectum. — In sententia sacramentariorum patet victimam non esse ipsum Christum. Nullum aliud esse holocaustum diserte significarunt, supprimendo omne quod potest videri *oblatio*. — Lutherus negat Missam esse sacrificium (1), et vult eam non esse nisi sacramentum. — Recentiores Protestantes asserere videntur Missam esse sacrificium veri nominis ; verum rite consideranti eorum doctrinam brevi apparet eos non agnoscere in Eucharistia sacrificium proprii nominis, quod sit oblatio corporis et sanguinis Christi (2).

Sententia catholica est in Missa ex institutione Christi fieri *verum et proprie dictum sacrificium*. Christum Dominum, qui praesens sistitur sub speciebus panis et vini, esse hostiam, victimam, holocaustum, illumque offerri Deo. — In quanam parte Missae reponenda sit essentia

(1) Lutherus. « Dicere omittimus, inquit, Missam esse sacrificium seu opus bonum. Apprehendimus eam ut sacramentum seu testamentum, seu benedictionem latine, Eucharistiam graece, vel mensam Domini vel coenam Domini vel memoriam Domini, vel communionem, vel quocumque nomine praeplacet, modo sacrificii aut operis titulo non polluatur. » Postquam praescripsit ritum catholicum ab Introitu usque ad Offertorium esse retinendum, haec addit : « Sequitur tota illa abominatio, cui servire coactum est quidquid in Missa praecessit, unde et offertorium vocatur. Et abhinc omnia fere sonant ac olent oblationem... Proinde omnibus illis repudiatis, quae oblationem sonant, cum universo canone, retineamus quae pura et sancta sunt. » *Formula Missae*. Cf. Daniel, *Codex liturgicus*, II, 80. — Alibi fateri non erubescit Lutherus se a diabolo edoctum esse ut Missae sacrificium repudiaret. Cf. *Von der Winkelmesse und Pfaffenweihe*, 1533.

(2) Cf. Thalhofer, *Das Opfer des Alten und des Neuen Bundes*. § 32, p. 238 sq.

sacrificii, comprehendentis destructionem et oblationem, ulterius examinabitur.

Mysterium Eucharistiae esse verum sacrificium fide certum est, ex Tridentino sess. XXII, can. 1 : « Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari, A. S. » Cfr. Later. IV, c. Firmiter (Denz. n. 357). Idem ostendunt professio fidei Waldensibus praescripta (Denz. n. 370); Concilium Constantiense, inter articulos 45 Wicleffi damnatos, articulum 5^{m} (Denz. n. 481); propositio damnata Baii 45^{a} (Denz. n. 925).

THESIS XXIX^{a}. — Mysterium Eucharistiae esse verum et proprium sacrificium vaticinatus est Malachias c. I, v. 11. Eadem veritas suadetur verbis institutionis Eucharistiae. Luculenter eam testatur universalis traditio ([1]). Demum ratione theologica fulcitur.

215. — Prima pars. MALACHIAS VATICINATUS EST IN N. L. INSTITUENDUM ESSE SACRIFICIUM QUOD ALIUD NON EST NISI MYSTERIUM EUCHARISTIAE.

([1]) Luculenter affirmari ab universis Patribus veritatem sacrificii Missae fatentur Protestantes:

α) LUTHERUS, in libro *contra regem Angliae:* « Dicta Patrum inducit Rex pro sacrificio missario statuendo et ridet meam stultitiam, quod solus velim sapere pro omnibus... Hoc est quod dixi Thomisticos asinos nihil habere quod producant nisi multitudinem hominum et usum antiquum. Ego adversus dicta Patrum, hominum, angelorum, daemonum pono, non antiquum usum, non multitudinem hominum sed unius majestatis aeternae verbum, Evangelium...; hic sto, hic redeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho, hic insulto Papistis, Thomistis, Henricistis, Sophistis et omnibus portis inferi. » — In libro *de missa privata:* « Hic non moramur, si clamitent Papistae: « Ecclesia, Patres, Patres, Patres; » quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis causis curamus. »

β) KEMNITIUS: « Negari non potest veteres, quando loquuntur de celebratione coenae Dominicae, usurpare vocabula sacrificii, immolationis, oblationis, hostiae, victimae; item uti verbis: offerre, sacrificare, immolare. » Cfr. BELLARM, c. XV.

γ) CALVINUS in libro IV *Instit. cap.* XVIII, n. 1 fatetur apud veteres scriptores occurrere vocabula sacrificium significantia: « Pestilentissimo errore satan totum paene orbem occaecavit, ut crederet Missam sacrificium et oblationem esse ad impetrandam remissionem peccatorum. »

δ) ID. ERNESTUS GRABE, primum Lutheranus deinde Anglicanus (1706) fatetur « Irenaeum ac omnes... Patres apostolis sive coaevos sive proxime succedentes s. Eucharistiam pro Novae Legis sacrificio habuisse. » Affirmat secundum Irenaeum et Justinum hanc non privatam particularis Ecclesiae vel Doctoris, sed publicam universalis Ecclesiae doctrinam atque praxim fuisse quam illa ab apostolis, apostoli ab ipso Christi edocti acceperunt. » Allata epistola s. Clementis ad Corinthios, scribit: « Vix ullus dubitandi locus relictus est, ab ipsis ss. Apostolis hanc de sacrificio Eucharistiae doctrinam promanasse ac proinde omnino tenendam esse. » Quapropter exoptat ut Protestantes agnoscant errorem Lutheri et Calvini, et celebrationem sacrificii Missae in usum revocent. *Adnotationes* ad s. Iren. IV, XXXII.

Quidam catholici, Isidorus, Clarus, Vatablus (sec. 16°), Arius Montanus, Jahn negant sacrificium Eucharistiae a Malachia fuisse praedictum.

A. *Expositio textus:* Malachias 1, 6-10, increpat sacerdotes Levi quod Deo offerant hostias despectas, mutilas et languidas. Qua de causa abolendum esse annuntiat cultum judaicum : « Non est mihi voluntas in vobis... et munus non suscipiam de manu vestra. » Novum cultum veteri cultui abrogato substituendum esse subjungit his verbis :

אוֹ־לי חפץ בכם אמר יהוה צבאות ומנחה לא־ארצה מידכם : כי ממזרח־שמש ועד־מבואו גדול שמי בגוים ובכל־מקום מקטר מגש לשמי ומנחה טהורה כי־גדול שמי בגוים אמר יהוה צבאות :

Vulgata haec habet. « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus. Et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda : quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. »

Versio graeca : Ἐν *παντὶ τόπῳ θυμίαμα προσάγεται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, καὶ θυσία καθαρά.*

Argumentum accipitur ex vocibus בגוים, מקטר, מגש, מנחה. Quare prius earum significatio est determinanda.

1. בגוים est plurale nomen constans ex praepositione ב (in), articulo ה and גוים (singul. גוי). Numerus singularis saepe usurpatur de populo Israelitico : Plurale numquam adhibetur de solo Israele ; saepe de populis qui contra Israelem infensos gerebant animos, vel qui ejus ditioni erant subjecti.

2. מקטר est participium hophal ἅπαξ λεγόμενον. R. קטר. (Kal inusitatum). Forma piel et hiphil = suffivit, adoluit. Inde קטרת, קטורה (suffimentum), מקטרת (thuribulum). — Derivata a radice קטר primario dicuntur de his quae pertinent ad sacrificia odoramentorum. Quare מקטר ab Alexandrinis versum est per θυμίαμα, a Syro per *besmê* (odoramenta). Forma autem hiphil dicitur de omni specie sacrificii. Quare מקטר verti potest per « sacrificatur » vel « sacrificium » ; necesse non est ut reddatur per « *adoletur, suffimentum.* »

3. מגש. Part. hophal ἅπαξ λεγόμενον ; R. נגש (accessit) — Partic. hophal = admotus, oblatus.

מקטר et מגש possunt accipi ambo tamquam *verba*, vel ambo tam-

quam *substantiva*, vel alterum ut verbum, alterum vero ut substantivum. Singulis lectionibus aliqua est objectio : Nonnullis obstare videtur vox מנחה quin utrumque sit verbum ; cum haec enim sit substantivum, iis videtur requiri ut מקטר et מגש sint substantiva. Aliis ista difficultas videtur levissima. — Quin utrumque substantive accipiatur, obstat quod in plerisque codicibus omittitur copula. Haec tamen in nonnullis habetur et Hieronymus eam legit. — Quin alterum pro substantivo habeatur, alterum pro verbo, obstat identitas formae.

4. מנחה, ubi dicitur de rebus profanis, significat *munus regibus oblatum;* ubi dicitur de rebus sacris et religiosis, proprie significat *materiam sacrificii incruenti.* Videlicet farina et polenta quae in altari cremabantur cum oleo, sale et thure.

Hinc enascitur triplex lectio :

	מקטר	(ו)	מגש	לשמי		(ו)	מנחה	טהורה
1	sacrificatur adoletur	(et)	offertur	nomini	meo	(et)	fertum sacrificium	purum
2	sacrificium suffimentum	(et)	oblatio	»	»	et	»	»
3	sacrificium suffimentum		offertur	»	»	»	»	»

B. **Conficitur probatio : Arg. I^m.** *Intrinsecum.* Malachias dicendus est vaticinatus esse in mysterio Eucharistiae haberi verum et proprium sacrificium, si 1° praenuntiavit abolitionem cultus judaici et institutionem novi cultus ; si 2° hunc cultum adumbravit ut sacrificium ; si 3° omnia apprime quadrant cum Eucharistia. Atqui singula verificantur. Ergo. — *Ad majorem :* Ex aliis tractatibus manifestum est abolitam esse legem mosaicam, institutam esse Ecclesiam, in Ecclesia institutum esse cultum divinum novum. Instituta enim sunt sacramenta ; inter haec institutum est sacramentum Eucharistiae speciali cultu latriae dignum. Hinc si Malachias loquitur de divina institutione novi cultus, non potest agi nisi de cultu legis christianae. Si in hoc cultu asserit haberi sacrificium quod in omni loco offertur, de alio sacrificio sermo esse non potest nisi de sacrificio Missae ; si enim Eucharistia non est sacrificium, jam dicendum est nullum in Ecclesia dari sacrificium. — Probanda itaque manet propositio minor.

1. *Praenuntiatur abolitio cultus judaici et institutio cultus novi.* Nam a) dicitur Deus jam non suscepturus munus a sacerdotibus Levi, quia ipsi non afferunt nisi victimas mutilas, languidas (v. 10). b) Ecce jam per totam terram, ab ortu solis ad occasum, in omni loco, offertur id

ratione cujus nomen Jahve sit magnum apud gentes ab Israele diversas. Ergo manifeste praedicitur abrogatio cultus Levitici et institutio novi cultus se extendentis ab uno extremo terrae ad aliud.

2. Praenuntiatur *institutio novi sacrificii.* — a) Ex una parta praenuntiatur quidem abolitio totius cultus ; sed sermo non fit expresse nisi de parte principali cultus abrogandi, nempe de sacrificiis. Ex altera parte praenuntiatur adventus novi cultus ; de sacramentis aut de alia caerimonia cultus nulla fit diserta mentio. Ergo veteri sacrificio succedet novum sacrificium. — b) Novus cultus instituendus consistit in eo quod in omni loco offertur Deo suffimentum aut sacrificium et fertum purum. Atqui haec verba designant sacrificium, uti in expositione textus dictum est. — c) Constat adhuc *ex collatione trium priorum* capitum. — In secundo capite iterum iterumque annuntiat Deus se sacerdotes Levi esse rejecturum. In capite quarto praedicat adventum praecursoris, qui praeparabit viam et quem illico subsequetur Dominator et Angelus Testamenti : « Et sedebit conflans et emundans argentum ; et purgabit filios Levi et colabit eos quasi aurum et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia » (III, 3). — Unde sic : Ubi sacerdotium, ibi sacrificium. Atqui juxta Malachiam, rejecto sacerdotio veteris Legis, Messias sacerdotium novum instituet. Purgabit enim eos qui ratione muneris vocantur filii Levi et offerent in justitia illud sacrificium de quo capite I, 11. Ergo.

3. *Omnia quadrant cum Eucharistia, eaque sola.* Quod enim substituetur sacrificiis V. L. a) offeretur in omni loco et omni tempore : ab ortu solis ad occasum, apud omnes gentes ; b) est excellenter mundum, adeoque gratum est Deo ex natura sua, neque languidum aut claudum est ob perversos sacerdotes ; c) ratione ejus nomen Dei extollitur apud omnes gentes. Atqui haec sane Eucharistiae conveniunt, eique soli. Ergo. — *Prob. min.* Celebratur Eucharistia et in ea Christus praesens adoratur et laudibus extollitur omni loco et omni tempore usque ad finem mundi, cum Ecclesia sit perpetuo duratura. Sanctitas Eucharistiae non pendet a voluntate eorum qui sacramentum conficiunt, sed a sanctitate Christi. Ergo praenuntiata conveniunt Eucharistiae. — Contra quae praenuntiantur non conveniunt a) sacrificiis *Judaeorum*, siquidem α) fuerunt rejecta ; β) numquam fuerunt universalia, sed alligata templo Hierosolymitano ; γ) diu jam desierunt. — Neque conveniunt b) sacrificiis *gentilium*, sequidem impura fuerunt. — Demum praenuntiata non conveniunt c) sacrificio *crucis*, siquidem nonnisi semel oblatum fuit in monte Calvariae.

Arg. II^m. *Extrinsecum.* Patres plerique hoc vaticinium de Missa intelligunt : In *Doctrina Apostolorum,* postquam mentio est injecta de confessione peccatorum, ut pura sit oblatio vestra, θυσία ὑμῶν, de Eucharistia, quae bis dicitur θυσία, legitur : αὕτη γάρ ἐστιν ἡ ῥηθεῖσα ὑπὸ Κυρίου ἐν παντὶ τόπῳ καί χρόνῳ προσφέρειν μοι θυσίαν καθαράν etc. — Justinus : « De iis quae a nobis gentibus ei in omni loco offeruntur, sacrificiis, h. e. de pane Eucharistiae et poculo similiter Eucharistiae, jam tum locutus Malachias ; illud etiam addens glorificari nomen ejus, a vobis autem (Judaeis) profanari. » — Irenaeus : Christus « novi Testamenti novam docuit oblationem; quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo... de quo in duodecim prophetis Malachias sic praesignavit... » — Cyprianus affert textum Malachiae ad ostendendum vetera sacrificia esse abolita et novum esse inductum. Eodem modo intelligunt Malachiam Augustinus, Eusebius, Chrysostomus, Hieronymus, Damascenus ([1]).

Unde merito *Tridentinum* (sess. XXII, cap. 1) dixit : « Et haec quidem illa munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest : quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit. »

216. — **Dices 1°** : Apud Malachiam non fit sermo de cultu futuro, sed de cultu praesenti quem gentes, edoctae a Judaeis inter ipsas dispersis, vero Deo reddebant : sic Köhler aliique. — Vel agitur de cultu quem ubique gentes tribuebant suis diis supremis Jovi, Ormuzd, etc., qui nonnisi nomine a vero Deo differunt. Sic Hitzig.

Resp. a) Etiamsi deprehensi fuerint inter gentes qui a Judaeis edocti verum Deum Jahve coluerint, de his profecto nequit dici : « *ab ortu solis ad occasum* », « *in gentibus* » adeoque apud omnes gentes, quippe quod oppositio fit inter gentes et populum israeliticum ; nequit dici *in omni loco* offertur oblatio munda. Id est ex se manifestum et constat praeterea quod nonnisi paucae sunt gentes apud quas Judaei sunt commorati et nullibi legitur obtulisse vero Deo sacrificia. — b) Inepte dici fieri sermonem de cultu qui a gentibus exhibitus sit suis diis, omnino manifestum est tum quia propheta disertis verbis agit de cultu qui

([1]) Justinus, *Contra Tryphonem,* 41. M, VI, 564. — Iren. *Adv. haer.* IV, xvii, 5. M. VII, 1023. — Cypr. *Testim. adv. Judaeos,* 16. M. IV, 687. — Euseb. *Dem. evang.* I, x. M. XXII, 89-93. — Chrys. *Adv. Jud.* v. M. XLVIII, 902. — Hieron, in h. l. et ad Ez. xxi, 25 sq. M. XXV, 207. — August. *De civ. Dei,* XVIII, xxxv. M. XLI, 594 ; ib. XIX, xxiii. M. 655 ; *in Ps.* xlv, n. 13. M. XXXVII, 1427. — Damasc. *De fide orthod.* IV, xiv. M. XCIV, 1149.

praestabitur Jahve Sabaoth gentibus prorsus ignoto, tum quia Scriptura cultum falsis diis praestitum abominatur ut turpissimam idololatriam : « Quae immolant gentes, daemoniis immolant et non Deo. Nolo autem vos socios fieri daemoniorum : non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum » (I Cor, x, 20, 21).

Instabis : Participia, quibus utitur Propheta, designant tempus praesens, non vero futurum.

Resp. a) Hebraei non modo tempus praesens, sed etiam tempus futurum designant participio. Cfr. Gen. xv, 14. — b) Solent prophetae res futuras ob oculos ponere, quasi essent praesentes. Cfr. Is. vii, 14 ; ix, 5. — c) Usus est propheta participio, quia participium optime delineat statum permanentem (1).

Urgebis : Sensus vaticinii est : « Nomen meum *jam est* magnum in gentibus. » Id enim constat tum quia tempore Malachiae evenit in gentibus ingens conversio cognitionis et sensus religiosi in melius, tum quia s. Hieronymus in h. l. scribit : « Sic futurorum texit vaticinium, ut praesens tempus non deserat. » Sic Loch et Reischl (2).

Resp. a) Falsum esse id quod asseritur de gentium conversione tempore Malachiae facta, liquido patebit consideranti conditionem religiosam ea aetate in Asia, Graecia, Italia, Aegypto vigentem. — b) Ad s. Hieronymum quod attinet, ex verbis immediate praecedentibus constat quonam sensu dicat tempus praesens non deseri a Propheta : « Cum nomen meum magnum *sit futurum* in gentibus, o vos, principes Judaeorum, polluistis illud atque polluitis. » Ergo Propheta ita loquitur secundum Hieronymum de gloria nominis Dei futura, ut non deserat tempus praesens, quippe illud reprehendit.

Dices 2° : Targum Jonathanis sic textum commentatur : « Ab ortu solis et usque ad occasum, magnum est nomen meum inter gentes, et omni tempore quo voluntatem meam facietis, ego volo orationes vestras accipere ; et magnum nomen meum sanctificatur per vos, et orationes vestrae sunt sicut munda oblatio coram me, quoniam magnum nomen inter gentes. »

Resp. Deus profecto locutus est de cultu aliquo Judaeorum sibi repudiando ; porro nihil dixit de *orationibus* repudiandis ; ergo novus cultus nequit intelligi de orationibus. Praeterea falsitas commentarii constat ex argumentis quibus supra pugnatum est.

(1) Cf. Ewald, *Lehrb.* § 168, sub. litt. c. — (2) Loch et Reischl in sua versione Vulgatae (in Mal. i, 11).

Instabis : Nonnulli Patres interpretati sunt מקטר, θυμίαμα, de orationibus quibus sacrificium eucharisticum celebratur, quia scilicet thus incensum est aptum symbolum ad significandam orationem. Cfr. Apoc. v. 5, VIII, 3 sq. Sic Irenaeus, Tertullianus, Hieronymus (1).

Resp. Iidem Patres verba sequentia ומנחה, מנש, de sacrificio eucharistico exposuerunt. — Ad vocem מקטר quod attinet melius explicatur de quolibet sacrificio et nominatim de sacrificio incruento.

217. — Secunda pars. VERITAS SACRIFICII MISSAE PROBATUR EX VERBIS INSTITUTIONIS EUCHARISTIAE.

Christus jussit ab Apostolis et eorum successoribus, usque ad consummationem aevi, fieri id quod ab ipso factum est in ultima coena. Itaque sufficit ut probetur actionem Christi fuisse vere sacrificam.

Arg. I^m. Ibi datur sacrificium, ubi invenitur hostia, ejus immolatio et oblatio Deo. Atqui in celebratione Missae, vi verborum institutionis, invenitur hostia, ejus immolatio et oblatio Deo facta. Ergo.

Prob. 1^a pars minoris. Christum per verba consecrationis praesentem sisti in statu immolationis, constabit argumentis quae proponentur in thesi ubi agetur de modo quo essentia tota sacrificii invenitur in consecratione.

Prob. 2^a pars minoris. Verba consecrationis efficiunt praesentiam realem Christi in statu victimae, adeoque efficiunt immolationem ejusdem Christi, juxta alios quidem physice, juxta alios vero moraliter. Ergo omnes in his verbis deprehendunt materiam sacrificii. Si enim verba physice causant statum victimae, manifestum est iisdem verbis contineri sacrificationem ; si nonnisi moraliter causant, nihilominus in iis reperiri materiam sacrificii ex eo perspicuum est quia sufficit ut sacerdos sit causa moralis sacrificationis, seu ut, eo jubente, fiat physice ab alio, tunc enim censetur sacrificare.

Prob. 3^a pars minoris dupliciter : 1. Ut sacrificium offeratur Deo, non est necesse ut fiat oblatio realiter distincta ab immolatione. Eo enim ipso quod minister legitimus victimam immolat, potest eam offerre Deo, siquidem eam non immolat nisi in ordine ad eam offerendam Deo. Ergo. — 2. Consecrationi illico subduntur a sacerdote ista verba : « Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatae passionis, necnon et ab inferis resurrectionis, sed et in caelos gloriosae ascensionis :

(1) IREN. *Haer.* IV, XVII, 6. — TERTULL. *Contra Marcionem,* III, XXII ; IV, I. — HIER. *In Malach.* I, 10.

offerimus praeclarae Majestati tuae de tuis donis ac datis Hostiam † puram, Hostiam † sanctam, Hostiam † immaculatam, Panem † sanctum vitae aeternae, et Calicem † salutis perpetuae. Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris: et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. » — Porro his verbis aut primo offertur Deo corpus et sanguis Christi, aut, quod pro vero habetur, expressius significatur oblatio primo facta per consecrationem. Jamvero in utroque casu habetur intentum. Ergo.

Arg. II^{m}. Ibi datur verum sacrificium, ubi verba Scripturae ex se sunt apta ad significandum fieri sacrificium, et determinantur adjunctis ad actu id significandum. Atqui hoc habetur circa verba consecrationis: immo multis videntur ex se determinate significare sacrificium offerri.

A. Verba consecrationis determinari adjunctis ad significandum reapse offerri sacrificium, supposito ista verba esse ex se apta ad hoc, constat a) quia partim Evangeliis, partim antiquissimis Liturgiis probatur Christum cepisse panem, gratias egisse Deo, benedixisse, quae actiones etiam fiunt in celebratione Eucharistiae. Hae enim actiones praecedere solent immolationem victimae et ejus oblationem Deo; per has nempe res sacrificialis fit sacra. — Idem constat b) quia Christus in ultima coena peregit omnia fieri solita in immolatione agni paschalis; non immolavit quidem agnum; at seipsum immolavit ut figuram adimpleret et typo antitypum substitueret. Ex his adjunctis profecto determinantur verba Christi ad actu significandum offerri sacrificium, cum ex se ad hoc sunt apta.

B. Verba institutionis ex se sunt apta ad significandum fieri sacrificium, immo ex se determinantur ad hoc, etiam independenter ab adjunctis. — Verba institutionis apte significare valent a) sanguinem Christi effundi pro hominibus quatenus est sub speciebus; b) corpus Christi dari pro mundo, quatenus est sub speciebus. Atqui ex usu biblico verba hujuscemodi significant fieri sacrificium (Cf. n. 16). Ergo.

1. *Sanguis Christi prout est sub speciebus dicitur effundi pro hominibus.* Probatur dupliciter ex Luca : Τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον : a) Participium ἐκχυνόμενον refertur ad ποτήριον, non vero ad αἵματί μου. Igitur haec verba aptissime significare valent : « Id quod continetur, et *quatenus continetur* in calice adeoque sub speciebus in calice contentis, effunditur pro vobis, et quidem εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, uti dicit Matthaeus (XXVI, 28). Ergo. — b) Ἐκχυνόμενον

sumitur tempore praesenti non autem tempore futuro. Atqui si affirmaretur praesentem esse in calice sanguinem qui effunditur in cruce, adhiberetur potius tempus futurum. Ergo asseritur sanguinem effundi uti est in calice sub speciebus vini.

Observa. Verba praejacta tribus modis intelligi possunt, prouti ποτήριον accipitur materialiter, aut formaliter, aut simul utroque modo : a) Id quod continetur in calice, nempe sanguis meus, effundetur realiter *in cruce*. Sic « effundetur in cruce » sumeretur sensu proprio. — b) Quod continetur in calice, et quatenus in calice continetur, effundetur pro nobis. Sic « effundetur » sumitur metaphorice et significat « offertur in sacrificium ». Hoc modo loquendi indicari potest praeterea relatio ad sacrificium crucis. — c) Quod continetur in calice effundetur vere *in cruce*, et *in ipso calice* sacrificaliter offeretur. Probabilis videtur nonnullis tertia ista interpretatio. Nam ex una parte non videtur iis posse excludi praedicatum, ἐκχυνόμενον, referri ad sacrificium crucis ; ex altera parte, cum ἐκχυνόμενον referatur ad ποτήριον, non autem ad αἵματι, cum insuper sumatur tempore praesenti, probabile est ποτήριον sumi formaliter. — Attamen probabilior videtur sententia asserens ἐκχυνόμενον unice dici de sanguine contento sub speciebus.

2. *Corpus Christi prout est sub speciebus dicitur dari pro mundo.* Probatur verbis Lucae : Τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον. Argumentum est duplex : a) Si Lucas affirmare vellet corpus Christi tradi pro nobis quatenus in cruce est immolatum, non adhiberet tempus praesens, sed tempus futurum. Atqui adhibetur tempus praesens. Ergo dicitur tradi quatenus est sub speciebus. — b) Alterum argumentum sumitur ex Luca prout confertur cum Paulo in I Cor. XI, 24 : Τοῦτό μου ἐστιν τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. Unde sic : Corpus Christi dicitur a Luca dari pro nobis, quatenus est sub speciebus, si a Paulo dicitur pro nobis esse κλώμενον quatenus est sub speciebus. Atqui talis est sensus verborum Pauli. Ergo. — *Prob. min.* Vox « corpus κλώμενον » significat « corpus paratum et porrectum in cibum. » Atqui corpus Christi non est paratum nec porrectum in cibum, nisi quatenus est sub speciebus. Ergo. — Corpus κλώμενον perinde esse ac corpus porrectum in cibum, ex eo probatur quia Christus protulit haec verba dum porrigebat corpus suum manducandum, dicens apostolis : « Accipite et manducate ». Atqui cum de eo quod porrigitur manducandum, affirmatur illud κλᾶζεσθαι, ex usu biblico sensus est rem porrectam et paratam esse in cibum. Sic Is. LVIII, 7 : « Frange esurienti panem tuum » ; Thren. IV, 4 ; « Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret iis ». —

In N. T. de multiplicatione panum et piscium (licet pisces proprio sensu non frangantur) Matth. XIV, 19 ; XV, 36 ; Marc. VIII, 19 : « Quando quinque panes fregi in quinque millia ». etc. Ita etiam Paulus in I Cor. X, 16 : « Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est ? »

218. — Adversus argumentum objiciunt. In tantum efficaciter argueretur ex verbis institutionis, in quantum verba ἐκχυνόμενον apud Lucam, διδόμενον et κλώμενον apud eumdem Lucam et apud Paulum referrentur ad ποτήριον et ad σῶμα formaliter. Porro hi termini sumuntur materialiter. Ergo.

A. Ἐκχυνόμενον refertur ad ποτήριον materialiter sumptum, sc. sensus non est : id quod continetur in calice dicitur effusum pro peccatis *in quantum continetur in calice* seu substat speciebus ; sed contra sanguis in calice contentus dicitur effusus pro peccatis, quia *in cruce* fuit realiter effusus.

Etenim 1° in textibus parallelis ποτήριον non sumitur formaliter. Ergo neque apud Lucam. — *Respondetur :* Cetera testimonia ex se non exigunt magis ut ποτήριον sumatur materialiter, quam ut accipiatur formaliter. Apud Lucam habetur specialis ratio sumendi significationem formalem. Ex his determinantur cetera testimonia ad eamdem significationem formalem.

2. Falsum est sanguinem effundi uti est sub speciebus : sequeretur enim sacrificium Missae esse cruentum. Atqui est incruentum. Ergo. Respondetur *distinguendo majorem :* Falsum est sanguinem *proprie* effundi sub speciebus, *Conc.; metaphorice* effundi, *Neg.* Ad rationem additam respondetur *distinguendo :* Sacrificium esset cruentum si sanguis diceretur effundi *proprie*, *Conc.;* si nonnisi *metaphorice* dicitur effundi, *Neg.* — *Si instas* dicendo : Atqui verba « Quod pro vobis effundetur », nequeunt sumi metaphorice. Si enim semel conceditur haec verba tropice esse sumenda, jam concedendum erit reliqua verba ejusdem propositionis tropice sumi posse. Atqui, hoc dato, jam evanescit argumentum quo praesentia realis probatur ex sensu proprio verborum institutionis Eucharistiae. Ergo. — *Respondetur negando aut distinguendo majorem :* Concedendum jam erit reliqua verba sermonis dominici posse aut debere sumi tropice, nisi ipsa significatio tropica horum verborum *exigat sensum proprium* verborum significantium praesentiam Christi, *Transm.;* si hoc exigitur, *Neg.* Si sanguis Christi dicitur effusus prouti est sub speciebus, patet hanc expressionem esse *metaphoricam*, siquidem sacrificium non est cruentum, proindeque pro eodem

sumi ac *sacrificaliter offeri*. Ex hoc autem nullatenus inferri potest ansam praeberi sacramentariis qui metaphorice accipiunt omnia verba institutionis. Ratio est duplex : α) Ipse sensus metaphoricus verborum « pro vobis effunditur » supponit sensum proprium verborum : « hoc est corpus meum; hic est sanguis meus ». Si enim nonnisi figura sanguinis Christi est praesens, nullatenus valet dici : haec figura offertur sacrificaliter. β) Argumentis propriis ostensum est proprie esse sumenda verba praesentiam realem significantia : educta sunt ex usu vocis, ex adjunctis, ex contexta oratione. Contra ex usu vocis et ex adjunctis constat *effundi pro remissione peccatorum* posse sumi metaphorice ; nihil autem obstat quin in sermone aliquo nonnulla verba sumantur metaphorice, licet sermo quoad materiam sit intelligendus sensu proprio.

3. Lucas asserit τὸ ποτήριον esse τὴν καινὴν διαθήκην. Quare sanguis qui effunditur est ἡ καινὴ διαθήκη. Atqui sanguis, quatenus est sub speciebus, non est novum testamentum. Paulus enim affirmat novum Testamentum non esse confirmatum nisi per mortem Christi. Ergo sanguis uti est sacramentaliter praesens non dicitur effusus. — *Respondetur distinguendo majorem* : Sanguis qui effunditur est *commemoratio Testamenti* in cruce consummati, *Conc.;* est *ipsummet Testamentum* in cruce consummatum, *Neg.* — *Cdt. min.* — Quaecumque sit interpretatio quae detur hisce textibus, admitti debet aliquis tropus in subjecto et in praedicato. Neque sanguis effusus in cruce neque sanguis oblatus sub speciebus est ipsum Testamentum : quo sensu dicatur sanguis, in cruce effusus, esse testamentum, in capite 1° dictum est ; sanguis vero qui continetur in calice est commemoratio sanguinis in cruce effusi et Testamenti quod sanguine effuso est sancitum.

4. Verba Lucae sic explicantur a Liturgia romana : « Id quod continetur in calice effunditur pro multis h. e. pro omnibus ». Atqui falsum est sanguinem Christi, uti est sub speciebus, effundi pro omnibus. Ergo. — *Respondetur distinguendo majorem :* Quod continetur in calice effunditur *virtute* pro omnibus, h. e. habet virtutem sufficientem merendi gloriam et gratiam omnibus, *Conc. ;* effunditur *actu* pro omnibus seu meretur ut actu omnibus conferantur gratiae, *Neg.* — *Cdt. min.*

5. Inducitur sententia Vasquezii de essentia sacrificii relativi. Juxta argumentum enim ibi habetur verum sacrificium, ubi habetur mystica effusio sanguinis h. e. commemoratio realis effusionis sanguinis. Atqui haec est sententia Vasqueziana de essentia sacrificii Missae. Ergo. — *Respondetur distinguendo majorem :* Juxta argumentum habetur sacrificium ubi habetur mystica effusio sanguinis *sine reali*

aut aequivalenti destructione rei quae realem effusionem repraesentat, *Neg.;* cum hujuscemodi destructione, *Conc.* — *Cdt. min.*

B. Corpus Christi non dicitur διδόμενον, κλώμενον, uti est sub speciebus, sed corpus Christi, quod est sub speciebus, fuit διδόμενον et κλώμενον per mortem crucis. Ratio est duplex : a) Corpus Christi optime, ob flagella, aliaque tormenta, dici potest *fractum ;* illud merito διδόμενον dici a nemine negatur. — b) Multi Patres et scholastici existimant haec verba referri ad corpus Christi ratione sacrificii crucis. Ergo. — Respondetur supra ostensum esse corpus Christi dici κλώμενον prouti est sub speciebus ; immerito autem contenditur illud dici κλώμενον prouti est flagellis caesum, aut cruci affixum. Nonnisi durissime enim fractum dicitur corpus quod vulneratur aut pungitur. Deinde obstant verba Johannis (XIX, 33, 36) diserte negantis crura Christi fuisse fracta et testantis in eo fuisse verificatum prophetiam : « Os non comminuetis ex eo ». — Advertere juvat Patres et scholasticos nonnullos exponere διδόμενον et κλώμενον de sacrificio crucis ; verum probabilius non excludunt aliam significationem.

219. — **Tertia pars.** VERITATEM SACRIFICII MISSAE TESTATUR UNIVERSA TRADITIO. Fides Ecclesiae nota nobis est tum Liturgiis diversarum Ecclesiarum, tum scriptis Patrum. Utraque luculenter affirmant, et multis modis ostendunt probantque Missam esse sacrificium proprie dictum. — Horum testimonia in quinque classes distribuemus : 1ª classis comprehendet testimonia qua enarrant nomina mysterio Eucharistiae tribui solita ; 2ª classis ea quae describunt statum Christi sub speciebus ; 3ª et 4ª tradent ea testimonia quae aperiunt nexum mysterii Eucharistiae cum sacrificiis V. L. et cum sacrificio crucis. Alia denique loquuntur de causa offerente.

Arg. Iᵐ. Liturgiae et Patres Mysterium Eucharistiae vocant *sacrificium, immolationem, oblationem ;* Eucharistiam dicunt *immolari, sacrificari, offerri Deo.* Innumera fere sunt hujuscemodi testimonia, uti ex argumentis sequentibus patebit ; neque hoc denegatur ab haereticis (1).

Arg. IIᵐ. Christus praesens sub speciebus dicitur *agnus, hostia, victima, holocaustum, mactatus, immolatus, oblatus.* Dicitur se ipsum perenniter offerre, immolare etc.

S. ANDREAS judici, a quo jubebatur diis sacrificare, hoc fecit responsum : « Omnipotenti Deo omni die vivum offero sacrificium, non

(1) Cf. BELLARM. *De sacrif.* l. c. c. XV. — PETAV. *De Incarnat.* l. XII, c. XII, XIV.

thuris quidem fumum, neque taurorum mugientium carnes neque hircorum sanguinem: sed immaculatum agnum quotidie in altari crucis offero, cujus carnes postquam fidelis populus comedit, et sanguinem ejus bibit, immolatus agnus, integer manet et vivus. »

S. Ephrem: « Panem fregit manibus suis in sacramentum sacrifici corporis sui; calicem miscuit in sacramentum oblationis sanguinis sui. Ipse sibi sacrificium obtulit sacerdos propitiationis nostrae... Ipse altare est et agnus, victima et sacrificator, sacerdos et esca. »

Cyrillus Alex. « Ad mysticam coenam una properemus. Christus nos excipit hodie convivio, Christus nobis hodie ministrat; Christus ille hominum amans refocillat. Tremendum est quod dicitur; formidabile quod perficitur. Saginatus ille vitulus mactatur; Dei agnus, qui tollit mundi peccatum, mactatur. Pater laetatur : Filius sponte immolatur, non quidem hodie a Dei hostibus, sed a seipso, ut ad hominum salutem voluntarios se cruciatus subiisse significet. »

Cyrillus Hier. « Deinde post absolutum spirituale sacrificium, incruentum cultum (ἀναίμακτον λατρείαν) super illa propitiationis hostia obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace... Deinde pro omnibus generatim qui inter nos vita functi sunt, maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima. »

Chrysost. « Annon nos quotidie offerimus ? Offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam, et ipsa una est non multae... Eumdem semper offerimus, hoc est, non nunc ovem aliam, cras aliam, sed eamdem semper. Itaque unum est sacrificium. Eo quod multis in locis offertur, multine sunt Christi ? Nequaquam, sed unus ubique Christus. Quomodo ergo qui multis in locis offertur, unum est corpus non multa corpora, ita etiam unum est sacrificium. »

Nyssenus. « Quum corpus edendum et sanguinem bibendum discipulis exhibuit, jam arcana et non adspectabili ratione corpus erat immolatum. »

Gaudentius Brix. « In hac veritate, qua sumus, unus pro omnibus mortuus est, et idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis et vini *reficit immolatus,* vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus... voluit animas pretioso sanguine suo semper sanctificari per imaginem propriae passionis, et ideo discipulis fidelibus mandat, quos primos et Ecclesiae suae constituit sacerdotes, ut indesinenter ista vitae aeternae mysteria exercerent, quae necesse est a cunctis sacerdotibus per singulas orbis terrae Ecclesias celebrari. »

Sacramentarium Goth. « Qui formam sacrificii perennis instituens, se tibi prius obtulit et prius docuit offerri. Agnus Dei qui se pro nobis offerendo non desinit, qui numquam moritur immolatus, sed semper vivit occisus. »

Missale Gallic. « Qui sacrificandi ritum instituit dum et panem et vinum in sacramentum sui corporis et sanguinis transformavit. »

Sacram. Gregor. « Tuae laudis hostiam jugiter immolamus, cujus figuram Abel justus instituit, agnus quoque legalis ostendit, celebravit Abraham, Melchisedech sacerdos exhibuit, sed verus agnus et aeternus pontifex hodie natus Christus implevit. » — « Deus qui legalium differentiam unius sacrificii perfectione sanxisti. »

Sacram. Gelas. « Sacrificium singulare quod divinae Majestati et semper redditur et debetur. » « Spiritualis hostia, quae ineffabili mysterio immolatur et eadem semper offertur. » — « Eum praesentibus sacrificiis immolemus et sumamus. »

Liturgia Chrys. « Tu es qui offers et offerris, assumis et distribueris, Christe, Deus noster. »

Liturgia Armena : « Dedisti nobis Filium tuum unigenitum, debitorem et debitum, hostiam et unctum, agnum et panem caelestem, summum sacerdotem et sacrificium, quia ipse semper distribuitur inter nos inconsumptibiliter. » — « Fili Dei, qui immolatus Patri pro reconciliatione, panis vitae distribueris. »

Liturgia Jacobit. « Tu factus es sacrificium et tibi sacrificium offertur. »

Liturgia Coptarum : « Agnum occisum super altare videmus, » sed « agnus est spiritualis gladiusque rationalis et incorporeus in hoc sacrificio. » — « Dominus dominantium progreditur, ut mactetur et detur in cibum fidelibus. Eum autem praecedunt chori angelorum. » — « Benedic, Domine, per oblationem hanc sanctam et sacrificium propitiatorium, quod Deo Patri oblatum, sanctificatum, completum et perfectum est per illapsum Spiritus Sancti. »

Liturgia Syriaca : « Offeram tibi hoc sacrificium rationabile, incruentum in remissionem peccatorum meorum, veniam delictorum populi tui et refrigerium patrum nostrorum qui obdormierunt. »

Liturgia Romana ferme perpetuo de sacrificio, immolatione, hostia loquitur (1).

(1) Epist. *presbyterorum Achaiae*. — S. Ephrem. ap. Lamy : *Hymn. et sermones*, I, 578, 660. — Cyr. Alex. *Hom. X*, M. LXXVII, 1018. — Cyr. Hier. *Cat. myst.* v, n. 8. M. XXXIII,

Arg. III[m]. Ubi altare et sacerdos, ibi sacrificium. Atqui mysterium Eucharistiae dicitur confici in altari et offerri a sacerdotibus. Sic enim loquuntur — praeter Chrysostomum in sex libris de sacerdotio passim, Augustinum, Hieronymum, Eusebium, Tertullianum, Polycratem qui apud Eusebium scribit s. Johannem apostolum sacerdotio esse functum et laminam pontificalem gestasse — alii non pauci :

Ambrosius : « Vidimus principem sacerdotem ad nos venientem, vidimus et audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum ; sequamur ut possumus sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio ; quia etsi nunc Christus non videtur offerri, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur ; immo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificavit sacrificium quod offertur ».

Nazianzenus : « Quum haec nossem et illud praeterea neminem esse dignum magno Deo et sacrificio et pontifice, nisi qui seipsum prius obtulerit Deo hostiam viventem... Deoque sacrificium laudis immolaverit et spiritum contritum, quod solum a nobis omnium largitor sacrificium postulat : quonam pacto sacrificium illud aeternum magnorumque mysteriorum antitypum ei offerre auderem aut quomodo sacerdotis habitum et nomen subirem, priusquam sanctis operibus manus consecrassem ».

Ephrem : « Non sufficit sacerdoti et nomine ejus offerenti vivum corpus purgare animum et mundare linguam et expurgare manus et clarum reddere totum corpus, sed omnino purus esse debet omni tempore, quia positus est sicut mediator inter Deum et genus humanum. »

Pelusiota : « In novo Testamento sacerdotium habent ad incruentum sacrificium offerendum ii soli quibus fas est hoc offerre ; verum unusquisque proprii corporis sacerdos est ».

Gaud. Brix. « Dominus discipulis fidelibus mandat, quos primos Ecclesiae suae constituit sacerdotes, ut indesinenter ista vitae aeternae mysteria exercerent, quae necesse est a cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari (1). »

1115. — Chrys. *Hom. XVII in Hebr.* n. 3. — Nyss. *Orat. I in Christi resurrect.* M. XLVI, 611. — Gaud. Brix. *Serm. II in Ex.* — Liturgias vid. Muratori, *Liturgia romana vetus*, I, xvi sq. — Assemani, *Codex liturgicus*, I IV, sect. 2, a. 1.

(1) Aug. *De civ. Dei*, XX, x. M. XLI, 676. — Hier. *Dial. adv. Lucifer.* — Euseb. *Dem. evang.* M. XXI. — Tertull. *De praescript.*; *De velandis virginibus.* M. I, II. — Polycrates apud Euseb. *Hist.* V, xxiii. — Ambr. *In ps.* xxxviii, n. 25. — Naz. *Orat. II*, n. 95. M. XXXV, 498. — Isid. Pelus. *Epist.* lxxv. — Gaudent. Brix., tract. ii, *De Exodo.* — Ephrem, vid. Bickell, *Carm. Nisib.* XVIII, xii. — Cf. Bellarm. l. I, *De sacrif.* c. xvi.

Arg. IV^m. *Ex comparatione mysterii Altaris et mysterii Crucis.* Juxta Patres et Concilia eadem est hostia, idem est offerens ; solus modus offerendi differt. Jamvero mysterium Crucis est verum sacrificium. Ergo mysterium Altaris est verum sacrificium. — Major constat ex variis testimoniis jam enarratis et ex Trid. « Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce, obtulit, sola offerendi ratione diversa ». (Sess. XXII, c. II. Cfr. c. I).

Arg. V^m. *Ex comparatione mysterii Altaris cum sacrificiis V. L.* Immolatio agni paschalis fuit sacrificium. Moyses enim dicit : « Si quis mundus est, et in itinere non fuit, et tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia *sacrificium* Domino non obtulit *tempore suo.* » Num. IX, 13. Atqui immolatio agni fuit figura non tantum mortis cruentae crucis, verum etiam immolationis Eucharistiae. Id enim asserunt — praeter Tertullianum, Ambrosium, Nazianzenum, Gaudentium, Hieronymum, Augustinum, Leonem Magnum, Gregorium, Rupertum, — Chrysostomus et Beda.

CHRYSOSTOMUS : « In ipsa mensa utrumque Pascha, et typi et veritatis, celebratum est... Fuit quidem aliquando Pascha judaicum, sed exemptum et evacuatum est Paschatis spiritualis adventu, quod Christus tradidit. Nam cum manducarent et biberent, accepit panem et fregit et dixit : « Hoc est corpus meum ».

BEDA : Exponens verba Christi : « Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar, » haec habet : « Desiderat primo typicum Pascha cum discipulis manducare, et sic passionis suae mundo mysteria declarare, quatenus et antiqui legalisque Paschae probator exsistat, et hoc ad suae dispensationis figuram pertinuisse docendo, carnaliter ultra vetet exhibenti, immo, umbra transeunte, veri jam Paschae lumen advenisse demonstret ». Et paulo post : « Finitis Paschae veteris solemniis, quae in commemorationem antiquae in Aegypto liberationis agebatur, transiit ad novum, quod in suae redemptionis memoriam Ecclesia frequentare desiderat. Ut videlicet pro carne agni vel sanguine suae carnis sanguinisque sacramentum in panis ac vini figura substituens, ipsum se esse monstraret, cui juravit Dominus et non paenitebit eum, tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech » Ps. CIX (1).

(1) TERTULL. *Cont. Marcionem*, l. IV, c. XL. M. II, 460. — AMBR. *In Luc.* c. I. — NAZ. *Or. II de Pasch.* — GAUD. tract. II *In Ev.* — HIER. *In cap. XXVI Matth.* — AUG. *Cont. litt. Petili.* l. II. M. XLIII, 259 sq. — LEO M. Serm. VII. — GREG. M. *Hom. XXII in Evang.* — RUPERT. *In Exodo*, II, VI. — CHRYS. *Hom. de prodit. Judae*, n. 415. Cfr. *Hom. LXXXII in Matth.* n. I. M. LVII, 738. — BEDA, *In Luc.* VI, XXII. M. XCII, 595, 596.

220. — Quarta pars. RATIONE THEOLOGICA PROBATUR VERITAS SACRIFICII MISSAE.

Arg. I^m. Aut in Ecclesia Christi nulla est lex neque religio, aut habetur sacrificium quod sufficit ad legem et religionem constituendam et conservandam. Atqui falsum est nullam esse legem neque religionem ; ex altera parte nullum est sacrificium sufficiens ad praefata, nisi mysterium Eucharistiae sit sacrificium. Ergo.

A. *In Ecclesia aut nulla est religio aut datur sacrificium etc.* 1. Si in Ecclesia habetur religio, est conformis naturae humanae instinctui sive tendentiis rationalibus. Atqui conformitas deest, nisi habeantur sacrificia. Omnis enim religio, sive vera sive falsa, omni loco et omni tempore, duxit Deum esse colendum non tantum prece et adoratione, sed et sacrificio. Atqui quod semper et ubique invenitur, id prodit ex naturae instinctu. Ergo.

2. Ubi nascitur religio, ibi nascitur sacrificium ; ubi unum exstinguitur, ibi alterum exstinguitur. Ergo si in Ecclesia nullum sacrificium est, nulla est religio. Sacrificium nasci aut exstingui, religione oriente aut moriente, est factum historicum : a) Caïn et Abel primi leguntur coluisse Deum ; primi etiam leguntur obtulisse sacrificia (Gen. IV). b) Genere humano per diluvium deleto, renovatur religio ; illico etiam renovantur sacrificia (Gen. VIII). c) Cum religionis exsistentia in periculum adducebatur, sacrificia cessabant. Sic legitur in III Regum, XIX, 10 : « Dereliquerunt pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt » ; et in II Paralip. XV, 3 inquit Azarias : « Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, et absque sacerdote doctore, et absque lege ; » apud Danielem III, 38, inquiunt tres pueri : « Non est in tempore hoc princeps, et dux, et propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam tuam » ; d) Daniel praedicit antichristum esse oblaturum juge sacrificium, ut religionem penitus tollere possit. Dan. XII, 11.

3. Ubi religio, ibi redditur cultus qui Deo est proprius. Atqui solo sacrificio continetur cultus Deo proprius ; ceteri enim actus religionis fiunt etiam ut creaturis praestetur honor.

B. *Nisi Eucharistia sit sacrificium, in Ecclesia non est sacrificium quod sufficiat ad religionem condendam et conservandam.* Ratio est quia sacrificium crucis ad hoc est insufficiens. Nam 1° non est proprium religioni christianae, sed commune omnibus veris religionibus, quae ab initio mundi exstiterunt. Quotquot enim sunt justificati, gratiam adepti sunt ex

meritis sacrificii crucis. — 2. Decet ut sacrificium constituens legem et religionem, sit perpetuum ; sed sacrificium crucis sola virtute permanet. Constat major quia, ob instinctus naturae rationalis, requiritur ut omnes convenire possint ad celebrationem sacrificii utpote primarii actus cultus. — 3. Sacrificium constituens religionem christianam debet esse ritus praeceptus a Christo et cultus latriae (1). Atqui sacrificium crucis non est ritus qui praeceptus sit a Christo. Christus enim non jussit ut Judaei ipsum interficerent, sed contra obediens subiit mortem crucis.

Arg. II^m. Apud Judaeos fuerunt sacrificia. Ergo Christianis non de est sacrificium.

Prob. conseq. 1. Eorum, quae apud Judaeos erant instituta, alia Christus conservavit, puta decalogum ; alia complevit aut mutavit in meliora (praeceptis addidit consilia, sacramenta in meliora sunt mutata). Ergo eo quod sacrificia fuerunt apud Judaeos, sequitur sacrificia non deesse Christianis.

2. In nova lege Deus nobiliori modo honoratur quam in veteri. Nam nova religio praestat veteri ; dignitas autem religionis praesertim accipitur ex honore quem Deus praestat. Atqui ut hoc sit, oportet ut, posito apud Judaeos fuisse sacrificium, Christianis illud non desit. — *Prob. min.* Sacrificium est summus cultus quo Deus honorari possit. Res enim praestant verbis ; res sacrae profanis ; sacrae publicae privatis ; res sacra publica, cujus substantia consumitur in Dei honorem, praestat re cujus solus usus consumitur.

3. Rationes ob quas Judaei habuerunt sacrificia, valent pro Christianis, videlicet a) ut Deus honoretur ; b) ut vinculo externo cohaereant fideles ; c) ut memoria habeatur mortis Christi ; d) ut Dei ira placetur ; e) ut gratiae agantur, beneficia impetrentur.

221. — Scholion. Praeter argumenta scripturistica quae fuerunt proposita, non pauca sunt alia quae passim apud auctores exponuntur. Petuntur ex sequentibus testimoniis.

A. Ex figuris veteris Testamenti. — 1. *Ex sacerdotio Melchisedech* in Gen. xiv, quem locum David in Ps. cix et Paulus ad Hebr. vii ad Christum referunt. — Melchisedech juxta plerosque obtulit sacrificium offerendo panem et vinum, quod fuit typus sacrificii Eucharistiae (2).

2. *Ex figura Agni Paschalis.*

3. *Ex dedicatione ac celebratione Testamenti veteris* quae descripta

(1) Cf August. l. XX *contra Faustum*. — (2) Cfr. Bellarm. *De sacrificio*, l. I, c. vi.

legitur Exodo XXIV. Foedus est sancitum solemni sacrificio et sanguinis aspersione : « Hic est sanguis Testamenti, quod pepigit Dominus vobiscum. » Haec autem aspersio et hoc sacrificium fuit typus Eucharistiae, uti colligitur ex verbis institutionis (1).

B. Ex Vaticiniis V. T. 1. In I Reg. II, 35 praedicit propheta sacerdoti Heli futurum aliquando tempus ubi cessabit sacerdotium V. L. et surget novus sacerdos qui ambulabit coram Deo omnibus diebus.

2. In Prov. IX, 1 sq. legitur sapientia aedificasse sibi domum, excidisse columnas septem, immolasse victimas suas, miscuisse vinum et posuisse mensam suam.

3. Apud Is. XIX, 2 sq. « Cognoscent Aegyptii Dominum in die illa, et colent eum in hostiis et muneribus. » — Is. LXVI, 20: « Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus... et assumam ex eis in sacerdotes et levitas. »

C. Ex novo Testamento. 1. Act. XIII, 12 : « Ministrantibus... illis Domino et jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. » Illud opus, aiunt nonnulli, videtur non esse aliud nisi sacrificium.

2. I Cor. X, 16 sq.: « Calix benedictionis cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? quoniam unus panis, et unum corpus multi sumus qui de uno pane participamus. Videte Israel secundum carnem : nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris ? Quid ergo ? dico quod idolis immolatum sit aliquid, aut quod idolum sit aliquid ? Sed quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo : Nolo autem vos socios fieri daemoniorum : non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum : non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum ».

Apostolus vetat ne Corinthii intersint sacrificiis gentium ; rationem dat quia haec sacrificia sunt quaedam communio cum daemoniis, quibus gentiles sua sacrificia offerunt. Id vero probat primo ex mysterio Eucharistiae, cujus sumptio est communicatio sanguinis Christi et participatio corporis Domini ; deinde ex hostiis Judaeorum, quas qui edunt, altaris participes fiunt. Porro judicio Pauli celebrationem Missae esse sacrificium est perspicuum quia connumerat Paulus Eucharistiam sacrificiis gentilium et Judaeorum. Loquendo enim de altari Judaeorum supponit christianis etiam esse altare, de quo Eucharistiam

(1) Cf. Bellarminus, l. I, c. VIII.

manducando participant ; praeterea mensam vocat tum sacrificia gentilium tum Eucharistiam (1). Idem colligitur, quia inefficax esset argumentatio paulina, nisi sumptio Eucharistiae epulis sacrificalibus aequiparanda esset, et proinde celebratio Eucharistiae esset sacrificium.

3. Hebr. XIII, 9 sq. « Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt ». Monet Paulus Hebraeos ne inhaereant observationi legalium ciborum qui nullius utilitatis sunt ad stabiliendum cor h. e. ad veram sanctitatem : « Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis : quae non profuerunt ambulantibus in eis » (v. 9). « Habemus altare etc. », scilicet in N. T. datur altare, cujus Christus est hostia ; de hoc sacrificio participant christiani, sicut Judaei participabant de victimis oblatis. Sed christiani non participant de alio altari nisi de altari eucharistico (2).

Satisfit difficultatibus.

222. — **Obj. 1°. Ex Scripturis.** *Ex Hebr.* cc. VII, IX, X, arguitur dupliciter : a) ex silentio s. Pauli circa sacrificium Missae ; b) ex iis quae dicit tum de Christo sacerdote, tum de sacrificio crucis. — Paulus, ad Hebraeos scribens, multa dicit de sacrificio crucis, tacet autem de sacrificio Missae. Atqui si celebratio Eucharistiae esset sacrificium, Paulus non omisisset mentionem facere de ea. Ergo. — *Prob. min.* Si est sacrificium, ex eo peti poterat obvium et efficax argumentum ad illud quod Paulus sibi probandum assumpserat. Atqui profecto Paulus id argumentum attulisset, adeoque mentionem sacrificii missae fecisset. Ergo. — *Prob. min.* Scopus Pauli est deterrere christianos a sacrificiis legalibus frequentandis. Atqui efficax et obvia ratio peti poterat ex celebratione Eucharistiae, si ea contineretur sacrificium. Obvium enim erat sic alloqui christianos judaizantes : « Quare frequentatis sacrificia Judaeorum ? Apud nos celebratur sacrificium

(1) Cornely ad vocem « mensam » notat : « Jam a sacris scriptoribus nomen « mensae » (*τράπεζα*) et de altari veri Dei (Mal. I, 7 ; Ez. XLIII, 16) et de altari idolorum (Is. LXV, 11) adhibetur ; apud graecos scriptores profanos *ἡ τράπεζα ἡ ἱερά* aut etiam *ἡ τράπεζα* (sine ullo addito) altare in templo erectum significat (Cf. Steph. *Thes.* s. v.) ; hinc etiam Patribus *θυσιαστήρια* et *τράπεζαι* unum idemque significant (cf. s Basil. *Epist.* CCLXXVII, al. LXXIII, 2 ; s. Greg. Nyss. *Orat. in bapt. Christi*, M. XLVI, 581 sq), iidemque frequentissime nomine *τραπέζης* de altari, in quo corpus et sanguis Domini consecrantur, ita utuntur, ut in hoc paulino loco verum sacrificium se deprehendisse manifestent (Cf. s. Hipp. *Fragm.* M. X, 628 ; Orig. *Cont. Cels.* l. VIII, CXVII ; s. Chrysost. *In Eph.* Hom. III, IV etc.)

(2) Plerique veteres et recentiores sic hunc locum paulinum explicant. Cf. Thalhofer, *Das Opfer des Alten und des Neuen Bundes*, § 31, p. 233 sq.

infiniti valoris, quo fit memoria sacrificii crucis, in quo immolatur Filius Dei modo incruento, quo applicantur merita crucis. »

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem : *Dist. maj.* Peti poterat ex sacrificio Missae ratio *necessaria,* vel ratio quae *ex se sola sufficiebat,* ad scopum attingendum, *Neg. ;* ratio quae *poterat addi rationi allatae* et non caruisset utilitate, *Conc.*

Inst. Atqui omissio hujus rationis indicat celebrationem Eucharistiae judicio Pauli non esse sacrificium. Dari enim debet ratio hujus omissionis. Atqui nulla ratio datur, praeter id quod celebratio Eucharistiae non est sacrificium. Sola enim ratio afferri solita petitur ex lege arcani. Atqui nullius est roboris. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Dari debet ratio h. e. a parte rei *exsistit* aliqua ratio, *Conc. ;* haec ratio *debet esse cognita* et debet posse afferri, *Neg.* Argumentum enim negativum non praevalet argumento positivo. — *Cdt. min.*

Observa. Scopus Pauli est deterrere christianos a frequentandis sacrificiis et ritibus judaicis. In hunc finem ostendit Apostolus primario quidem sacrificia legalia esse abrogata adeoque prorsus inutilia ; secundario vero sacerdotium Christi esse superius sacerdotio levitico et sacrificium crucis esse superius sacrificiis legalibus. — Porro sacrificia legalia esse abrogata probat Paulus ex eo quod nonnisi figurae fuerint sacrificii crucis. Non enim conferebant gratias internas nisi in quantum praefigurabant sacrificium crucis et anticipative applicabant merita Christi, non quidem ex opere operato (sic enim solam justitiam legalem conferebant), sed ratione fidei in redemptorem venturum.

Potuisset Paulus ex sacrificio Missae petere rationem ad adhortandos christianos ne frequentent sacrificia legalia. Attamen *nullatenus necessaria est haec ratio,* immo ex se sola non sufficiebat siquidem scopus non attingitur nisi ostendatur ista sacrificia esse abrogata, quod ostenditur quidem efficaciter ex sacrificio crucis, nullatenus vero ex sacrificio Missae. — Si peti ur quare taceat Paulus de sacrificio Missae, cum ex eo hauriatur medium aptum, licet non necessarium, attingendi plenius scopum et fideles confirmandi, duplex fit responsio : a) Alii confugiunt *ad legem arcani.* Verum inane videtur illud effugium. Jamdudum enim ipse Paulus scribens Corinthiis proposuerat mysterium praesentiae realis Christi sub speciebus sacramentalibus ; praesentia realis non latebat Hebraeos, siquidem celebrabatur Eucharistia in eorum coetibus. Jamvero, hoc posito, nullum dabatur incommodum in eo quod Eucharistia

proponeretur tamquam sacrificium. Neque dici potest altiorem esse hanc doctrinam Pauli quam ut Hebraeis proponeretur, siquidem in eadem hâc epistola de sacerdotio Christi et de sacrificio crucis altissima edocentur. b) Quare alii fatentur ignorari rationem ob quam Paulus taceat de sacrificio Missae. Verum advertunt ex hoc silentio nihil colligi posse, siquidem argumentum negativum nequit praevalere adversus positivum, nisi invicte demonstretur Paulum absolute debuisse loqui de sacrificio Missae, si illud pro vero habuisset, cui oneri certo non fiet satis, cum argumentum ex Eucharistia petitum non sit necessarium ad attingendum scopum.

Obj° 2°. Paulus secundario ostendit in eadem epistola Melchisedech fuisse typum Christi. Porro si Eucharistia esset sacrificium, fuisset Melchisedech hujusmodi typus ratione panis et vini quae sacrificaliter obtulit adeoque hanc rationem attulisset Paulus. Jamvero Paulus eam tacet et loco illius affert aliam petitam ex defectu genealogiae Melchisedech, quae ratio profecto non est vera si sumitur sensu litterali. — Unde sic : Paulus probaturus Melchisedech, qua sacerdotem, esse typum Christi qua sacerdotis, omittit rationem, quae, supposita veritate sacrificii eucharistici, esset valde efficax, et confugit ad rationem fictitiam et vix veram. Atqui ratio ista agendi patefacit judicio Pauli Eucharistiam non esse sacrificium. Ergo.

Resp. Capite VII° probat Paulus ex professo sacerdotium Christi praestare sacerdotio levitico. Sacerdos Melchisedech praestitit sacerdotibus leviticis. Nam Abraham, pater Judaeorum adeoque pater sacerdotum tribus Levi, obtulit decimas sacerdoti Melchisedech et hac ratione se ei esse inferiorem professus est. Sed Christus excellentia superat Melchisedech. Hic enim fuit typus Christi ; antitypus autem typo excellentior est. — Melchisedech fuisse figuram Christi colligit a) ex nomine ejus, quod idem audit ac rex justitiae ; b) eo quod fuerit *rex Salem* h. e. rex pacis ; c) eo quod fuerit *sine patre*, *sine matre, sine genealogia*, quibus significatur aeternitas sacerdotii Christi. Non dicit explicite Melchisedech fuisse typum ratione doni oblati ; inde tamen inefficaciter concluditur Eucharistiam non esse sacrificium judicio Pauli. Etenim α) Paulus implicite asserit Melchisedech esse typum Christi ratione doni oblati. Dicit enim Christum fuisse sacerdotem *secundum ordinem* et proinde *secundum ritum* Melchisedech. — β) In hoc loco Paulus Judaeos alloquens efficacius attingit scopum prius comparando Melchisedech cum sacerdotibus Levi et exin inferendo superioritatem sacerdotii Christi. Jamvero hic processus nec postulabat nec permittebat ut comparatio

fieret sub ratione donorum sacrificatorum, sed potius sub ratione dignitatis et auctoritatis personarum. Etenim ratione personae, non vero ratione sacrificii, Melchisedech superat sacerdotes Levi. Pronum erat explicite non comparare Christum et Melchisedech nisi secundum rationem personae.

Obj. 3°. Eo quod Eucharistia esset sacrificium, consequeretur in Ecclesia Christi esse plures sacerdotes. Atqui unus Christus est sacerdos juxta Paulum. Nam c. VII, 16 sq. repetit Paulus excellentiam sacerdotii Christi prae sacerdotio levitico ex eo quod in V. L. fuerint plures sacerdotes, quod in nova autem non sit nisi unus, qui est sacerdos in aeternum. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Consequeretur in Ecclesia Christi esse plures sacerdotes *ministeriales*, *Conc.;* consequeretur esse plures sacerdotes *summos*, *Neg.* — *Cdt. min.*

Observa. In eodem capite repetit Paulus excellentiam sacerdotii Christi prae sacerdotio levitico ex eo quod in V. L. fuerint plures sacerdotes, quod in nova autem non sit nisi unus, qui est sacerdos in aeternum. Exinde inferri nequit non dari in novo Testamento ministros inferiores, nomine et auctoritate Christi agentes, sed tantum concludi potest Christum esse in aeternum unicum sacerdotem summum. Etenim α) nefas est illud colligere ex ista propositione : « Christus est unicus sacerdos ». Eodem enim modo Christus dicit se esse unicum et aeternum magistrum : hoc autem non obstat quin sub eo constituantur alii magistri et doctores. Paulus enim se doctorem et magistrum esse affirmat I Tim. II, 7 ; II Tim. I, 11 ; se aliosque nonnullos vocat Dei coadjutores et ministros I Cor. III. Eodem modo asseri potest Christum esse unicum pastorem, eum esse unicum ministrum sacramentorum, siquidem ipse est qui baptizat, baptizantibus Petro, Paulo etc. — β) Paulum non opponere nisi summos sacerdotes veteris legis Christo, qui est unicus sacerdos in N. L., positive constat quia Paulus ostendit in V. T. multos fuisse sacerdotes, quia moriebantur. Jamvero si loqueretur de sacerdotibus inferioribus, sane prima ratio fuisset quod exsistat hierarchia in V. L. — γ) Denique idem constat ex Patribus. Nonnulli, inter quos Theophylactus, Oecumenius, ex his verbis Pauli concludunt Christum perpetuo offerre sacrificia per ministros secundarios.

Inst. Atqui judicio Pauli praeter Christum non dantur alii sacerdotes qui sint ministeriales. Darentur enim aut plures hostiae, aut una hostia pluries oblata. Atqui asserit Paulus cap. IX et X unam esse hostiam, eamque nonnisi semel fuisse oblatam. Ergo.

Resp. a) *Dist. maj.* Haberetur eadem hostia pluries oblata, *sed semel tantum ad merendum et satisfaciendum, Conc.;* eadem hostia pluries offerretur ad satisfaciendum et merendum, *Neg. Cdt. min.* — b) Alii ita respondent: *Conc. maj. Dist. min.* Juxta Paulum in N. L. nonnisi semel oblata est hostia *cruenta, Conc.; incruenta, Subdist. semel*, ita tamen ut offeratur a Christo in caelo actibus repetitis, *Conc.;* nonnisi semel offertur *in terra, Subdist.* non offertur actibus repetitis *ab ipso Christo, Conc.; per ministros, Neg.* — Praeplacet prior solutio.

Inst. Atqui juxta Paulum non datur post sacrificium crucis aliud sacrificium ad applicandum. Etenim multis asserit sacrificium crucis fuisse sufficientissimum ad omnia. Atqui tale non est, posito exigi alia sacrificia ad applicanda merita a Christo in cruce parta. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Sacrificium crucis dicitur sufficientissimum ad *redimendum* a servitute, ad *satisfaciendum* pro peccatis, et ad *merendum* gratias, *Conc.;* ad *applicandum* fructum passionis dominicae, *Neg.* De hoc enim sermonem non instituit Paulus. — *Cdt. min.*

Inst. Atqui judicio Pauli sacrificium crucis est sufficientissimum ad applicanda merita in cruce parta. Est enim sufficientissimum respectu illius ad quod sacrificia legalia ponuntur habuisse sufficientiam imperfectam. Atqui nonnisi ad applicanda merita futura potuerunt habere virtutem, siquidem nullatenus potuerunt satisfacere nec mereri.

Resp. *Negatur suppositum.* Supponitur enim sacrificia veteris legis vel satisfecisse pro peccatis et meruisse gratiam, vel gratiam in cruce partam applicuisse *ex opere operato.* Jamvero divisio non est completa. Etenim sacrificia legalia ex opere operato nullam habuerunt virtutem neque ad satisfaciendum et ad merendum, neque ad applicanda merita crucis. Verum tum *ex opere operantis,* nempe ob fidem offerentis aut petentis sacrificia, habuerunt virtutem applicandi merita futura crucis, tum ex opere operato habuerunt efficaciam ad conferendam justitiam legalem. Haec sola efficacia a Paulo iis attribuitur.

Observa. 1. Si inquiritur quo sensu asserat Paulus sacrificium crucis esse unicum praeter quod nullum jam datur aliud, illudque semel tantum fuisse oblatum, haec fit responsio:

a) Triplex distinguitur sacrificium: α) *Primum* ex se sufficiens est ad *satisfaciendum* pro omnibus peccatis et ad *merendas omnes gratias.* Tale est sacrificium crucis. — β) *Secundum* non satisfacit, nec meretur, sed *applicat* satisfactionem et gratias quas aliud sacrificium meruit. Tale est sacrificium Eucharistiae. — γ) *Tertium* nec satisfacit, nec meretur, nec applicat; sed est *figura* sacrificii futuri quo fiet redemptio seu quo

satisfiet pro peccatis et merebuntur gratiae. Cum per sacrificium futurum praestanda sit satisfactio, et merendae sint gratiae, illud tertium non poterit ex opere operato applicare in actu secundo, cum applicatio praesupponat meritum. Ita non pauci. — His positis respondetur quaestioni ;

b) Hebraei Judaizantes, amplexi religionem christianam, ritus mosaicos et speciatim sacrificia sectabantur. Porro Paulus eos avertit a frequentandis sacrificiis legalibus hac ratione quod sine utilitate offeruntur. Hoc autem ostendit ex eo quod fuerunt nudae figurae sacrificii crucis quae numquam valuerunt applicare merita Christi ex opere operato, siquidem praecedebant causam meritoriam omnis gratiae. Ea fuisse nudas figuras sacrificii crucis, adeoque iis nullam inesse vim satisfaciendi aut merendi ex opere operato gratiam, probat ex eo quod fuerunt iteranda, adeoque sunt totaliter imperfecta. — Contra per sacrificium crucis facta est redemptio et consummata est sanctificatio, ac subinde est sufficiens ad satisfaciendum et ad merendum. Quare *aliud sacrificium non offertur.*

c) Horum verborum : « aliud sacrificium non offertur », sensum esse « *aliud non offerri sacrificium quo satisfiat et quo mereatur* », sensum autem non esse « *praeter illud sacrificium nullum absolute dari,* » etiam quo nonnisi applicentur merita parta alio sacrificio ; patet α) quia exsistentia sacrificii applicativi meritorum non minuit dignitatem sacrificii quo exhibita est satisfactio et quo acquisita sunt merita, immo illam dignitatem potius commendat. β) Sane Paulus non affirmat per unicum sacrificium crucis gratiam actu conferri per se singulis hominibus. Unde sic non excludit exsistentiam instrumentorum applicativorum, sive sint sacrificia, sive sacramenta. — Pariter cum dicit Paulus unicum illud sacrificium semel tantum fuisse oblatum, asserit illud semel tantum fuisse oblatum *modo cruento in ordine ad satisfaciendum et ad merendum,* nullatenus vero excludit idem sacrificium pluries oblatum *modo incruento ad applicanda merita parta in cruce.*

2. Sequens fit, c. p. IX et X, comparatio Christum ejusque sacrificium inter et summos sacerdotes eorumque sacrificia : a) Summus sacerdos Judaeorum semel in anno intrabat in Sancta Sanctorum. Christus autem semel intravit in Sancta Sanctorum, h. e. in caelum. — b) Summus sacerdos Judaeorum offerebat vitulum pro peccatis suis, hircum pro peccatis populi. Christus semel obtulit pro aliis proprium sanguinem. — c) Per sacrificia legalia non auferebantur peccata, non conferabatur per se sanctitas interna, sed nonnisi externa et legalis. Hinc

iteranda fuerunt. Sacrificium crucis fuit sufficientissimum ad exhaurienda peccata et ad merendam gratiam. Quamobrem alia sacrificia jam offerri non debent ad satisfaciendum.

Obj. 4°. Ex Joh. IV, 20-24 : « Patres nostri in hoc monte adoraverunt, et vos dicitis quia Hierosolymis... adorare oportet. Dicit ei Jesus : Mulier, crede mihi, quia venit hora quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem... Sed venit hora.... quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.... Spiritus est Deus et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. » — Juxta Christum venit tempus ubi, pro adoratione Hierosolymae exhibita, exsistet cultus spiritus et veritatis. Atqui pars praecipua adorationis hierosolymitanae sacrificiis constat. Cultus spiritus et veritatis continetur sacrificiis internis et spiritualibus. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Pro adoratione hierosolymitana h. e. *pro cultu solemni qui est carnalis et figuralis*, habebitur *cultus spiritualis et verus, Conc. ;* pro cultu, in quo sunt sacrificia, habebitur cultus *cui deerunt sacrificia, Neg. — Cdt. 1ª pars min.* Pars praecipua cultus templi constat sacrificiis *carnalibus* et *figuralibus, Conc.; secus, Neg. — Negatur 2ª pars min.* — Asserit Christus advenisse tempus quo instituetur cultus jam non restringendus uni loco aut uni genti, sed extendendus universae terrae cunctisque gentibus ; hoc cultu Deum esse adorandum *actibus internis ex fide et gratia profectis,* aut, uti aliis praeplacet, caerimoniis *jam non carnalibus et figuralibus sed veritatem exhibentibus.* — In prima interpretatione excluduntur quidem caerimoniae externae V. L., nullatenus vero sacrificium, sacramenta, et caerimoniae cultus, quorum effectus est conferre gratias quibus eliciantur actus interni. — In secunda interpretatione non excluditur sacrificium Missae quo immolatur victima vera et ad modum spiritus praesens.

223. — Ratione theologica. Obj. 5°. Cum Luthero (1). Coena Domini est sacramentum et Testamentum Christi, siquidem ipse Christus dixit « Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine ». Atqui sacramentum et Testamentum non potest esse sacrificium. Ergo. — *Prob. min.* a) Sacrificium enim ab homine offertur Deo ; sacramentum autem et Testamentum (continet enim promissionem hereditatis) a Deo datur nobis. Atqui unum et idem nequit a Deo nobis dare et a nobis Deo. Ergo. — b) Ex identitate utriusque sequeretur ab herede aliquid dari testatori. Per sacrificium enim daremus Deo id quod tamquam

(1) Cfr. BELLARM. l. I, *De sacrif.* c. XXIV.

heredes ab eo testatore accipimus. — c) Promissio sacramenti et Testamenti accipitur fide ; sacrificium procedit ex fide. Atqui idem nequit accipi fide et ex fide procedere. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* Sacramentum *formaliter* sumptum non potest esse sacrificium, *Conc. ;* sacramentum *materialiter* sumptum, *Neg. Dist. cons.* — Ad 1m probationem minoris : *Dist. 1a pars maj.* Sacrificium *legis naturae* et *legis scriptae* ab homine offertur Deo, *Conc. ;* sacrificium *legis gratiae, Subdist.* offertur *a Christo* tamquam a ministro principali et a sacerdote uti a ministro secundario, *Conc. ;* non offertur nisi *a mero homine, Neg.* — *Conc. 2a pars maj.* Notatur tamen sacramentum dari a Deo tamquam ab unica causa physica, *supposita causalitate morali Christi.* — *Cdt. min.* Unum et idem nequit a Deo dari hominibus et ab *hominibus* Deo, *Transm. Deus nequit esse causa physica* illius quod dat hominibus *et Christus nequit esse causa principalis illud donum offerens Deo, Subd.* idem *sub eodem respectu* nequit a Deo dari hominibus et a Christo offerri Patri, *Conc. ;* sub diverso respectu, *Neg.* — *Dist. cons.* — Ad 2m probationem respondetur nihil obstare quin heres in gloriam testatoris utatur re ab ipsomet accepta. Respondetur etiam nihil obstare quin homines velut heredes accipiant sacramentum a Deo et a Christo, Christus vero offerat istud donum Deo et hominibus.

Observa. Defendetur totam sacrificii essentiam reponi in sola consecratione panis et vini. Hac porro sententia admissa, triplex actus distinguitur in consecratione : *Primo* Christus, ut minister principalis sacrificii et sacramenti, est causa moralis praesentiae sub speciebus in statu potus et cibi ; sive dignitate sua infallibiliter movet Patrem ut transsubstantiationem efficiat in ordine ad sanctificandos eos qui digne sacramentum susciperent et ad offerendum sacrificium. — *Secundo* actu Pater physice efficit transsubstantiationem. — *Tertio* Christus praesens sub speciebus in statu victimae seipsum offert Deo. — Eucharistia est *sacramentum* ratione primi et secundi actus. Pater enim, petente Filio, sistit corpus et sanguinem filii sui sub speciebus, ut sint animis nostris cibus et potus. — Ratione primi et tertii actus, Eucharistia est *sacrificium.* — Attamen tertius actus non est nisi ratione distinctus a primo.

Quare a) sacramentum Eucharistiae et sacrificium realiter quidem identificantur, formaliter vero distinguuntur. b) Eadem verba consecrationis habent duplicem significationem : significant Christum fieri praesentem (quatenus infallibiliter movent Deum), ut sit cibus noster ; sub hoc respectu sunt forma sacramentalis. Significant Christum, qui

ob infallibilem efficaciam orationis supponitur praesens, se offerre Patri ; sub hoc respectu sunt forma sacrificii ; hoc autem significant implicite, eo nempe quod Christus est praesens in statu victimae.

Obj. 6°. Deberet inveniri in celebratione Eucharistiae materia et forma sacrificii. Atqui non invenitur materia, nec forma. Ergo. — *Prob. 1ª pars min.* a) Deest victima, uti ostendetur inter objectiones ad thesim XXXI^m^. b) Deest sacrificator, uti constabit objectione sequenti. — *Prob. 2ª pars min.* Oblatio deberet significari verbis consecrationis. Atqui hoc non fit. Ergo.

Resp. *Neg. min.* Ad prob. 2^ae^ partis : *Dist. maj.* Oblatio deberet significari verbis *explicite, Neg. ; implicite, Conc.* Cfr. n. 217.

Obj. 7°. Nequit dici Deum sibi offerre sacrificium. Atqui ex eo quod mysterium Eucharistiae foret sacrificium, sequeretur Deum sibi offerre sacrificium. Ergo. — *Prob. min.* Ille offert sacrificium, qui est causa principalis destructionis victimae. Atqui eo quod mysterium Eucharistiae foret sacrificium, sequeretur Christum sub speciebus constitui in statu victimae, sive aequivalenter eum destrui. Hoc autem supposito, Deus foret causa principalis destructionis, formalis aut aequivalentis, victimae Eucharistiae. Ergo. — *Prob. min.* Ea foret causa principalis destructionis, quae est causa principalis positionis corporis et sanguinis Christi sub speciebus. Atqui Deus est ista causa principalis. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem respondetur *Dist. maj.* Qui est causa principalis destructionis, offert sacrificium *si intendit destructionem rei* seu statum victimae, proinde si *victimam offert, Conc. ; si materialiter efficit destructionem et intendit rationem sacramenti*, adeoque si *non offert victimam, Neg.* Ad probationem : *Dist. maj.* Causa positionis sub speciebus est causa destructionis *materialiter* sumptae, *Conc. ;* est causa destructionis sumptae *formaliter, Neg.*

Observa. De causa sacramenti et sacrificii. Deus est causa physica principalis Eucharistiae uti est sacramentum ; verum non potest esse causa formae sacrificii, sibi enim offerret sacrificium. Christus vero est simul causa moralis sacramenti, causa moralis immolationis et causa physica oblationis sacrificii. — Minister secundarius Eucharistiae est instrumentum quo Christus causat sacramentum et sacrificium.

Obj. 8°. Cum eodem Luthero (Cfr. Bellarm. l. c.). Ex eo quod in mysterio Eucharistiae haberetur sacrificium, consequens foret Christum in ultima coena obtulisse sacrificium ; mysterium enim Eucharistiae est repetitio et repraesentatio ultimae coenae. Atqui Christus non obtulit sacrificium. Ergo. — *Prob. min.* Christus legitur ad mensam

recubuisse, sacramentum discipulis distribuisse ; non autem legitur illud Patri obtulisse. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad prob. *Conc. 1m ;* ad 2m respondetur *distinguendo :* Christus *explicite* non dicitur se obtulisse Patri, *Conc. :* id non legitur *implicite*, *Neg.* Respondetur adhuc *transmittendo totum.* In ultima coena oblatum esse sacrificium aliunde innotescere potest.

Observa. De oblatione sacrificii Missae in ultima coena. In verbis institutionis asseritur sacrificium offerri. Sane si ex perpetua Traditione hoc non innotesceret, fortassis haec significatio ex verbis erui a nobis sufficienter non posset; sed supposita Traditione, adeo operosum non est cernere verba institutionis apte electa esse ut simul sacramentum et sacrificium exprimerent. Ceterum necesse non est ut in Evangeliis legatur quidquid in ultima coena est peractum. Illud innotescere potest Patribus et aliis Scripturis. Jamvero ex Paulo aliquatenus colligitur in Eucharistia haberi sacrificium, uti constat ex I Cor. x, 15-21 et Hebr. xiii, 10 : « Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui altari deserviunt. » Patres vero luculentissime testantur exsistentiam sacrificii N. L. Jamvero in Ecclesia non est sacrificium nisi a conditore Ecclesiae fuerit institutum; alio autem tempore institutum non est nisi in ultima coena.

Inst. Atqui implicite in verbis institutionis id asseri non potest. Etenim Christus absolute nullum offerre potuit sacrificium in ultima coena.

Obj. 9°. Christus in ultima coena sacrificium obtulisset vel ad merendam nobis gratiam et proinde ad nos redimendum, vel ad applicandum fructum redemptionis. Atqui neutrum dici potest. *Non primum :* solo enim sacrificio crucis mundus est redemptus, uti probatur in tract. de Incarn. — *Neque secundum :* Applicatio fructus redemptionis praesupponit exsistentiam redemptionis, seu actus qui meruit gratias et quo redemptum est genus humanum. Ergo.

Resp. a) *Dist. maj.* Christus in ultima coena obtulisset sacrificium vel ad merendum et hoc *sive in actu primo sive in actu secundo,* vel ad *applicandum* merita passionis et hoc iterum *sive in actu primo sive in actu secundo, Conc. ;* Christus obtulisset sacrificium vel ad merendam redemptionem in actu secundo, vel ad applicanda merita in actu secundo, *Neg.* — *Ad prob. 1ae part. min. patet resp.* — *Ad prob. 2ae partis Dist.* Applicatio *in actu primo* praesupponit redemptionem, *Neg. ; in actu secundo, Subdist.* praesupponit *natura* redemptionem, *Conc. ; tempore, Neg.*

b) *Conc. maj. Conc. 1a pars min. Neg. 2a pars.* Ad probationem

distinguitur : Applicatio fructus redemptionem praesupponit *natura, Conc.;* eam praesupponit necessario *tempore, Neg.*

Observa. De efficacia sacrificii ultimae coenae. a) Eo quod singulis operibus Christi fuit valor infinitus, singula erant idonea ad delenda omnia peccata et ad merendas omnes gratias. Itaque in actu primo Christus quasi infinities meruit id pretium. In actu secundo illud pretium meruit per solam mortem cruentam. Cetera opera satisfaciebant et merebant in quantum per mortem erant consummanda (Cfr. Hebr. x). — Quare sacrificium ultimae coenae meruit redemptionem in actu primo. In quantum erat per mortem quasi consummandum, eique moraliter uniendum, meruit redemptionem in actu secundo. — b) Insuper sacrificium coenae applicuit merita Christi ex opere operato, saltem in actu primo. Ex opere operantis gratias apostolis contulit in actu secundo. — Immo non videtur quare in actu secundo non potuisset ex opere operato applicare fructum redemptionis. Ad hoc enim non requiritur ut tempore praecesserit mortem crucis, sufficit ut haec mors sit *natura prior* tamquam causa meritoria. Ante adventum Christi, omnis gratia hominibus collata fuit intuitu meritorum Christi, et proin mors Christi erat prior omni gratia, non tempore sed natura. — Ceterum etiamsi gratia nonnisi in actu primo collata fuisset, hoc non officeret rationi veri sacrificii. Uti enim sacramentum, quod non est efficax gratiae ob obicem in subjecto, nihilominus verum est sacramentum ; sic sacrificium coenae verum esse potest sacrificium, licet non sit actu efficax ob aliquam conditionem postea adimplendam. Licet non applicaturum esset merita crucis in actu secundo, habebatur tamen ratio sacrificium non omittendi, sc. quia sacrificium N. L. convenienter instituebatur ante mortem Christi, et quia ex se gratiam erat actu collaturum post mortem crucis.

§ 3. — An sacrificium Missae sit unicum.

Suarez, *De Sacram.* d. lxxiv, sect. 4.

Quaestio duo involvit : a) utrum sacrificium Missae sit unum an plura ; b) an praeter sacrificium Missae sit aut esse possit in Ecclesia aliud sacrificium. — Doctrina Tridentini est mysterium Eucharistiae esse unum, verum ac singulare sacrificium a Christo Domino institutum. Certum est Ecclesiam nullum aliud sacrificium instituisse. Demum certum est ei deese potestatem instituendi alia sacrificia.

THESIS XXX[a]. — Sacrificium Missae est unum. Praeter illud non dantur alia sacrificia in Ecclesia Christi.

224. — **Prima pars.** SACRIFICIUM MISSAE EST UNUM, NON VERO PLURA.

Prob. Arg. I[m]. *Auctoritate :* Patres, Concilia et theologi semper loquuntur de sacrificio Missae tamquam de uno sacrificio : 1. Tridentinum in prooemio sessionis XXII[ae] ait : « Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata... ut... de magno Eucharistiae mysterio... Ecclesiae fides atque doctrina retineatur et in sua puritate... conservetur ; de ea quatenus verum et *singulare* sacrificium est... haec, quae sequuntur, docet, declarat et... decernit. » — In ceteris capitibus Tridentinum ubique numero singulari loquitur de Missae sacrificio. — 2. Patres affirmant a Christo commutatam esse multitudinem veterum sacrificiorum in unum ac singulare sacrificium. Ita Leo P. « omnem, ait, differentiam hostiarum unius corporis et sanguinis tui complet oblatio. » Ita etiam Chrysostomus et Augustinus passim (1), quorum judicio « huic summo, veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt. » — Sacrificium, quod ipse est, in Ecclesia voluit pro illis omnibus celebrari, quia illis omnibus praenuntiabatur : ita Patres.

Arg. II[m]. *Ratione theologica.* Sola aut praecipua ratio dubitandi foret quia duplex est consecratio, quarum utraque sufficit ut sine altera sit sacrificium, sive ut ei annectatur tota significatio propria sacrificio. Atqui exinde concludi non potest duo esse sacrificia in Missa. — *Prob. min.* 1. Duplex consecratio non officit quin unum sit sacramentum. Ergo neque obstat unitati sacrificii. — 2. Sacrificium Eucharistiae ex institutione Christi debet esse mystica immolatio Christi, seu repraesentativa mortis crucis, uti postea comprobabitur. Unde significatio sacrificalis annexa est his quae concurrunt in repraesentanda morte crucis. Atqui in repraesentanda hac morte, duplex consecratio concurrit. Cum enim solum corpus fit praesens vi verborum sub specie panis, sc. is sanguis sub speciebus vini, datur repraesentatio effusionis sanguinis sub morte cruenta Christi peractae. Ergo.

225. — **Secunda pars.** PRAETER SACRIFICIUM MISSAE, NON HABETUR ALIUD SACRIFICIUM IN ECCLESIA.

Prob. Arg. I[m]. *Ratione theologica.* Inutile foret aliud sacrificium : Ergo

(1) LEO P. *Serm. VII de Pass. Dom.* — CHRYS. *in Ps.* XCV. — AUG. *De Civ.* l. X, c. XX, M. XLI, 298 ; l. III, *de Bapt.* c. ult. M. XLIII, 154 ; l. XX, *adv. Faust.* c. XVIII et XXI, M. XLII, 382 sqq. ; l. I *contra advers. leg. et Proph.* c. XX. M. XLII, 626.

non datur alterum. — *Prob. ant.* Sacrificium Missae altiori et perfectori modo continet omnem perfectionem, relationem, rationem, quae continebatur in sacrificiis veteribus. Etenim est infinitae dignitatis ex parte rei oblatae et ex parte principalis offerentis. Ergo sufficit ut Deus colatur, ut gratiae agantur, ut satisfiat pro poenis, ut gratiae impetrentur.

Arg. II^m. Si aliud exsisteret sacrificium, aut a Christo, aut ab Ecclesia fuisset institutum. Atqui neque Patres, neque Concilia, neque Scriptura loquuntur de aliis sacrificiis a Christo institutis ; sed voluntas Christi his solis instrumentis nobis innotescere potest. — Praeterea ab Ecclesia nullum aliud sacrificium institutum fuit :

A. *De facto Ecclesia non instituit sacrificia.*

1. Patres numquam meminerunt sacrificii ab Ecclesia instituti ; immo aperte negant ullum sacrificium fuisse institutum. Augustinus : α) « Sacrificamus, inquit, Deo, illo dumtaxat ritu, quo sibi sacrificari novi Testamenti manifestatione praecipit. » Sacrificium Missae appellat unicum et singulare (1). β) Epulas, quas fideles ad sepulcra mortuorum offerunt, non esse verum sacrificium probat quia est unum tantum christianorum sacrificium (2). — Cyprianus in sermone de coena Domini ait Eucharistiam esse inconsumptibilem cibum ; illud probat quia « si consumeretur, nullum nobis relinqueretur sacrificium ».

2. In Ecclesia, praeter sacrificium Eucharistiae, nulla est alia actio sacerdotis quae requirat altare. Ergo nullum est aliud sacrificium : etenim sacrificium a solo sacerdote et in solo altari offertur.

3. Omnes caerimoniae ab Ecclesia institutae et celebrari solitae in Missa, vergunt ad ornatum et cultum sacrificii et Eucharistiae, ad devotionem populi excitandam (3). Nulla autem caerimonia est instituta quae ex se immediate ordinatur ad praestandum Deo cultum qui sacrificio est proprius. Ergo sicuti Ecclesia non dicitur instituisse sacramenta eo quod *sacramentalia* instituit, quae conducunt ad ornatum sacramentorum, sic non instituit nova sacrificia ratione caerimoniarum quae sacrificium Missae circumstant et ornant.

B. *Ecclesiae deest potestas instituendi nova sacrificia.*

1. Juxta Tridentinum in sess. XXI, c. II, Ecclesia nihil potest mutare circa substantiam sacramentorum, sed solum in iis quae respiciunt administrationem vel dispensationem. Ergo non potest instituere alia sacrificia. Manifesta est sequela quia a) eadem videtur esse ratio sacri-

(1) August. *Contra Faustum*, XX, xxi. M. XLII, 385. — *Contra Crescon.* I, xxv. M. XLIII, 462. *De sp. et litt.* xi. — (2) Id. *De Civ. Dei*, VIII, c. ult. — (3) Cf. Trid. sess. XXII, c. v.

ficii et sacramentorum. Manifesta est etiam quia b) si Ecclesia novum sacrificium institueret, mutatio fieret circa mysterium Eucharistiae, siquidem jam non unice ornaretur dignitate et efficacia sacrificii, sed eamdem participaret cum aliis sacrificiis.

2. Christus est conditor Ecclesiae ; unde omnia essentialia ab eo immediate originem habent. Atqui sacrificia, haud secus ac sacramenta, sunt essentialibus annumeranda. Ergo.

3. Potestas instituendi sacrificia in omni statu naturae convenit soli supremae auctoritati. Atqui Christus manet caput invisibile Ecclesiae. Ergo Christus solus potest instituere sacrificia.

4. A Christo derivatur potestas in membris secundum mensuram quam ipse explicite determinavit (docete... baptizate... solvite... ligate etc.). Jamvero non legitur dedisse potestatem instituendi sacrificia.

§ 4. De habitudine sacrificii Missae ad sacrificium ultimae coenae.

THESIS XXXI[a]. — Sacrificium Missae non differt specifice a sacrificio ultimae Coenae ; differt tamen differentia accidentali.

226. — Prima pars. Arg. I[m]. Jussi sunt apostoli eorumque successores offerre idem sacrificium quod ipsemet Christus obtulerat ; cum nequeat esse idem numero, reliquum est ut apostoli dicantur jussi esse offerre sacrificium idem specie. De praecepto dominico constat tum verbis Christi : « Hoc facite in meam commemorationem », ubi *hoc* supponit pro sacrificio quod, apostolis cernentibus, a Christo fuerat oblatum ; tum Tridentino aiente : « Deus et Dominus noster... in coena novissima..., ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile... relinqueret sacrificium..., sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis apostolis, quos unc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit ; et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba : Hoc facite in meum commemorationem ». Sess. XXII, 1.

Arg. II[m]. Ibi idem specifice sacrificium, ubi eadem hostia offertur Deo, idem est principalis offerens, eadem specifice est immolatio et oblatio. Atqui in utroque sacrificio eadem est victima, nempe Christus sub speciebus praesens ; idem est principalis offerens, nempe Christus

Dominus ; eadem est immolatio et oblatio. Singula ostendentur sub quaestionibus modo agitandis. Cf. nn. 234, 240, 262.

Confirmatur quia omnes differentiae quae notabuntur, non arguunt diversitatem specificam, sed tantum accidentalem.

227. — **Secunda pars.** DATUR DISCRIMEN ACCIDENTALE.

Primum discrimen petitur *ex parte victimae :* In ultima coena oblata est victima mortalis, siquidem erat morti proxima ; contra in sacrificio Missae offertur victima immortalis. — Discrimen non esse substantiale, manifestum est quia tum substantia rei oblatae ejusque dignitas et valor, tum immolatio et oblatio sunt eaedem. Ergo restat ut discrimen sit accidentale.

Secundum petitur *ex parte offerentis :* In ultima coena unus et visibilis sacerdos fuit Christus, qui per se ipsum sacrificium obtulit ; in sacrificio Missae Christus est sacerdos invisibilis, datur praeterea sacerdos visibilis per quem Christus sacrificium offert. — Discrimen non esse substantiale constat quia species sacrificii pendet vel unice a victima oblata, vel tum ab hac hostia tum a principali offerente.

Tertium petitur *ex parte meriti in principali offerente.* Sacrificium ultimae coenae fuit meritorium in actu primo ; immo meruit in actu secundo quatenus per mortem crucis fuit consummandum : praeterea merita parta in cruce applicuit sive in actu primo sive in actu secundo. — Contra sacrificium Missae tantum est applicativum meritorum Christi : Christus enim, immortalis factus in regno caelorum, jam non versatur in statu merendi.

Quartum, magis accidentale et extrinsecum, petitur *ex parte mysticae significationis.* Sacrificium nempe ultimae coenae symbolice repraesentabat mortem crucis tamquam *futuram ;* contra sacrificium Missae repraesentat eamdem mortem tamquam praeteritam.

§ 5. De habitudine sacrificii Missae ad sacrificium crucis.

THESIS. XXXII[a]. — **Sacrificium Missae differt a sacrificio Crucis, non tantum accidentaliter, sed adhuc specifice. Devincitur tamen cum hoc sacrificio intrinseca relatione, quatenus ex institutione Christi est memoria et figura sacrificii Crucis. Quare est sacrificium relativum.**

228. — Prima pars. DATUR DISCRIMEN ACCIDENTALE. Deprehenduntur enim eadem discrimina quae in superiori thesi fuerunt observata.

1. *Ex parte victimae.* In ara crucis oblata est victima mortalis et passibilis, in altari, immortalis et impassibilis.

2. *Ex parte offerentis.* Christus per seipsum obtulit se visibiliter Patri in cruce, per ministros vero in altari et invisibiliter.

3. *Ex parte meriti.* Sacrificium crucis, illudque solum, fuit meritorium in actu secundo redemptionis generis humani et omnis gratiae hominibus redditae.

4. Praeterea sacrificium crucis est *absolutum,* sacrificium altaris est *relativum* h. e. est repraesentatio, imago sacrificii crucis.

229. — Secunda pars. DATUR DISCRIMEN SPECIFICUM.

Negant differentiam specificam Sotus, Valentia, Vasquez. — Eam propugnant Suarez, Tanner.

Prob. Arg. I^m. Ubi immolatio specie diversa, ibi sacrificium specie diversum. Atqui immolatio in cruce facta specie differt ab immolatione eucharistica; altera enim est cruenta et realiter destructiva, altera vera incruenta et nonnisi aequivalenter destructiva, immo juxta nonnullos tantum figurative destructiva. Ergo. — *Constat major* quia sacrificium constat ex immolatione tamquam materia, et oblatione tamquam forma; jamvero illa composita sunt specie diversa, quorum unum componens est essentialiter diversum, licet alterum sit idem. Patet quia species est essentia completa constans ex componentibus.

Arg. II^m. Sacramenta specifice differunt non modo quia praeter gratiam generice sumptam singula significant et causant gratiam specialem, sed adhuc quia aliis alia est materia. Ergo sacrificium crucis et sacrificium altaris specifice differunt quia diversa est materia.

230. — Dices 1°: Essentia sacrificii potissimum sumenda est ex re oblata, et ex ratione sub qua in divinum cultum offertur. Sacrificium enim est actus religionis, atque ideo speciem essentiamque suam ex objecto et motivo habet. Atqui sacrificium eucharisticum a sacrificio crucis objecto et motivo non differt. Ergo.

Resp. Sacrificium sumi potest dupliciter: a) Uti est actus virtutis religionis. In ho conveniunt omnia sacrificia, immo alii adhuc actus ab eadem virtute eliciti. Porro virtutes specificantur ex objecto et ex motivo seu fine. Inde sacrificium, uti est actus virtutis, distinguitur a reliquis virtutibus ratione finis specialis, qui est agnoscere Deum qua primum principium, dominum et ultimum finem. Haec autem significatio annectitur immolationi et oblationi rei immolatae. Praeterea b) sacrificium comparari potest cum reliquis actibus ejusdem virtutis religionis. A reliquis actibus differt quia significatio annectitur ritui

externo qui constat immolatione per modum materiae et oblatione per modum formae. Inde sacrificium specificatur inter reliquos actus virtutis religionis ratione ritus externi. Ulterius c) diversa sacrificia inter se comparari valent ut cujusque differentia propria innotestat, qua inter reliqua specificetur. Porro ritus, essentialiter constans ex immolatione et ex oblatione victimae, dispescitur in species prouti immolatio est incruenta aut cruenta seu pro duplici modo immolandi et offerendi. — Quare *Dist. maj.* Essentia sacrificii, uti est *actus virtutis,* potissimum sumitur ex objecto et fine, *Conc.*; essentia sacrificii *simpliciter* sumpti, seu uti est ritus externus, *Neg.* aut *Subd.* ex objecto *uti est immolatum* et *oblatum, Conc.;* ex objecto *praecise, Neg. — Cdt. min.*

Dices 2°: Sacrificium est in genere signi, quod cum dicat ordinem ad rem significatam, per quem in suo esse essentiali constituitur, non non potest diversificari specie, nisi etiam terminus seu res significata sit specie diversa. Atqui in praesenti res significata non est specie diversa, cum et crucis et Eucharistiae sacrificium significent eumdem interiorem affectum et eumdem cultum. Ergo.

Resp. a) *Argumentum nimis probat :* Sequeretur enim omnia sacrificia esse ejusdem speciei, nempe sacrificia V. L., sacrificium crucis et sacrificium N. L. b) Conceditur sacrificium esse in genere signi; exinde tantum sequitur ad ea sacrificia quae dicerentur esse specie diversa prouti sunt signa, debere respondere diversas significationes. Verum non sequitur eamdem significationem annecti non posse immolationibus specie diversis, proindeque sacrificia sumpta simpliciter et uti sunt ritus externi non partiri posse in diversas species habentes eamdem significationem. — Quare *Dist. maj.* Cum sacrificium sit in genere signi, consequitur illud, *si consideratur ut signum,* non posse diversificari specie, nisi res significata sit diversa, *Conc.;* si consideratur *simpliciter* seu *uti est ritus externus, Neg. — Cdt. min.*

231. — Tertia pars. SACRIFICIUM ALTARIS EST, EX INSTITUTIONE CHRISTI, REPRAESENTATIO ET MEMORIA SACRIFICII CRUCIS, ADEOQUE EST SACRIFICIUM RELATIVUM.

De conceptu sacrificii relativi sunt duo : a) Ut sit *sacrificium,* adeoque ut in eo deprehendatur essentia sacrificii generice sumpti. b) Ut sit *relativum,* h. e. ut id in quo apprehenditur notio sacrificii habeat, vi institutionis, relationem ad aliud sacrificium. Inde sacrificium relativum continetur genere sacrificii et gaudet sua differentia specifica.

Prob. Arg. I^m. *Ex Script.* Apud tres Evangelistas et apud Paulum narratur Christus post consecrationem corporis et sanguinis sui

dedisse apostolis eorumque successoribus illud praeceptum : « Hoc facite in meam commemorationem. » Quaestio utrum facienda sit per sacrificium altaris memoria Christi simpliciter, an memoria Christi offerentis sacrificium coenae, an denique memoria Christi patientis et morientis pro nobis, clare solvitur a Paulo immediate post narratam institutionem Eucharistiae addente haec verba :« Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, (toties) *mortem Domini annuntiabitis, donec veniat :* τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου καταγγέλλετε, ἄχρις οὗ ἂν ἔλθῃ (I Cor. XI, 26). Ergo ipsa celebratio Eucharistiae objective sumpta est annuntiatio, seu commemoratio, seu memoria, seu repraesentatio sacrificii crucis.

Arg. II^m. *Ex Patribus.* 1. Defendunt Patres sacrificium Missae esse objectivam commemorationem seu memoriam passionis dominicae, hujusce continuam imitationem, mysticam instaurationem mortis. Sic loquuntur, inter alios, Cyprianus, Augustinus, Gaudentius Brixianus, Gregorius Magnus, Chrysostomus, Algerus (1).

2. Tenent sacrificium Missae esse nullum, si tantum fit consecratio

(1) Cyprianus : « Apparet sanguinem Christi non offerri, si vinum desit calici, nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni... Quia mentionem ejus in sacrificiis omnibus facimus *(passio est enim Domini* sacrificium quod offerimus), nihil aliud quam quod ille fecit, facere debemus. » *Epist.* LXIII, *ad Caecil.* n. 9, 17. M. IV, 381, 387.

Ambrosius : « Ante agnus offerebatur..., nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem. » *De offic.* I, XLVIII. M. XVI, 94.

Aug. « Verum sacrificium, quod uni vero debetur Deo, quo ejus altare solus Christus implevit, in victimis pecorum imitata daemonia sibi arroganter exposcunt. Unde dicit Apostolus : « Quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo ; » non quod offerebatur culpans, sed quia illis offerebatur. Hebraei autem in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis et variis modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futurae victimae, quam Christus obtulit. Unde jam christiani peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant, sacrosancta oblatione et participatione corporis et sanguinis Christi. » *Cont Faust.* XX, XVIII. M. XLII, 382. — Postquam dixerat sacrificare martyribus esse gravissimum crimen, subjungit « Sacrificare martyribus dixi ; non dixi sacrificare Deo in memoriis martyrum, quod frequentissime facimus, illo dumtaxat ritu, quo sibi sacrificari novi testamenti manifestatione praecepit; quod pertinet ad illum cultum, qui latria dicitur, et uni Deo debetur. Sed quid agam, et tantae caecitati istorum haereticorum quando demonstrabo, quam vim habeat, quod in Psalmis canitur : « Sacrificium laudis glorificabit me, et illic via est, ubi ostendam illi salutare meum ? » Hujus sacrificii caro et sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur ; in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur ; post ascensum Christi per sacramentum memoriae celebratur. » Ib. XXI, M. 385.

Gaud. Brix. « A Christo instituti sacrificii caelestis causam rationemque noscamus... Voluit beneficia sua manere apud nos, voluit animas pretioso sanguine suo semper sanctificare per imaginem passionis. Et ideo discipulis fidelibus mandat, quos primos Ecclesiae suae constituit sacerdotes, ut indesinenter ista vitae aeternae mysteria exercerent. »

Greg. M. « Haec singulariter victima ab aeterno interitu animam salvat, quae illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis jam non moritur et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur...

corporis Domini, omissa consecratione calicis, quia tunc non habetur repraesentatio passionis Christi. Sic Cyprianus l. c.

3. Rationem ob quam sacrificium Missae sit relativum, repetunt Patres ex eo quod eo fit applicatio meritorum in cruce consummatorum ; exinde nempe intima est relatio sacrificii Missae ad sacrificium crucis. Sic inter alios Caesarius Arelatensis (1).

Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti filii semper imitatur. » *Dialog.* IV, LVIII. M. LXXVII, 425.

CHRYS. Agens de infirmitate veterum sacrificiorum, qua fiebat ut iterari eadem jugiter deberent, sibimetipsi objicit : « Quid vero ? annon nos quotidie offerimus ? » Respondet vero : « Offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam ; et ipsa una est, non multae. Quomodo una est, non multae ? Quoniam semel fuit oblata, sicut illa fuit in sancta sanctorum. Hoc est figura illius, et ipsa istius ; eumdem enim semper offerimus, non nunc aliam, cras aliam ovem, sed semper eamdem. Quamobrem unum est sacrificium propter hanc rationem ; alioquin hac ratione, quoniam multis in locis offertur, multine sunt Christi ? Nequaquam, sed unus ubique Christus, qui et hic est plenus, et illic plenus, unum corpus. Ut ergo multis in locis oblatum unum est corpus, et non multa corpora, ita etiam unum est sacrificium. Pontifex noster ille est, qui obtulit hostiam, quae nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quae tunc fuit oblata, quae non potest consumi. Hoc fit in recordationem ejus, quod tunc factum est : « Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. » *Hom. XVII in epist. ad Hebraeos*, n. 3. M. LXIII, 131.

ALGERUS : Multum disserit de testimonio Chrysostomi modo citato (quod ipse adscribit Ambrosio). Haec scribit : « Sciendum quia si nostra quotidiana oblatio alia esset, quam illa in Christo semel oblata, non vera esset, sed superflua. Cum enim oblatio illa in Christo semel oblata, et vere sit vera, quia vere vita aeterna et sufficiens, ut eam nobis conferat, ipsa sola nostra oblatio, quam aliam vitam posset promittere vel conferre, si esset alia ? Aliam enim oblationem, aliam oporteret conferre salutem, vel ad eamdem, ad quam conferendam sola Christi sufficit oblatio, esset superflua et vana. Quia ergo impossibile est aliam conferri salutem, oportet eamdem esse illam semel oblatam, et nostram quotidianam oblationem, ut eadem sibi ipsi non sit superflua, sed eadem semper sufficiens et semper necessaria. » — Deinde citat verba Chrysostomi de identitate oblationis crucis et oblationis altaris, et sic prosequitur : « Notandum ergo quia quotidianum nostrum sacrificium idem ipsum dicit cum eo, quo Christus semel oblatus est in cruce, quantum ad eamdem veram hic et ibi corporis Christi substantiam : quod vero nostrum quotidianum illius semel oblati dicit esse exemplum, id est figuram vel formam, non dicit ut hic vel ibi essentialiter alium Christum constituat, sed ut eumdem in cruce semel, in altari quotidie alio modo immolari et offerri ostendat ; ibi in veritate passionis, qua pro nobis occisus est, hic in figura et imitatione passionis ipsius, qua Christus non iterum vere patitur, sed ipsius vere memoria passionis quotidie nobis iteratur. » Demum haec addit : « Non ergo est in ipsius Christi veritate diversitas, sed in ipsius immolationis actione, quae dum veram Christi passionem et mortem quadam sua similitudine figurando repraesentat, nos ad imitationem ipsius passionis invitet et accendat, contra hostem nos roboret et muniat, et a vitiis purgans et virtutibus condecorans, vitae aeternae nos idoneos ac dignos exhibeat. » *De sacram. corporis et sanguinis Dom.* I, XVI. M. CLXXX, 786 sq.

Observa. Immerito ex ultimis verbis concludit Vasquez (d. CCXXII, c. VII) eatenus in consecratione rationem sacrificii poni ab Algero, quatenus ea sacrificium crucis repraesentatur cum vera praesentia Christi ibi contenti... Asserit enim tantum Algerus in mysterio Eucharistiae actionem immolationis esse figuram passionis, nullatenus contendit totam rationem immolationis consistere in mera repraesentatione.

(1) CAESARIUS ARELAT. « Necessarium nobis erat,... ut coleretur jugiter per mysterium, quo semel offerebatur in pretium, ut, quia quotidiana et indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua etiam esset redemptionis oblatio et perennis victima viveret in memoria et semper praesens esset in gratia. » Hom. V *de Pasch.* M. LXVII, 1052.

4. Tridentinum idem profitetur aiens : « Deus et Dominus noster, etsi semel se ipsum in ara crucis morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur,... in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae suae sponsae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, ejusque memoria in finem usque saeculi permaneret,... corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit ». Sess. XXII, 1.

Arg. III^{m}. Petitur *ex unanimi consensu Scholae.* « Celebratio hujus sacramenti, ait Angelicus, imago quaedam est repraesentativa passionis Christi, quae est vera ejus immolatio. Et ideo celebratio hujus sacramenti dicitur immolatio » ([1]). — « Repraesentatio dominicae passionis agitur in ipsa consecratione hujus sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari » ([2]). — « In quantum in hoc Sacramento repraesentatur passio Christi, qua Christus obtulit se hostiam Deo,... habet rationem sacrificii » ([3]). — Eamdem doctrinam propugnant Suarez, Vasquez, Lugo, Lessius, Toletus, Gonet ([4]).

CAPUT II.

De essentia Sacrificii Missae.

Suar. d. lxxv. — Lug. d. xix. sect. 3, 4, 5, 6. — Bellarm. *De sacrif.* l. I, c. xxvii. Vasq. d. ccxxii.

232. — Sacrificium considerari potest uti est *res* et uti *actio*. Porro de sacrificio Missae, uti sacrificium supponit pro *re*, quaeritur *quid immoletur et offeratur*. — De sacrificio Missae, ut sacrificium supponit pro *actione*, quaeritur a) in *quanam parte Missae* absolvatur sacrificii essentia; dato in duplici consecratione deprehendi totam essentiam, quaeritur b) quomodo in hac parte verificetur essentia sacrificii, nempe materia et forma, immolatio et oblatio ?

([1]) S. Thomas, III, lxxxiii, 1. — ([2]) Id. III, lxxx, 12, 3. — ([3]) Id. III, lxxix, 7. — ([4]) Suarez, d. lxxv, sect. 6, n. 7. — Vasquez, d. ccxxii, c. vii, n. 57. — Lugo, d. xix, s. 8, n. 106. — Lessius, *De div. perf.* l. XII, c. xiii, n. 95 ; in III, q. lxxxiii, a. 1, dub. 6, n. 32. — Toletus, Tract. IV *De Sacrif. Missae*, controv. v, concl. 1. — Gonet, *De Sacrif. Missae*, d. XI, a. ii, § 4, n. 47.

ARTICULUS I.

Quaenam sit materia in Sacrificio Missae destructa et oblata.

SUAR. d. LXXV, s. I.

§ 1. STATUS QUAESTIONIS.

Quaeruntur duo de re quae per actionem sacrificam in Missa immolatur et offertur : a) an Christus immoletur et offeratur ; b) utrum nonnisi corpus et sanguis Christi in sacrificium offeratur ; an praeterea substantia panis et vini in sacrificium offeratur ; an species panis et vini offerantur.

Manifestum est corpus et sanguinem Christi, adeoque totum Christum esse victimam quae Deo offertur in sacrificium. Porro offertur Christus, non quidem uti est in caelo : secundum quod est in connaturali specie in caelo non mutatur, nihil acquirit et nihil amittit, adeoque non est terminus actionis sacrificae neque per modum materiae remotae neque per modum materiae proximae. — Circa reliquas quaestiones variae sunt sententiae.

233. — Circa quaestionem *an species sacramentales* sint pars essentiae sacrificii sumpti pro re, sunt duae sententiae.

Communis sententia, ait Lugo ([1]), affirmat species sacramentales esse partem rei oblatae : tenet itaque Christum offerri simul cum speciebus, seu quatenus cum speciebus unum compositum constituit. Sic Suarez ([2]) et Lugo l. c.

Negant species eucharisticas esse rem in sacrificium oblatam Vasquez, Lessius, Pasqualigus, Coninck, Franzelin, Stentrup, Sasse, Pesch. ([3]). Volunt itaque species *non esse id quod* offertur in sacrificium, sed *id sub quo* Christus offertur et per quod Christus fit visibilis victima.

Circa quaestionem an *substantia panis et vini* sit pars essentiae sacrificii pro re sumpti, sunt diversae sententiae :

Alii dicunt substantiam panis et vini *non pertinere* ad sacrificium Missae tamquam *rem oblatam ;* sed tantum veluti rem quae desinit ut

([1]) LUGO, d. XIX, sect. 7, n. 97. — ([2]) SUAR. d. LXXV, s. I, concl. 4ª. — ([3]) VASQUEZ, d. CCXXIII, n. 43. — LESSIUS, *De div. perf.* XII, XIII. — PASQUALIGUS, *De sacrif. Nov. Leg.* l. I, q. XXIX. — CONINCK, *De sacram. in gen.* III, q. LXXXIII, a. I, dub. 4. — FRANZELIN, *De Euch.* Th. XVI, coroll. I. — STENTRUP, *De Verbo Inc.* II, II, 455 sq. — PESCH : *De Euch.* n. 894. — SASSE, *De Euch.* pars III, s. III, c. I.

divina victima constituatur sub speciebus. Volunt itaque actionem sacrificam terminari ad solum corpus et sanguinem Christi constituendum in statu victimae ; non posse vero constitui in hoc statu, nisi substantia panis et vini desinat. Sic scriptores modo citati.

Alii tenent *panem et vinum aliquo modo offerri in Missa* et proinde pertinere ad rem quae sacrificatur ; attamen panem et corpus Domini, vinum et sanguinem Domini, non esse duo sacrificia, sed unum. Rationem dant quia panis et vinum non offeruntur simpliciter, sed ut consecranda et convertenda in corpus et sanguinem Domini. Sic Bellarminus, Suarez, aliique (4). In omni sacrificio, ait Suarez, materia, quae sacrificationi supponitur, partim destruitur, nempe quoad formam, partim remanet, nempe quoad materiam primam. In sacrificio Eucharistiae destruitur tota substantia panis et vini, remanent accidentia.

Alii tenent *duplex esse sacrificium*, alterum *panis et vini,* alterum *corporis et sanguinis ;* adeoque *duplicem esse materiam proximam* sacrificii. Addunt sacrificium panis et vini esse praeambulum alterius sacrificii, ad quod ordinatur veluti ad id quod primario intentum est, ideoque moraliter utramque oblationem coalescere in unum sacrificium (5).

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS XXXIII[a]. — Sacrificium Missae, si consideratur uti praecise res, continetur corpore et sanguine Christi, nequaquam vero substantia panis et vini. Species vero sacramentales videntur intrinsecus pertinere ad rem oblatam in sacrificio, ita nempe ut Christus offeratur quatenus cum speciebus compositum sacramentale constituit.

234. — Prima pars. Corpus et sanguis Christi in sacrificium offeruntur, non autem substantia panis et vini.

Prob. Corpus et sanguinem Christi in sacrificium offerri constat tum verbis institutionis, tum Patrum testimoniis tum Liturgiis. Christus enim, sub speciebus praesens, disertis verbis asseritur mactatus, immolatus, oblatus; vocatur agnus, hostia, victima. Cfr. n. 217, 219. — Restat ut ostendatur substantiam panis et vini non offerri in sacrificium.

1. Innumeri sunt loci ubi Patres, Concilia, Liturgiae sermonem instituunt de materia quae Deo offertur in sacrificium et nonnisi de

(4) Bellarm. *De sacrif.* l. I, c. xxvii. — Suarez, l. c. concl. ult. — (5) Sic Ruard. *art. 18 contra Luth.* et Cassal. l. I *De sacrif. Missae,* c. xx.

corpore et sanguine Christi agunt, nulla mentione facta de oblatione substantiae panis et vini. Ergo.

2. Interdum dicitur fieri sacrificium panis et vini : Cyprianus ait : « Panem et calicem mistum vino obtulit. » Irenaeus : « Praecipit Christus apostolis, ut primitias creaturarum, scilicet panem et vinum, Deo in sacrificium offerant. » Alexander I : « Panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificio offerantur ». Fulgentius Missam vocat sacrificium panis et vini. Clemens P. : « Tot holocausta in altari offerantur, quot populo sufficiant » ubi hostiae panis vocantur holocausta. Ita etiam Gregorius Magnus. Denique in quadam antiphona dicitur : « Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech panem et vinum obtulit. » ([1]) — Verum in iisdem locis panis et vinum dicuntur offerri in sacrificium, vel quia convertuntur in id quod offertur in sacrificium (sic explicantur Cyprianus et Gregorius) ; vel quatenus ipse Christus metaphorice vocatur panis ratione accidentium quibus efficienter substat (sic explicatur Fulgentius) ; vel quatenus eo ipso quod consecranda proponuntur Deo, ei offeruntur, non tamen in sacrificium proprie dictum siquidem significatio sacrificio propria non fuit annexa substantiae panis et vini : latius enim patet oblatio quam sacrificium (sic explicantur nonnullae orationes Ecclesiae in quibus panis et vinum dicuntur offerri). — Ad Irenaeum quod attinet, non dixit Christum obtulisse creaturas panis et vini in sacrificium, sed ex creaturis Deo obtulisse primitias, quia ex illis consecravit corpus et sanguinem suum, quae in sacrificium obtulit Patri. Addit enim : « Eum qui ex creatura panis est, accepit, et gratias egit dicens : « Hoc est corpus meum ». Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, sanguinem suum confessus est, et Testamenti novi docuit oblationem. »

235. — **Secunda pars.** SPECIES SACRAMENTALES PROBABILIUS PERTINENT INTRINSECUS AD REM OBLATAM IN SACRIFICIO.

Prob. Arg. I[m]. Adaequate idem est signum sacramentale materialiter sumptum et signum sacrificii. Etenim juxta doctrinam Patrum hostia sacrificii fit cibus fidelium. Sed hostia est materia sacrificii, materia vero sacramenti est cibus iste. Atqui species pertinent ad materiam sacramenti, iis scilicet annectitur partialiter significatio sacramentalis. Ergo species pertinent intrinsecus ad signum sacrificii.

([1]) CYPR. *Epist.* l. II, ep. LXIII. — IREN. *Adv. haer.* IV, XXXII, 7. — GREG. *Dial.* III, XXIII ; IV, LV. — FULG. *De fide ad Petr.* XIX. — CLEM. P. *Epist. II.* — ALEX. I, *Epist. I.* — Cf. SUAR. d. LXXV, s. 1 in initio. — VASQ. d. CCXXII, c. VI.

Arg. II^m. *Ex Tridentino* in sessione XXII, c. 1 : Dominus noster « in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae *visibile,* sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium quo cruentum illud, semel in cruce peragendum, repraesentaretur ejusque memoria in finem usque seculi permaneret..., sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit,... et eisdem (sacerdotibus) eorumque... successoribus, ut offerrent, praecepit... Novum instituit Pascha, se ipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis *visibilibus* immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem. » Unde sic arguitur. 1. Sacrificium Eucharistiae est non tantum sensibile ratione formae, sed *visibile* ratione materiae. Atqui ut sit visibile, oportet ut species pertineant intrinsecus ad sacrificium. Ergo. — 2. Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Atqui hoc requirit ut species pertineant intrinsecus ad sacrificium. Oportet enim ut conveniat partialiter cum Melchisedech in ratione doni sacrificaliter oblati. Hic autem nonnisi panem et vinum obtulit. Igitur ut conveniant secundum rem oblatam, oportet ut species panis et vini sint pars sacrificii. — 3. Quod a Christo est oblatum Patri in ultima coena et a sacerdotibus immolatur, illud est materia sacrificii. Atqui Christus obtulit corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini ; praecepit ut a sacerdotibus sub signis visibilibus immolaretur. Ergo Christus est materia sacrificii, prouti cum speciebus aliquid unum constituit.

Satisfit difficultatibus.

236. — **Contra 1^m partem. Obj. 1°.** In sacrificio Missae *nonnisi panis et vinum* offeruntur et sacrificantur. Etenim sacrificium, uti est res, est signum. Atqui Christus non est signum. — *Prob. min.* Quod est insensibile, illud non est signum. Atqui Christus est insensibilis. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Sacrificium, uti est res, est signum, idque aut *per se* aut *per aliud* cui unitur, *Conc.;* sacrificium uti est res, est signum *per seipsum, Subd.* saltem secundum *aliquam sui partem.* cui altera pars ex se insensibilis uniri debet, *Conc. ;* debet esse per se signum secundum omnes partes suas, *Neg.* — *Cdt. min.* Christus non est per se et immediate signum, *Conc. :* non est signum mediante alio cui unitur, *Neg.* — Ad probationem minoris respondetur iterum *distinguendo*

majorem : quod est insensibile, id non est *per se* et *immediate* signum, *Conc. ;* non valet esse signum, *mediante alio* cui ipsummet unitur, *Neg.* — *Conc. min.* — *Dist. cons.* — Immediate audiuntur verba consecrationis ; aliunde cognoscitur eum qui verba consecrationis profert ornari potestate sacerdotali ; fide apprehenditur Christus sub speciebus praesens. Inde intelligitur Christum sub speciebus esse praesentem tum ut nutriat animas tum ut immolatione sui adoret Patrem.

Obj. 2°. Illud solum offertur et sacrificatur, quod immutatur et destruitur in honorem Dei. Sic in V. L. agnus sacrificabatur, destruebatur et offerebatur. Atqui in mysterio Eucharistiae solus panis et solum vinum destruuntur et immutantur. Ergo.

Resp. 1. Datur duplex destructio : formalis et aequivalens. Sola quidem substantia panis et vini realiter destruitur ; Christus vero ponitur sub speciebus in statu victimae, et aequivalenter destruitur Haec destructio sufficit ut ratio sacrificii verificetur.

2. Ut aliquid sit aptum ad hoc ut ipsi annectatur significatio sacrificio propria, non sufficit ut sit destructum et qualicumque modo oblatum Deo ; requiritur ut positive et actu fuerit institutum in sacrificium et acceperit ab auctoritate publica significationem sacrificio propriam. Illud autem deesse pani et vino ex argumentis supra datis constat.

Quare resp. *Dist. maj.* Id solum sacrificatur sensu proprio quod destruitur *formaliter* aut *aequivalenter* et cui positive est annexa *significatio sacrificii, Conc.;* quod formaliter destruitur, *Neg.* — *Cdt. min.* Sola substantia panis et vini destruitur *formaliter,* ei tamen non est annexa significatio sacrificio propria, *Conc.* Non datur aliud quod *aequivalenter* destruitur et cui annexa fuit significatio sacrificio propria, *Neg.*

Obj. 3°. In omni actione sacrifica offertur et sacrificatur id quod sacrificio praesupponitur ; numquam vero id sacrificatur quod ex actione resultat. Sic agnus vivus offertur et sacrificatur, non vero agnus mortuus, seu cadaver quod ex sacrificio resultat. Atqui in sacrificio missae praesupponitur quidem substantia panis et vini, nullatenus vero corpus et sanguis Christi. Ergo.

Resp. a) In actione sacrifica aliquid destruitur et aliquid producitur aut saltem praesens sistitur. Id quod producitur, *prout producitur,* non dicitur sacrificari. Si *praesens sistitur* in statu aequivalentis destructionis, est aptum ut ei imponatur significatio sacrificii et offeratur Deo. — b) In veteribus sacrificiis terminus qui destruitur actione sacrifica, est principalis et hic solus offertur Deo. In mysterio Eucha-

ristiae, Christus, praesens factus in statu exinanitionis, est terminus principalis et solus sacrificaliter offertur. — c) De facto omne quod offertur, praesupponitur oblationi, seu *praeexsistit;* hoc tamen non requiritur essentia sacrificii. Si enim aliquid posset produci ab homine in statu victimae, valeret eadem actione Deo in sacrificium offerri; haec vero actio foret sacrifica, non in quantum foret productiva, sed quatenus esset destructiva. — Ceterum nulla occurrit difficultas ex hoc petita, siquidem Christus praesupponitur exsistens, immo praesupponitur obtulisse sacrificium crucis, cum ad illud essentialem ordinem habeat sacrificium Missae. — d) In omni sacrificio naturali, cujus nempe hostia est res naturalis et cujus minister principalis est merus homo, victima praesupponitur *praesens* ejus immolationi et oblationi : ratio est quia causa naturalis non valet immolare victimam nisi prius fuerit ei adducta. At iterum non est de essentia sacrificii ut victima prius praesens sistatur quam immoletur et offeratur; quare si ea est virtus ministro ut possit praesentem facere victimam in statu victimae, haec actio erit sacrifica, non in quantum facit victimam praecise praesentem, sed in quantum eam immolat, adeoque offert Deo. Quare *Dist. 1ª pars maj.* Quod offertur, praesupponitur *exsistens, Conc.;* praesupponitur *praesens, Subdist.*, in omni sacrificio *in quo fit realis destructio, Trans.;* in sacrificio ubi non fit nisi *aequivalens destructio*, *Subd.* in sacrificia *naturali*, cujus minister principalis non valet aequivalenter destruere et offerre nisi rem prius praesentem, *Conc.;* in sacrificio *supernaturali,* cujus minister principalis est ipsemet Christus moraliter causans praesentiam sui in statu victimae et physice seipsum Patri offerens, *Neg.* — *Dist. 2ª pars maj.* Numquam sacrificatur id quod ex actione resultat, *in quantum resultat* seu producitur, *Conc.;* in quantum ita resultat ut *in statu victimae ponatur*, *Subd.* numquam sic res peragitur in sacrificiis *naturalibus, Conc.: hoc est contra essentiam sacrificii, Neg.*

Obj. 4°. *Non solus Christus offertur* in sacrificium, sed adhuc *substantia panis et vini.* Etenim offertur id omne et solum quod significatur verbis consecrationis. Atqui non modo significatur Christum esse praesentem, sed adhuc panem ab essendo deficere. Ergo,

Resp. *Dist. maj.* Offertur id omne et solum quod significatur verbis consecrationis prouti eis competit *ratio actionis sacrificae, Conc.;* prouti eis competit *ratio actionis conversivae, Neg. — Cdt. min.*

Obj. 5°. Id offertur ad quod terminatur actio sacrificandi. Atqui terminatur non tantum ad corpus Christi in ordine ad efficiendam

ejus praesentiam, sed etiam ad substantiam panis et vini in ordine ad efficiendam eorumdem desitionem. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Id offertur ad quod terminatur actio sacrificandi *formaliter* sumpta, *Conc.;* offertur id omne ad quod terminatur actio sacrificandi materialiter sumpta, *Neg.*

Obj. 6°. Sacrificium Missae debet continere ea omnia quae ingrediuntur in quolibet alio sacrificio. Atqui in omni sacrificio invenitur aliqua destructio et aliqua productio. Ergo.

Resp. a) *Dist. maj.* Debet ea continere *eodem modo, Neg.;* eadem, licet *diverso modo* ob specialem suam indolem, *Conc. — Conc. min. — Dist. cons.* Ergo in sacrificio Missae datur aliquid quod destruitur *aequivalenter* et aliquid *identificatum* cum priore quod praesens sistitur, et id offertur, *Conc;* aliquid quod destruitur realiter et aliquid aliud *realiter distinctum* quod praesens sistitur, *et utrumque offertur, Neg.* — b) *Dist. maj.* Missa continet ea quae sunt *de ratione formali* sacrificii, *Conc.;* quae consequuntur ad cetera sacrificia ob indolem rei sacrificatae, *Neg. Cdt. min.* in omni sacrificio datur destructio, realis aut aequivalens, et productio realiter distincta a destructione et quae consequitur ad eam ob indolem rei destructae, *Conc.;* datur *ex ratione formali sacrificii* destructio realis unius rei et productio alterius, *Neg.*

Observa. In sacrificiis aliarum legum et in sacrificio crucis, aliquid destruitur et aliquid producitur: forma nobilior destruitur, eaque sola offertur Deo, adeoque pertinet ad essentiam sacrificii. Forma producta necessario consequitur ad destructionem alterius formae. — In sacrificio altaris destruitur substantia panis et vini et praesens fit Christus in statu aequivalentis destructionis; Christus est terminus principalis, offertur solus, non in quantum fit praesens, sed in quantum est sub speciebus panis et vini in statu victimae.

Inde habetur *similitudo* penes duo inter sacrificium Missae et cetera sacrificia: a) Offertur Deo terminus principalis; b) hic terminus destruitur realiter aut aequivalenter. — Habetur *disparitas:* in sacrificio altaris terminus Deo oblatus incipit esse praesens succeditque substantiae panis et vini quae non offertur Deo; in ceteris sacrificiis terminus oblatus desinit exsistere et ei succedit ex natura rei alius terminus qui non offertur Deo.

Obj. 7°. Ex locutionibus Patrum constat panem et vinum aliquo modo offerri; sed non offeruntur quoad accidentia tantum, sed etiam quoad substantiam; non tamen offeruntur quasi substantia maneret: ergo offeruntur ratione substantiae destructae.

Resp. *Dist. maj.* Juxta Ecclesiam et Patres panis et vinum, h. e. *Christus* metaphorice appellatus panis et vinum, offertur, *Conc.;* panis et vinum sensu proprio, *Subdist.* dicuntur offerri hoc sensu quod *convertuntur* in id quod offertur in sacrificium, *Conc.;* ipsa *offeruntur* in sacrificium, *adhuc Subdist.* in *verum* sacrificium, *Neg.* in sacrificium *latiori* significatu, *Conc.*

Obj. 8°. Dari debet ratio cur fiat transsubstantiatio. Atqui nisi destructio panis pertineat ad essentiam sacrificii, nulla videtur dari ratio. Ergo. — *Prob. min.* Ratio debet peti ex praesentia reali aut ex sacramento, aut ex sacrificio. Atqui a) nulla est ratio *ex parte praesentiae realis:* uti enim Christus est praesens sub speciebus sensibilibus, ita eadem facilitate potest esse praesens in substantia panis. b) Nulla est ratio *ex parte sacramenti:* ratio enim sacramenti seu signi sensibilis melius salvatur, manente substantia panis quam ea desinente. Ergo, si transsubstantiatio non pertinet ad rationem sacrificii, non videtur quare fiat.

Resp. Ratio transsubstantiationis petitur tum ex sacramento tum ex sacrificio. Desinit substantia panis et convertitur in corpus Christi ut divina victima constituatur sub speciebus in statu cibi ac potus. Corpus enim Christi non potest constitui in hoc statu, sacramentali et sacrificali, nisi uniatur speciebus adeoque substantia panis et vini desinat conversione in corpus et sanguinem Christi.

237. — Contra II^m partem. Obj. 9°. Eo quod species sacramentales pertinerent intrinsecus ad materiam sacrificii, seu essent intrinsecae rei quae offertur, sequeretur sacrificium Missae et sacrificium crucis non esse idem secundum rem oblatam. Atqui hoc dici nequit. Ergo.

Resp. Res oblata est substantialiter eadem. In alio statu aliis unitur accidentibus. In altari extrinsecus unitur speciebus; in cruce intrinsecus uniebatur nonnullis accidentibus quibus nunc caret Christus tum in caelo tum sub speciebus. Penes diversitatem horum accidentium reponitur duplex ratio sacrificii, nempe cruenti et incruenti. Quare *Dist. maj.* Sequeretur sacrificium altaris et sacrificium crucis non esse idem secundum *substantiam* oblatam, *Neg.; secundum accidentia,* adeoque *secundum modum offerendi, Conc. — Cdt. min.*

Obj. 10°. Ex eadem ratione sequeretur accidentia principalius offerri quam corpus Christi. Atqui hoc dici nequit. Ergo. — *Prob. maj.* Cum eadem foret materia sacramenti et sacrificii, sequeretur illud principalius offerri seu esse principaliorem partem materiae sacrificii, quod est pars principalis materiae sacramentalis. Atqui species sunt pars prae-

cipua materiae sacramentalis ; in ratione enim signi sensibilis excedunt corpus Christi. Ergo.

Resp. a) In sacrificio illud est principalius quod principaliter consecratur et offertur in Dei honorem. Talis autem profecto est Christus. In sacramento illud a nonnullis vocatur pars principalis, quod magis est sensibile. Ergo etiam si species essent pars principalis materiae sacramentalis, non sequeretur eas esse partem principalem sacrificii. — b) Sacramentum non tantum demonstrat gratiam, sed eam causat. Quod principaliter in materia causat, merito vocatur pars praecipua materiae. Ergo licet species ponerentur principalius significare, cum tamen Christus principalius causet, dicendus est esse pars principalis materiae sacramenti. Hinc *Conc. maj.* Ad probationem respondetur *negando majorem et minorem.*

ARTICULUS II.

In quanam actione Missae consistat essentia sacrificii.

§ 1. Sententiae.

238. — A. Distingui potest in sacrificio pars *essentialis,* pars *integralis,* et pars *extrinsece perficiens.* — 1. Pars *essentialis* nequit deesse nisi ipsum sacrificium sit nullum : essentiae enim rerum sunt indivisibiles. Patet partes essentiales sacrificii esse materiam seu immolationem et oblationem : his enim constat ritus externus, iisque annexa est a Christo significatio sacrificii. — 2. Pars *integralis* ea est sine qua exsistit quidem sacrificium, verum non est integrum, seu non habet perfectionem quam essentia postulat habere. Se habet ad sacrificium eo modo quo manus et pedes hominis se habent ad ejus essentiam. — 3. Pars *extrinsece perficiens* est ea sine qua sacrificium non attingit finem suum, adeoque caret perfectione extrinseca. — 4. Praeterea dantur caerimoniae, sine quibus illicite quidem offertur sacrificium, salvis tamen manentibus partibus essentialibus, integralibus et intrinsece perficientibus.

B. In sacrificio Missae sex distinguuntur actiones, de quibus quaeritur in quanam consistat essentia sacrificii. — 1. Oblatio panis et vini, per elevationem hostiae et calicis, et orationem vocalem. — 2. Consecratio corporis et sanguinis Domini. Haec expresse legitur a Christo facta in ultima coena. — 3. Oblatio corporis et sanguinis Domini immediate post consecrationem, hac oratione : « Unde et memores,

Domine... offerimus praeclarae Majestati tuae... hostiam puram... supra quae propitio... vultu respicere digneris : et accepta habere, etc. » — 4. Fractio hostiae et mixtio particulae sanguini Christi. — 5. Sumptio utriusque speciei consecratae a sacerdote. — 6. Dispensatio seu distributio sacramenti consecrati fidelibus. Legitur in ultima coena fuisse facta : « Deditque discipulis suis, dicens : Accipite et comedite etc. »

QUAESTIO. Antea ostensum fuit Christum, uti est sub speciebus praesens, esse materiam quae immolatur et offertur. Nunc inquiritur in quanam parte consistat essentia sacrificii seu quandonam fiat immolatio et oblatio Christi, adeoque cuinam parti annexa sit a Christo significatio, quae est propria sacrificio.

239. — SENTENTIAE : I^a. Juxta Scotum et Gabriel ([1]) tota essentia sacrificii stat *in oblatione quae consecrationem sequitur*, supposita consecratione quae materiam offerendam praeparet. — Praeterea hanc oblationem ad essentiam aut ad integritatem sacrificii pertinere asserunt Dom. Sotus, Canus, Alphonsus de Castro aliique pauci ([2]). — Eamdem vero nullo modo ad essentiam et substantiam sacrificii spectare, statuunt Suarez, Vasquez, cardinalis de Lugo, Valentia, Coninck aliique communitur.

II^a. Juxta Ledesma ([3]) essentia sacrificii stat tota *in sumptione sacerdotali*, non quatenus est qualiscumque usus sacramenti, sed *quatenus est perfecta consumptio et immutatio victimae oblatae.*

III^a. Juxta Suarez, Vasquez, Lessium, Bonaventuram, Alanum, Catharinum, Gonet qui ait omnes thomistas sic docere, Bosco, Wirceburgenses etc. ([4]), quam sententiam profiteri videtur Aquinas, essentia sacrificii consistit *in sola consecratione utriusque speciei.* Sumptio autem sacerdotalis est sacrificio posterior et pertinet aut ad partes integrantes aut ad perfectionem quasi extrinsecam mysterii.

IV^a. Juxta D. Soto, Lugonem, Bellarminum, de Valentia, et Salmanticenses ([5]) essentia reponitur *in consecratione et in sumptione sacerdotali.* — Juxta card. de Lugo, posita consecratione, jam ponitur substantialis

([1]) Scot. in 4 d. 13, q. II. — Gabr. in 4 d. 13, q. 1, a. 3, dub. 2. — ([2]) D. Sotus, in 4 d. 13, q. II, a. 5. — Canus, *De locis theol.* l. XII, c. XIII. — Alph. de Castro, *Cont. haer.* l. X, verbo « *Missa,* » haer. 1. — ([3]) Ledesma, I par. IV, q. XXIII, a. 4. — ([4]) Suar. d. LXXV, s. 4 et 5. — Vasq. d. CCXXII, c. V. — Less. In III, q. LXXXIII, a. 1, dub. 6, n. 26; *De div. perf.* l. XII, c. XIII, n. 94. — Bonav. in 4 d. 14, a. 1, q. IV. — Alanus, *De sacrif. Missae,* l. II, c. XV. — Catharinus, opusc. *De sacrif. Missae.* — Gonet, *De Euch.* d. XI, a. 2, § 4. — Bosco, d. V, sect. 1, concl. 3, n. 42. — Wirceburg. *De Euchar.* n. 347. — ([5]) D. Soto, in 4 d. 13, q. II, a. 1. — Lugo, d. XIX, s. 5. — Bellarm. *De sacrif.*, l. I, c. XXVII in fine. — Valentia, *De Euch.* q. XI, p. 1, § 2. — Salmanticenses, *Cursus theol.* t. XVIII, d. XIII, dub. 2, § 3.

sacrificatio ; adveniente sumptione, ponitur etiam aliqua pars ejusdem substantiae, adeoque consumptio pertinet ad substantiam et integritatem sacrificii. — Judicio Soti potior pars essentialis est sumptio sacerdotalis.

V^a. Juxta Melchiorem Canum (1) essentia sacrificii reponitur in *consecratione*, in *oblatione*, in *fractione* et in *sumptione sacerdotali*. — Fractionem esse partem essentialem asserunt etiam Valentia et Estius. Eam esse partem integralem autumat Bellarminus (2).

§ 2. Essentiam sacrificii in sola consecratione reponi ostenditur.

THESIS XXXIV^a. — Sacrificium Missae, si consideratur uti praecise actio, essentialiter consistit in sola consecratione, eaque duplici, corporis nempe et sanguinis Christi sub specie panis et sub specie vini.

240. — Probatio prima. Positiva et directa. A. Essentia sacrificii Missae consistit in consecratione. Arg. I^m. *Petitur ex Patribus.*

Irenaeus ait Christum iisdem verbis « Hoc est corpus meum » se stetisse praesentem sub speciebus panis et vini et *sacrificium obtulisse*, Christum per haec verba nos utrumque docere : « Sed et suis discipulis, nempe Christus, dans consilium primitias Deo offerri ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit et gratias egit dicens : « Hoc est corpus meum », et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo (3). »

Auctor *serm. de coena Domini* apud Cyprianum : « Sed ex quo a Domino dictum est, « haec est caro mea, et hic est sanguis meus, » quotiescumque his verbis et hac fide actum est, panis iste substantialis et calix benedictione solemni sacratus ad totius hominis vitam, salutemque proficit, simul medicamentum et holocaustum ad sanandas infirmitates et purgandas iniquitates exsistens. »

Nyssenus ait *ante communionem sacrificium jam esse perfectum*, Christum aequivalenti destructione factum esse quasi inanimatum ; secus corpus victimae manducari non posse : « Qui enim potestate sua cuncta dispo-

(1) Canus, *De locis*, l. XII, c. xiii, ad 4^m. — (2) Valentia, d. 6, q. xi, § 2. — Estius, in 4 d. 13, § 12. — Bellarm. *De sacrif.* l. I, c. xxvii. — (3) Iren. *Contra haereses*, l. IV, c. xxxii, n. 7.

nit, non ex proditione sibi impendentem necessitatem, non Judaeorum quasi praedonum impetum, non iniquam Pilati sententiam exspectat, ut eorum malitia sit communis hominum salutis principium et causa ; sed consilio suo antevertit secundum ineffabilem hominibusque invisibilem sacrificii modum, et semetipsum immolavit sacrificium et victimam pro nobis sacerdos simul exsistens et agnus Dei, tollens peccatum mundi. Quando id praestitit ? Cum corpus suum discipulis congregatis edendum et sanguinem bibendum praebuit, tunc aperte declaravit agni sacrificium jam esse perfectum ; nam victimae corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare, cum corpus edendum, et sanguinem bibendum discipulis exhibuit, jam arcana, et non aspectabili ratione corpus erat immolatum, ut ipsius mysterium peragentis potestati collibuerat » (1).

Cyrillus Hierosolymitanus : « Postquam vero perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, super illam propitationis hostiam obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace » (2).

Gregorius Magnus ait Christum tunc immolari, quando sacerdos, pronuntiando verba consecrationis, conficit sacramentum Eucharistiae; ipsa hora immolationis caelos aperiri, et ex visibili et invisibili fieri unum : « Haec namque singulariter victima (Christus) ab aeterno interitu animam salvat ; quae illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur... Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem caelos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena caelestibus jungi, unum quoque ex visibilibus atque invisibilibus fieri (3).

Chrysostomus: « Hoc est corpus meum, » inquit. Hoc verbum transmutat ea quae sunt proposita. Et quemadmodum vox illa : « crescite et multiplicamini, et replete terram, » semel quidem prolata est, pro omni vero tempore naturae nostrae vim praebet ad filiorum generationem, ita et vox haec (hoc est corpus meum) semel prolata, in Ecclesiis ad unamquamque mensam ab illo tempore ad hodiernum usque tempus et usque ad adventum ejus, sacrificium perfectum efficit » (4).

(1) Greg. Nyss. *Orat. I de resurrect.* M. XLVI, 611. — (2) Cyr. Hier. *Cat. mystag.* v, 8. M. XXXIII, 1115. — (3) Greg. M. *Dial.* l. IV, c. lviii, M. LXXVII, 428. — (4) Chrys. *Hom. de prodit. Judae,* n. 6. M. XLIX, 380.

Isidorus Hispalensis, et Caesar Arelatensis eodem modo loquuntur (1).

Arg. II^{m}. Mysterium Eucharistiae est sacrificium mysticum, sive, ut alii loquuntur, relativum, h. e. res quae immolatur et offertur non tantum habet significationem theologicam et moralem, sed insuper, vi institutionis, repraesentat mortem Christi, seu ejus est imago. Atqui consecratio, eaque sola, mortem Christi, vi institutionis Eucharistiae, repraesentat, ut modo ostendetur. Ergo.

Arg. III^{m}. *Ex verbis institutionis.* Illa actio est vere sacrifica a) quam praeeunt actus qui sacrificium praeire solent ; b) per quam inducitur status victimae ; c) quae est, ratione verborum, apta ad significandum verum sacrificium fieri, et proinde fieri oblationem Deo, ex fine qui est sacrificio proprius. Atqui circa consecrationem haec occurrunt. Ergo. — 1^{m} et 3^{m} probata sunt in thesi de veritate sacrificii Missae ; 2^{m} probabitur in thesi sequenti.

Arg. IV^{m}. In officio feriae sextae majoris hebdomadae, ex multorum sententia, non fit sacrificium, quia non fit consecratio. Ergo eorum mente consecratio est saltem pars praecipua essentiae. — *Prob. ant.* Ita loquuntur Rupertus, Hugo a s. Victore, Concilium Toletanum, Ordo romanus antiquus in die Parasceves, Alcuinus, Rabanus, Amalarius Fortunatus (2).

241. — B. Ut habeatur sacrificium, requiritur consecratio utriusque speciei.

Sensus. Non negamus alteram consecrationem esse aptam ut ei annectatur a Christo significatio sacrificio propria ; sed contendimus Christum tribuisse significationem uni composito quod ex duplici actione constat. Haec est sententia communissima apud theologos. Attamen una species potest valide consecrari sine altera, ita nempe ut Christus sit realiter praesens sub una dumtaxat specie (3). — Nonnulli theologi, ut Henriquez, Bonacina, Lacroix velut probabile habuerunt

(1) Isid. Hisp. *Etymol.* VI, xix, 4. M. LXXXII, 252. — Caesar Arelat. *Hom.* xii, M. LXVII, 252. — His testimoniis addit Vasquez adhuc aliud quod Turrianus S. J. (in c. l. l. VIII *Apost. Constit. Clementis)* citat ex Simeone Thessalonicensi (l. *de myst. Eccl.* c. xxiii), et de quo Lugo haec habet: « Auctor... ignotus est, vel saltem ignobilis, cum sit modernus, et ad minus schismaticus, ut satis insinuat idem Turrianus. » — Ipsu Lugo Patribus citatis jungit Rupertum (l. II *in Ex.* c. vi), qui asserit Christum seipsum immolasse, verbis consecrationis prolatis.

(2) Cf. Lug. d. xix, s. 3, n. 44.

(3) Cf. Suar. d. xliii, s. 2, n. 5; Lugo, d. xix, s. 8.

alterutram consecrationem sufficere ad essentiam sacrificii (1).

Prob. Arg. I^m. Christus instituit sacrificium cum mystica significatione, seu voluit ut sacrificium Eucharistiae expresse repraesentaret mortem cruentam crucis. Atqui hoc requirit consecrationem *utriusque* speciei. Ergo utrique consecrationi simul sumptae competit ratio sacrificii. — *Prob. min.* Quaelibet enim consecratio aliquatenus repraesentat mortem Christi, cum Christus in statu cibi constituatur, et cum species panis vi verborum nonnisi corpus, species vini nonnisi sanguinem repraesentet ; verum utraque consecratio sine altera non expresse repraesentat mortem *cruentam, passionem, sanguinis effusionem,* Christo vivente et patiente. Sanguis enim a corpore effluere potuisset post mortem Christi. Contra cum sanguis consecretur immediate post corpus, vivide repraesentatur effusio sanguinis, mors cruenta.

Arg. II^m. Petitur *ex institutione sacrificii altaris.* 1. In ultima coena Christus dicendo apostolis: « Hoc facite in meam commemorationem, » apostolos constituit sacerdotes Novae Legis et instituit sacrificium altaris. Porro id sacrificium essentialiter constat iis quae Christus fecerat et quae ab apostolis fieri jussit. Atqui Christus in ultima coena sacrificium obtulit in utraque specie et jubet apostolos in utraque specie offerre sacrificium. Ergo.

2. Christus oblatione sacrificii in ultima coena est sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Atqui Melchisedech panem et vinum obtulit. Ergo sacrificium coenae, adeoque sacrificium altaris essentialiter constat duplici consecratione.

Confirmatur. Juxta Cyprianum (2) sacrificium Missae est nullum, si tantum fit consecratio speciei panis, omissa consecratione calicis. Rationem dat quia tunc non invenitur repraesentatio passionis Christi.

242. — Probatio secunda. Negativa. Falsificantur reliquae sententiae.

A. Essentia sacrificii non stat in oblatione vocali quae subsequitur consecrationem.

1. *Tota essentia* non reponitur in oblatione vocali : Tota enim essentia sacrificii non reponitur in eo quo nulla fit immolatio, destructio,

(1) Hanc sententiam nostris diebus defendit theologus in libello periodico « *Der Katholik* », 1868, p. 257. Alius theologus in periodico « *Zeitschrift für Kath. Theol.* » (Innsbruck 1892, p. 97) rationes exposuit ob quas haec sententia probabilis esse possit.

(2) Cypr. « Apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni... Quia passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus, passio est enim Domini sacrificium quod offerimus, nihil aliud quam quod ille fecit facere debemus. » *Epist.* lxiii, n. 9.

mutatio. Atqui oblatio ut sic non est causa physica nec moralis immolationis, sed eam praesupponit ut rem immolatam Deo offerat.

2. *Essentia ne partialiter quidem* reponitur in hac oblatione.

a) In tantum dici posset oblatio pertinere ad essentiam sacrificii Missae, in quantum foret de essentia omnis sacrificii, seu sacrificii generice sumpti. Atqui hoc est falsum. Ergo. — Major constat quia Christus non narratur in Evangeliis oblationem vocalem fecisse, seu viva voce corpus et sanguinem obtulisse Patri. Si oblatio esset de essentia sacrificii, silentium Scripturae suppleri posset, cum aliunde certum sit Christum in ultima coena sacrificasse; verum si haec oblatio vocalis non est essentialis sacrificio generice sumpto, si proinde sola voluntate Christi fieri potest pars essentiae sacrificii Missae, ex silentio Scripturae concludendum est eam oblationem vocalem a Christo praeteritam esse; probabile enim non est Evangelistas omisisse disertam facere mentionem ritus essentialis sacrificii eucharistici, cujus institutio a sola voluntate Christi pendebat.

Prob. min. α) Profecto oblatio victimae, facta Deo, est forma sacrificii. Sed haec oblatio fieri aliter potest ac verbis; potest enim fieri gestu. Ceterum nulla nova actione opus est, sed fit convenientissime ipso ritu immolandi, dum de intentione immolandi Deo constet. β) Et re quidem vera, multa sacrificia leguntur esse facta citra ullam oblationem vocalem. Ita Abraham in eo erat ut filium sacrificaret, occidendo et comburendo eum; non constat eum loqui voluisse; deinde arietem obtulit Deo, sine oratione vocali. Noe post diluvium legitur sacrificasse, Moyses post profectum Israelitarum ex Aegypto; nulla mentio fit oblationis vocalis. — Igitur dicendum est oblationem vocalem fuisse additam sacrificio eucharistico, ut magis explicite significaret oblationem quae in consecratione continetur.

b) Nequaquam certum est oblationem vocalem semper in Ecclesia subnexam fuisse consecrationi. Ergo non pertinet ad essentiam sacrificii eucharistiae.

B. Fractio non est de essentia sacrificii.

Prob. Id eruitur 1° ex silentio Scripturae de fractione hostiae in sacrificio coenae. — Probatur 2° ex usu Ecclesiae latinae, in qua hostia consecrata, si ante fractionem ceciderit in calicem, non frangitur; non autem est verisimile, ait de Lugo (1), quod omitteretur ullo casu fractio, si pertineret ad essentiam sacrificii. — Constat 3° quia sanguis

(1) Lug. d. xix, s. 3, n. 40.

Christi non minus sacrificatur quam corpus; attamen species vini non dividuntur, sed sumuntur. — Constat 4° quia in tantum fractio dici deberet esse de essentia sacrificii, in quantum fieret circa ipsum corpus Christi quod sic frangeretur et sacrificaretur; atqui non frangitur ipsum corpus Christi. Ergo ([1]).

C. Essentia sacrificii non stat in communione sacerdotali.

Arg. I^m. In tantum dici posset communio esse essentia sacrificii, sive totaliter sive partialiter, in quantum manducatio victimae foret de essentia omnis sacrificii. Atqui hoc est falsum. Ergo. — Major constat ex eo quod Christus in Scripturis non narratur manducasse corpus suum proprium et bibisse suum sanguinem. Verba enim « desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum... Non bibam amodo de hoc genimine vitis, » videntur dici de coena quae praecessit aut subsecuta est institutionem sacramenti et sacrificii. — *Minor patet* quod in V. L. holocaustis tota victima cremabatur; in aliis vero sacrificiis manducatio partis victimae non videtur fuisse pars essentialis sacrificii.

Arg. II^m. Essentia sacrificii ponitur a ministro in nomine Christi. Ratio est quia Christus est minister principalis. Atqui communio sacerdotis non fit nomine Christi. — *Prob. min.* In sumptione duo sunt: collatio sacramenti et ejus receptio. Collationis quidem minister principalis est Christus, ut in ceteris sacramentis; sed receptio passiva nullatenus est Christi ceu ministri principalis. Jamvero communio dicitur esse pars essentialis sacrificii, ratione receptionis; sic enim est formaliter et proprie sumptio; collatio enim seu porrectio sacrae hostiae est causa determinans sumptionis.

Arg. III^m. Si communio sacerdotalis esset de essentia sacrificii, in ea verificanda esset ratio formalis sacrificii. Atqui non verificatur. Ergo. — *Prob. min.* a) Communio non habet rationem oblationis victimae Patri, adeoque ratio formae sacrificii ei deest. — b) Neque habet rationem materiae seu destructionis saltem aequivalentis victimae.

([1]) Toletus : « Ista fractio, ait, significat trinam fractionem corporis Christi : in manibus pedibusque per clavos; in corde per lanceam. Significat etiam tres fidelium status. Beatorum statum significat particula *una*, quae in calicem mittitur quia illi perfecte fruuntur fructu redemptionis. *Altera* particula, quae olim servabatur usque in finem Missae et tunc consumebatur, significat exsistentes in Purgatorio. *Tertia*, quae olim statim consumebatur, significat viatores, qui hoc cibo pascuntur in hac peregrinatione. Ita explicat Sergius Papa cap. *Triforme, de consecratione* d. II, ubi dicit particulam immersam sanguini significare Christum in gloria; particulam servatam, Christum in limbo et sepulchro; aliam Christum in via. Jam non est mos servandi particulam; sed simul cum altero sumitur.

Alii aliter explicant. Dicunt enim partem calici immersam significare viatores, qui in hujus mundi laboribus versantur. »

Post communionem desinit quidem Christus esse praesens sub speciebus; sed haec desitio non est destructio Christi, sed potius *liberatio.* Christus enim sub speciebus constituitur in statu victimae ; per communionem cessat iste status. Ergo nulla fit aequivalens destructio.

Arg. IV^m. In consumptione victimae tria considerari possunt : a) motus localis ; b) fractio specierum ; c) specierum corruptio in stomacho. Itaque communio, si est pars essentiae, talis est ratione horum trium simul, aut ratione unius ex his. Atqui nullum horum trium ullatenus est de essentia sacrificii. Ergo. — *Non primum nec secundum :* Manifestum est motum localem in communione factum non esse partem essentiae. Quaenam enim hoc motu fit mutatio realis aut aequivalens quae, juxta aestimationem hominum, vocari posset sacrificii pars ? — *Non tertium :* a) Corruptionem specierum in stomacho esse partem sacrificio essentialem, inquit Vasquez, « nullus dixit et manifeste absurdum est ; inde enim sequeretur, fore ut sacrificium Christi incruentum non in altari fieret a sacerdote, sed in stomacho, quando in eo species corrumperentur, quod quidem interdum accidere posset tempore eo, quo sacerdos ad mensam sederet ad prandendum quod est manifeste absurdum ([1]) ». — Idem probatur quia b) actio, qua mutatur ac destruitur victima, debet esse moralis. Atqui actio, de qua heic agitur, est naturalis, procedens nempe a viribus vegetativis. — c) Actio sacrifica debet ex se tendere ad ponendum Christum in statu victimae. Atqui actio quae heic consideratur non tendit per se nisi ad corruptionem specierum earumque assimilationem cum substantia viventis. Ergo.

243. — Scholion I^m. *De oblatione panis et vini ante consecrationem.* Nullus est qui eam partibus essentialibus annumerat; eam esse partem integralem censent Bellarminus l. c. et Henriquez. Haec sententia falsificatur : a) Oblatio ante sacrificium non requiritur ex natura rei, neque legitur Christus eam praemisisse. — b) Eadem oblatio antiquo tempore non est usurpata in Ecclesia ([2]). — c) Post oblationem recitatur haec oratio : « Veni, sanctificator, omnipotens aeterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo *sancto nomini praeparatum.* » Ergo oblatio pertinet ad praeparationem sacrificii, non ad sacrificium ipsum. — d) Quod non versatur circa rem Deo in sacrificium offerendam, illud non est pars essentialis neque integralis sacrificii. Atqui oblatio talis est, siquidem substantia panis et vini, quae offeruntur Deo ista obla-

([1]) Vasq. d. ccxxii, c. iv, n. 23. — ([2]) Cfr. Card. Bona, l. II, *rerum liturgicarum*, c. ix.

tione, nullatenus sunt materia sacrificii. — Ergo oblatio panis et vini est tantum caerimonia ab Ecclesia instituta.

244. — **Scholion 2m.** *De communione sacerdotali.* A. Consecrationem simul cum sumptione potuisse assumi a Christo ad constituendum essentialiter unum sacrificium, tenet Suarez. Etenim, ait, a) his duobus habetur major mutatio exterior et sensibilis, seu consumptio rei oblatae ; b) plenius repraesentat mortem Christi usque ad sepulturam ejus et effectum sanctificationis ex ea provenientem. c) In sacrificio Melchisedech non invenitur consecratio, sed oblatio et sumptio. d) In sacrificio agni, quod figura fuit Eucharistiae, habebatur sumptio non tantum agni, sed etiam probabiliter panis et vini (Ex. XXIX ; Num. XXVIII).

B. Participatio victimae a sacerdote offerente est *pars integralis sacrificii* aut saltem extrinsecus perficiens. Constat 1° *ratione theologica :* a) Finis secundarius sacrificii est ut victima sit cibus, siquidem Christus immolatur quia ponitur in statu cibi et potus (ex definitione constat finem primarium esse ut Deo praestetur cultus supremus latriae). Atqui hic finis postulat ut sacerdos, qui sacrificium offert, victimam consumat, ne careat fine suo secundario, eo ipso tempore quo essentia ejus ponitur. Huic etiam fini congruum prorsus est ut fideles communicent sub ipsa celebratione sacrificii et ex sacris hostiis tunc consecratis. — Idem probatur 2° *auctoritate.* Concilium Toletanum XII, anno 681 celebratum, sacerdotes reprehendit, qui non toties de sacrificio participant, quoties illud offerunt : « Quasi non sit toties illi vero et singulari sacrificio participandum, quoties corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi immolatio facta constiterit.... Nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur ? »

C. *Quaeres* utrum consumptio victimae a sacerdote sit necessaria *jure divino* an jure *ecclesiastico ?* — Respondeo duas esse sententias. *Prima :* « Non satis mihi constat, respondet Suarez ; nam concilium Tridentinum tantum dicit Ecclesiae morem semper fuisse, ut sacerdotes celebrantes seipsos communicent. Qui mos, inquit, tamquam ex traditione apostolica descendens jure ac merito retineri debet. Ubi nihil dicit de divino jure, quia nec traditio apostolica statim infert jus divinum, nec tam intendit Concilium ibi docere quid praeceptum sit, quam quid liceat, scilicet quod liceat sacerdoti offerenti communicare se ipsum, ut statim canone 10 definit. Alia vero antiquiora decreta, quamvis praeceptum declarant, non tamen satis explicant jure divino latum esse » (1). —

(1) SUAR. d. LXXV, s. 5 in fine.

Secunda : Plerique theologi censent consumptionem esse necessariam jure divino. Argumentum est duplex : a) Ratio intrinseca petitur ex eo quod consumptio exigitur ut sacrificium complementum suum habeat seu finem secundarium attingat. Atqui quod est hujusmodi, praescribitur jure divino seu imponitur a Christo, institutore sacrificii. Ergo. — b) Concilium Toletanum XII quaerens quale sit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur, indicat, sine participatione victimae, a sacerdote offerente facta, sacrificium tale esse non posse, quale ex intima sua natura, Christi institutione determinata, esse oporteat. — c) Concilium Tridentinum, sess. XXI, c. I, haec habet « Sancta ipsa Synodus, a Spiritu sancto... edocta... declarat ac docet nullo divino praecepto laicos et clericos non conficientes obligari ad Eucharistiae sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto, salva fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat. » His verbis insinuatur sacerdotes celebrantes teneri jure divino ad Eucharistiam sub sacrificio sumendam.

245. — Scholion 3m. *Distributio hostiae fidelibus, a sacerdote facta, nullo modo pertinet ad substantiam sacrificii.* — Illud enim constat 1° ex usu Ecclesiae : a) In Ecclesia, a prima aetate, integra facta sunt sacrificia sine hac participatione fidelium ad hostias consecratas. b) Saepissime fit distributio extra sacrificium. — Idem constat 2° *ratione* : a) Tota actio sacrificandi proxime fit a sacerdote ; sumptio passive accepta pertinet etiam ad laicos, active pertinet etiam ad diaconum. b) Participatio victimae supponit sacrificium. — Demum idem probatur 3° *auctoritate Concilii Tridentini* in sessione XXII, cap. VI et can. 8. — Quare sumptio pertinet ad perfectionem extrinsecam sacrificii, nempe ad perfectionem quae est in fidelibus et cujus res sacrifitata est causa.

Satisfit difficultatibus.

246. — I. Essentia tota non reponitur in duplici consecratione. **Obj. 1°.** In consecratione deprehendi deberet tota materia et forma sacrificii, uti sacrificium est actio. Atqui neutra deprehenditur tota : *Non deprehenditur materia seu immolatio :* Etenim 1° ubi nulla est mutatio, ibi non datur materia sacrificii. Atqui consecratio non est actio mutativa. Ergo. — *Prob. min.* Actio mutativa facit transire terminum ab uno statu ad alium. Atqui consecratio non facit transire terminum ab uno statu ad alium statum. — *Prob. min.* Ut actio faciat rem transire ab uno statu ad alium statum, exigitur a) ut prius res sit

praesens; b) ut haec res amittat unum statum et acquirat alium statum. Atqui haec non deprehenduntur circa consecrationem, siquidem non praesupponit Christum praesentem, et nihil a Christo aufert. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Ubi nulla mutatio nec realis nec *aequivalens,* ibi non datur materia sacrificii, uti sacrificium est actio, *Conc.;* ubi nulla est mutatio *realis, Subd.* ibi nullum sacrificium *naturale,* seu nulla immolatio fit per vires naturales, *Conc.;* nullum sacrificium *supernaturale,* h. e. supernaturaliter non dari potest immolatio, *Neg.* — *Cdt. min.*

Ad prob. *Dist. maj.* Mutatio *realis* est transitus *realis,* et mutatio *aequivalens* est transitus *aequivalens, Conc.; omnis* mutatio est transitus *realis, Neg. Cdt. min.* — Ad prob. min. *Dist. maj.* Transitus *realis* debet praesupponere victimam, *Conc.;* mutatio *aequivalens, Subd.* debet praesupponere *exsistentiam* victimae, *Conc.; praesentiam, Neg.*

Observa. Duplex distinguitur mutatio physica: *realis* et *aequivalens.* — Habetur mutatio *realis* rei, cum haec res realiter amittit unum et acquirit alterum; habetur mutatio *aequivalens,* cum subjectum acquirit novam formam, licet non amiserit alteram, quae tamen naturaliter amitti deberet acquisitione novae formae.

Porro per consecrationem non mutatur realiter corpus, neque quoad locum, neque quoad praesentiam, neque quoad accidentia alia, siquidem idem corpus Christi in caelo remanet sine ulla deperditione accidentium et fit sacramentaliter praesens sine motu locali. Attamen mutatur aequivalenter quia acquisivit novam praesentiam et novum statum quae naturaliter non possunt aequiri nisi per deperditionem prioris praesentiae ac status, seu per mutationem realem.

Cum sacrificium est naturale, seu cum immolatio fit per vires naturales, victima mutatur realiter: ratio est quia minister sacrificii nequit immolare victimam, per se aut per alium, nisi eam praesentem habeat, in eam agat adeoque realiter eam immutet. Verum hoc non exigitur ex essentia sacrificii, sed ex imperfecta virtute ministri, qui nempe non potest aliter efficere actionem sacrificam.

Quare si Deus, annuens petitioni sacerdotis, supernaturaliter Christum facit praesentem sub speciebus eucharisticis, nihil circa eum mutat in caelo, verum in altari eum praesentem facit in statu victimae; itaque si sacerdos hanc victimam offert Deo, datur sacrificium veri nominis, scilicet verificatur modo supernaturali tota essentia sacrificii. Jamvero hoc praecise obtinet in Missa.

Obj. 2°. Ubi nulla fit destructio, ibi non deprehenditur materia sacrificii uti sacrificium est actio. Atqui in consecratione nulla datur

destructio, sc. neque victima destructa, neque actio destructiva. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Ubi nulla fit destructio, *neque realis neque aequivalens,* ibi non deprehenditur materia sacrificii, *Conc.;* ubi nulla destructio *realis, Neg. — Cdt. min.*

Inst. Atqui in consecratione nulla datur destructio, ne aequivalenter quidem. Etenim actio per quam consecrantur species, est productiva, efficit nempe transsubstantiationem. Atqui absurdum foret dicere productionem esse destructionem. Ergo.

Resp. a) *Dist. maj.* Est productiva rei *in statu victimae*, adeoque aequivalentis destructionis, *Conc.;* in alio statu, *Neg. Cdt. min.* — b) *Conc. maj. Dist. min.* Absurdum foret dicere productionem esse *realiter* destructivam, *Conc.; aequivalenter, Subd.* productionem *formaliter* sumptam, *Conc.; materialiter* acceptam, *Neg.*

Observa. Corpus et sanguis Christi sub speciebus aequivalenter destruuntur (cf. art. seq.). Inde actio, per quam fit consecratio, est aequivalenter destructiva. Quare una eademque actio, materialiter considerata, est productiva et destructiva : *productiva,* siquidem efficit transsubstantiationem cum omnibus ea inclusis ; *destructiva.* siquidem Christum sub speciebus ponit in statu victimae.

Obj. 3°. Eo quod essentia sacrificii Missae reponeretur in consecratione, consequens foret ipsummet Deum esse causam sacrificii. Atqui hoc est falsum. — Constat major quia Deus est qui causat aequivalentem destructionem Filii sui. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Deus foret causa *formae* sacrificii, *Neg.;* causa *materiae, Subd.* et Deus efficiens transsubstantiationem intenderet rationem *sacramenti, Conc.;* intenderet rationem *sacrificii, Neg.*

Obj. 4°. Materia non stat in eo quod praesupponitur ipsi. Atqui consecratio praesupponitur materiae sacrificii. *Prob. min.* Materia sacrificii, uti sacrificium dicit actionem, praesupponit victimam ad quam haec actio terminari debet. Ergo materia sacrificii missae praesupponit consecrationem quae Christum efficit victimam.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem respondetur *distinguendo antecedens :* Materia sacrificii praesupponit, saltem in ordine naturae, victimam *exsistentem Conc.;* praesupponit victimam *praesentem, Subd.* si sermo sit de sacrificio *naturali,* quod nempe procedit unice a viribus naturalibus, *Conc. :* si sermo sit de sacrificio *supernaturali,* cujus nempe materia physice procedit a Deo veluti a causa principali, *Subd.* si Deus utitur instrumento *physice* operante, *Conc.;* si non utitur nisi instrumento *moraliter* cooperante ad materiam sacrificii, *Neg.*

Observa. Immolatio cruenta praesupponit *praexsistentiam* victimae, insuper omnis immolatio facta a causa naturali *praesentiam* victimae in loco ubi immolatur et offertur, ob rationem modo traditam ; verum cum immolatio fit physice a causa supernaturali et moraliter a causa naturali, non exigitur ut prius praesens sit victima, siquidem sine hoc prorsus verificari potest essentia. — Attamen praesentia hostiae praesupponitur oblationi, non quidem tempore, sed natura.

Obj. 5°. *Non deprehenditur forma sacrificii in consecratione :* Forma sacrificii stat in oblatione. Atqui in consecratione nulla est oblatio. — *Prob. min.* Consecratione non fit id quod non significatur. Atqui non significatur oblatio. *Prob. min.* Verba consecrationis non significant nisi transsubstantiationem. Atqui oblatio non continetur transsubstantiatione. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* — Ad probationem *Dist. maj.* Consecratione non fit id quod neque explicite et formaliter, neque *implicite et virtualiter* significatur verbis quibus continetur, *Conc. ;* quod non significatur *explicite et formaliter*, *Neg.* — *Cdt. min.* — Ad probationem *distinguitur eodem modo major.*

Observa. Verba consecrationis explicite et formaliter significant corpus et sanguinem Christi esse praesentia in statu cibi et potus adeoque in statu victimae. Hanc eamdem praesentiam efficiunt, physice aut moraliter. Inde implicite significant offerri sacrificium adeoque implicite etiam et virtualiter offerunt victimam Deo. Quemadmodum enim non debet fieri oblatio distincta ab immolatione, ubi immolatio fit physice a sacerdote, sed intentio offerendi sufficienter exprimitur actione sua ; ita non debet fieri oblatio distincta, ubi immolatio fit moraliter ; sed haec oblatio implicite et virtualiter fit per immolationem moraliter a ministro procedentem. — Addere juvat non tantum implicite significari sacrificium fieri, sed id etiam explicite et formaliter significari apud Lucam et apud Paulum, uti ex argumentis thesis XXIX constat. Vid. n. 217.'

Obj. 6°. Oblatio praesupponit praesentiam. Atqui praesentia Christi non praesupponitur consecrationi. — *Prob. min.* Effectus non praesupponitur causae. Atqui praesentia realis est effectus consecrationis. Ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Oblatio praesupponit *natura* victimae praesentiam, *Conc. ;* praesupponit *tempore* praesentiam victimae, *Subdist.* ubi praesentia debet fieri physice *per causam secundam*, *Trans. ;* ubi fit physice per causam *supernaturalem seu Deum*, et nonnisi *moraliter* per causam

secundam, *Neg.* — Ad probationem respondetur concedendo majorem et *distinguendo minorem:* Praesentia realis causatur *physice* verbis consecrationis, *Neg.* causatur *moraliter, Subd.* causatur moraliter verbis consecrationis, uti haec habent *rationem oblationis* seu formae sacrificii, *Neg.* uti habent rationem *materiae* sacrificii, *Conc.*

247. — **Obj. 7°.** Ita se habet consecratio ad sacrificium incruentum, sicut Incarnatio se habet ad sacrificium cruentum. Atqui Incarnatio non est pars sacrificii cruenti. Ergo, — *Major constat* quia sicuti Deus, factus homo, est in cruce oblatus, sic Christus, factus panis vitae, in altari offertur.

Resp. Consecratio se non habet ad sacrificium altaris, eo modo quo Incarnatio se habet ad sacrificium crucis. Discrimen enim est duplex: a) Christus qua homo seipsum obtulit in cruce ; quare debet praeexsistere qua homo huic sacrificio, adeoque Verbum debebat prius incarnari quam ullum sacrificium offerretur a Christo. Contra Christus non debet prius fieri praesens quam sacrificium altaris offerat, sufficit ut pergat in exsistendo : constat quia sacrificium offert per ministrum nomine suo agentem. — b) Sacrificium crucis est cruentum, eo nempe Christus realiter destruitur ; jamvero manifestum est nihil realiter destrui nisi prius exstiterit; necesse igitur fuit ut Verbum prius incarnaretur quam vitam pro salute mundi daret. Contra ut detur aequivalens destructio, necesse non est ut victima sit prius praesens, immo ex natura rei necesse non est ut prius exsistat modo connaturali.

Obj. 8°. In Parasceve fit oblatio ex praeconsecratis. Atqui licet nulla fiat consecratio, tamen sacrificium fit. Ergo. — *Prob. min.* a) ex oratione officii : « In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te Domine et sic *fiat sacrificium nostrum* in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus. » — « Orate fratres, ut meum et vestrum *sacrificium* etc. » — b) Juxta s. Thomam hac die consumitur hostia prius consecrata, ne privetur Ecclesia fructu passionis Christi. Atqui privatur Ecclesia fructu passionis, nisi offeratur sacrificium, nam fructus passionis Ecclesiae non applicatur ab Eucharistia, nisi uti sacrificium est (1).

Resp. a) In die Parasceves non fieri sacrificium est communis sententia theologorum et canonistarum. Rationem dat Hugo Victorinus quod non sacrificant amici, dum trucidant inimici. Alii explicant quia non celebratur mystica mors Christi, ubi recolitur mors realis Christi.

(1) S. Th. III, q. LXXXIII, a. 2, ad 2um.

Alii, quia Christus eadem die se non offert modo cruento et modo incruento ; quare per totum officium nihil fit in persona Christi. — b) Idcirco qui officium istius diei vocant *sacrificium,* vel lato sensu adhibent vocem, vel pro hostia quae quidem hac die non sacrificaliter offertur, sed sumitur a sacerdote et adoratur a populo. — c) Juxta Conc. Laod. c. XLVII et Syn. VI, can. 52 : « In omnibus sanctae quadragesimae jejunii diebus, praeterquam sabbato et dominica et sancto Annuntiationis die, fiat sacrum praesanctificatorum ministerium. » His verbis significatur consecrationem non fieri tempore quadragesimali, sed oblationem donorum sanctificatorum. Nonnullis videtur probabile non esse illis diebus omissum fuisse sacrificium. At de consuetudine Graecorum non satis certo constat ut aliquid colligi ex ea valeat.

Obj. 9°. Ecclesia commemorationem pro defunctis facit post consecrationem. Atqui haec ratio agendi ostendit judicio Ecclesiae sacrificium non absolvi sola consecratione. Ergo. — *Prob. min.* Secus enim fit commemoratio defunctorum post jam applicatum ex opere operato fructum sacrificii. Ecclesia tamen profecto vult ut sacrificium ex opere operato prosit defunctis. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem respondetur *distinguendo :* Secus fit commemoratio defunctorum post applicatum *fructum operis operati, Conc.;* post applicatum omnem fructum *operis operantis, Neg.* Ad rationem additam *distinguitur :* Ecclesia vult ut defunctis applicetur fructus ex opere operato, *quoties sacerdos intendit offerre sacrificium pro defunctis, Conc.; secus, Neg.* — Idem est dicendum de ceteris orationibus quae fiunt post consecrationem. Profecto ex eo quod vita functorum memoria fit post consecrationem, colligi non potest essentiam sacrificii non absolvi consecratione. Etenim fructus sacrificii ex opere operato applicatur speciatim ei pro quo sacerdos intentionem habet sacrificandi. Unde ii, quorum fit memoria in utroque memento, participes sunt fructus ex opere operantis Ecclesiae et sacerdotis.

248. — **Obj. 10°.** *Communio celebrantis est pars essentialis sacrificii.* Etenim de essentia illius sacrificii, quod est holocaustum, est ut tota victima consumatur et immutetur. Atqui hoc non fit nisi per sumptionem sacerdotis. Ergo. — *Prob. min.* Ante sumptionem Christus manet sub speciebus, uti victima sacrificanda ; per sumptionem amittit esse sacramentale et quodammodo perfecte immutatur.

Resp. *Dist. maj.* De ratione holocausti *proprie dicti* est ut tota victima consumatur, *Conc. ;* de ratione holocausti *improprie* talis, *Subd.* ut tota victima consumatur *realiter, Neg. ; aequivalenter, Conc.* — *Cdt. min.* —

Ad probationem respondetur *distinguendo :* Per sumptionem Christus immutatur *sacrificaliter, Neg. ; liberatur* a statu sacrificali, *Conc.*

Observa : In holocausto proprie dicto victima destruebatur realiter et tota consumebatur. Quare sacrificium Missae non est holocaustum proprie dictum, siquidem Christus non destruitur realiter. — Assimilatur autem holocausto quatenus totus Christus destruitur, licet aequivalenter ; hoc autem fit consecratione vel sola ; immo ad hoc non confert communio celebrantis, siquidem hac Christus multo plus liberatur a statu sacrificali quam hic status fit perfectior.

Obj. 11°. De ratione sacrificii est ut sacerdos sacrificans de victima oblata participet. Quoties enim sacerdos morte corripitur ante sumptionem, ei succedat oportet alius sacerdos qui sacrificium compleat, adeo ut Ecclesia non possit circa illud dispensare. Ergo communio est inter essentialia sacrificii.

Resp. *Dist. ant.* Ut essentia sacrificii absolvatur, exigitur ut sacrificans de victima oblata participet, *Neg. ;* ut absolvatur sacrificium tum secundum essentiam tum secundum partes integrantes aut extrinsecus perficientes a Christo, exigitur etc. *Conc.*

Observa. In V. L. comestio victimae non erat de essentia sacrificii, sed pars substantialis integrans caerimoniae institutae a Deo. Pariter sumptio est pars integrans aut extrinsecus perficiens ritus a Christo instituti. Christus enim Missam instituit primario ut Deo reddatur cultus latriae, secundario ut sacrificium fieret convivium. Hinc, sacrificio peracto, sumenda est a sacerdote hostia immolata. Ecclesia non dispensat in his quae a Christo sunt imposita.

Obj. 12°. Omnes conditiones requisitae in essentia sacrificii altaris deprehenduntur in communione celebrantis : a) est instituta a Christo ; b) est sensibilis ; c) in ea fit memoria mortis Christi, juxta verba Apostoli « quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis ; » d) in ea datur destructio victimae. Atqui hae sunt omnes et solae conditiones requisitae pro essentia sacrificii. Ergo.

Resp. Negatur ultima pars majoris ; conceduntur priores, advertendo tamen easdem conditiones verificari in consecratione. Re quidem vera, in communione sacerdotis verificantur non paucae conditiones quae in essentia sacrificii verificari debent. Verumtamen una datur conditio quae non verificatur : per communionem enim non destruitur, sed potius liberatur victima ; cum autem fundamentalis sit haec conditio, sequitur communionem non posse annumerari partibus essentialibus sacrificii.

249. — Obj. 13°. *Oblatione vocali, consecrationi subnexa, continetur pars essentialis.* — In Tridentino legitur « Hoc autem (sacerdotium) ab eodem Domino salvatore nostro institutum esse, atque apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem ejus, nec non et peccata dimittendi et retinendi, sacrae litterae ostendunt, et catholicae ecclesiae traditio semper docuit. » Sess. XXIII, 1.

Resp. Ex eo quod distinguitur triplex potestas, sc. consecrandi, offerendi et ministrandi corpus Christi, non sequitur oblationem vocalem esse partem sacrificii. In tantum enim id sequeretur, in quantum judicio Tridentini potestas offerendi esset ex institutione Christi realiter distincta a potestate consecrandi, seu quod duae potestates essent exercendae actibus distinctis. Jamvero Tridentinum hoc nullatenus affirmat ; immo contrarium insinuat : ubi enim agit de ordinatione presbyteri, non loquitur nisi de potestate *offerendi,* qua ratione innuit eamdem potestatem se extendere ad consecrandum. — Si petitur quare Tridentinum usurpet duo verba ad significandam unam potestatem, responsio est quia potestas est virtualiter duplex : potestas enim offerendi est ex natura sua separabilis a potestate consecrandi, seu alio actu posset exerceri ; ex sola voluntate Christi est inseparabilis.

ARTICULUS III.

Quomodo in consecratione verificetur ratio sacrificii.

Lug. d. xix, sect. 4 et 5.

§ 1. Status quaestionis.

250. — Celebrationem Eucharistiae esse sacrificium verum, reale, proprie dictum, tenent catholici omnes, utpote definitum ab Ecclesia et clare contentum in deposito fidei. Verum cum nec definitum sit, nec explicite et formaliter revelatum in quonam consistat ratio formalis sacrificii, et quae sint adaequate notae essentiales sacrificii, inde doctores catholici in diversas abeunt sententias circa praesentem quaestionem. — Quae ut solvatur, juvabit pauca ex antea ostensis in memoriam revocare.

Uti superius fuit notatum, sacrificium sumitur pro re sacrificata, et pro actione sacrificante. — Actio sacrificans est duplex, altera immutat, destruit rem ; altera rem destructam offert. Actio physica destruc-

tionis potest quidem pertinere ad ipsam sacrificationem; verum potest fieri physice ab eo qui proprie non sacrificat; tunc autem sacerdos dici potest causa moralis destructionis, quatenus haec fit in nomine et imperio sacerdotis. — Oblatio fit a sacrificante. Ulterius vel per unam actionem fiet destructio et oblatio, vel per diversas. — Quare dici potest sacrificium qua actio, esse « oblatio rei quadamtenus destructae. » — Sacrificium adaequate sumptum constat ex re destructa, actione destructiva et oblatione. Tum rei destructae tum actioni destruenti et offerenti inest protestatio supremi Dei dominii, nostraeque a Deo dependentiae.

Eo quod in consecratione reponitur tota essentia sacrificii veri ac realis, omnia elementa in ea adsint oportet, nempe materia et forma; actione nempe pronuntiandi verba consecrationis immolari debet Christus et sacra victima offerri Patri, eademque actione et eadem victima contineri debet protestatio Dei dominii, nostraeque a Deo dependentiae.

De oblatione nulla occurrit difficultas; supposito enim per verba consecrationis induci statum victimae in Christo, eadem verba consecrationis significant implicite et virtualiter victimam offerri Dei, uti in superioribus ostensum est.

De immolatione quaeritur a) quomodo *consecrationi competat ratio actionis sacrificalis;* b) quomodo *Christo competat ratio rei sacrificatae.* Itaque quaeritur quomodo Christus his verbis, causae moralis munere fungentibus, *constituatur in statu victimae, adeoque aequivalenter destruatur.*

251. — **SENTENTIAE.** I[a] est Suarezii et Aegidii de Coninck [1]. Principii instar ponunt in omni sacrificio aliquid produci. Sic in V. L., cum animalia immolarentur, destruebatur quidem anima sive animal vivum, et producebatur forma cadaverica sive cadaver; in sacrificio Missae destruitur substantia panis et vini, reproducitur corpus Christi. — Quo principio posito, consecrationi, aiunt, competit ratio sacrificationis, *quia destruit unum et reproducit alterum;* substantiae panis vinique et corpori sanguinique Christi convenit ratio rei sacrificatae eo quod *unum destruitur, alterum reproducitur.* — Inter sacrificia V. L. et sacrificium altaris illud, praeter alia, discrimen interest, quod in prioribus terminus qui destruitur principaliter offertur, in posteriori autem terminus *reproductus* principaliter offertur.

[1] Suar. *De sacram.* d. LXXV, s. 5, § dico 1°, resp. ad 2[m] obj. Cf. ib. s. 1. — Coninck, in III, q. LXXXIII, a. 1, dub. 5, concl. 6.

II[a] est Vasquezii (1). Christo competit ratio rei sacrificatae eo quod *olim realis victima in cruce oblata, praesens est sub speciebus et repraesentat sacrificium crucis;* illud autem repraesentat ratione duplicis consecrationis factae circa corpus suum et sanguinem. Itaque ob idem motivum consecratio, qua actio, est sacrifica. — Sic autem explicat Vasquez sententiam suam: Sacrificium (uti est res) est nota inexsistens rei, qua profitemur Deum auctorem vitae et mortis. Igitur in re sacrificaliter oblata efficitur a sacerdote haec nota et in hac effectione consistit materia sacrificii uti est actio. — Duplex autem est sacrificium: absolutum et relativum. — In *absoluto*, haec nota est *rei destructio*. — In *relativo*, haec nota est *repraesentatio sacrificii absoluti*, quae inest *ipsi rei olim absolute sacrificatae*. Idcirco opus est ut victima, olim realiter destructa, iterum praesens fiat et repraesentet veterem sui realem destructionem.

III[a] est Lessii (2). Christus, ait, est victima prout *vi verborum solum corpus fit praesens sub speciebus panis, solus sanguis sub speciebus vini*. Ita enim *vi verborem fit vera separatio, mutatio, destructio;* per accidens, propter concomitantiam, haec separatio realiter non habetur. Ad eamdem sententiam accedit Lud. Habert, inter recentes Pesch, Schwetz, Oswald (3). Eadem sententia proponitur in multis catechismis passim pro populo christiano scriptis.

IV[a] est Lugonis. Ad suam sententiam praemittit Lugo: « Quando ad rationem veri sacrificii exigimus destructionem hostiae, nomine destructionis non semper intelligi physicam corruptionem substantialem hostiae, sed destructionem vel physicam, vel humanam; ita ut ex vi sacrificationis, hostia, prout est in termino illius actionis, habeat statum aliquem decliviorem, et saltem humano modo desierit. Haec limitatio videtur esse de mente omnium, eorum etiam qui exigunt destructionem victimae ad rationem sacrificii; nam certum est, hoc sacramentum non destrui physice etiam per actualem sumptionem, donec species corrumpantur in stomacho : sed tamen quia per comestionem videtur humano modo destrui, tunc dicitur vere sacrificari apud illos, qui exigunt destructionem ad essentiam sacrificii. »

Quo praemisso, his constat Lugonis sententia. Sacrificium uti est *res* reponitur in eo quod Christus illocaliter praesens sub speciebus panis

(1) Vasq. in *III[m] part.* d. ccxxii, cap. vii et viii. Cf. ib. d. ccxx, c. iii.

(2) Lessius, *De perf. div.* l. XII, c. xiii. De eadem re tractat in III q. lxxxiii, a. 1, dub. 6, n. 31 sq.; *De jure et just.* II, xxxviii, dub. 2. — (3) Lud. Habert, *Theol. dogmat. et mor.* t. II, *De Euch.* pars II, c. vi, p. 176 sq. — Pesch, *De Euch.* sect. iii, a. 2, prop. XCI. — Schwetz, *Theol. dogm.* vol. III, tract. iii, § 14. — Oswald, *Sakramente*, I, 567 (4 Aufl.).

et vini, *privatur functionibus connaturalibus, et constituitur in statu cibi et potus ;* sic nempe, secundum moralem aestimationem, aequivalenter destruitur. — Sacrificium, uti est actio, essentialiter constituitur verbis consecrationis quatenus Christum constituunt in statu cibi et potus et sic eum Patri offerunt. — Christus uti est sub specie panis in statu cibi, et consecratio speciei panis aptitudinem habent ut eis annectatur significatio sacrificio propria ; idem est dicendum de Christo prouti est sub specie vini et de consecratione calicis. Verum Deus voluit sacrificium altaris esse relativum. Quare significatio sacrificalis non est annexa nisi complexui duarum consecrationum, si sermo sit de sacrificio uti est actio; complexui corporis et sanguinis Christi sub duplici specie, si sermo sit de sacrificio uti est res. His enim continetur vivida imago mortis cruentae Filii Dei.

Sententiae huic adhaeserunt Martinonus, Franc. de Lugo (frater natu major Johannis cardinalis), Joh. Ulloa, Simmonetus, Platellius, Muniessa, Viva, Antoine, Wirceburgenses (Holzklau). Inter recentiores de Augustinis, Hurter, Gihr, Einig, Egger, Stentrup, Palmieri, Sasse, Lambrecht. — Eamdem sententiam antiquius praeformaverunt Alanus, Philippus a Ss. Trinitate. Ei adhaerent Jos. Al. Assemani, de Rhodes, Herincx, Silv. Maurus ([1]).

V[a] est sententia card. Cienfugos ([2]). Humanitas Christi, ait, elevatur virtute divina ad producendos actus vitae sensitivae, qui per se non sunt connaturales huic statui sacramentali ; tunc ipse Christus hanc vitam sensitivam sacrificat et hos actus vitales suspendit. Tandem cum species panis immergitur speciei vini — quae mixtio est imago resurrectionis, — eos actus iterum resumit. — Porro *in sacrificatione vitae sensitivae reponitur ratio formalis sacrificii incruenti.*

VI[a] est sententia quam propugnat Thalhofer qui internam formam et rationem sacrificii eucharistici in eo reponit, quod sanctissima

([1]) Lug. *De sacram.* d. xix, s. 5. — Martinonus, d. xxxviii, n. 43, 63. — Franc. Lug. *De Missa,* c. ii, q. ii, n. 34. — Joh. Ulloa, d. viii, c. i, n. 8. — Simmonetus, d. viii, a. 4. — Platellius, n. 470. — Muniessa, d. xxxiii, s. 4. n. 49. — Viva, d. v, a. 2. — Antoine, *De sacrif.* q. ii. — Holzclau, *De Euch.* c. iv, a. 2. — Franzelin, *De sacrif.*, thes. XVI. — De Augustinis, *De Euch.* thesis XVI. — Hurter, *Theol. dogm. compend.* t. III, n. 419. — Gihr, *Das Messopfer,* pars I, § 15. — Einig, *De Euch.* thes. XXI. — Egger, *Enchirid. theol. dogm. spec.* tract. IX, c. iii, a. 3. — Stentrup, *De Verbo Inc.* pars II, vol.II, thes. XCV, p. 439. — Palmieri, *Ant. Ballarini opus theol. morale,* IV, *De Euch.* n. 228. — Sasse, *De Euch.* pars III, s. iii, thes. XXXII. — Lambrecht, *De ss. Missae sacrif.*, pars III, c. ii, § 2, n. 1-6. — Alanus, *De Euch.* l. II, c. xiii. — Phil. a Ss. Trinit. *De Euch.* d. viii, dub. 4. — Assemani, *Codex liturgicus,* l. IV, pars I, s. ii, a. 1, p. 43. — De Rhodes, *Theol. schol.* t. II, p. 449. — Herinx, *De Euch.* VIII, q. iii, n. 43. — Silv. Maurus, t. III, q. cxciv, n. 10.

([2]) Cienfugos, *Vita abscondita,* d. v, sect. 2 et sq.

anima Christi, quando consecratione praesens fit corpus et sanguis ipsius, *in altari reproducit eumdem actum internum caritatis et obedientiae sacrificalis, quem olim exercuit in cruce se in sacrificium offerendo* (1).

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS XXXV[a]. — Consecrationi competit ratio actionis sacrificae, eo quod per eam Christus sub speciebus panis et vini constituitur illocaliter praesens in statu cibi et potus.

252. — Probatio. Ut dicendum sit consecrationi competere rationem actionis sacrificae, prout per eam Christus sub speciebus panis et vini constituitur illocaliter praesens in statu cibi et potus ; requiritur et sufficit a) ut Christus ratione hujusce praesentiae, et nonnisi ratione ejusdem, secundum communem aestimationem, vilescat, habeat statum

(1) Thalhofer, *Das Opfer des Alten und des Neuen Bundes*. Eamdem sententiam proposuit in opere recentiore *Handbuch der Katholischen Liturgik*, I, § 15.

Sacrificium crucis essentialiter reponi ait Thalhofer in actu obedientiae Dei-Hominis usque ad mortem per sanguinis effusionem. Obedientia haec est forma *interna*, seu spiritualis, sacrificii et vocatur adhuc actus sacrificalis; forma *externa* reponitur in vera et reali effusione sanguinis. — Cum sacrificio crucis connectitur sacrificium caeleste, sacrificium *eucharisticum*, et sacrificium coenae.

De sacrificio *caelesti* haec scribit: « Actum illum obedientiae sanctissima anima Christi etiam in caelis, non quidem cum labore, dolore et abnegatione conjunctum, sed in forma gloriae caelestis perenniter instaurat et coram Patre caelesti continuo repraesentat, atque hunc actum sacrificalem cicatrices in corpore glorioso Christi jugiter manifestant. Itaque in hoc actu sese per cicatrices corporis manifestante consistit sacrificium caeleste, quod proinde substantialiter cum sacrificio crucis identicum censeri debet. » — Refutationem sacrificii hujus caelestis vide apud Stentrup, *Soteriologia*, II, p. 278 sq.

De sacrificio *eucharistico* : « In momento consecrationis Pontifex caelestis cum suo caelesti sacrificio in hanc rerum conditionem... ingreditur. Quando Christus vi verborum consecrationis in altari se praesentem sistit in forma separationis, in forma sacrificii, eumdem omnino, quoad substantiam, actum sacrificalem exercet, quem olim in cruce exercebat, et quem nunc in caelis continuo reproducit. In momento consecrationis anima Christi eadem obedientia sacrificali eodemque spiritu abnegationis commovetur, sicut olim, quando in cruce pendens sensibili sanguinis effusione internam suam obedientiam et abnegationem sacrificalem manifestavit. Atque ut fideles certiores reddantur eorumque sensibus... repraesentetur, Christum in sua mente hunc actum sacrificalem exercere, non sub sola specie panis, sed in forma separationis specierum praesens sistitur. Haec mystica separatio carnis et sanguinis est *forma externa* pro actu sacrificali invisibili identico cum actu sacrificali crucis, ejusque veluti testificatio et confirmatio. » *Das Opfer* etc. p. 260 sq.

Quomodo in sacrificio eucharistico detur realis destructio, quam ducit esse necessariam vero sacrificio, sic explicat : « Christus cum in ultima coena actum consecrationis perficeret, corpus suum nondum externe sacrificaverat, nondum sanguinem suum sensibiliter effuderat; sed voluntate sua traditionem corporis et effusionem sanguinis realem jam decreverat et in ipso momento consecrationis intensissimum actum traditionis corporis in mortem per sanguinis effusionem in se excitavit, atque hoc interno actu, quantum tunc fieri potuit sacrificium vitae suae perfecit, hanc eatenus jam realiter destruxit,

decliviorem, quadamtenus exinaniatur ; b) ut, ratione ejusdem praesentiae, vivide ob oculos ponat cruentam immolationem crucis. Atqui utrumque obtinet. Ergo.

Major constat quia sacrificium Missae simul est sacrificium *verum* ac *proprie dictum,* et sacrificium *relativum.* Ut sit sacrificium verum ac proprie dictum, exigitur ut Christus quadamtenus destruatur ; ut illud sacrificium sit relativum, opus est ut repraesentet sacrificium crucis.

Ad minorem. In sententia Lugonis, eo quod Christus constituitur praesens sub duplici specie, exhibetur vivida imago realis effusionis sanguinis in cruce, haud secus ac in sententia Lessii : in hoc enim cum illa sententia convenit. Probandum itaque tantummodo venit Christum aequivalenter destrui seu exinaniri eo quod illocaliter est praesens in statu cibi et potus, adeoque deprehendi notionem veri sacrificii ; probandum etiam est reliquis sententiis notionem veri sacrificii non retineri salvam.

253. — I. CHRISTUS REVERA DICI POTEST HOSTIA, ACQUIVALENTER DESTRUCTUS, EO QUOD CONSTITUITUR ILLOCALITER PRAESENS IN STATU CIBI ET POTUS.

Arg. I^m^. *Ratione.* Christum constitui illocaliter praesentem, probatum est in prima parte tractatus ; eum revera fieri cibum et potum, ostensum est in secunda parte tractatus, et clare colligitur ex verbis Christi : « Accipite et *manducate*, hoc est corpus meum ; accipite et *bibite* » etc. — In hoc statu Christum aequivalenter destrui eique apte annecti significationem sacrificio propriam, sic ostenditur.

Eo quod induit statum sacramentalem, Christus non modo omni extensione locali caret, sed adhuc naturaliter privatur functionibus naturalibus : nec agere naturaliter in se vel in alia nec influxum ab aliis recipere valet, proindeque nec movere nec secundum se moveri, neque videre aut videri, nec ullam operationem sensitivam aut vegetativam exercere, nec ullum usum naturalem corporis habere naturaliter natus est. — Insuper ob unionem cum speciebus, veluti res

quatenus non nisi vi illius interni actus externa ejus destructio sequi poterat; ex obedientia destructionem vitae a Deo praeceptam determinata voluntate amplecti, hoc jam erat ipsa vitae destructio quoad substantiam. Quod si hoc modo Christus actum sacrificalem crucis, qui externe et historice nondum exsistebat, anticipare potuit, facilius intelligitur eum hunc actum historice perfectum in sua voluntate quoad substantiam recapitulare et continuare posse. Anticipatio et recapitulatio vim habent ex sola relatione interna ad actum sacrificalem crucis historicum... ad mortem illam sacrificalem, quam ut actum voluntariae abdicationis vitae denuo (actus consecrationis) affirmat, continuat, recapitulat. » Ib. p. 242.

inanimata constituitur sub libera potestate hominum sive bonorum sive malorum. — Eo quod accipit Christus statum cibi ac potus, fit aptus ad usus corporis omnino alios, ad usus nempe cibi ac potus, induitque statum quem animal naturaliter nonnisi per sui occisionem habet. — Sane vivit Christus vita divina in altari, siquidem anima unitur corpori, divinitas utrique ; verumtamen induit speciem hominis mortui, adeo ut ipsi applicari valeant haec verba de diis gentium scripta : « Os habent et non loquentur ; oculos habent et non videbunt ; aures habent, et non audient ; nares habent et non odorabunt ; manus habent et non palpabunt ; pedes habent et non ambulabunt ; non clamabunt in gutture suo » Ps. CXIII, 5-7. — Atqui qui in hujusmodi statu constituitur : a) hic vilescit, accipit conditionem decliviorem, quadamtenus exinanitur in conspectu Dei et hominum, aequivalenter destruitur ac immolatur. Ergo Christus aequivalenter destruitur ac immolatur eo quod constituitur illocaliter praesens per modum cibi ac potus. Ergo consecrationi competit ratio materiae sacrificii generice sumpti, quia est causa moralis istius status inducti in Christo ; eidem competit ratio formae, quia Christus in hoc statu constituitur ut Patri offeratur ad profitendum ipsius dominium supremum hominisque a Deo dependentiam (1).

Confirmatur « Talis exinanitio, inquit Franzelin, ad exprimendam majestatem absoluti dominii Dei et satisfactionem pro reatibus nostris morte Christi completam non solum satis intelligitur ut vere et proprie sacrificalis ; sed etiam, excepto sacrificio cruento in cruce, nullam sublimiorem ac profundiorem rationem veri et proprii sacrificii concipere possumus (2).

Arg. II^m. *Ex Scripturis :* Verba Pauli I Cor. XI, 23 : « *Τοῦτό μου ἐστὶν τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον,* » sic sunt intelligenda : « Hoc est corpus

(1) Ipse Christus Jesus videtur omnino favere sententiae quae in exinanitione humanitatis ipsius sub speciebus eucharisticis reponit essentiam sacrificii Missae qua sacrificii. In revelationibus b. Margaritae Mariae Alacoque eamdem exinanitionem proposuit imitandam. Haec enim relatio prodiit e calamo beatae famulae Sacratissimi Cordis : « Comme j'allais à la sainte communion, Il me fit entendre qu'Il venait Lui-même imprimer dans mon cœur la sainte vie qu'Il mène dans l'Eucharistie, vie toute cachée et *anéantie aux hommes, vie de mort et de sacrifice,* et qu'Il me donnerait la force de faire ce qu'Il désirait de moi. » *Vie et œuvres de la bienh. M. M. Alacoque,* I, 225 (Paris 1876). — Prodiit ex eodem calamo haec oratio : « C'est par l'ardent désir que j'ai d'être une bonne religieuse, que je Vous demande, ô mon doux Jésus, de me rendre parfaitement conforme à cette vie de mort à l'égard des sens que Vous menez au très saint Sacrement, où Vous Vous rendez obéissant jusqu'à la mort, d'une manière mystique, à la seule voix du prêtre, bon ou méchant. Faites donc, mon Sauveur, que pour y honorer votre obéissance et anéantissement, je puisse me rendre humble et obéissante » (Ib. II, 563).

(2) FRANZELIN *De sacrificio* thesis XVI, III.

meum quod pro vobis positum est *in statu cibi, ministratur in cibum.* » Jamvero ista verba idem significant atque verba Lucae : « Τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον » ; porro verbis Lucae asseritur corpus Christi dari pro mundo, sacrificaliter offerri. Atqui eatenus idem exprimitur utrisque verbis, quatenus Christus induit statum victimae, eo quod induit statum cibi ac potus. Ergo.

Arg. III^{m}. *Ex Patribus.* Manifeste exprimitur praefata sententia apud Gregorium Nyssenum, Cyrillum Alexandrinum, Dionysium Alexandrinum ([1]).

Gregorius Nyssenus postquam asseruit Christum seipsum in ultima coena immolasse hostiam et oblationem pro nobis, sic pergit : « Quando hoc ? Quando *comestibile corpus suum in cibum constituit ;* aperte ostendit *sacrificium agni jam esse perfectum* (ὅτε βρωτὸν ἑαυτοῦ τὸ σῶμα εἰς βρῶσιν (παρέσχε ?), σαφῶς ἐνδείκνυται τῷ (το ?) ἤδη γεγενῆσθαι ἐντελῆ τοῦ ἀμνοῦ τὴν θυσίαν. *Non enim esset corpus sacrificii, ut comederetur, idoneum, si animatum esset* (εἴπερ ἔμψυχον ἦν). Ergo quando *corpus edendum et sanguinem bibendum discipulis praebuit,* jam sicut potestati ipsius mysterium peragentis collibuerat, *ineffabiliter et invisibiliter corpus immolatum* erat (ἤδη τὸ σῶμα ἐτέθυτο).

Cyrillus Alex. « Is qui typice manducatus est (τυπικῶς βρωθείς, al. μυστικῶς θυσιασθείς typice immolatus) in Aegypto (in agno paschali), hic (in Eucharistia) *ultro se ipsum immolat....* cibum vitae ipse se ipsum continuo proponens (ἐκεῖσε ἑκουσίως ἑαυτὸν θυσίαζει... βρῶμα ζωῆς αὐτὸς παραυτίκα ἑαυτὸν παραθέμενος). »

Dionysius Alex. « *Exinanivit* semetipsum ; quapropter sic (nomine exinanitionis) appellatur inenarrabile mysterium et novum Dei testamentum, quando se ipsum nobis dat in mystica coena. Non sicut illi secundum legem sacerdotii Aaronis carnem irrationalium animalium olim imponebant altari... nunc autem non ita, sed ipse Dominus et Deus

([1]) Nyss. *Orat. de resurr. Christ.* M. XLVI, 611. Vide notas in h. l. apud Migne l. c. p. 1207. — Cyr. Alex. *Hom. in coenam mysticam.* M. LXXVII, 1023. — Dion. Alex. in *Resp. adv. Paulum Samosat.* q. VII, op. edit. a Simone de Magistris, p. 254 sq. ; vide etiam Labbe, *Coll. Conc.* I, 1071. — Sunt alia adhuc testimonia e quibus non raro petitur argumentum. Patres et Liturgiae, ait Card. Franzelin, constanter in hoc sacrificio immolationem cum manducatione ac participatione sacrificii ita conjungunt, ut immolatio ordinetur ad participationem et sit praeparatio cibi hujus divini ac potus. Sic S. Andr. Apost. *in ep. Presbyt. Achaiae,* c. VI ; Aug. *ep.* XCVIII, n. 9 *ad Bonif.* M. XXXIII, 363 ; Gaud. Brix. *Serm.* II *in Ex.* ; Greg. M. l. IV *dial.* c. LVIII. M. LXXVII, 428 ; Liturg. Arm. ; Ambros. ; Liturg. syr. etc. Jamvero haec constans conjunctio horum duorum, est signum Patres ducere immolationem stare in manducabilitate, seu in statu cibi et potus. — Attamen testimonia videntur ambigua. Sane sacrificatio est praeparatio cibi eucharistici. Sed quaeritur an haec praeparatio sit ratio formalis sacrificii.

Israel, Salvator noster, ait : « Qui manducat me, et ipse vivet propter me... Accipite et dividite inter vos. Novum testamentum est : hoc facite. » Haec est Dei *exinanitio ad* nos, ut possimus eum capere. De hoc enim tremendo mysterio dicit Apostolus, quod se ipsum exinanivit.... Exinanitionem vocat Apostolus, ut antea dixi, capi a nobis mysterium vitae per manus ejus incontaminatas et incorruptibiles et divinas, ut nempe possimus fideles eum capere et fieri mansio ejus, accipientes eum totum. » — Comparat deinde Dionysius hanc exinanitionem cum sacrificio agni paschalis, et concludit : « Exinanitio non significat mutationem in ipso (simpliciter et secundum modum exsistendi in specie propria), absit, sed nostram renovationem per exinanitionem, qua exinaniens se ipsum gratificatus est nobis. Effusus Spiritus sanctus super omnem carnem manet plenus, et effuso sancto ac vivifico sanguine ex profunditate divini lateris, manet plenus exinaniens se ipsum Jesus Christus, incorruptibilem et vivum et vitae datorem sanguinem suum in nos effundens. »

254. — II. CHRISTUS NON IMMOLATUR : A. IN QUANTUM REPRODUCITUR, uti vult Suarez. Id enim perspicuum est tum quia falsum est Christum per consecrationem reproduci, quod alibi ostensum est (cf. n. 106), tum sequentibus argumentis.

Arg. I^m. In genere falsum est id quod supponitur in hac sententia, sc. rem aliquam sacrificari, non tantum secundum quod destruitur una forma, sed etiam secundum quod producitur alia forma. Etenim a) contra modum loquendi assuetum est dicere rem sacrificari eo quod producitur. Res enim sacrificatur eo solo quod destruitur. Sane corruptio unius est generatio alterius, cum destruitur aliquod compositum, generatur novum compositum ; verum primum compositum est quod in sacrificium offertur, non autem compositum alterum. In Eucharistia offertur Christus, non in quantum producitur (dato eum reproduci), sed in quantum ita producitur *ut immoletur*. — b) Si res potest dici sacrificari in quantum producitur, nihil impedit quin destructio veteris et exstructio novi templi vel altaris in cultum divinum, dicatur esse sacrificium : sed nemo hoc habebit pro vero. — c) Ut dicatur aliquid sacrificari, oportet ut per illud protestemur nos Deum habere tamquam supremum dominum. Atqui haec protestatio non fit per productionem formaliter sumptam. Ergo.

Arg. II^m. Vel dicetur in hac sententia ad sacrificium non exigi rei destructionem, sed sufficere oblationem rei de novo productae ; vel dicetur exigi destructionem unius et oblationem alterius. — Praeter haec

non datur nisi sententia propugnata, qua idem offertur et sacrificatur, proinde qua Christus dicitur sacrificatus haud secus ac oblatus. — Atqui dici nequit a) ad sacrificium sufficere oblationem rei de novo productae. Sequeretur enim sacrificium offerri in actu primo ab eo qui agnum recens natum offerret Deo sine illius occisione aut ulla immutatione. — Neque dici potest b) exigi destructionem unius et oblationem alterius. Etenim α) secundum omnium consensum idem est terminus qui sacrificatur seu destruitur et qui offertur. β) Protestatio Dei dominii et hominis a Deo dependentiae non fieret per rem destructam, siquidem non offertur, neque per rem oblatam, siquidem non destruitur.

255. — B. CHRISTUS DICI NEQUIT SACRIFICATUS, IN QUANTUM SACRIFICIUM CRUCIS OLIM A SE OBLATUM REPRAESENTAT, uti vult Gabriel Vasquez.

Prob. Arg. I^{m}. Rejici oportet sententiam e qua sequitur celebrationem Eucharistiae jam non esse sacrificium verum, reale, univocum, sed improprium et analogum. Atqui sententia Vasquez demit a celebratione Eucharistiae rationem veri ac realis sacrificii, et non relinquit nisi rationem sacrificii analogi. Etenim a) ibi nullum sacrificium, ubi nulla immutatio, immolatio, neque realiter neque aequivalenter. Atqui nulla immolatio, ubi tantummodo victima olim oblata iterum fit praesens et repraesentat, sine nova immolatione, sacrificium olim oblatum. Ergo. — b) Ibi nullum sacrificium, ubi nulla datur, in re quae dicitur sacrificata, protestatio Dei dominii nostraeque a Deo dependentiae. Atqui ubi victima olim oblata iterum fit praesens et repraesentat sine nova immolatione sacrificium olim oblatum ; ibi nulla datur, in ipsa hac re, praedicta protestatio, sed tantum fit memoria aut exhibetur imago protestationis olim factae, cum victima realiter est immolata.

Arg. II^{m}. Uti advertit Lugo ([1]), si filia Jephte, facta rediviva, repraesentaret in semetipsa sacrificium quo olim fuit oblata, nemo hanc repraesentionem haberet pro sacrificio. Ergo falsum est repraesentationem veteris sacrificii a victima factam, esse verum aliquod sacrificium.

Si ais cum Vasquez per meram recitationem non dari verum sacrificium, requiri aliquam actionem exercitam circa rem, quae sacrificatur ; in Eucharistia fieri hujusmodi actionem circa Christum ; si circa filiam Jephte simile quid fieret, eam posse dici sacrificari : — Haec fit responsio : Actio circa corpus Christi exercita talis est ut vi ipsius Christus

(1) LUG. *De Euch.* d. XIX, s. 4, n. 58.

possit dici immolatus, vel hujuscemodi non est. Si primum asseritur, habetur sententia quam docet Lugo, sc. mysterium Eucharistiae est *sacrificium* ratione hujus immolationis ; illud sacrificium est *relativum*, quia fit memoria crucis, adeoque non est necesse rationem *sacrificii* repetere ex commemoratione sacrificii crucis. Si alterum asseritur, Christo proprie et univoce non competit ratio rei sacrificatae.

Arg. III^{m}. « Est notatu dignum, ait Franzelin, quod si Vasquezii sententia esset vera, Lutherani, admittentes realem praesentiam et commemorationem ac repraesentationem sacrificii in cruce peracti, concedentes etiam hoc sensu latiori posse Eucharistiam dici sacrificium, viderentur re ipsa admittere totum quod constituit verum ac proprium sacrificium, atque ita, ad hoc caput quod spectat, videretur controversia esse magis de nomine, quam de ipsa re. Hoc autem certe nemo catholicus dixerit ».

256. — C. Christus nequit dici sacrificatus, in quantum vi verborum solum corpus praesens ponitur sub speciebus panis, solus sanguis sub speciebus vini, uti vult Lessius.

Prob. Rejici oportet sententiam qua fit ut in Missa jam non detur sacrificium verum, reale, univocum. Atqui e sententia Lessii sequitur in Missa non dari nisi sacrificium analogum. Etenim a) in hac sententia verba consecrationis tantum repraesentant destructionem, sunt figura alicujus sacrificii, nempe crucis. Atqui nomen rei non convenit univoce figurae ejusdem rei, sed nonnisi analogice. Ergo. — b) Ait quidem Lessius vi verborum fieri veram separationem corporis et sanguinis, eam nonnisi per concomitantiam impediri. Atqui, dato vi verborum fieri veram separationem, dicendum est per concomitantiam tolli omne sacrificium, siquidem tollitur omnis separatio adeoque immolatio, quae est de notione sacrificii generice sumpti. — Ceterum c) falsum est sanguinem a corpore, corpus a sanguine *excludi,* seu *separari* vi verborum. Verum enim tantum est vi verborum sanguinem *non poni* sub speciebus panis, corpus sub speciebus vini ; at ideo non *excluduntur* vi verborum. Immo verba, cum exigant corpus poni sub speciebus panis, per viam consequentiae exigunt sanguinem poni, nedum eum excludant. Ergo iterum perimitur ratio sacrificii univoci.

257. — D. Christus non est sacrificatus, in quantum immolat ipsemet vitam sensitivam qua supernaturaliter erat donatus.

Prob. 1. Nimis incertum est Christum sub speciebus donari supernaturaliter vita sensitiva, quam ut in voluntaria immolatione hujus vitae constitui possit essentia sacrificii Missae. — 2. Sine fundamento

asseritur Christum hanc vitam voluntarie suspendere. Revelatio enim de hujusmodi suspensione altissimum servat silentium ; ratione vero nihil comprobatur, siquidem haec suspensio non est necessaria ad hoc ut detur immolatio in celebratione Eucharistiae. — 3. Sine fundamento etiam affirmatur Christum tunc resumere vitam sensitivam, cum species panis immergitur speciei vini.

258. — E. Refutatur sententia Thalhofer. 1. Si interna forma et ratio sacrificii eucharistici in eo est quod anima Christi in altari elicit actum internum caritatis et obedientiae sacrificalis olim in cruce exercitum, et si haec forma ex sola ista relatione identitatis ad sacrificium crucis habet valorem actus sacrificalis, sequitur rationem sacrificii eucharistici unice consistere in relatione ad sacrificium crucis. Atqui hoc refutatum est, ubi actum est de sententia Vasquezii. Ergo. — 2. In hac sententia consecratio non est ipsa actus sacrificalis, sed sacrificium reponitur in actu interno Christi qui ponitur sub consecratione, cum corpus et sanguis Christi ponuntur in altari sub duabus speciebus. Atqui supra ostensum est sacrificium, uti est actio, unice reponi in consecratione. — 3. Asserit Thalhofer ad rationem sacrificii requiri realem destructionem rei Deo oblatae. In Missa reponit hanc destructionem in actu interno quo Christus in cruce se in mortem tradidit et sanguinem effidit, quatenus hunc actum in altaribus jugiter instaurans se promptum exhibet ad denuo effundendum sanguinem, si opus esset. Atqui hic actus non est nisi promptitudo voluntatis ad offerendum sacrificium crucis, si opus esset ; haec autem promptitudo non est destructio realis Christi, siquidem haec non consistit nisi in mutatione reali rei oblatae. — 4. In eadem sententia actus sacrificalis sacrificii crucis non differt intrinsecus ; nonnisi forma externa est diversa, consistens nempe in reali effusione sanguinis, si sermo sit de sacrificio crucis, mystica effusione sanguinis, si sermo sit de sacrificio eucharistico. Atqui secundum Tridentinum sacrificium crucis et sacrificium eucharisticum *ratione offerendi differunt;* haec porro ratio offerendi est intrinseca oblationi non autem extrinseca, immo secundum theologos est specifice diversa in duobus sacrificiis. — 5. Stante hac sententia, dicendum est actionem sacrificalem eucharisticam tamdiu durare, quamdiu durat praesentia Christi sub utraque specie, siquidem quamdiu perdurat haec praesentia, tamdiu perdurat forma interna et forma externa sacrificii eucharistici ([1]).

(1) Cf. Stentrup, *Soteriologia*, II, thes. XCIII, p. 418 sq.

Satisfit difficultatibus.

259. — **Defenditur sententia Vasquezii. Obj.** 1°. Cum Vasquez: (1) In tantum ratio formalis sacrificii altaris reponi non posset in memoria sacrificii crucis, in quantum realis immutatio esset de essentia sacrificii. Atqui hoc non est; immutatio enim non est nisi aliquid ex parte materiae necessario requisitum. — *Prob. min.* Ibi sacrificium verum ac reale, ubi protestatio supremi Dei dominii, absolutaeque hominis a Deo dependentiae, seu ubi significatio omnipotentiae Dei, auctoris vitae et mortis. Atqui haec protestatio dari potest sine vera ac reali immolatione; habetur nempe, ubi fit consecratio corporis et sanguinis Christi, absque reali immutatione ipsius Christi, ob solam repraesentationem mortis ejus, siquidem ipse Christus est praesens et sacrificium cruentum quadantenus ob oculos nobis exponit. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Si *realis* immutatio *opponitur ad figuram immolationis, Conc.;* si opponitur ad immutationem *aequivalentem*, quasi haec non posset sufficere, *Neg. Cdt. min.* Immutatio realis non est de essentia sacrificii h. e. sufficit *certa figura immolationis, Neg.;* sufficit aequivalens. *Conc.* — Ad probationem respondetur *distinguendo majorem:* Ibi sacrificium, ubi praefata protestatio est annexa *ritui externo qualicumque, Neg.;* ubi praefata protestatio fit per *oblationem verae victimae, Conc.*

Observa. Ut salvus sit conceptus vulgaris sacrificii, non sufficit qualiscumque protestatio Dei dominii supremi, absolutaeque hominis a Deo dependentiae; sed ea exigitur protestatio, quae fit per oblationem verae victimae, sive immolatio ipsa sit pars essentialis actionis sacrificae, sive sit essentialiter praerequisita ad actionem sacrificam, de quo heic abstrahimus contra Vasquez.

Obj. 2°. Cum eodem (2): Ex testimoniis ss. Patrum, quae relata sunt ad ostendendum Missam esse sacrificium relativum, manifestum est Cyprianum, Chrysostomum, Augustinum, Algerum, habere Missam pro sacrificio, propter id solum quia est commemoratio sacrificii crucis.

Resp. Cum Patres, explicantes sacrificium altaris, non loquuntur nisi de commemoratione sacrificii crucis, nequaquam asserunt celebrationem Eucharistiae esse verum sacrificium eo solo quod datur objectiva repraesentatio sacrificii cruenti. Ex eorum verbis unice concludi potest non sufficere, ex voluntate Christi, quamcumque Christi immolationem sub speciebus, sed eam exigi immolationem quae insuper sit figura

(1) Vasq. d. ccxxii, c. viii. — (2) *Ib.* c. vii.

sacrificii crucis. — Aliter, his verbis asserunt Patres sacrificium altaris esse relativum ; non dicunt quamcumque relationem ad sacrificium crucis sufficere ad hoc ut detur sacrificium reale; contra admittunt, licet hoc expressis verbis non exprimant, in fundamento istius relationis deprehendi debere essentiam sacrificii *generice* sumpti.

Obj. 3°. S. Thomas scribit : « Solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt : sicut cum intuentes tabulam aut parietem pictum, dicimus : ille Cicero est, et ille Sallustius. Celebratio autem hujus sacramenti imago quaedam est repraesentativa passionis Christi, quae est vera ejus immolatio. Et ideo celebratio hujus sacramenti dicitur Christi immolatio (1) ».

Resp. Ex hoc non sequitur celebrationem Eucharistiae non aliter esse *sacrificium*, nisi prout est figura sacrificii crucis. Ratio est duplex: a) Si haec esset mens Aquinatis, sequeretur ipsius judicio Eucharistiam nonnisi analogice esse sacrificium, nam nomen rei nonnisi analogice convenit figurae ; profecto id est alienum a mente Aquinatis. — b) Quaerit s. Thomas utrum celebratio Eucharistiae vocari queat *immolatio* et accipit hunc terminum sensu proprio pro immolatione *cruenta*. Patet in Eucharistia non dari immolationem proprie dictam, sensu univoco cum immolatione crucis ; verum datur immolatio analogice, idque ob duo, quorum primum modo est expositum, alterum illud est : « Alio modo quantum ad effectum passionis Christi: quia scilicet per hoc sacramentum participes efficimur fructus dominicae passionis ». Sic concludit angelicus praeceptor: « Quantum igitur ad primum modum, poterat dici Christus immolari etiam in figuris V. L... Quantum ad secundum modum, proprium est huic sacramento, quod in ejus celebratione Christus immoletur. » Patet itaque Aquinatem non examinare quanam ratione Eucharistia vocetur *sacrificium*, sed sub quanam ratione vocetur *immolatio*.

260. — Impugnatur directe sententia Lugonis.

Obj. 4°. Ut essentia sacrificii competat consecrationi prouti per eam Christus constituitur in statu cibi ac potus, duo exiguntur : a) Ut Christus sic vilescat, quadamtenus exinaniatur, aequivalenter destruatur ; b) ut ratione istius status declivioris denominari valeat sacrificatus. Atqui a) Christus non vilescit per praesentiam sacramentalem ; contra glorificatur, uti jam ostensum est in prima parte tractatus

(1) S. Th. III, q. LXXXIII, a. 1

(cf. n. 37 sq.); b) dato Christum vilescere, ratione hujus status declivioris non dici potest proprie sacrificatus. Ergo.

Prob. prima pars min. 1. *Directe:* Christus non vilescit ratione perfectionis majoris acquisitae. Atqui praesentia sacramentalis est perfectior praesentia connaturali. Ergo. — *Prob. min.* Praesentia sacramentalis est a) quasi spiritualis, est b) supernaturalis, est c) egregia manifestatio potentiae, bonitatis, sapientiae Dei. Atqui id quod hisce characteribus insignitur, est perfectius ejus opposito. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* — Ad probationem primae partis minoris respondetur *distinguendo majorem:* Christus non vilescit per acquisitam perfectionem quae, si consideratur *in concreto cum sequelis,* foret major et excellentior quam *praesentia* quae *connaturalis* est Christo glorificato, *Conc.;* non vilescit Christus per acquisitam perfectionem quae in abstracto tantum aut secundum quid offert majorem perfectionem, *Neg.* — Ad probationem respondetur concedendo 1^m^ assertum majoris et *distinguendo 2^m^ assertum et 3^m^*: Praesentia sacramentalis est supernaturalis h. e. *excedit virtutum creatam, Conc.;* nobilitat perfectione majore et superioris ordinis, *Subd.* si *in abstracto* concipitur, *Conc.; in concreto, Neg.* — Eadem praesentia commendat Dei sapientiam et bonitatem *erga genus humanum,* quod ratione hujus praesentiae sacramentalis ditatur multis ac miris donis, *Conc.; erga Christum, Subd. secundum quid, Conc.; simpliciter, Neg.*

Observa. Status cibi et potus quo Christus donatur, est perfectio relate ad nos, siquidem eo nobis confertur donum divinum; quare egregia est manifestatio bonitatis Dei erga nos ejusque sapientiae. Verum si respectu Christi et in concreto inspicitur, non est major perfectio quam status connaturalis a Christo in caelis occupato, sed potius exinanitio hujusce status. Quod apparet attendenti ad sequelas istius status inter argumenta expositas. — Hunc statum acquirit Christus non vi solius modi praesentiae, sed aliorum etiam accidentium in speciebus productorum. Singula autem horum accidentium sunt supernaturalia, transcendunt enim omnem causalitatem creatam, adeoque commendant Dei potentiam; verumtamen non conferunt Christo majorem perfectionem, seu non efficiunt ut constituatur in nobiliori statu quam in caelo.

Inst. Atqui Christus non vilescit ratione praesentiae sacramentalis in concreto inspectae. Haec enim praesentia facit Christum immunem ab omni dolore ac passione; deinde non privat Christum nisi re prorsus inutili, nempe exercitio vitae sensitivae quod inutile est intuitive

videnti Deum ; demum eum efficit objectum cultus et causam innumerarum gratiarum quae animis infunduntur. Atqui acquisitione hujusmodi doni in concreto inspecti non vilescit Christus. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ex argumento sequitur dari fortassis posse statum majoris exinanitionis ; non probatur exinde statum cibi et potus non esse decliviorem quam statum gloriosum, et esse aequivalentem destructionem.

Obj. 5°. *Probatur eadem prima pars 2° indirecte :* Consequens foret Christum a) mutari, b) mereri. Atqui utrumque est falsum : *Primum* est falsum : Qui enim nihil amittit ille non mutatur ; atqui Christus nihil amittit. Ergo. — *Secundum* est falsum : Tempus enim merendi absolutum est sacrificio crucis.

Resp. *Dist. 1ª pars maj.* Christus mutaretur aequivalenter seu acquireret *novum modum essendi, Conc. ;* proprie seu *amitteret* unum modum essendi, acquireret alterum, *Neg. — Cdt. 1ª pars min. — Dist. 2ª pars maj.* Christus mereretur *in actu primo, Transm. ;* Christus *in actu secundo* mereretur, *Neg.*

Observa. Christus meruit quidem a Patre, cum instituit sacrificium altaris quo ipse quadamtenus erat quotidie exinaniendus ; verum jam non meretur cum sacrificium altaris offertur, quia omnes conditiones ad meritum requisitae non adsunt. Christus enim jam sub nullo respectu est viator, deinde verba consecrationis physice dicuntur a solo sacerdote, adeoque Christus non profert physice ac libere ista verba ; demum Deus est, non vero Christus qua homo, qui ponit corpus et sanguinem Christi sub speciebus, adeoque iterum ex hac immolatione nullum humanitati Christi dimanat meritum.

Obj. 6°. *Probatur altera pars argumenti. Christus nequit dici immolatus ratione praesentiae sacramentalis.*

Nihil dicitur sacrificari ratione illius quod producitur. Atqui status sacramentalis, acquisitus a Christo, producitur. Ergo. — *Prob. maj.* Productio non est destructio. Atqui sacrificare est destruere. Ergo nil sacrificatur ratione rei productae.

Resp. *Dist. maj.* Nihil sacrificatur ratione illius quod producitur, *in quantum producitur. Conc. in quantum id. quod producitur, induit statum humiliationis,* victimae, aequivalentis destructionis, *Neg. ; conc. min. ; dist. cons.* Christus ratione modi producti, *in quantum producitur,* etc. *Conc. ;* in quantum infert statum decliviorem, *Neg.* — Ad probationem majoris respondetur iterum *distinguendo majorem :* Productio *formaliter* sumpta non est destructio, *Conc.* productio *materialiter* sumpta non

potest inferre statum in qua destructio aequivalens habetur, *Neg.* — *Dist. min.* Sacrificare est destruere *sive formaliter sive aequivalenter, Conc.; necessario formaliter, Neg.*

Obj. 7°. Eo quod Christus in sacrificium offerretur ratione istius status declivioris, consequens foret rationem formalem sacrificii inveniri in utraque consecratione seorsim ab altera, neque exigi duas consecrationes. Atqui hoc est falsum. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Consequeretur rationem formalem sacrificii inveniri *aptitudinaliter* in utraque consecratione, *Conc.;* eamdem inveniri *actu* et *formaliter, Neg.*

Observa. Utraque consecratio seorsim ab altera est apta ad hoc ut sit sacrificium; attamen actu una sine altera sacrificium non est, sed exigitur unio utriusque. Ut enim aliqua res et ut actio sint actu sacrificae, non sufficit ut res immoletur et offeratur Deo; sic enim est tantum apta proxime ad hoc ut ei annectatur significatio propria sacrificio. Verum ut actu insit haec significatio, insuper requiritur ut positiva institutione, ab auctoritate legitima, significatio sacrificio propria ei imponatur. Jamvero Christus hanc significationem non imposuit, nisi ei ritui qui expresse significat sacrificium cruentum, ac proinde duabus consecrationibus complexive sumptis.

261. — Defenditur sententia Lessii. Obj. 8°. Falsa est sententia e qua sequeretur Deum sibimet offerre sacrificium. Id enim est contra rationem sacrificii: sacrificium enim ex formali sua ratione est actus inferioris agnoscentis dominium superioris, suam subjectionem et reatum mortis sibi ob delicta sua sustinendae. Atqui id inconveniens consequitur quidem ad sententiam quam Lugo defendit; nullatenus vero ad sententiam Lessii. — *Prob. min.* Deus per modum causae principalis efficit praesentiam sacramentalem; in hac autem praesentia constituit Lugo rationem formalem sacrificii uti est res. Atqui qui est auctor principalis sacrificii qua rei, ille offert sacrificium. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem respondetur *distinguendo majorem:* Deus efficit praesentiam sacramentalem et eam efficiendo *intendit rationem sacramenti, Conc.;* Deus intendit rationem *sacrificii, Neg. — Cdt. min.*

Obj. 9°. Sacrificium Missae est essentialiter repraesentatio sacrificii cruenti crucis. Atqui est quidem hujusmodi in sententia Lessii, non vero in sententia Lugi. — Constat 1ª pars minoris quia Lessius quidem reponit essentiam sacrificii Missae in separatione corporis Christi a sanguine vi verborum: porro in eadem reponitur repraesentatio sacri-

ficii crucis. — Constat 2ª pars quia Lugo eamdem essentiam reponit in eo quod Christus est praesens in statu cibi ac potus.

Resp. *Dist. maj.* Sacrificium Missae uti est essentialiter *relativum* stat in repraesentatione sacrificii crucis, *Conc.;* uti est essentialiter *acrificium, Neg.* aut *Subd.* in *qualicumque* repraesentatione sacrificii crucis, etiam praesente victima, *Neg.;* in ea repraesentatione in qua *deprehenditur notio sacrificii*, *Conc.* Manifesta est responsio quia repraesentatio sacrificii crucis non est nisi analogice sacrificium, si in ipsa non deprehenduntur notae essentiales sacrificii generice sumpti. — *Cdt. 1ª pars min.* ubi de sententia Lessii. — Negatur 2ª pars ubi de sententia Lugi. Vide expositionem sententiarum. — Ad probationem minoris *distinguitur* : Lessius reponit essentiam sacrificii Missae in separatione corporis a sanguine vi verborum, quae impeditur per concomitantiam, *Conc.;* secus, *Neg.* Impeditur itaque in sententia Lessii per concomitantiam ne detur sacrificium verum et proprie dictum, quia per concomitantiam impeditur realis separatio ; ideo tamen non impeditur relatio ad sacrificium crucis. — Distinguitur id quod de Lugone dicitur : Reponit essentiam sacrificii qua sacrificii in eo quod Christus est praesens in statu cibi et potus, *Conc.;* sacrificii qua *relativi*, *Neg.* Haud secus enim ac Lessius reponit Lugo hanc relationem in eo quod vi verborum solum corpus ponitur sub specie panis et solus sanguis sub specie vini.

Inst. Atqui a) in sententia Lugi sacrificium Missae non est essentialiter repraesentatio sacrificii crucis ; b) essentia sacrificii Missae reponitur unice in eo quod repraesentat immolationem cruentam crucis, uti volunt Lessius et Vasquez.

Prob. 1ª subsumptio. Quod rei advenit per accidens, non convenit essentialiter huic rei. Atqui in sententia Lugonis esse repraesentationem sacrificii crucis convenit per accidens sacrificio Missae. — *Prob. min.* Quod advenit essentiae plane constitutae, per accidens eidem rei convenit. Atqui in sententia Lugonis esse repraesentationem sacrificii crucis convenit Missae plane constitutae in ratione sacrificii. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem, *Dist. maj.* Quod advenit essentiae plane constitutae *in actu primo*, illud per accidens rei convenit, *Neg.;* quod advenit essentiae plane constitutae in *actu secundo*, id per accidens convenit huic rei *Conc.* — *Cdt. min.* Esse repraesentationem sacrificii crucis in sententia Lugonis competit Missae plane constitutae *in actu primo* sacrificii, *Conc.;* convenit Missae plane constitutae *in actu secundo* sacrificii, *Neg.* Non sufficere aptitudinem ad esse

sacrificium, ut actu detur sacrificium, sed adhuc exigi institutionem ab auctoritate religiosa, non semel est dictum. Cf. responsum ad obj. 7m.

Obj. 10°. *Prob. 2ª subsumptio :* Essentia sacrificii Missae reponitur unice in consecratione prout est repraesentatio sacrificii crucis.

Etenim a) essentia sacrificii Missae stat unice in eo quod indicatur verbis consecrationis — siquidem nihil fit neque in sacramentis neque in sacrificio eucharistico, nisi significetur verbis. — Atqui verba consecrationis unice indicant separationem corporis et sanguinis, adeoque repraesentationem sacrificii crucis. Ergo.

b) Essentia sacrificii Missae debet esse sensibilis. Atqui sensibilis non est, nisi sita sit in separatione corporis et sanguinis vi verborum, adeoque in repraesentatione sacrificii crucis. Ergo.

c) Sacerdos debet esse causa sacrificii. Atqui est quidem causa separationis corporis et sanguinis vi verborem, non vero positionis Christi in statu cibi et potus. Ergo.

Resp. Ad 1m. *Dist. maj.* Essentia sacrificii Missae est in eo quod indicatur verbis consecrationis *ut haec cadunt supra materiam,* sc. supra Christum in statu cibi et potus, *Conc.;* his verbis *seorsim inspectis*, *Neg. Cdt. min.* — Verba consecrationis *seorsim inspecta* non indicant nisi aliquam separationem corporis et sanguinis vi verborum, *Transm.;* eadem verba, *prout cadunt supra materiam,* non significant Christum poni *in statu cibi et potus*, *Neg.*

Ad 2m. *Dist. maj.* Essentia sacrificii debet esse sensibilis ratione *formae*, *Conc.;* ratione *materiae*, *Subd.* debet esse sensibilis *immediate et in se aut mediate et in alio*, *Conc.; immediate et in se* quoad omnia elementa, *Neg. Cdt. min.*

Ad 3m. *Dist. maj.* Sacerdos debet esse causa *formae* sacrificii, *Conc.;* debet esse causa *materiae, Subd.* causa *physica aut moralis*, *Conc.;* causa *physica, Neg.* — *Conc. 1ª pars min.* — *Cdt 2ª pars.* — Sacerdos est causa physica oblationis, est causa moralis immolationis, moraliter autem causat immolationem dum physice dicit verba.

Observa 1. Essentia sacrificii indicatur verbis consecrationis uti cadunt supra materiam. His autem verbis sic consideratis simul indicatur immolatio Christi constituti in statu cibi et potus, et repraesentatio sacrificii crucis, siquidem materia est Christus uti est sub speciebus duabus, corpus quidem Christi sub specie panis, sanguis vero sub specie vini.

2. De sensibilitate sacrificii eucharistici loquendum est uti de sensibilitate sacramenti ; eadem enim utrique est materia et forma in

sententia Lugonis, saltem cum materia sacrificii sumitur pro re sacrificata. Per se nempe sensibilis est forma ; materia vero est partim sensibilis, partim ex se insensibilis. Christus autem, per se perceptionem sensuum aufugiens, unitur speciebus per se sensibilibus.

CAPUT III.

De ministris sacrificii Missae.

S. Th. III, q. LXXXII. — Suar. d. LXXVII. — Lugo d. XIX, s. 7. — Vasq. d. CCXXV et CCXXVI.

Quaeritur 1° utrum Christus sit principalis offerens; 2° utrum omnes et soli sacerdotes sint ministri secundarii.

ARTICULUS I.

De Christo, ministro principali sacrificii Missae.

Scotus et Gabriel et Vasquez videntur sensisse Christum non proprie in hoc sacrificio offerre; affirmant oblationem a sacerdote factam nonnisi remote attribui Christo, quatenus nempe est institutor sacrificii (1). Sententiam communem exponit et defendit, duce Suarez, sequens thesis.

THESIS XXXVI[a]. — Christus Dominus est summus sacerdos qui principaliter offert sacrificium Eucharistiae, quandocumque et ubicumque offertur. Sacrificium autem offert Christus, non tantum remote quatenus nempe est institutor sacrificii, sed adhuc per se et proxime quatenus ipse aliquo modo actu offert, licet per sacerdotem offerat.

262. — **Prima pars.** Christus est minister principalis Eucharistiae.

Prob. Arg. I[m]. Patres non raro affirmant Christum offerre semetipsum in celebratione Eucharistiae. Sic inter alios Cyrillus Alexandrinus et Ambrosius (2) Id non raro colligunt ex eo quod Christus dicitur

(1) Scotus, *Quodl.* XX. — Gabriel, *lect. XXVI in can. Missae*. l. A. — Vasq, d. CCXXV, c. III.
(2) Cyr. Alex. « Christus nos excipit hodie convivio, Christus nobis hodie ministrat ; Christus ille hominum amans refocillat. Tremendum est quod dicitur ; formidabile quod

sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Licet enim ratione unius sacrificii crucis et ratione institutionis sacrificii altaris, dici queat sacerdos aeternus, tamen multi Patres hoc textu significari voluerunt Christum perpetuo fungi munere sacerdotali, quatenus est minister principalis sacrificii Eucharistiae. Sic Anselmus, Theophylactus, Oecumenius, Eusebius Caesariensis ([1]).

Arg. II^{m}. Unum ex discriminibus inter legem veterem et novam reponitur a Paulo ad Hebraeos penes id quod in illa erant plures offerentes, in hac unus est offerens sacerdos aeternus, cui nullus succedet. Unde vel post sacrificium crucis nullum jam aliud sacrificium offertur, vel Christus est minister principalis illius alterius sacrificii. Atqui primum dici nequit. Ergo manet alterum.

Confirmatur interpretatione Patrum ita Paulum exponentium : Sic Chrysostomus, Theophylactus et Anselmus ([2]).

Arg. III^{m}. Ex Conciliis. a) Concilium Lateranense IV, in c. *Firmiter,* asserit Christum in hoc mysterio esse simul sacerdotem et sacrificium (Denz. n. 357). — b) Concilium Florentinum asserit sacerdotes conficere hoc mysterium in persona Christi (Denz. n. 593). — c) Tridentinum : « Una enim, ait, eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit. » (Sess. XXII, c. II).

Arg. IV^{m}. *Ratione.* Christus semper potest offerre tamquam minister principalis. Semper enim manet sacerdos, semper interpellat pro nobis, semper prospicit. Ergo semper potest offerre. — *Prob. conseq.*

---

perficitur. Saginatus ille vitulus mactatur ; Dei agnus, qui tollit mundi peccatum, mactatur. Pater laetatur, Filius sponte immolatur, non quidem hodie a Dei hostibus, sed a seipso, ut ad hominum salutem voluntarios se cruciatus subiisse significet. » *Hom. X* inter diversas homilias, M. LXXVII, 1017.

Ambr. « Vidimus principem sacerdotum ad nos venientem ; vidimus et audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum : sequimur, ut possumus, sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium ; etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio, quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur ; immo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium, quod offertur. » *In psalm.* XXXVIII, n. 25. M. XIV, 1051.

([1]) Euseb. Caesar. « Et sane oraculi exitus admirabilis ei, qui contempletur quemadmodum Salvator noster Jesus, qui est Christus Dei, ipsius Melchisedech ritu ea quae ad sacerdotium in hominibus gerendum spectant, per suos ministros perficiat. Nam quemadmodum ille, qui sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus functus ; sed vino solo et pane, dum ipsi Abraham benedicit, ita sane primus ipse Salvator ac Dominus noster, deinde qui ab eo profecti sunt sacerdotes, in omnibus gentibus spirituale secundum ecclesiasticas sanctiones sacerdotii munus obeuntes, vino ac pane, corporis illius et salutaris sanguinis mysteria repraesentant, quae sane mysteria Melchicedech tanto ante Spiritu divino cognoverat, et rerum futurarum imaginibus usus fuerat. » *Dem. Evang.* V, III. M. XXII, 367.

([2]) Chrys. *Hom. XVII ad Hebr.* IX, 24 sq. n. 1-3. M. LXIII, 127 sq. — Theoph. *Ad. Hebr. V.*

a) Non habetur ratio cur is, qui est perpetuus sacerdos, qui semper potest exercere munus ad majorem Dei gloriam, non semper exerceret munus offerendi. — b) Infinita est dignitas hostiae. Ergo postulat ut a persona infinite digna offeratur. — c) Sacrificium totum est infinite dignum ; constat autem ex oblatione et ex re sacrificata. Utraque igitur est infinite digna. Dignitas autem oblationis desumitur non tantum ex dono, sed et ex offerente. Offerens igitur sit sanctus, purus, infinite dignus. Sed solus Christus est hujusmodi. Fit enim ut sacerdotes puritate et gratia careant. Ecclesia autem, in cujus etiam nomine offertur sacrificium, licet semper sancta, tamen non caret omni macula et ruga, quamdiu militat in hoc terra.

263. — Secunda pars. — CHRISTUS ALIQUO MODO ACTU OFFERT, LICET PER SACERDOTES. — Ponitur contra Vasquez, qui Christum dicit nonnisi remote offerre sacrificium Missae, prout nempe est hujus institutor (1).

Prob. 1. Sacerdos conficit sacrificium nomine Christi tamquam legatus Christi, ipsum repraesentando, adeo ut omnis ejus actio censeatur actio Christi. Ergo Christus aliquo modo actu offert per sacerdotes. — *Explicatur:* Qui per famulum elargitur eleemosynam, dicitur principalis donans. Si est mundus, licet famulus foret immundus, censetur dare eleemosynam mundam coram Deo. — Orationes Ecclesiae per sacerdotes dicuntur principaliter fieri ab Ecclesia, exaudiri a Deo propter sanctitatem Ecclesiae. — Ergo actio proxime procedens a sacerdote, vi imperii Christi, attribuitur Christo tamquam causae principali (2).

2. Christus dici potest actu concurrere ad sacrificium, intellectu et voluntate. Christus enim exsistens in caelo cognoscit omnes actiones ministrorum ; potest eas velle in memoriam passionis suae, in omnibus et per omnes intendere colere Deum et intercedere pro hominibus. Ergo revera ita res peragitur. — *Prob. conseq.* a) Haec ratio agendi magis quadrat cum dignitate sacrificii. b) Magis misericordem se ostendit qui ipse ad eleemosynam elargiendam actu concurrit cum famulo eam deferenti. c) Melius etiam salvatur perennitas sacrificii Missae.

3. Sacrificium Missae est essentialiter et infallibiter mundum. Atqui tale non est, nisi Christus aliquo modo actu et proxime offerat. Ergo. — *Prob. min.* Ut sacrificium sit infallibiliter et essentialiter mundum, non sufficit ut hostia oblata sit necessario sanctissima, sed adhuc exigitur

(1) V[illegible] Cfr. D. Th. III, q. [illegible] art. 1, ad 3m.

ut immolatio et oblatio sint infallibiliter mundae, siquidem in his proprie consistit sacrificium. Atqui ut sint hujusmodi, exigitur ut Christus sit principalis offerens et ut actu et proxime concurrat ad sacrificium. Ergo.

4. Christus non est principalis offerens quatenus remote concurrit ad sacrificium tamquam hujus institutor. Ergo est principalis offerens quatenus proxime et actu concurrit. — *Prob. ant.* Eo quod sufficeret Christum instituisse sacrificium Missae, ad hoc ut dicendus esset minister principalis offerens, consequeretur Deum fuisse ministrum principalem sacrificiorum V. L. Atqui profecto sequela est falsa. Ergo.

ARTICULUS II.

De ministris secundariis.

§ 1. An omnes et soli sacerdotes valide sacrificium offerant.

264. — *Prima sententia :* Juxta haereticos ad mysterium coenae celebrandum non requiruntur sacerdotes ab Ecclesia rite ordinati ; *quilibet fideles* hac potestate sunt instructi, vel saltem ii qui a populo aut magistratibus sunt deputati ad hoc munus peragendum. — Cujus sententiae falsitas ex multis est manifesta : 1. Ex Paulo ad Hebraeos V, constat sacrificium non offerri nisi a sacerdote. — 2. Solus sacerdos habet potestatem in corpus et in sanguinem Christi. Ergo solus sacerdos valide sacrificat. — 3. Juxta Nicaenum, canone 14, etiam diaconus caret potestate offerendi sacrificium. Idem significant Arelatense I in canone 13, Florentinum l. c. et Tridentinum (1). — 4. Determinatum sacrificium requirit determinatum sacerdotem. Nam in omni lege sacerdotes speciali lege et ritu fuerunt determinati pro determinato sacrificio. Ergo a fortiori in lege nova, ubi omnia ad cultum divinum spectantia perfectius sunt determinata, ubi sacrificium est supernaturale, determinati sunt sacerdotes quibus conferatur supernaturalis potestas.

Secunda sententia : Juxta alios soli sacerdotes rite ordinati valide sacrificant ; non tamen omnes. Excipiuntur excommunicati, suspensi, degradati, schismatici. Hanc sententiam tenent Magister et Gulielmus Parisiensis ; in idem est propensus Scotus. — Haec autem sententia triplici sensu exponi potest :

1. Sacerdotes ab Ecclesia praecisi et rejecti ideo non possunt offerre

(1) Trid. Sess. XXII, c. 1, can. 2 ; sess. XXIII, c. 1, can. 1.

sacrificium, quia sacramentum non possunt valide conficere. Haec sententia est haeretica. In tractatu enim de sacramentis in genere ostensum est validitatem sacramenti esse independentem a potestate et a fide ministri.

2. Sacerdotes rejecti valide quidem *sacramentum* conficiunt ; verum consecrationi actu deest *ratio sacrificii*. — Argumentum huic sententiae esse potest quia sacrificium requirit ut offerens sit minister publicus, agens nomine Ecclesiae, mediator Deum inter et populum ; sacerdos autem praecisus non valet esse minister publicus, agens nomine Ecclesiae et populi christiani, quippe qui munere est privatus, neque mediator esse potest cum ipse sit inimicus Deo. — Sententia sic explicata non est aperte haeretica ; est tamen *falsa*.

3. Sacerdotes praecisi valide quidem sacrificant *nomine Christi ;* verum non agunt ut Ecclesiae ministri *in persona Ecclesiae*. — Quae sententia advertit sacerdotem in sacrificio tum gerere personam Christi ; tum ex commissione Ecclesiae nomine ejus orare, intercedere, offerre ; concedit potestatem gerendi personam Christi, semel collatam, non posse auferri, siquidem indelebiliter inhaeret ; verum asserit Ecclesiam posse privare sacerdotem munere gerendi personam sui. — Quo principio praemisso, distinguitur substantia sacrificii ab orationibus et aliis caerimoniis. Omnia quidem peragit sacerdos tamquam publicus minister, verum alia alio modo : substantiam sacrificii a Christo institutam peragit sacerdos tamquam personam Christi gerens ; cetera peragit tamquam personam Ecclesiae gerens. Sub primo respectu Ecclesia non est principalis offerens, sed est potius populus fidelium, sacerdos vero est minister a Deo datus. Potest quidem Ecclesia, seu populus fidelis, quantum est ex se, non concurrere sacerdoti, non consentire, nolle offerre per eum. Non potest tamen auferre potestatem a Deo datam ; verum potest Ecclesia auferre munus varia peragendi nomine suo. — Probabilius auctores catholici supra citati hoc sensu loqui voluerunt.

265. — *Omnis sacerdos, etiam ab Ecclesia praecisus, potest validum sacrificium offerre.*

A. *Sacerdotes, solo peccato mortali ab anima Ecclesia separati, et sacerdotes haeretici valide offerunt.* 1. Sacerdos, suscepto sacramento ordinis, recipit potestatem celebrandi sacrificium ; ei impressus est character indelebilis, ratione cujus sacramentum ordinis iterari nequit. Ergo manet radicaliter potestas sacrificium offerendi. — Ex alia parte validitas sacramenti non pendet a sanctitate neque a fide ministri. Ergo sacerdos infidelis et

sacerdos malus valide utuntur potestate sua offerendi sacrificium. — 2. In tantum invalidum esset sacrificium oblatum a sacerdote infideli aut peccatore, in quantum ad offerendum exigeretur potestas jurisdictionis. Atqui haec potestas non exigitur. Ergo.

B. *Nulla censura sacerdotem privat potestate valide offerendi.* a) Potestas enim ordinis datur per characterem indelebilem ; hinc nulla censura deletur ; quamdiu autem permanet, validus est ejus usus, haud secus ac usus potestatis sacramentalis. — b) Consecratio qua sacramentalis est valida. Sed sacramentum et sacrificium indivulse cohaerent. Ergo.

§ 2. An fideles aliquo modo offerant.

S. Th. III, LXXXI, a. 6 et 7. — Suarez, d. LXXVII, s. 3.

266. — Quaeritur a) utrum fideles sint aliquo modo offerentes hoc sacrificium ; b) quonam modo offerant.

I. *Omnes fideles aliquo modo offerunt sacrificium.*

1. Ita loquuntur communiter Patres et theologi. Sic Rupertus, Rabanus, Petrus Damianus, Innocentius ; ex antiquis Patribus, Irenaeus, Augustinus, dicens. « Quotidianum esse voluit Ecclesia sacrificium, cum ipsius corporis ipse sit caput et ipsius capitis ipsa sit corpus ; tam ipsa per ipsum, quam ipse per ipsam suetus offerre. » Demum Leo P. dicit juxta populi amplitudinem plures eodem die Missas esse dicendas, *ne aliqua pars populi sacrificium offerre non possit* (1).

2. In canone Missae haec leguntur : a) « Et omnium circumstantium quorum tibi fides cognita est, et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel *qui tibi offerunt.* » — Innocentius l. c. duplici modo exponit haec verba : « *Pro quibus tibi offerimus* h. e. pro lapsis non sacrificantibus tibi, vel pro sacerdotibus sacrificantibus. » In posteriori haec habet : « Vel ideo dicit : « pro quibus tibi offerimus, » quia non solum offerunt sacerdotes, sed et universi fideles ». — b) « Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, *sed et cunctae familiae* ». — c) « Unde et memores, Domine, *nos servi tui,...* offerimus praeclarae majestati tuae ».

3. Sacrificium est cultus publicus et solemnis totius populi. — Praeterea offerre sacrificium Deo est quodammodo naturale omnibus.

II. *De modo quo fideles sacrificium offerunt.* — Fideles dici possunt

(1) Rupert. *De div. off.* II, VI, VII. — Raban. *De instit. cler.* I, XXXII. — Pet. Dam. *Epist.* XII, c. VII, VIII. — Innoc. *De Euch.* III, V, VI. — Gabr. *In canum*, lect. XXVI. — Iren. *Cont. haer.* IV, XXXIII et sq. — Aug. *De civ.* X, XX. — Leo P. *Epist.* LXXXI, c. I.

offerre sacrificium duplici ratione : a) *ratione generalissima*, quatenus sunt membra Ecclesiae cujus nomini sacerdos offert. Haec ratio varie declarari potest : Totum enim corpus Ecclesiae, cujus sacerdos est membrum, offert sacrificium per sacerdotem ad hoc deputatum ; Ecclesia offert munera sua Deo per sacerdotem. Licet enim in corpore naturali actio unius membri non tribuatur alii membro, hoc tamen fieri potest in corpore mystico circa sacrificium. Membra enim consentire possunt omnibus sacrificiis quae in Ecclesiae fiunt et velle ut suo nomine offerantur. — b) Ratione *magis speciali* concurrendo ad sacrificium per concursum non tantum internum, sed etiam externum, petendo ut sacerdos offerat, dando stipendium in hunc finem, assistendo, inserviendo. — In moralibus qui aliquo modo cooperatur actioni, ab illa denominatur. Sic qui consulit homicidium, qui protegit homicidam vocatur homicida. Ergo a pari.

CAPUT IV.

De finibus ob quos sacrificium offerri potest.

Suar. d. lxxviii, lxxix — Lugo, d. xix, s. 8, 9, 12. — Bellarm. *De sacrif.* l. II, c. i-x. Vasq. d. ccxxvii-ccxxx.

§ 1. Notiones. — Quaestiones.

267. NOTIONES. 1. Valor sacrificii est ejus dignitas ad praemium. Fructus sacrificii est illud praemium, illud donum, ille effectus qui ob celebrationem sacrificii confertur sive sacerdoti, sive iis pro quibus offertur, sive aliis. Uti ex dicendis elucescet, fructus est remissio peccati (sive concessio gratiae actualis excitantis ad paenitentiam), aut remissio poenae, aut elargitio doni naturalis vel supernaturalis.

2. Sacerdos agit personam Christi in consecratione. Insuper agit personam Ecclesiae per totam liturgiam. Orat nomine suo proprio in utroque memento. — Inde sacrificium potest concipi habere fructum uti est actio moralis Christi, aut Ecclesiae, aut sacerdotis. — Valor eorum quae sacerdos peragit nomine Ecclesiae et nomine proprio est sane finitus. — Inquirunt scholastici nam infinitus sit valor sacrificii ratione eorum quae fiunt nomine Christi. Dato tamen valorem esse infinitum, sane finitus est fructus qui applicatur.

3. Ex antea disputatis manifestum est sacrificio esse finem operis. Sacrificium nempe tendit in laudem Dei, cum sit nobilissimus actus religionis. Verum offerens potest insuper hoc opus in varios fines dirigere, intendere oblatione sacrificii varia bona seu varios fructus, non neglecto fine operis, qui est communis omni sacrificio. — Porro ratione finis operantis distinguitur quadruplex sacrificium. — a) *Latreuticum*, seu honorarium, cujus finis est solus Dei cultus et honor. Coincidunt finis operis et finis operantis, seu operans non adjicit alium finem. In V. L. holocaustum erat latreuticum. — b) *Propitiatorium*, cujus finis specialis est propitiatio irati Dei, adeoque remissio peccatorum et poenarum temporalium ob peccata luendarum. In V. L. vocatur sacrificium pro peccato. — Non raro *satisfactorium* quidem vocatur sacrificium cujus finis est remissio poenae temporalis; — *propitiatorium* vero sacrificium cujus finis est remissio peccati. — c) *Pacificum*, quod est duplex. — α) *Eucharisticum*, cujus finis est gratiarum actio pro beneficiis acceptis. — β) *Impetratorium* cujus finis est impetratio beneficii naturalis aut supernaturalis. — Sacrificium Missae esse latreuticum constat vel ex sola definitione sacrificii. Illud esse eucharisticum, praesertim grates persolvi posse de beneficio passionis Christi, ex se satis est manifestum. Sicuti ceterae actiones bonae possunt offerri ut honoretur Deus eique gratiae agantur, sic et sacrificium.

QUAESTIONES. — Quaeritur 1° utrum sacrificium Missae sit *propitiatorium* et *impetratorium*. — Dato quaestionem affirmative solvi, quaeritur 2° an valor sacrificii sit *infinitus* an *finitus*. — Quaeritur 3° quomodo sacrificium Missae varia dona conferat. Haec autem quaestio complectitur varia elementa. — Demum quaeritur 4° quibusnam fructus applicetur; sive aliter *pro quibusnam offerri possit sacrificium*.

§ 2. Sacrificium Missae est propitiatorium, satisfactorium et impetratorium.

Protestantes, in mysterio Eucharistiae non agnoscentes nisi rationem sacramenti, contendunt illud non prodesse nisi sumentibus. — Doctrinam Tridentini (sess. XXII, can. 3) defendit:

THESIS XXXVII[a]. — Sacrificium Missae non tantum est latreuticum et eucharisticum, sed etiam est propitiatorium, satisfactorium et impetratorium.

268. — Prima pars. Sacrificium Missae est propitiatorium et satisfactorium.

Arg. I^m. Ex Scripturis. 1. In lege naturae et in lege scripta fuit sacrificium propitiatorium. Ergo in N. L. non deest. — *Prob ant.* Job, qui in lege naturae vivebat, legitur quotidie pro peccatis filiorum suorum sacrificasse Deo (Job. I, 5). — Deus jussit ut amici Job sacrificarent pro peccato suo (Job. XLII, 8.) — In Levit. cap. IV, V, VI, exponuntur diversa genera sacrificiorum quae pro peccatis offerebantur. — *Prob. conseq.* a) Sacrificia legis naturae et legis scriptae erant typi sacrificii Eucharistiae. Ergo quae vis eis competebat, haec excellenter inest sacrificio N. L. — b) Sacrificium crucis fuit primario propitiatorium, meretur enim remissionem peccatorum commissorum ab initio mundi. Non tamen obstitit quin propitiatoria fuerint sacrificia veteris legis, quatenus nempe fructum propitiationis applicabant. Ergo neque obstat sacrificium crucis, quin propitiatorium sit sacrificium altaris.

2. *Ex consecrationis calicis.* a) « Hic est sanguis qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum ». Sive sanguis dicatur offerri sacrificaliter pro remissione peccati, prout est sub speciebus, sive dicatur offerri prout est effusus in cruce, indicavit Christus, utendo his verbis, sacrificium Eucharistiae esse propitiatorium, seu illo applicari gratiam remissionis peccatorum quam meruit sacrificium crucis. — b) Eucharistia remittit peccata vel ut sacramentum, vel ut sacrificium. Atqui non remittit peccata qua sacramentum; ut enim est sacramentum, exigit per se ut prius remittantur peccata quam sumatur Eucharistia. Ergo.

3. Ex Hebr. V, 1 : « Omnis... pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccato. » — Unde ubi sacerdos et hostia, ibi offertur sacrificium pro peccato. Atqui in N. L. habentur sacerdotes et hostia. Ergo.

Arg. II^m. Ex Traditione. 1. *Ex Liturgiis* (1). a) Liturgia graeca Alexandrina s. Basilii : « Placeat tibi Domine, fieri nos ministros novi tui testamenti... ut digni efficiamur offerre tibi dona et sacrificia pro peccatis nostris et populi tui ignorantiis ». — b) Liturgia coptica s. Cyrilli : « Stemus coram te et offeramus tibi hoc sacrificium sanctum, spirituale et incruentum ad remissionem peccatorum nostrorum ». — c) Liturgia Syrorum : « Pater veritatis, en Filius tuus, hostia tibi placita..., aspice delicta et aspice holocaustum quod pro ipsis offertur. »

2. *Ex Patribus Graecis :* a) Justinus, in dialogo cum Tryphone, dicit

(1) Cf. MURATORI, *Liturg. rom. vetus*, I, 198, sq.

sacrificium vaccae, quod offerebatur pro elephantiacis, fuisse figuram Eucharistiae, quae offertur pro expiatione peccatorum. — b) Origenes, cum adduxisset verba Domini, quibus jubemur mysterium Eucharistiae conficere in memoriam ejus: « Ista est, ait, commemoratio sola, quae propitium facit Deum hominibus (1) ». — c) Athanasius : « Incruentae, inquit, hostiae oblatio propitiatio est (2) ». — d) Cyrillus vocat Eucharistiam hostiam propitiationis, et postea dicit : « Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut et nobis et illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus (3) ». — e) Chrysostomus, postquam enumeravit difficultates quas experitur sacerdos in tractandis plebis animis, scribit : « Quod si quis ea, quae ad Deum pertinent, exploraverit, priora nihil esse videbuntur ; ita majorem haec diligentioremque curam postulant. Nam qui pro tota civitate, et quid dico, civitate ? immo pro universo orbe legatus intercedit deprecatorque est apud Deum, ut omnium hominum non viventium modo, sed etiam defunctorum peccatis propitius fiat, qualem quaeso oportet esse ? (4) ».

3. *Ex Patribus Latinis.* a) Ambrosius scribit : « Ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus ; nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem ; et offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat (5) ». — b) Hieronymus : « Vitulus saginatus, inquit, qui ad paenitentis immolatur salutem, ipse Salvator est, cujus quotidie carne pascimur, cruore potamur (6) ». Et alibi : « Si autem laicis imperatur ut propter orationem abstineant se ab uxorum coitu ; quid de episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas (7). » — c) Gregorius Magnus : « Haec victima singulariter ab aeterno interitu animam salvat (8) ». — d) Beda : « Sacrificium hoc salutare ad redemptionem valet animae et corporis sempiternam (9) ». — e) Primasius : « Offerunt quotidie sacerdotes nostri, sed ad recordationem mortis ejus. Et quia nos quotidie peccamus et quotidie indigemus mundari, quia ille non potest jam mori, dedit nobis hoc sacramentum corporis et sanguinis sui, ut, sicut passio illius redemptio et absolutio fuit mundi, ita etiam ista oblatio redemptio et mundatio sit omnibus in vera fide offerentibus (10) ». — f) s. Augustinus, passim (11).

(1) Origenes, *Hom. XIII in Levit.* — (2) Athanas, *in sermone de defunctis,* quem Damascenus citat in sermone ejusdem argumenti. — (3) Cyr. Hier. *Cat. myst.* v, 8. M. XXXIII, 1115. — (4) Chrys. *De sacerd.* l. VI, n. 4. — (5) Ambr. *Offic.* I, xlviii. — (6) Hier. *Epist. ad Damasum.* — (7) Id. *In Tit.* I, 9. — (8) Greg. M. *Dial.* IV, lviii. M. LXXVIII, 428. — (9) Beda, *Hist.* IV, xxii. M. XCV, 206, 207. — (10) Primasius, *in Hebr.* x. M. LXVIII, 748. — (11) August. *In Levit.* q. lvii ; *De Civ. Dei,* XX, xxv. M. XLI, 206 ; *Cont. Crescon.* M. XLIII, 445 sq.

269. — Secunda pars. SACRIFICIUM MISSAE EST IMPETRATORIUM.

Prob. Arg. I^m. Ex Scripturis : In V. L. erant hostiae pacificae tum pro gratiis agendis, tum pro beneficiis impetrandis. De his agit Levit. VII. David enim legitur obtulisse pacifica pro peste auferenda, et rem impetrasse (II Reg. c. ult.) ; Onias pro vita temporali Heliodori (II Macch. III) ; Hebraei pro vita regis Darii et filiorum ejus (I. Esdr. VI). Ergo N. L. non caret hostia impetratoria.

2. Paulus in I Tim. II jubet in Ecclesia fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agant. Haec verba exponunt Patres de publicis precibus quae fiunt in Missa, et volunt Apostolum hoc praecepisse ut sacrificium etiam offerretur pro temporali pace et tranquillitate Ecclesiae. Sic Augustinus et auctor librorum de sacramentis, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius.

Arg. II^m. Ex Traditione : 1. Liturgiae Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi, saepe jubent ut oretur pro pace, pro copia fructuum et aliis id genus beneficiis.

2. Veteres scriptores eodem modo loquuntur. a) Tertullianus in libro ad Scapulam : « Sacrificamus, inquit, pro salute imperatoris ». Et in libro de Corona militis scribit oblationem pro natalitiis fieri (cap. III). — b) Cyrillus Hier. scribit : « Postquam perfecta est victima spiritualis, incruentus cultus, super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, pro militibus et sociis, pro iis qui infirmitatibus laborant, pro his qui afflictionibus premuntur et universim pro omnibus qui auxilio indigent, precamur nos omnes et hanc victimam offerimus (1) ». — c) Augustinus scribit : « Universim pro omnibus, qui auxilio indigent, precamur et hoc sacrificium offerimus (2) ». In specie meminit sacrificii Eucharistiae oblati ad purgandum domum a vexatione daemoniaca et iterum oblati in gratiarum actione pro sanatione (3). — d) Chrysostomus tradit offerri sacrificium pro frugibus terrae, pro Ecclesia, pro sacerdotibus etc. (4). — f) Gregorius et Beda scribunt contigisse ut sacrificium fuerit oblatum pro captivo in alia regione detento, cujus vincula divinitus sunt soluta, dum sacrificium offerretur (5).

270. — **Si ais 1°.** Cum Luthero : Baptismus unus non prodest

(1) CYR. HIER. *Cat. myst.* V, M. XXXIII. — (2) AUG. *In Lev.* q. LVII, n. 4. — (3) Id. *De Civ. Dei*, XXII, VIII. — (4) CHRYSOST. *Hom. XXI in Act.* Cfr. *Hom.* XVIII. — (5) GREG. *Hom.* XXXVIII *in Evang.* BEDA, *Hist. Angl.* IV, XXII.

alteri, nec potest unus pro alio baptizari : ergo nec Eucharistia potest ab uno pro alio fieri. Non igitur Missa est sacrificium propitiatorium, quia si ita esset, Missa et communio alteri prodesset. — Respondetur alium esse utriusque finem proximum. Sacramentum ordinatur ad sanctificandum suscipientem, sacrificium ordinatur ad impetranda beneficia iis pro quibus offertur. Hinc apte comparatur orationi. Quare *Conc. ant. Neg. conseq.*

Si ais 2°. Cum Remitio : Si Missae sacrificium propitiatorium esset ac peccata remitteret, utile esset non accedere ad sacramenta pro remissione peccatorum percipienda. Nam remissio peccatorum per unam Missam ab alio dictam sine ullo labore et periculo haberetur ; per sacramenta autem non nisi cum labore et periculo haberi potest. — Respondetur praefata esse quidem secutura si sacrificium *immediate* remitteret peccata, nullatenus vero si nonnisi *mediate* remittit peccata.

Si ais 3°. Saepissime offertur sacrificium ad obtinenda dona spiritualia aut temporalia, sibi aut aliis, neque obtinentur haec dona. Ergo sacrificium altaris non est efficax ex opere operato. — Haec fit responsio : a) Si offertur sacrificium pro peccatore, ut resipiscat, impetrat aliquam gratiam actualem. Haec vero ob malam voluntatem peccatoris potest esse pure sufficiens. — b) Ob varias causas fieri potest ut non obtineantur vel ut differantur dona temporalia : α) Esse possunt nociva saluti ; hinc juvat ut penitus denegentur vel ut non conferantur nisi cum utilia erunt saluti ; β) indigni esse possunt donis hi pro quibus postulantur, adeo ut uno sacrificio Deus non placetur.

§ 3. Utrum valor sacrificii Missae sit infinitus, an finitus.

271. — 1. Considerari potest hic valor *in actu primo* et *in actu secundo*, prout respicitur dignitas sacrificii antecedenter ad ordinationem Christi et acceptationem Dei aut consequenter. Valorem sacrificii Missae *in actu primo esse infinitum*, est manifestum, quia talis est hic valor qualis est dignitas sacrificii ; haec porro est infinita, siquidem infinite dignus est Christus tum uti principalis offerens est tum uti est hostia. Idem constat quia sacrificium crucis habuit infinitum valorem ad satisfaciendum et ad merendum ; habet itaque sacrificium missae eumdem valorem in actu primo ad applicanda merita crucis, ob identitatem summi sacerdotis et hostiae. Idem demum constat quia sacrificium Missae est infinita Dei adoratio, laus, gratiarum actio. — Considerandus manet valor in actu secundo.

2. Distinguitur valor *intensivus* et *extensivus*. Manifestum est valorem in actu secundo esse *intensive finitum*, seu finitum esse fructum quem dat Missa ei pro quo offertur. Ratio est tum quia nec sacrificium crucis habuit valorem intensive infinitum in actu secundo, tum quia repugnat effectus infinite intensus. — Agitur ergo de valore *extensivo ;* nempe ubi offertur unum sacrificium pro multis, inquiritur utrum dividatur fructus inter multos, ita nempe ut unusquisque eo minorem colligat fructum quo plures sunt ii pro quibus offertur sacrificium, an contra fructus sine divisione multiplicetur. — Manifestum est agi de valore quem sacrificium trahit ex Christo qui est victima et principalis offerens ; hic valor vocari solet *ex opere operato*. Itaque non agitur de valore quem sacrificium trahit ex Ecclesia offerente et ex ministro, et qui vocari solet *ex opere operantis*.

Quaestio respicit fructum *propitiatorium* et fructum *impetratorium*.

Ad fructum *propitiatorium* quod spectat, eum esse *extensive infinitum*, ita ut pluribus applicatus per se non minuatur in singulis, voluisse videntur Cajetanus, Vasquez, Maeratius, Petrus Ledesma aliique (1). Contra hunc fructum esse *extensive finitum* volunt s. Thomas, s. Bonaventura, Greg. de Valentia, Bellarminus, Lessius, Suarez, de Lugo aliique plurimi (2). Posterior haec sententia suadetur *ex sensu et praxi Ecclesiae*, tum quia sacrificium solet offerri speciali intentione pro uno aut paucis, tum quia contra justitiam censetur peccare sacerdos qui unum tantum sacrificium offert pro pluribus, stipendio accepto pro pluribus sacrificiis.

Ad fructum *impetratorium* quod spectat, asserit Suarez cum s. Thoma hunc fructum esse *extensive infinitum*. Rationem dat quia id sacrificium est infinite gratum Deo, utpote infinitae dignitatis (3) : porro vis impetrandi, quae huic sacrificio inest, non fundatur in speciali promissione, sed in intrinseca dignitate sacrificii ; ergo haec impetratio est de se infinita, i. e. sacrificium de se sufficiens est ad impetrandum quodlibet beneficium, aut beneficiorum multitudinem, quia semper sacrificium majoris valoris exsistit. — Observandum tamen est impetrationem non esse infallibiliter efficacem.

(1) Cajet. *Opusc de celebrat. Missae*, q. II ; in III, q. LXXIX, a 5. — Vasq. d. CCXXXI, c. III. — Maeratius, *De Euch.* d. XL, s. 2. — Pet. Ledesma, *De Euch.* c. XVII, concl. 23. — (2) S. Th. in 4 d. 45, q. II, a. 4, sol. III, ad 2^m. — S. Bonav. ib. a. 2, q. III. — (3) Suar. d. LXXIX, s. 12.

§ 4. Quomodo sacrificium Missae sit efficax.

272. — *Praenota.* 1. Sacrificium Missae offertur a Christo, ab Ecclesia, a ministro. Christus est sacerdos primarius et offert per sacerdotem, tamquam per ministrum suum, uti supra expositum est. — Ecclesia non offert ut sacerdos per ministrum, sed juxta multos ut populus per sacerdotem. Cum sacerdos, qua talis, mediator sit inter populum et Deum, adeoque populo superior, hinc fit ut Ecclesia, uti est coetus fidelium, offerat sacrificium per superiorem.

2. Sacramenta ex opere operato conferunt gratiam et sunt ejus causa. Ex dictis alibi haec causalitas est pro diversis sententiis physica aut moralis. Concordes sunt utriusque partis theologi in propugnanda sola causalitate morali Eucharistiae qua sacrificii. Juxta alios sacrificium operatur per modum impetrationis, juxta alios per modum solutionis ex thesauro meritorum et satisfactionum Christi.

3. Sacrificium altaris, uti est satisfactorium aut impetratorium, non producit gratiam ad modum sacramenti. Sacrificium enim non justificat immediate seu non delet peccatum immediate, sed mediate, quatenus nempe impetrat donum paenitentiae. Ut nempe est propitiatorium, movet clementiam Dei ut sinat se placari, ne immittat mala, ut concedat gratias actuales, quae in poenam peccatorum juste subtrahebantur et quibus peccator ad paenitendum excitetur. Praeterea, uti est impetratorium, movet liberalitatem Dei ut dona postulata concedere dignetur.

4. Immediate autem per se confert remissionem poenae et alia dona dupliciter: a) *ut a Christo offertur.* Sic habet ex opere operato vim infallibilem. Placet enim ex bonitate Christi offerentis, quae bonitas semper est eadem. b) *Ut a sacerdote offertur*, seu bonitate et devotione ministri. Est enim actus religionis, omnis autem talis actus ex opere operantis meretur gratiam.

In sequenti thesi non consideramus nisi efficaciam ex opere operato quam habet sacrificium prouti a Christo offertur.

THESIS XXXVIII[a]. — Sacrificium Missae habet, per modum impetrationis, efficaciam ex opere operato. Non tamen immediate est efficax gratiae et remissionis peccatorum, sed mediate, quatenus nempe donum paenitentiae impetrat.

273. — **Prima pars.** Sacrificium Missae est efficax ex opere operato.

Prob. 1. *Ex consensu omnium.* Omnes persuasum habent sacrificium altaris habere vi institutionis singularem vim et efficaciam ad applicandum aliquem fructum redemptionis Christi. Ut autem haec vis ex institutione sua sit singularis, debet esse ex opere operato, siquidem efficacia ex opere operantis est communis omni operi bono, et speciatim inerat sacrificiis veteribus. — 2. Ecclesia semper intellexit fructum praecipuum sacrificii non pendere ex sanctitate ministri secundarii. Atqui hoc est signum mentem Ecclesiae fuisse sacrificium conferre dona ex opere operato. — 3. « Una... eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa [1] ». Ergo sacrificium est efficax ex opere operato. — 4. Sacramenta N. L. sunt efficacia ex opere operato. Ergo sacrificium N. L. eadem efficacia instruitur. *Prob. conseq.* Sacrificium N. L. non minus perfectum est in ratione sacrificii, quam sacramenta in ratione sacramenti. Unde sicut sacramenta sunt efficacia ex se ob excellentiam legis novae, quia non sunt signa egena et vacua, sed plena virtute sanguinis Christi ; sic ob eadem motiva sacrificium est efficax ex se.

274. — Secunda pars. HAEC EFFICACIA EST PER MODUM IMPETRATIONIS.

Prob. 1. Sacrificium Missae vel causat physice dona, vel moraliter ; si moraliter causat, vel movet Deum per modum finis, quatenus nempe esset finis ob quem conferuntur a Deo dona hominibus, vel per modum meriti sive satisfactionis, vel per modum impetrationis. Atqui a) sacrificium Missae *non causat physice*, quod constat argumentis quibus rejecta est causalitas physica sacramentorum ; b) neque causat *per modum finis*, siquidem non est inter dona collata, sed medium quo dona obtinentur a Deo hominibus ; c) neque causat *ad modum meriti* aut *satisfactionis*, siquidem Christus jam non meretur neque satisfacit. Ergo restat ut moveat Deum per modum impetrationis ad applicanda merita crucis.

2. Omnia requisita ad movendum per modum impetrationis insunt insigniter sacrificio Missae ; si enim insunt sacramentis consistentibus in usu, a fortiori insunt sacramento et sacrificio altaris.

275. — Tertia pars. SACRIFICIUM NON EST IMMEDIATE EFFICAX GRATIAE AD MODUM SACRAMENTI.

[1] TRID. sess. XXII, c. II.

Prob. 1. Si sacrificium immediate justificaret, requireret necessario praeviam dispositionem in eo, pro quo offertur. Atqui haec non requiritur, secus enim non liceret offerre sacrificium pro his qui certo scirentur esse indispositi, nec liceret indisposito petere ut pro se offeratur sacrificium. Ergo.

2. Sacrificium altaris non habet majorem vim quam sacrificium crucis, quippe a quo vim suam mutuat. Sed sacrificium crucis non justificat immediate, sed mediate, nempe merendo nobis remissionem peccati, mediante gratia actuali.

3. Baptismus et paenitentia immediate infundunt gratiam primam et ad hoc sunt instituta a Christo, hac lege ut sacramentum paenitentiae sit necessarium ad obtinendam remissionem lethalium post baptismum commissorum. — Cetera sacramenta sunt instituta ad immediate conferendum augmentum gratiae. — Ergo ad eumdem effectum non est institutum sacrificium altaris. Secus sacrificium, qua sacrificium, esset accensendum inter sacramenta, quod admitti nequit ([1]).

4. Juxta Tridentinum per sacrificium peccata, etiam ingentia, dimittuntur, quia Deus, hoc sacrificio placatus, gratiam et donum *paenitentiae* concedit ([2]).

276. — Quarta pars. SACRIFICIUM EX OPERE OPERATO CONFERT AUXILIA GRATIAE QUIBUS PECCATORES AD PAENITENTIAM DISPONUNTUR ET JUSTI AUGMENTUM GRATIAE SANCTIFICANTIS MERENTUR.

Prob. Probatum est ex una parte sacrificium esse propitiatorium, illoque remitti peccata lethalia, ideoque conferri gratiam primam. Ex altera parte ostensum est ex opere operato non infundi immediate gratiam sanctificantem. Ergo restat ut gratia detur et ut peccata remittantur remote, mediantibus gratiis actualibus quas sacrificium confert ex opere operato. — Si autem peccatoribus confert gratias ad paenitendum, justis profecto confert gratias quibus in via justitiae perseverent et proficiant.

277. — Scholion 1^m. Quaeres num sacrificium *ex opere operato remittat peccata venialia?*

([1]) S. TH. « Eucharistia non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium. In quantum autem est sacramentum, habet effectum in omni vivente, in quo requirit vitam praeexsistere. Sed in quantum est sacrificium, habet effectum etiam in aliis, pro quibus offertur, in quibus non praeexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantum; et ideo si eos dispositos inveniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri sacrificii, a quo omnis gratia in nos defluxit; et per consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat. » In 4 d. 12, q. 11, a. 2, sol. 11, ad 4^m. — ([2]) TRID. sess. XXII, c. 11.

Resp. Saltem mediate venialia remittit, conferendo nempe gratias actuales quibus eliciantur actus supernaturales, qui mereantur remissionem venialium. Dubium est num venialia immediate remittantur. Communis sententia negat et probat quia convenientissimum est, licet non absolute necessarium, ut venialia non remittantur nisi aut immediate augmento gratiae sanctificantis, aut actu virtutis repugnantis cum hoc peccato. Jamvero ex probatis constat sacrificio missae non immediate augeri gratiam sanctificantem. Ergo ([1]).

278. — **Scholion 2[m].** Quaeres an sacrificium *ex opere operato remittat poenas temporales* ob peccata remissa luendas !

Responsio *affirmativa* probatur ex Tridentino : a) Sess. XXII, c. II. « Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, *poenis, satisfactionibus,* et aliis necessitatibus, sed pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem offertur » (cfr. can. 3). — b) Sess. XXV, initio decreti de Purgatorio, definitur « Purgatorium esse; animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio juvari. » Jamvero animae purgantes aliter non valent juvari sacrificio, nisi remittantur poenae temporales luendae ob peccata venialia vel ob lethalia remissa. Ergo.

279. — **Scholion 3[m].** Quaeres num *infallibiliter sit efficax sacrificium Missae*, seu num *infallibiliter conferatur fructus Eucharistiae.*

Résp. Cum Lugone ([2]) : 1. Sacrificium, ut est satisfactorium, est infallibiliter efficax fructus, eo modo et ea mensura qua fructus ei alligatus est ex divina institutione. — 2. Ut est impetratorium, est infallibiliter efficax cum iis limitationibus et conditionibus, quas impetratio habet.

A. *De remissione poenae.* 1. Sacrificium, qua satisfactorium, infallibiliter remittit poenam juxta mensuram suae institutionis ex doctrina communi. Quod confirmatur quia sacrificia expiatoria V. L. infallibiliter expiabant et purgabant a maculis, ob quas auferendas erant instituta. Ergo sacrificium novum non minus est efficax in ordine suo. — Neque tantum infallibiliter remittit poenas vivorum, sed etiam vita functorum in purgatorio degentium. Utrumque colligitur ex modo loquendi Tridentini ([3]). Attamen sacrificium non placat infallibiliter Deum *omnino,* ita nempe ut certo remittat omnem poenam, sed modo omnino, modo ex parte placat Deum, pro diversitate reatus culpae et reatus poenae.

([1]) Cf. Suar. s. 5. — Vasq. c. III. — Lug. d. XIX. s. 9, n. 152. — ([2]) Lug. d. XIX, s. 9. n. 143. — ([3]) Trid. sess. XXII, c. II ; sess. XXV, *in decreto de purgatorio.*

2. Dispositio requisita est status gratiae. — Inquirunt theologi an gradus poenae remissae sit major aut minor pro dispositione plus minusve perfecta illius pro quo offertur sacrificium. Quaestio respicit sacrificium pro vivis oblatum. Negat Suarez (1) cum aliis ; affirmat s. Thomas (2) cum pluribus. Praeplacet sententia affirmans quia sacramenta plus minusve operantur pro dispositionibus subjecti ; de sacrificii autem efficacia videtur judicandum uti de sacramentis.

B. *De remissione peccati.* 1. « In ordine ad placandum pro culpa nondum remissa, inquit Lugo, non videtur concedenda virtus illimitata, ut quantacumque peccata praecesserint, statim, una Missa oblata, placetur omnino Deus, et non neget auxilia ad contritionem propter peccata praeterita. Potest enim haec virtus esse limitata, ut praecedente tanto reatu culpae, Deus placetur una vel duplici oblatione sacrificii : praecedente autem majore reatu, opus sit pluribus oblationibus, ita tamen, ut sicut una oblatio, licet non auferat totam poenam, aufert tamen partem, sic una oblatio, licet non reddat omnino placatum Deum, reddat ex parte placatum. Quae partialis placatio potest explicari vel dicendo, positum jam esse titulum sufficientem, ut si adhuc offeratur iterum aut ter sacrificium, placetur omnino Deus ; vel dicendo Deum esse ex parte placatum, quatenus, si prius v. g. ob justam indignationem negabat auxilia intensa ut octo et ut quatuor, postea, oblato semel sacrificio, neget quidem auxilia ut octo, non tamen ut quatuor, et sic de aliis beneficiis. Nam licet reatus directus poenae non remittatur etiam ex parte, nondum remissa culpa, potest autem Deus alicujus precibus, et a fortiori intuitu sacrificii, retinendo jus ad totam poenam exigendam, non uti jure, quod ex peccato habebat, ad negandum aliquod beneficium peccatori ; qua ratione possumus congruentius explicare proprium effectum hujus sacrificii, ut propitiatorium est, in ordine ad peccata mortalia tollenda ».

2. Gratiae ad paenitentiam salutarem excitantes non sunt infallibiliter efficaces ; inde ex culpa hominum possunt esse pure sufficientes. Itaque fructus propitiation impediri potest obice malae dispositionis illius pro quo offertur sacrificium. Inde Tridentinum ait : « Docet sancta Synodus sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac paenitentes ad Deum accedamus, misericordiam et gratiam inveniamus in auxilio opportuno » (3).

(1) Suarez, d. LXXIX, s. 10, n. 11 et 12. — (2) S. Th. III, LXXIX, a. 5 ; ib. a. 7, ad 2m. — (3) Trid. sess. XXII, c. II.

C. *De donis impetratis.* Sacrificium Missae, ut est impretratorium, non confert ex opere operato dona ordinis naturalis et ordinis supernaturalis ad aeternam salutem conducentia nisi sub certis conditionibus. Impetratioenim non est infallibilis nisi conditiones solitae adsint tum in eo pro quo postulatur, tum in re quae postulatur. Inde docent theologi impetrationem per sacrificium non esse infallibilem. Ceterum hoc constat experientia ; constat adhuc quia secus oblatione sacrificii obtinere possemus infallibiliter perseverantiam finalem, praeservationem ab omni peccato, etiam veniali, aliaque privilegia. — Cum desit infallibilis virtus impetrationi quae inest sacrificio, inde quaerunt theologi utrum haec efficacia sacrificii sit ex opere operato. Suarez negat ; Vasquez [1] affirmat. Verum cum uterque doceat efficaciam esse independentem a probitate ministri et non fundari nisi in dignitate Christi qui simul hostia est et principalis offerens ; inde quaestio non est nisi de nomine. Probabiliorem esse sententiam Vasquez suadetur quia sacrificium, per se loquendo, impetrat efficaciter ; eodem modo sacramentum nonnisi per se confert gratiam, quae per accidens obice impeditur.

§ 5. Pro quibusnam sacrificum Missae offertur.

280. — De triplici fructu. Distinguitur triplex fructus sacrificii Missae pro triplici subjecto pro quo offertur sacrificium, adeoque cui fructus obvenit. (Rectius fortassis diceretur triplex distingui subjectum pro quo offertur sacrificium, siquidem singulis per se eidem fructus obvenire valent ; verum alius loquendi modus a Scoto fuit inductus). Hic fructus est *generalis, specialissimus, specialis.*

A. De fructu generali. Sacrificium Missae, ut propitiatorium, satisfactorium et impetratorium, offertur *pro tota Ecclesia*, seu pro universo coetu fidelium. Fructus Ecclesiae toti obveniens, dicitur *generalis.* Colligitur ab omnibus obicem non habentibus. — Nulla specialis ad hoc exigitur celebrantis intentio, quia hic fructus per se colligitur ex sacrificio. — Sacrificium Missae offerri pro universa Ecclesia testantur a) verba quibus panis et vinum offeruntur : « Suscipe, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi, Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et *pro omnibus fidelibus christianis vivis atque defun-*

[1] Suar. d. lxxix, s. 2, n. 6. — Vasq d. ccxxix, c. 11, n. 12 sq.

ctis: ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen. » « Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam : ut in conspectu divinae Majestatis tuae, pro nostra et *totius mundi salute* cum odore suavitatis ascendat. » Idem testantur orationes quae in canone dicuntur. Praeterea b) secundum Tridentinum Christus seipsum *ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum tradidit,* in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem (1). Ergo sacrificium offertur *pro tota Ecclesia :* non tantum enim offert Ecclesia sacrificium ut Deum adoret, sed adhuc ut sit sibi propitiatorium et impetratorium.

B. De fructu specialissimo. Sacrificium offertur pro ipso celebrante ; fructus ei obveniens vocatur *specialissimus* utpote nec communis aliis nec communicabilis. — Hic itaque fructus applicari aliis nequit. Celebranti obvenit citra ullam intentionem, siquidem sacrificium per se dat hunc fructum. — 1. Dari hunc fructum, patet ex natura muneris sacerdotalis. Qui enim sacrificat, summum actum religionis persolvit, publice agnoscit Dei dominium et excellentiam. Ergo jus habet ad partem fructus quem hic actus per se gignit. — 2. Fructus specialissimus *excedit fructum generalem.* Si enim fructus generalis omnibus obvenit, quia sacrificium pro omnibus est institutum et omnes offerunt, cum solus sacerdos habeat potestatem offerendi et solus proprie offerat, potiori jure fructum colligit ; habet enim jus ad partem fructus omnibus communis, praeterea habet jus ad fructum respondentem actui proprio. Immo juxta probabiliorem sententiam excedit fructum specialem. — 3. Fructus specialissimus *applicari aliis nequit.* Etenim ex institutione et natura sacrificii aliquis fructus est destinatus offerenti, ei nempe qui cultum latriae praestat Deo, agnoscit summum ejus excellentiam. Ergo hic fructus communicari aliis nequit, cum communicare fructum nihil sit aliud nisi designare subjectum quod colligat fructum.

C. De fructu speciali. Sacrificium offertur pro specialibus personis, et ad determinata bona iis consequenda. Hic fructus dicitur specialis, ab aliis dictus est *medius.* — Hic fructus subjacet potestati offerentis et nonnisi ei applicatur qui designatur intentione sacerdotis.

1. *Dari fructum specialem* testatur : a) *ritus ordinationis,* qua sacerdoti confertur « potestas offerendi sacrificium pro vivis et defunctis ; » huic enim potestati connexum esse videtur jus designandi personas.

(1) Trid. sess. XXII, c. 1.

Idem testatur b) Tridentinum (1) quod statuit sacrificium eucharisticum pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere. Amplitudo hujus regulae postulare videtur ut designetur persona pro qua offertur et fructus qui speratur. Demum c) innumera *dicta Patrum, et constans usus Ecclesiae,* quem produnt libri liturgici, idem reddunt manifestum. — Confirmatur quia apud omnes gentes offerebantur sacrificia pro certis personis et ad certos fructus colligendos.

2. *De intentione requisita.* a) Exigi aliquam intentionem ex definitione fructus specialis perspicuum est. Hic enim fructus differt a fructu communi et a specialissimo ; non omnibus obvenit sed certis personis ; hae igitur sunt determinandae ; jamvero determinatio fieri nequit nisi intentione celebrantis. — b) Ista intentio, si *objective* inspicitur, α) debet esse *determinata* ante sacrificium ita sc. ut circa certam personam versetur. Non posse determinari personam post sacrificium, constat quia secus specialis fructus sacrificii, tunc cum illud offertur, nemini applicatur, sed potius suspensus manet, quod videtur esse contra indolem sacrificii. — β) Celebrans non debet eam determinare per seipsum, sed *determinatio potest relinqui alii*, ita nempe ut sacrificium offerat ad intentionem alterius ; immo juxta probabiliorem potest committi Deo, ita nempe ut fructus applicetur ei quem Deus designaverit. — γ) Attamen *determinatio nequit fieri ab aliis contra voluntatem celebrantis;* ea nempe est efficacia intentionis celebrantis, ut nulla obligatione aliunde exsistente, nullaque superioris voluntate irritari possit. Ratio est quia eadem est efficacia voluntatis circa sacrificium, atque circa sacramenta ; atqui, si agitur de sacramentis, intentio invalidari nequit voluntate alterius. Ergo. Ratio etiam est quia sacerdos celebrans haud secus ac conficiens sacramenta agit personam Christi ; sed ubi gerit personam Christi, non subjacet voluntati humanae. — d) Si intentio inspicitur *subjective,* sufficit habitualis, immo interpretativa quae ad habitualem revocari queat.

3. Multi distingui possunt pro quibus offeratur sacrificium. Vel enim adhuc vivunt, vel sunt mortui. — Si vivunt, sunt aut intra Ecclesiam, aut extra. Si intra Ecclesiam degunt, sunt sive justi, sive peccatores. Si extra Ecclesiam degunt, erunt aut penitus infideles, aut fidem veram habent partialiter. — Si mortui sunt, aut in caelo degunt, aut in purgatorio, aut in inferno.

(1) Trid. sess. XXII, c. II, can. 3.

281. — Porro sine controversia a catholicis admittitur sacrificium posse offerri pro omnibus his qui sunt in Ecclesia, sive justi sint sive peccatores : sacrificium enim eucharisticum est datum Ecclesiae ut illud pro membris suis offerat ; ideoque de his expresse fit mentio in canone. — Ab omnibus etiam admittitur sacrificium non posse offerri pro damnatis. Ratio est quia nullo modo sunt membra Christi adeoque nullum influxum valent recipere a Christo capite ; itaque iisdem prorsus inutile evasit sacrificium, siquidem eorum poenae et culpae irremissibiles sunt. Praeterea nulla misericordia damnatis exhibetur, sunt enim in statu rigorosae justitiae.

282. — De sacrificio pro infidelibus, haereticis et excommunicatis. Haec communiter admittuntur : 1. *Indirecte* iis prodesse potest sacrificium et pro his offerri. Directe enim potest offerri pro Ecclesia propaganda, unienda, purganda. — 2. *Per se* licet directe offerre sacrificium, prout impetratorium est, pro ethnicis, haereticis et schismaticis. Igitur sola Ecclesiae prohibitione hoc fiet generatim illicitum. Repudianda itaque est sententia a Vasquezio et a Maeratio edocta id negantibus (1). — Varia est ratio : a) Sacrificium crucis fuit pro omnibus oblatum. b) In consecratione calicis dicitur Christi sanguis effusus pro multis (pro omnibus) in remissionem peccatorum. Unde sic : Per se potest offerri sacrificium pro omnibus his quorum mentio fit in consecratione calicis. Atqui includuntur haeretici et schismatici. Ergo. c) In antiqua Ecclesia offerebatur sacrificium pro principibus et regibus, juxta praeceptum Apostoli (I Tim. II) : Hujus enim rei testis est Chrysostomus scribens « pro regibus gentilibus preces mysteriorum tempore offerendas esse » ; et alibi « sacerdotem sacrificantem pro universa terra oratorem agere Deoque supplicare ut omnium peccatis sit propitius. » Testis est Tertullianus aiens « sacrificamus pro salute imperatoris. » Testes sunt Constitutiones Apostolicae praecipientes ut offeratur sacrificium Eucharistiae pro regibus sui temporis, pro catechumenis et pro conversione infidelium (2). Testis est Liturgia Jacobi quae expressam mentionem facit orationis pro extirpatione haeresium. Testis est Coelestinus P. qui ad episcopos Galliae scribit : « Cum enim sanctarum plebium praesules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente, postulant

(1) VASQ. d. CCXXVII, c. III. — MAERATIUS, d. XXXVIII, s. 2. — (2) CHRYS. *In I Tim. Hom.* VI, n. 1. *De sacerdotio*, l. VI, n. 4. *Const. Apost.* VIII, 12, M. I, 1106. — TERTULL. *Ad Scapulam*, c. II. M. I, 700. Cf. BELLARM. *De sacrif.* l. II, c. VI.

et precantur, ut infidelibus donetur fides, et idololatrae ab impietatis suae liberentur erroribus, ut Judaeis, ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, ut haeretici catholicae fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivae caritatis accipiant, ut lapsis paenitentiae remedia conferantur, ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis caelestis misericordiae aula reseretur » (1). Testis est Innocentius III decernens preces hostiasque offerri posse pro presbytero vita functo sine baptismo (2).

3. Prohibuit Ecclesia sub poena excommunicationis ne publice oretur pro excommunicatis vitandis, aut cum iis haberetur communicatio in sacris. Igitur illicite et non sine gravi peccato sacrificium pro iis directe et expresse offertur. Attamen sacrificii fructus specialis ex parte Christi offerentis — non tamen ex parte Ecclesiae offerentis — valide iis applicaretur, siquidem intentio sacerdotis nequit irritari voluntate superioris. — De excommunicatis toleratis major exstat controversia. — Addere juvat haereticos quidem haberi inter excommunicatos, non vero infideles pro quibus igitur licite offertur sacrificium.

283. — De sacrificiis pro animabus purgatorii. — Negant haeretici sacrificium offerri posse pro vita functis in purgatorio degentibus. Affirmant catholici sacrificium Missae esse satisfactorium pro iis, illud satisfacere pro poenis quae hisce animabus luendae manent.

THESIS XXXIX[a]. — Sacrificium Missae rite offertur pro vita functis in purgatorio degentibus.

Prob. Arg. 1[m]. *Ex Macch.* XII, 43. Legitur de Juda Machabaeo : « Facta collatione, duodecim millia drachmas misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans... Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur ». — E quo loco colligitur in V. L. existimatum esse defunctos orationibus vivorum, sacrificiis, solvi a peccatis, h. e. a poenis ob peccata luendis. Sane non putabatur in gehenna detentos a poenis liberari ; ergo restat ut existimatum sit in

(1) Cf. DENZ. *Enchiridion*, n. 95. — (2) INNOC. III, cap. *Apostolicam*, — Praeterea S. C. Inquisitionis 12 julii ad quaestionem : « utrum liceat sacerdotibus Missam celebrare pro Turcarum aliorumque infidelium intentione, et ab iis eleemosymam accipere, » respondit : « Affirmative, dummodo non adsit scandalum et nihil in Missa addatur, et quoad intentionem constet nil mali aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse. »

purgatorio detentos solvi posse a poenis, merito orationum et sacrificorum. Porro auctor sacer, modo quo refert gesta a Juda, perspicue ostendit se pro veris habere verba Machabaeorum. Ex his verbis colligitur a fortiori vita functos juvari sacrificio Missae.

Arg. II^m. *Ex Traditione.* 1. *Ex Liturgiis.* a) Liturgia Armenorum : b) « Propitius esto, Domine, animabus defunctorum, pro quibus offerimus sanctum hoc sacrificium. » — b) Liturgia Jacobi : « Oblatio ista quae a viventibus pro defunctis offertur, expiat iniquitatem animae, et per eam remittuntur illis delicta. » — c) Liturgia Alexandrina s. Basilii orat pro sacerdotibus defunctis (1). — d) Liturgia, qua utuntur Syri, orat pro omnibus vita functis (2).

2. *Ex Patribus.* a) Tertullianus ait : « Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus ». — Cyprianus in memoriam revocat decretum antecessorum quo vetatur ne sacrificium celebretur pro dormitione illius clerici qui ad tutelam esset adhibitus ; decreti exsecutionem urget respectu alicujus Victoris. Ergo receptum erat sacrificia offerre pro vita functis. — c) Chrysostomus meminit ab apostolis esse praeceptum ut defunctorum fiat memoria in venerandis sacrificiis (3). — d) Cyrillus Hierosolymitanus perspicuis verbis affirmat sacrificium offerri pro peccatoribus defunctis (4). — e) Augustinus in variis locis

(1) *Liturgia Alexandrina :* « Memento, Domine, et omnium ex ordine sacerdotali qui pridem quieverunt, et eorum qui erant in statu seculari. Praesta omnium animas requiescere in sinibus sanctorum Patrum nostrorum Abraham, Isaac et Jacob. Induc et congrega eos in locum herbidum, super aquam requietis, in paradiso voluptatis, unde fugit dolor, tristitia et gemitus, in splendore sanctorum tuorum... Illis quidem, Domine, quorum animas accepisti, illic quietem tribue, eosque in regnum caelorum transferre dignare. »

(2) *Liturgia Syrorum :* « Memento, Domine, ad aram tuam caelestem eorum omnium qui transierunt de hoc mundo angustiarum plenissimo. Erue ipsos ex tenebris et caligine; appareatque eis facies tua pacifica; neque intres cum ipsis in judicium, etc. » Alibi : « Si Moyses dedit vitam Israelitae, qui peccaverat, per sanguinem animalium, quanto magis veniam consequentur defuncti fideles, per sacrificium vivum, quod pro illis oblatum est. »

(3) Tertull. *Cor. mil.* III. M. II, 79 ; *De monog.* l. III ; *Ad uxorem,* l. II. — Cyprianus, *Epist.* LXV, n. 2. — Chrys *Hom.* III, n. 4. *in ep. ad Phil.* 1.

(4) Cyr. Hier. « Deinde et pro defunctis sanctis patribus et episcopis et omnibus generatim, qui inter nos vita functi sunt (oramus) ; maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima. » *Cat. mystag.* V, n. 9. — « Hujus rei fidem vobis ab exemplo facere volo. Novi enim multos ita dicere : Quid juvat animam ex hoc mundo in peccatis seu sine peccatis decedentem, si ejus in oratione mentio fiat ? An vero, si rex quispiam viros, a quibus offensus fuerit, relegarit in exilium ; posteaque illi, ad quos attinet, coronam plectentes eam regi pro suis poena ab ipso afflictis obtulerint, nonne ipsis suppliciorum relaxationem gratificaturus sit ? Ad eumdem modum et nos pro defunctis, etiamsi peccatores sint, preces Deo offerentes, non coronam plectimus, sed Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum cum pro illis tum pro nobis demereri et propitiare satagentes. » Ib. n. 10. M. XXXIII, 1113.

eamdem veritatem proponit, speciatim ubi meminit sacrificii pro matre sua defuncta oblati. Asserit quod « hoc... a Patribus traditum observat universa Ecclesia ([1]).

284. — De sacrificiis in honore sanctorum. Sententia Ecclesiae tria involvit :

1. Sacrificia *non prosunt sanctis* neque ad remissionem culpae aut poenae, cum a culpa et a poena sint liberi, neque ad augmentum gloriae essentialis. Ideo monet Augustinus *memoriam* fieri sanctorum in sacrificio, pro iis autem non orari. Quare cum in sacrificio petitur ut oblatio prosit sanctis ad gloriam, petimus ut sancte, pie, devote sacrificium offerre valeamus, ut sancti ex hoc gaudeant et gloriam ab hominibus accipiant.

2. Sacrificium *non offertur sanctis ;* neque templa aut altaria eriguntur sanctis : « Nos martyribus, ait Aug., non constituimus templa, sacerdotia, sacra, sacrificia » ([2]).

3. Sacrificium Missae non est per se institutum ad sanctos honorandos, vel invocandos ; hic honor non est finis primarius sacrificii : sed *cultus et invocatio sanctorum non pertinet nisi secundario ad sacrificium.* In sacrificio sc. aguntur Deo gratiae de victoriis sanctorum et de eorum gloria adeoque indirecte honorantur sancti ; deinde invocantur sancti ut vivorum sint memores. — Patet quod ad solum Deum immediate dirigimus non tantum orationes canonis, sed etiam orationem, secretas et postcommunionem, commemoratione facta de sancto ([3]).

([1]) Aug. id assert in *Serm.* clxxii, n. 2. — « In Macchabaeorum libro legimus oblatum pro mortuis sacrificium; sed etsi nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quae Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum etiam habet commendatio mortuorum. » (*De cura pro mortuis* c. 1, n. 3). — Enarrans funus matris suae, ait: « Cum ecce corpus elatum est, imus, redimus sine lacrymis. Nam neque in eis precibus quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulchrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi. » *Conf.* IX, xii.

([2]) Aug. « Quis audivit aliquando fidelium, stantem sacerdotem ad altare dicere in precibus: « Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, » cum apud memorias eorum Deo offeratur » *(De Civ.* l. VIII, c. xxvii). — « Nulli Martyrum, quamvis in memorias Martyrum, constituimus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: « Offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane? » Sed quod offertur, Deo offertur, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit. » (l. XX, c. *Faust.* c. xxi).

([3]) Exemplo sit Missa in festo s. Ignatii. Or. « Deus qui ad majorem tui nominis gloriam propagandam, novo per B. Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti: Concede ut ejus auxilio et imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in caelis. » — Secr. « Adsint, Domine Deus, oblationibus nostris, Sancti Ignatii benigna suffragia: ut sacrosancta mysteria, in quibus omnis sanctitatis fontem constituisti, nos quoque in

THESIS XL[a]. — Fini primario sacrificii non repugnat ut sacrificium Missae in honore Sanctorum offeratur, ita nempe ut Sancti in celebratione sacrificii nominentur, honorentur, invocentur.

A. *Sancti in sacrificio Missae nominari possunt et honorari.* Id enim constat 1° *ex Liturgiis* Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi et aliis. Ubique enim nominantur sancti. — Idem constat 2° ex *ss. Patribus :* a) Cyprianus petit annotari, et ad se scribi diem mortis Martyrum singulorum, ut possit nominatim, in die anniversario passionis eorum, pro eis sacrificium facere. — b) Epiphanius et Cyrillus aperte scribunt in sacrificio nominari Apostolos, et Martyres. — c) Chrysostomus non solum nominari dicit, sed affirmat ingentem tribui honorem Sanctis, quod nominentur, Domino praesente, dum horrendum illud sacrificium peragitur. — d) Augustinus frequenter dicit Sanctos nominari in sacrificio ([1]). — Idem probatur 3° *ratione :* Varia est utilitas commemorationis sanctorum sub sacrificio Missae : a) Ea enim agnoscimus et profitemur communionem Sanctorum. Sacrificium offertur nomine totius corporis mystici Christi, proin nomine viventium et nomine mortuorum in purgatorio poenas luentium aut in caelo triumphantium. Uti ergo viventes nominantur, puta Romanus Pontifex, reges, imperatores ; ita Sancti nominari possunt. — b) Ea commemoratione stimulamur ut vestigiis Sanctorum insistamus ([2]).

B. *Laudabiliter invocantur Sancti.* — Advertere juvat non invocari Sanctos ipsa oblatione sacrificii, quippe quae dirigitur soli Deo, qui solus sic invocatur ; neque solere invocari Sanctos oratione immediate directa ad illos ; sed invocari *indirecte* in canone et extra canonem. Petimus a Deo ut, *intercedentibus Sanctis,* nos adjuvet, dona conferat ; gratias agimus Deo de donis quae contulit Sanctis, etc. — Laudabiliter invocari Sanctos constat 1° *ex Patribus :* a) Cyrillus Hier. explicans ritum sacrificii, testatur memoriam fieri Sanctorum, eosque invocari. « Cum hoc sacrificium offerimus, mentionem facimus eorum, qui ante nos obdormierunt ; primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus, orationibus illorum et deprecationibus, suscipiat

veritate sanctificent. » — Postcomm « Laudis hostia, Domine, quam, *pro s. Ignatio gratias agentes,* obtulimus, ad perpetuam nos majestatis tuae laudationem, ejus intercessione perducat. »

([1]) Cypr. L. III *epist., ep.* VI. — Epiph. *Haer.* LXXV. — Cyr. Hier. *Cat. mystag.* V. — Chrys. *Hom.* XXI *in Act.* — Aug. l. *de sancta virginit.* c. XLV ; *De civ.* Dei, XXII, X. — Cfr. Bellarm. De *sacrif.* l. II, c. VIII. — ([2]) Cfr. Aug. *de Civ. Dei.* l. VIII, c. XXVII.

preces nostras » (1). b) Basilius in Liturgia idem testatur et addit rationem esse ut protegatur et adjuvetur in offerendo sacrificio. c) Idem dicit Chrysostomus in Liturgia : « Honorabilium, incorporabilium, supercaelestium, s. Joannis praecursoris et Baptistae, sanctorum gloriosorum Apostolorum, Sancti hujus, cujus memoriam agimus, et omnium Sanctorum tuorum ; quorum supplicationibus respice nos Deus. » Et infra : « Stabili nostros gressus precibus, et supplicationibus sanctae Deiparae, et semper Virginis Mariae, et omnium Sanctorum. » Demum d) consentit Augustinus. « Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos (Martyres) commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus ; sed magis ut orent ipsi pro nobis » (2). — Demum suadetur 3° *ratione :* Sancti pro nobis in caelo orare possunt. Ergo juvat a Deo petere ut illos pro nobis orantes exaudire dignetur.

(1) Cyrillus Hier. *Cat. mystag.* v. — (2) Aug. *In Ev. Joh.* tract. lxxxiv.

L. D.

INDEX THESIUM.

Theses de Sacramentis in Genere.

Assertum. In statu naturae innocentis exstitisse sacramenta nulli rationi innititur 12

Thesis 1. Sub lege naturae, infantibus, usum rationis nondum adeptis, non defuit remedium quo a reatu peccati originalis liberarentur. Illud vero remedium fuit sacramentum a Deo institutum, quod probabilius continebatur tum externa fidei parentum professione in Deum et in futurum Redemptorem, tum actu cultus religiosi quo parvulus Deo mancipabatur. Porro modus, quo haec peragerentur, non fuit ab ipsomet Deo in specie determinatus, sed hominum arbitrio definitus 20

Assertum. Praeter remedium naturae, alia non fuerunt instituta sacramenta sub lege naturae 31

Thesis 2. Sub lege mosaica a Deo instituta est circumcisio, primario quidem ut congregaretur populus electus et a gentibus segregaretur; secundario autem et consequenter ad finem primarium et ad institutum remedium naturae, ut, ratione expressioris fidei in Deum et in Messiam, peccatum originale deleretur. Porro circumcisio est verum et proprium sacramentum, figurativum baptismi novae legis 38

» **3.** Praeter circumcisionem alia nonnulla sunt condita a Deo sacramenta, quae, pro indole veteris legis, significabant gratiam quondam per Christum conferendam, hominibusque, rite ipsa suscipientibus, sanctitatem legalem usu suo conferebant. Inter haec vero sacramenta alia ad populum alia ad solos sacerdotes spectabant 51

» **4.** Septem esse, neque plura neque pauciora, sacramenta proprie dicta Legis Novae, dogma est ab apostolica traditione derivatum 59

» **5.** Conveniens fuit in Lege Gratiae institui sacramenta, eaque esse numero septem 84

Assertum. Sacramentum dicitur analogice de sacramentis novae et veteris legis 98

Thesis 6. Sacramenta Novae Legis intrinsecus constituuntur rebus tamquam materia, et verbis tamquam forma . . . 105

» **7.** Verba sacramentorum ex primario suo munere sunt consecratoria tum subjecti tum materiae, ex secundario autem munere sunt concionalia. Quamobrem recitanda sunt in ipsa celebratione ritus sacramentalis 117

» **8.** Sacramenta iis qui, obice remoto, ea suscipiunt, conferunt gratiam, eamque aequalem aequaliter dispositis, inaequalem inaequaliter dispositis. Baptismus et Paenitentia per se conferunt gratiam primam, per accidens secundam; reliqua vero sacramenta per se secundam, per accidens primam. Insuper habitus virtutum aut primo infunduntur aut augmentum accipiunt. Denique singula sacramenta tribuunt per se jus ut illud auxilium gratiae actualis suppeditetur, quo finis ipsorum attingatur 127

» **9.** Sacramenta Baptismi, Confirmationis et Ordinis ficte suscepta reviviscunt, obice remoto. Probabilius reviviscunt etiam extrema Unctio et Matrimonium. Non reviviscunt Eucharistia et Paenitentia 139

» **10.** Tria sacramenta, Baptismus nempe, Confirmatio, Ordo, praeter gratiam sacramentalem imprimunt « characterem in anima, h. e. signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt. » (Trid. Sess. VII, can. 9) 145

» **11.** Character sacramentalis, formaliter consideratus, est qualitas absoluta, supernaturalis, ab anima realiter distincta . . 159

» **12.** Character sacramentalis pertinet ad eam qualitatis speciem, quae habitus vocatur 164

» **13.** Sacramenta Novae Legis gratiam conferunt ex opere operato. 177

» **14.** Si quaeritur de natura nexus qui inter positionem signi sacramentalis et infusionem gratiae intercedit, dicendum est sacramentis competere influxum vere causativum. Haec porro causalitas vel penitus tollitur vel saltem inexplicata relinquitur, dum sacramenta ponuntur esse sive dispositiones necessitantes ad gratiae infusionem, uti vult Scotus; sive conditiones sine quibus non, uti vult Durandus; sive causae efficientes hominem Deo gratum antecedenter ad gratiae infusionem, uti vult D. Soto; sive causae speciali modo continentes omnipotentiam divinam, uti vult Henricus Gandavensis; sive vasa continentia gratiam, uti vult Altissiodorensis . . . 207

» **15.** Si quaeratur cujusnam speciei sit causalitas sacramentorum, dicendum est non modo ex fontibus revelatis nequaquam

erui, sed adhuc non videri posse sine manifesta implicantia defendi id quod tuebantur multi ex veteribus scholasticis, sacramenta videlicet influxu physico instrumentaliter attingere effectum sacramentalem. — Quapropter falsum est sacramenta physice causare vel ornatum aliquem spiritualem praevium ad gratiae infusionem, vel unionem animae cum gratia, vel ipsammet gratiae entitatem; quocumque demum modo haec virtus dicatur competere ritui sacramentali, sive beneficio elevationis intrinsecae per infusionem qualitatis spiritualis vel corporeae, sive beneficio elevationis extrinsecae ad mentem Suarezii 217

Thesis 16. Ritus sacramentales sunt moraliter actiones Christi. Quare ex persona Christi dimanat ad sacramenta objectiva dignitas, ratione cujus nata sunt movere Deum, ut rite ipsa suscipienti infundat gratiam. Porro sacramenta, ex institutione Christi, non aliter sunt causae instrumentales gratiarum . . . 237

» **17.** Solus Deus insignitur potestate auctoritatis sacramenta instituendi. Christus vero qua homo insigniebatur potestate ministeriali excellentiae 250

» **18.** Christus Jesus, uti est homo, per se et immediate instituit omnia novae legis sacramenta 253

» **19.** Licet Christus Jesus dicendus esset verus sacramentorum institutor, etiamsi nonnisi generice signum sacramentale determinasset; ad factum tamen quod attinet, multo probabilius est eum specifice determinasse materiam proximam et formam omnium sacramentorum 264

» **20.** Verae suae Ecclesiae tradidit Christus Jesus potestatem auctoritatis circa dispensationem sacramentorum. Porro haec potestas est talis ut ab ea derivetur in ministris secundariis omnis alia potestas sacramenta sive valide sive saltem licite conficiendi; ut Ecclesia possit declarare infallibiliter ea quae ad substantiam et ad validitatem sacramentorum exiguntur; demum ut possit instituere aut mutare ritus seu caerimonias ad dispensationem sacramentorum spectantes . . . 276

» **21.** Ut valide conficiatur sacramentum, neque fides requiritur in ministro, neque sanctitas 288

» **22.** Ut validum sit sacramentum, requiritur ut minister illud conficiat cum intentione faciendi id quod facit Ecclesia . . 304

» **23.** Ut sacramentum sit validum, non sufficit intentio mere externa, terminata nempe ad solum ritum externum cum apparatu sacro peractum; sed necessaria est intentio interna, quae nempe, implicite saltem et in confuso, pro objecto habeat effectum seu finem sacramenti 309

Theses de Baptismo.

Thesis 1. Immersio non requiritur ad validitatem baptismi; sed sufficit infusio aut aspersio 324

» **2.** Ad valorem baptismi requiritur ut per formam exprimatur actus baptismi et explicite invocentur tres personae divinae. 327

» **3.** Parvuli baptizari possunt ac debent ante adeptum rationis usum 334

» **4.** Excepto casu martyrii, baptismus fluminis est necessarius necessitate medii parvulis; adultis vero necessarius est necessitate praecepti. Si citra culpam ab adultis fuerit omissus, necessarius est necessitate medii baptismus flaminis . . 342

» **5.** Baptismus sine obice receptus: a) delet tum P. O. tum peccata personalia ante baptismum commissa; b) remittit omnem poenam peccatorum; c) infundit gratiam sacramentalem et imprimit characterem; d) inserit corpori mystico Christi et potestati Ecclesiae subjicit. 349

» **6.** Minister ordinarius baptismi solemniter conferendi est solus sacerdos; ejusdem baptismi minister extraordinarius est diaconus ad hoc delegatus. Minister baptismi in casu necessitatis conferendi est omnis homo, sive catholicus, sive haereticus, sive infidelis; ut valide conferatur, sufficit ut cum debita intentione efficiantur ea quae essentialia sunt sacramento . 355

» **7.** Tum in infantibus tum in adultis martyrium vices supplet baptismi quoad remissionem culpae omnisque poenae, ita ut vim justificandi habeat quasi ex opere operato, citra caritatem perfectam aut contritionem martyris 361

Theses de Confirmatione.

Thesis 1. Confirmatio est verum sacramentum 366

» **2.** Materia confirmationis constat impositione manus et unctione chrismatis. Ea porro manus impositio ad materiam pertinet quae in ipsamet unctione includitur 370

» **3.** Solus episcopus est minister ordinarius confirmationis. Simplex sacerdos esse potest minister extraordinarius ex delegatione Romani Pontificis 375

Theses de Eucharistia.

Thesis 1. Christus Jesus, in sermone quem s. Johannes refert (cap. VI, 48-60), pollicitus est se carnem suam et sanguinem vere et realiter esse fidelibus porrecturum in cibum et in potum, adeoque promisit institutionem Eucharistiae 391

» **2.** In sanctissimae Eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem Domini Nostri Jesu Christi, manifestissime constat ex verbis institutionis, uti referuntur a Matthaeo (XXVI, 26-28), Marco (XIV, 22-24), Luca (XXII, 19, 20), et Paulo (I Cor. XI, 24, 25) 410

» **3.** Realis corporis et sanguinis Christi praesentia in Eucharistia demonstratur ex figuris Eucharistiae, quas vetus Testamentum exhibet 428

» **4.** Testimonia Patrum, potissimum vero vetustissimorum, sacrae Liturgiae et consensus sectarum, invictum suppeditant argumentum, Christum Jesum esse vere, realiter, substantialiter praesentem in mysterio Eucharistiae. Denique idem luculenter testantur alia non pauca monumenta antiquitatis . . . 433

» **5.** Convenientissima fuit institutio Eucharistiae, tum ratione gloriae quam procurat Deo et Christo Jesu, tum ratione bonorum innumerorum quorum exstat fons et origo pro fidelibus christianis 464

» **6.** Totus Christus est vere praesens tum sub specie panis, tum sub specie vini 470

» **7.** Christus est totus praesens sub omnibus partibus sensibilibus, non modo post earum separationem, sed etiam ante separationem. Immo praesens est sub qualibet parte, licet perceptionem sensibilem aufugiente, ita nempe ut corpus ejus donetur praesentia illocali 478

» **8.** Incipit corporis et sanguinis Christi Jesu praesentia sub speciebus panis et vini, illico ac prolata sunt verba consecrationis; peracto autem sacrificio, tamdiu perdurat, quamdiu species non corrumpuntur 486

» **9.** Christus in Eucharistia non potest naturali modo operari neque per facultates rationales, neque per sensitivas. Supernaturaliter vero elevatae, facultates actus elicere possunt. Ad factum quod spectat, probabilius Christus in Eucharistia delitescens non elevatur ad eliciendas operationes sensuum. . 493

Thesis 10. Ratione sacramentalis praesentiae corpus Christi non potest localiter moveri ab anima Christi, neque ab angelo, neque corpore extrinseco, secundum naturalem virtutem agentibus.

11. Corpus Christi, uti est sacramentaliter praesens, nihil pati potest ab entibus creatis, naturali sua virtute operantibus. Probabilius in haec naturaliter non potest agere . . . 500

» **12.** Ratione sacramentalis praesentiae, corpus Christi naturaliter non potest videri in Eucharistia. Immo probabilius est absolute invisibile 503

» **13.** Dogma praesentiae realis Christi Jesu sub symbolis panis et vini est quidem supra rationem; non vero contra rationem. 507

» **14.** Dogma fidei est « conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus. Quae conversio convenienter et proprie a sancta catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata. » (Trid. Sess. XIII, cap. IV) . 520

» **15.** De ratione conversionis est ut inter desitionem termini formalis a quo et positionem termini ad quem intercedat nexus intrinsecus, adeoque ut utrique termino totali sit aliquid realiter commune, in ordine ad quod simultaneitas utriusque termini formalis sit impossibilis 551

» **16.** Transsubstantiatio, uti est praecise actio, non est reproductiva corporis Christi, uti Suarezio visum est; neque etiam est tantummodo adductiva hujus corporis, uti Scoto placuit; verum est introductiva corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini. — Quamobrem vi conversionis substantia corporis et sanguinis Christi, beneficio qualitatis supernaturaliter infusae, succedit substantiae panis et vini in ordine ad sustentanda accidentia, in iis nempe producendo modum supernaturalem perseitatis. Eo porro fit ut substantia panis et vini, ab accidentibus spoliata, corruptione deficiat ab essendo 555

» **17.** Transsubstantiatio, uti praecise conversio, pro termino formali ad quem habet substantiam corporis et sanguinis Christi. Quare conversio eucharistica dicenda est vere substantialis. 563

» **18.** Accidentia panis et vini remanere seorsim a substantia in mysterio Eucharistiae, colligitur ratione theologica, auctoritate Conciliorum, Patrum locutionibus haud obscure hanc remanentiam vindicantibus, denique unanimi consensu Scholae 572

» **19.** Dogma transsubstantiationis et remanentia accidentium panis et vini sunt quidem supra rationem, verum non sunt contra rationem 596

Thesis 20. Eucharistia est sacramentum verum, unum, distinctum a ceteris sacramentis, iisque multo excellentius . . . 603

» **21.** Partes essentialiter constitutivae sacramenti Eucharistiae sunt verba consecrationis per modum formae, corpus et sanguis Christi cum speciebus per modum materiae . . . 614

» **22.** Eucharistia per se confert gratiam secundam qua vita supernaturalis incrementa suscipit et homo magis ac magis unitur Deo. Nonnisi per accidens confert gratiam primam et remissionem lethalium. Praeterea ex opere operato delet peccata venialia, minuit concupiscentiam, et tribuit jus ad auxilia supernaturalia, quibus virtutes exerceantur, tentationes graves superentur et peccata vitentur 629

» **23.** Sacramentum Eucharistiae est immediate et ex se pignus gloriosae resurrectionis justorum; est autem hujusmodi quatenus conjunctio corporis cum Christo est specialis et proprius titulus gloriae corporis. Attamen corpus Christi nullam producit dispositionem ad hanc resurrectionem, neque ullam aliam qualitatem supernaturalem; neque ulla fit unio intrinseca inter corpus Christi et corpus subjecti Eucharistiae. 647

» **24.** Soli sacerdotes instruuntur potestate conficiendi Eucharistiam. Hi etiam soli sunt ministri ordinarii dispensandae Eucharistiae; diaconi sunt ministri extraordinarii 652

» **25.** Sumptio Eucharistiae necessaria quidem est fidelibus adultis necessitate praecepti divini et ecclesiastici, non vero necessitate medii. Attamen nec laicis nec sacerdotibus sacrificium non offerentibus necessaria est ex praecepto divino sub utraque specie 659

» **26.** Communio frequens, in se inspecta, est perfectior et laudabilior quam communio rara. Ad communionem frequentem exiguntur, non quidem ex necessitate praecepti, sed ex summa convenientia, perfectiores dispositiones quam ad communionem raram. Attamen non requiritur sanctitas eximia 668

» **27.** Usu auctorum sacrorum et profanorum sacrificium, proprie sensu acceptum, non est omne opus, sive internum sive externum, quo Deo honor praestatur aut ei inhaeremus, uti volunt Melanchton et Kemnitius; neque est omnis oblatio Deo facta, uti vult Calvinus 682

» **28.** Convenienter definitur sacrificium: Realis aut aequivalens rei sensibilis destructio atque illius rei oblatio Deo a ministro legitimo facta, ad profitendum eam esse excellentiam Dei primi principii, ultimi finis et absoluti omnium domini, ut dignus sit Deus in cujus honorem vita humana immoletur . 686

Thesis 29. Mysterium Eucharistiae esse verum et proprium sacrificium vaticinatus est Malachias c. II, v. 11. Eadem veritas suadetur verbis institutionis Eucharistiae. Luculenter eam testatur universalis traditio. Demum ratione theologica fulcitur . 697

» **30.** Sacrificium Missae est unum. Praeter illud non dantur alia sacrificia in Ecclesia Christi 727

» **31.** Sacrificium Missae non differt specifice a sacrificio ultimae Coenae: differt tamen differentia accidentali 729

32. Sacrificium Missae differt a sacrificio Crucis, non tantum accidentaliter, sed adhuc specifice. Devincitur tamen cum hoc sacrificio intrinseca relatione, quatenus ex institutione Christi est memoria et figura sacrificii Crucis. Quare est sacrificium relativum 730

» **33.** Sacrificium Missae, si consideratur uti praecise res, continetur corpore et sanguine Christi, nequaquam vero substantia panis et vini. Species vero sacramentales videntur intrinsecus pertinere ad rem oblatam in sacrificio, ita nempe ut Christus offeratur quatenus cum speciebus panis et vini compositum sacramentale constituit 737

» **34.** Sacrificium Missae, si consideratur uti praecise actio, essentialiter consistit in sola consecratione, eaque duplici, corporis nempe et sanguinis Christi sub specie panis et sub specie vini. 746

» **35.** Consecrationi competit ratio actionis sacrificae, eo quod per eam Christus sub speciebus panis et vini constituitur illocaliter praesens in statu cibi et potus 765

» **36.** Christus Dominus est summus sacerdos qui principaliter offert sacrificium Eucharistiae, quandocumque et ubicumque offertur. Sacrificium autem offert Christus, non tantum remote quatenus nempe est institutor sacrificii, sed adhuc per se et proxime quatenus ipse aliquo modo actu offert, licet per sacerdotem offerat 780

37. Sacrificium Missae non tantum est latreuticum et eucharisticum, sed etiam est propitiatorium, satisfactorium et impetratorium 787

38. Sacrificium Missae habet, per modum impetrationis, efficaciam ex opere operato. Non tamen immediate est efficax gratiae et remissionis peccatorum, sed mediate, quatenus nempe donum paenitentiae impetrat 793

» **39.** Sacrificium Missae rite offertur pro vita functis in purgatorio degentibus 802

40. Fini primario sacrificii non repugnat ut sacrificium Missae in honore Sanctorum offeratur, ita nempe ut Sancti in celebratione sacrificii nominentur, honorentur, invocentur . . 805

INDEX PARTIUM.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

PROOEMIUM 5

CAPUT I.

De exsistentia sacramentorum.

ART. I. STATUS QUAESTIONIS 7
ART. II. IN STATU NATURAE INNOCENTIS NULLA FUISSE SACRAMENTA OSTENDITUR. 11
ART. III. DE SACRAMENTIS LEGIS NATURAE.
§ 1. Notiones. — Quaestiones 17
§ 2. De institutione remedii naturae 18
§ 3. Nam alia sacramenta tempore legis naturae exstiterint . 31
ART. IV. DE SACRAMENTIS LEGIS SCRIPTAE.
§ 1. De circumcisione 34
§ 2. De ceteris sacramentis V. L. 50
ART. V. DE EXSISTENTIA SACRAMENTORUM N. L.
§ 1. De numero septenario sacramentorum N. L. . . . 55
§ 2. De convenientia institutionis septem sacramentorum. . 84

CAPUT II.

De causis intrinsecis sacramentorum.

ART. I. DE DEFINITIONE METAPHYSICA SACRAMENTORUM.
§ 1. Sacramenta N. T. et V. T. esse de genere signi sacri ostenditur 89
§ 2. Definitio sacramenti novae legis 91
§ 3. Definitio sacramentorum veteris legis 95
§ 4. Sacramenta novae legis et veteris legis esse analoga ostenditur 96
ART. II. DE DEFINITIONE PHYSICA SACRAMENTORUM N. L.
§ 1. Status quaestionis 99
§ 2. Sacramenta N. L. essentialiter constant rebus tamquam materia et verbis tamquam forma 105
§ 3. Verba sacramentalia non sunt primario concionalia, sed consecratoria 114

CAPUT III.

De effectu sacramentorum.

ART. I. DE GRATIA SACRAMENTALI.
§ 1. Status quaestionis 124
§ 2. De gratia collata sacramentis sine obice receptis . . . 126
§ 3. De reviviscentia sacramentorum ficte susceptorum . . 139
ART. II. DE CHARACTERE SACRAMENTALI.
§ 1. Baptismus, Confirmatio et Ordo characterem animae imprimunt 144
§ 2. Character sacramentalis est qualitas re distincta ab anima et ejus facultatibus 158
§ 3. De specie qualitatis ad quam character pertinet . . . 163
§ 4. De effectu formali characteris 169

CAPUT IV.

De sacramentorum N. L. efficacia ex opere operato.

§ 1. Status quaestionis 172
§ 2. Sacramenta N. L. gratiam aliaque dona conferre ex opere operato ostenditur 177

CAPUT V.

De causalitate sacramentorum.

ART. I. SACRAMENTIS COMPETIT RATIO CAUSAE RESPECTU GRATIAE.
§ 1. Status quaestionis 201
§ 2. Sacramenta esse causas gratiae ostenditur 207
ART. II. UTRUM SACRAMENTA SINT CAUSAE PHYSICAE.
§ 1. Exponuntur sententiae 212
§ 2. Rejicitur causalitas physica sacramentorum. . . . 217
ART. III. SACRAMENTA ESSE CAUSAS MORALES GRATIAE OSTENDITUR.
§ 1. Variae sententiae 232
§ 2. Demonstratur causalitas moralis sacramentorum. . . 237

CAPUT VI.

De causa instituente sacramentorum.

§ 1. De potestate Christi in sacramenta 249
§ 2. Christus Jesus instituit per seipsum omnia N. L. sacramenta 251
§ 3. De determinatione materiae et formae a Christo . . . 262

CAPUT VII.

De causis sacramenta dispensantibus.

SECTIO PRIOR.

De subjecto potestatis auctoritatis.

§ 1. Notiones. 275
§ 2. Resolvitur quaestio 276

APPENDIX DE SACRAMENTALIBUS 281

SECTIO POSTERIOR.

De Ministro.

ART. I. UTRUM SANCTITAS ET FIDES REQUIRANTUR IN MINISTRO.
§ 1. Status quaestiones 286
§ 2. Resolvitur quaestio. 288
ART. II. DE INTENTIONE MINISTRI.
§ 1. Notiones. — Quaestiones 300
§ 2. Ad valorem sacramenti requiri intentionem ministri ostenditur 304
§ 3. Ad valorem sacramenti requiri intentionem internam ostenditur 309

DE BAPTISMO.

ART. I. DE INSTITUTIONE BAPTISMI 319
ART. II. DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI.
§ 1. De materia baptismi 321
§ 2. De forma 326
ART. III. DE SUBJECTO BAPTISMI.
§ 1. Parvulos posse ac debere baptizari ostenditur . . . 333
§ 2. An parvuli baptizari valeant, invitis parentibus . . . 338
ART. IV. DE NECESSITATE BAPTISMI 341
ART. V. DE EFFECTIBUS BAPTISMI 349
ART. VI. DE MINISTRO BAPTISMI 354
ART. VII. DE MARTYRIO 360

DE CONFIRMATIONE.

ART. I. CONFIRMATIONEM ESSE SACRAMENTUM OSTENDITUR . . . 365
ART. II. DE ESSENTIA CONFIRMATIONIS 369
ART. III. DE MINISTRO CONFIRMATIONIS 374

DE EUCHARISTIA.

PRIMA PARS.

DE REALI PRAESENTIA CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI JESU IN EUCHARISTIA.

CAPUT I.

De veritate realis praesentiae Corporis et Sanguinis Christi Jesu in Eucharistia.

ART. I. STATUS QUAESTIONIS 361

ART. II. PRAESENTIA REALIS PROBATUR SCRIPTURAE ELOQUIIS.
§ 1. Promissa a Christo est Eucharistiae institutio 387
§ 2. Instituta est a Christo Eucharistia 405
§ 3. De figuris Eucharistiae in V. L. 428
ART. III. TRADITIONE PROBATUR REALIS PRAESENTIA CHRISTI IN EUCHARISTIA.
§ 1. Status quaestionis 431
§ 2. Proponuntur argumenta Traditionis 433
ART. IV. DE CONVENIENTIA INSTITUTIONIS EUCHARISTIAE 463

CAPUT II.

De modo praesentiae realis Christi.

ART. I. DE SACRAMENTALI PRAESENTIA CHRISTI IN EUCHARISTIA.
§ 1. Totum Christum sub utraque specie esse praesentem ostenditur 468
§ 2. Totus Christus est praesens sub omni speciei parte, ante et post separationem 476
§ 3. Christus est permanenter sub speciebus 485
ART. II. DE CONSECTARIIS AD SACRAMENTALEM CHRISTI PRAESENTIAM.
§ 1. De quantitate Corporis Christi 489
§ 2. Num Christus in Eucharistia naturaliter agere possit immanenter 492
§ 3. Num Christus naturaliter possit moveri localiter a motore creato 497
§ 4. Utrum corpus Christi in Eucharistia naturali virtute aliter agere transeunter et pati possit 499
§ 5. Utrum corpus Christi possit naturaliter videri in Eucharistia. 502
§ 6. An Christus, prout est in hoc sacramento, possit naturaliter cognosci ab intellectu creato 504
ART. III. DOGMA PRAESENTIAE SACRAMENTALIS EST SUPRA RATIONEM NON VERO CONTRA RATIONEM.
§ 1. Notiones praeviae. — Quaestiones. 505
§ 2. Solvitur quaestio 507

CAPUT III.

De transsubstantiatione.

ART. I. DOGMA TRANSSUBSTANTIATIONIS.
§ 1. Status quaestionis 513
§ 2. Stabilitur dogma transsubstantiationis 520
ART. II. DISQUISITIO SCHOLASTICA DE TRANSSUBSTANTIATIONE.
§ 1. Quaestiones 546
§ 2. An nexus intrinsecus adsit oportet inter utrumque terminum formalem conversionis 547
§ 3. De transsubstantiatione uti est praecise actio . . . 553
§ 4. Conversio eucharistica, qua praecise conversio, est substantialis 563

CAPUT IV.

De remanentia accidentium.

§ 1. Notiones. — Quaestiones 567
§ 2. Accidentia panis et vini remanent sine substantia. . . 572
§ 3. Quaenam accidentia panis et vini remaneant . . . 590
§ 4. De his quae species agere et pati possunt 593
§ 5. Dogma transsubstantiationis et remanentia accidentium sunt supra rationem non vero contra rationem . . . 594

SECUNDA PARS.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE.

CAPUT I.

De partibus constitutivis sacramenti Eucharistiae.

ART. I. DE DISTINCTIONE EUCHARISTIAE A RELIQUIS SACRAMENTIS . . 601
ART. II. DE PARTIBUS CONSTITUTIVIS SACRAMENTI EUCHARISTIAE.
§ 1. Quaestiones 611
§ 2. Quaenam sint partes constitutivae sacramenti Eucharistiae ostenditur 614

CAPUT II.

De effectibus sacramenti Eucharistiae.

§ 1. De gratia sacramentali Eucharistiae 626
§ 2. De dispositione requisita in subjecto 645
§ 3. De effectu quem Eucharistia in corpore producit. . . 646

CAPUT III.

De causa ministeriali Eucharistiae 651

CAPUT IV.

De necessitate Eucharistiae.

§ 1. Status quaestionis 657
§ 2. Resolvitur quaestio. 659
§ 3. De communione frequenti 668

TERTIA PARS.

DE SACRIFICIO MISSAE.

CAPUT I.

De institutione sacrificii Missae.

ART. I. DE SACRIFICIO IN COMMUNI.

§ 1. Exponuntur variae definitiones tradi solitae 674
§ 2. Falsitatis arguuntur definitiones Protestantium . . . 682
§ 3. Stabilitur vera sacrificii notio. 686
Art. II. De veritate sacrificii Novi Testamenti.
§ 1. De voce missae 694
§ 2. Celebrationem Eucharistiae esse sacrificium ostenditur . 696
§ 3. An sacrificium Missae sit unicum 726
§ 4. De habitudine sacrificium Missae ad sacrificium ultimae Coenae 729
§ 5. De habitudine sacrificii Missae ad sacrificium Crucis . . 730

CAPUT II.

De essentia sacrificii Missae 735

Art. I. Quaenam sit materia in Sacrificio Missae destructa et oblata.
§ 1 Status quaestionis 736
§ 2. Resolvitur quaestio. 737
Art. II. In quanam actione Missae consistat essentia sacrificii.
§ 1. Sententiae 744
§ 2. Essentiam sacrificii in sola consecratione reponi ostenditur. 746
Art. III. Quomodo in consecratione verificetur ratio sacrificii.
1. Status quaestionis 761
2. Resolvitur quaestio 765

CAPUT III.

De ministris sacrificii Missae.

Art. I. De Christo ministro principali sacrificii Missae . . . 780
Art. II. De ministris secundariis.
§ 1. An omnes et soli sacerdotes valide sacrificium offerant . 783
§ 2. An fideles aliquo modo offerant 785

CAPUT IV.

De fine et fructu sacrificii Missae.

§ 1. Notiones. — Quaestiones 786
§ 2. Sacrificium Missae est propitiatorium, satisfactorium et impetratorium 787
§ 3. Utrum valor sacrificii Missae sit infinitus, an finitus . . 791
§ 4. Quomodo sacrificium Missae sit efficax. 793
§ 5. Pro quibusnam sacrificium Missae offeratur. . . . 798

ERRATA.

			CORRIGE.
Pag. 26	lin. 33	voluntatis divinae	voluntatis salvificae
82	» 27	oblatio	ablutio
84	» 31	solo fines	solos fines
105	» 6, 7	verbis... rebus	rebus... verbis
134	» 5	primam aut secundum	primam aut secundam
184	» 18	Baptisatis	Baptismatis
240	» 24	in actu secunda	in actu secundo
245	» 9	in virtuti	in virtute
317	» 28	intendat facit	intendat facere
320	» 7	baptismi Johannes	baptismi Johannis
381	» 10	in quinque capita	in quatuor capita
495	» 28, 39	Bugaud	Bougaud
509	23	circumscriptivae praesens	circumscriptive praesens
516	» 34	M. CLXII	M. CLXXII
560	» 34	site expers	sit expers
566	» 16	localiter praesens	illocaliter praesens
574	» 36	claetheris	aetheris
576	» 10	sub specibus	sub speciebus
589	» 19	simitur	sumitur
605	» 20	comsummatio	consummatio
673	» 10	Eucharistiae	Eucharistiam
697	» 9	articulum 5^{m}	articulus 5^{m}
778	» 5	acrificii	sacrificii
786	» 2	cujus nomini	cujus nomine

40792

LAHOUSSE, S. J., GUSTAVUS

AUTHOR

Tractatus De Sacramentis

TITLE De Sacramentis in Genere.

DATE DUE | BORROWER'S NAME

Hombuch

STORAGE - CBPL

236.02

M293

40792